



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.


We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>





Migne, Jacques Paul

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRÆ, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA
ECCLESIAE SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS,
PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS
DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI
SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM
DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM
ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID
UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO
SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBIVIUM QUINAM PATRES
ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM
SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS
CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS
TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER
SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSENTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA,
SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM,
PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES,
LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA.

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIAE LATINÆ
A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

CURSUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS LXV.

FELIX IV, PROSPER EX MANICHEO CONVERSUS, BONIFACIUS II, MONTANUS,
S. ELEUTHERIUS, S. FULGENTIUS, S. RHEMIGIUS RHEMENSIS.

TOMUS UNICUS

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,

IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUË.

1847

BR

60

• M4

t. 65

cop. 1

SANCTI
FULGENTII
EPISCOPI RUSPENSIS,
FELICIS IV ET BONIFACII II
SUMMORUM PONTIFICUM,
SANCTORUM
ELEUTHERII ET REMIGII
TORNACENSIS RHEMENSISQUE EPISCOPORUM,
NECNON
PROSPERI EX MANICHÆO CONVERSI
ET
MONTANI
EPISCOPI TOLETANI.
OPERA OMNIA,

EX MEMORATISSIMIS EDITIONIBUS MANGEANTII, MANSI, GALLANDII, MARGARINI DE LA RIGNE,
FRANCISCI DE LORENZANA ACCURATISSIME EXPRESSA.

TOMUS UNICUS.

PRIS : 7 FRANCS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1857



ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

FELIX PAPA IV.	
Epistolæ et decreta.	Col. 9
PROSPER EX MANICHÆO CONVERSUS.	
Fidei catholicæ Professio.	23
BONIFACIUS PAPA II.	
Epistolæ.	29
MONTANUS.	
Epistolæ	51
S. ELEUTHERIUS.	
<i>Eleutherii Vita, auctore Guiberto.</i>	59
Sermones.	83
S. FULGENTIUS.	
<i>Vita Fulgentii a quodam ejus discipulo adornata.</i>	117
Libri tres ad Monimum.	151
Libri tres ad Trasimundum.	223
Epistolæ	303
De Trinitate.	497
Contra sermonem Fastidiosi Ariani	507
De remissione peccatorum.	527
De incarnatione Filii Dei.	573
De veritate prædestinationis et gratiæ Dei.	603
De fide	671
Pro fide catholica.	707
Sermones genuini.	719
Instrumenta fidei catholicæ.	749
Excerptum ex libro III Hincmari necnon ex libro III Ratrami.	833
Sermones duo inediti.	<i>Ibid.</i>
Liber de prædestinatione et gratia.	843
Sermones LXXX, paucis exceptis, supposititii.	855
S. REMIGIUS REMENSIS.	
Epistolæ quatuor	963
Testamentum	969
MARCELLINUS COMES.	
Chronicon (in hoc tomo memoratum, editum autem Patrologiæ tom. LI, col. 913).	975

ERRATA.

Pag. 15-16, versus finem : *apendix*; lege *appendix*. — Ibidem, post *epistola II*, adde, *olim I*. — Col. 31, pro *Epistola prima (olim XI)*, lege *Epistola prima (olim II)*. — Col. 41, inter lineam 2 et lineam 3, supple : ~~LIBELLUS II~~. — Pag. 59-60, ante *Vitam Eleutherii*, typographorum oscitantia sequens omisus est titulus : ANNO DOMINI DXXXI. S. ELEUTHERIUS.

FELIX PAPA IV.

NOTITIA.

(Ex libro pontificali.)

* Felix natione Samnius (Sanmita), ex patre Castorio, ^b sedit annos 4 menses 2 dies 13 (an. 3 m. 2 d. 13, a 24 Julii an. 527). Fuit autem temporibus Theodorici regis et (a) Justiniani Augusti, a consulatu Maburti (Mavortii) usque ad consulatum Lampadii et Orestis, a die iv iduum Juliarum usque in diem iv idus Octobris. Hic fecit basilicam sanctorum Cosmae et Damiani in urbe Roma, in loco qui appellatur via Sacra. juxta templum urbis Romæ. Hujus temporibus consumpta est incedio basilica sancti martyris

* Variantes sive notas quæ ad utramque paginæ oram post Labbæum Mansi exscripserat, nos plerumque intra parentheses in textu posuimus, aliquoties ad calcem paginarum asterisco præfixo. Edit.

* Felix] Theodoricus interfector Joannis, usurpato sibi jure temere eligendi et nominandi sedis apostolicæ episcopum : postquam hac de re quinquaginta et octo dierum interregno disceptatum esset, Felicem virum in Romano clero probatissimum nominavit : ne qua occasione suæ voluntati resisti posset. Accidit ea nominatio, nominatique a toto clero facta approbatio, vigesima quarta Julii, an. Domini 526. Justinus imperatoris anno imperii nono, Theodorici regis 34 anno regni Italicæ. Sed absque dilatione Deus auctorem tanti sceleris Theodoricum sævum, barbarum, durumque tyrannum repentina vindicta cœlitus immissa prostravit, et post acceleratum dirum exitium ad inferos perpetuo relegavit. Accidit, inquit Procopius de Bello Gothorum lib. 1, cum cœnantii illi ministri apposuissent miræ magnitudinis piscis caput decoctum, Symmachi nuper occisi caput illi visum fuerit præfixis et exstantibus inferiore in labro dentibus et torve intuentibus oculis furibunde sibi et acerbè comminari ; qua visione territus in morbum inciderit, et non longe post mortuus fuerit. Refert S. Gregorius lib. iv Dial., cap. 30, quod quidam solitarius viderit eum inter Joannem papam et Symmachum patricium, quos occiderat, disinctum et discalceatum, et vincitis manibus deductum in Vulcani ollam jactari. Successit illi in regno Italicæ Athalaricus ex filia nepos, qui exacto a Romanis fidelitatis juramento, precibus episcoporum regnum suum stabiliri per litteras expetivit. Hujus tempore S. Ephrem Antiochenæ Ecclesiæ factus est episcopus. Justinus morbo senioque gravatus, cum summa æquitate et religione imperium usque ad nonum annum administrasset, consulens futuris reipublicæ commodis, cum consensu totius senatus Justinianum ex sorore nepotem imperii successorem delegit. Principio imperii Agapetus diaconus S. R. Ecclesiæ scripto eum admonuit, quomodo se in administratione imperii gerere deberet. Inita cum Athalarico aliisque nationibus pace et concordia fidem catholicam edictis et sanctionibus confir-

A Saturnini, via Salaria, quam a solo refecit. Qui etiam ordinatus est cum quiete, et vixit usque ad tempora Athalarici. Hic fecit ordinationes duas in urbe Roma per mensem Februarium et Martium : presbyteros 55, diaconos 4, episcopos per diversa loca 29. Qui etiam sepultus est in basilica beati Petri apostoli, iv idus Octobris (obiit temporibus Athalarici regis suli die 3 Octobris, qui sepultus est apud beatum Petrum). Et ^c cessavit episcopatus dies 3.

mauit. De rebus ecclesiasticis leges quas promulgavit, ipsius saltem nomine Constantinopolitani episcopi ediderunt, ut major earum esset observantia : vel si quas ille sancivit, fecit illud non quod sibi munus episcopi assumeret : sed potius ut hæreticos canonum contemptores auctoritate imperatoria coerceret. B Cum ex hoc fœdere Gothi arrogantiores facti jura Ecclesiarum invaderent, et clericos passim ad laicalia tribunalia traherent, Felix pontifex una cum Romano clero de his apud ipsum regem vehementer exposulavit : qui ubi eos benigne audisset, humaniterque tractasset, ex ipsorum sententia sanctionem edidit, qua adeo nefaria et inconcessa, temereque præsumpta, terri omnino prohibuit. Ipsa constitutio exstat apud Cassiod., lib. viii, cap. 24.

Dionysius Exiguus, qui primus a nativitate Christi annos numerare cœpit, canonesque Græcorum male translato elegantiori Latinitate donavit, a secundo anno Felicis, qui est Christi 527, cyclum paschalem exorsus, eum ad 95 annorum curricula perduxit. Fragmentum illius cycli recitat Marianus Scotus in chronicis sub consulatu Mavortii anno quarto (Errat Binus) pontificatus Felicis, qui est Christi 529. Justinianus imperator codicem de nomine suo Justinianum appellatum absolutum confirmavit et vulgavit. Usus est hac in re opera imprimis Triboniani hominis ethnici aurique cupidissimi, apud quem justitia venalis erat. Ne mireris ergo si impios imperatores Zenonem et Anastasium sententia pontificis, concilii Constantinopolitani et Justiniani e catalogo imperatorum abrasos, penitusque damnatos, insigni pietatis titulo in codice nominatos reperias. Sev. Binus.

^b Sedit annos 4] Annis 4 mensibus 2 et diebus 18 sedisse, colligitur ex principio et fine pontificatus. Sev. Binus.

^c Cessavit episcopatus dies tres] Ab obitu Felicis usque ad electionem Bonifacii secundi tres dies intercesserunt, quod alicubi legitur sedes vacasse uno mense et quindecim diebus ; intelligendum est de tempore illo, quando post schisma sublatum Bonifacius cognitus est ab omnibus legitimus pontifex. Sev. Binus.

(a) Justiniani. Ms. Luc. 490.

FELICIS PAPÆ IV EPISTOLÆ ET DECRETA.

EPISTOLA PRIMA (OLIM III).

FELIX PAPA IV AD CÆSARIUM ARELATENSEM.

De laicis ad sacerdotium ante probationem non promovendis.

Dilectissimo fratri Cæsario Felix.

Legi quod inter fraternitatem vestram est constitutum, non licere ex laica conversatione ad officium sacerdotale ante probationem temere promoveri: de qua re etiam ad nos pervenit opinio, aliquos post ordinationem ad vitæ sæcularis mores fuisse transgressos. Et licet sit talis nefanda præsumptio, plus tamen est periculosa neglectio. Qui enim potest venienti malo resistere, et hoc dissimulans fieri permittit, ipse magis mali auctor operis approbatur. Nemo se itaque per antiquam consuetudinem speret evadere; quia quæ illicite inchoata sunt, si damnentur in posterum, suos fructus generare non possunt. Nam quod gradibus eruditur, si sine perfectione doctrinæ ad suum perveniat constitutum, errat per examinationem, quia non recipit firmitatem; nec honorem quis per timorem potest servare, qui in ejus gloriam semel labore pervenit. Et laus inanis cui tribuitur lædit, ad elationem nutriens magis quam provocans ad operam veræ virtutis. Vas electionis ad suum vernaculum Timotheum scribit dicens: *Nemini cito manus imposueris, nec communicaveris peccatis alienis (I Tim. v).* Quid sibi vult: ne citius imponas manus? Quia dignitas quæ datur, ideo datur, ut duret immobilis. Debet enim, antequam concedatur, longa sub deliberatione tractari. Unde magister qui elementorum ignorat initia? Unde gubernator qui inter nautas sua servitia non monstravit? Ignorat quænam ratio magistris debetur qui ad obedientiam sua corda non flexit, unde quemadmodum in domo Dei conversari debeat posteris sit exemplum. Sit in omnibus clericis, et in his maxime qui sunt ad sacerdotia deligendi, apostolicæ monitionis eloquium, qui ait: *Oportet et testimonium habere bonum ab his qui foris sunt (I Tim. iii).* Quapropter communi consensu, sub observatione venerabilium canonum, ordinandum eligite sacerdotem: ut et de nostra simus salute solliciti, et illorum utilitatibus consulamus, qui fuerint ad hunc ordinem diligenter adaciti. Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data iii nonas Februarias a post consulatum Mavortii viri clarissimi (anno Christi 528)

Agnellus Ravennatensis, noni sæculi scriptor, in suo

* *Post consulatum Mavortii*] Vulgati P. C. M. seu BORTH V. C. Quæ falsa subscriptio suspensos dudum habuit viros doctos, cum Felicis III temporibus, cui hæc epistola propter Boetii consulatum tribuebatur, Cæsarii, qui episcopus nondum erat, congruere nomen non posse intelligerent, et contra cum Felice IV, cui congrueret Cæsarii episcopatus, Boetii consulatum minime convenire. Nunc vero, restituta ex co-

A *Pontificali Ravennatensium episcoporum vulgato a Cl. Bacchinio, et recuso ac ad ms. cod. recensito a Muratorio Rer. Ital. tom. II, part. 1, ad vitam S. Ecclesiæ Ravennatensis episcopi Constitutum quoddam Felicis papæ servavit, datum occasione dissidii cujusdam in Ecclesiam, et clericos ditionis suæ. En illud:*

CONSTITUTUM FELICIS IV.

DE ECCLESIA RAVENNATENSI.

Felix (IV, MUR.) episcopus urbis Romæ.

Laudanda est decessorum nostrorum sollicitudo de pace et quiete ecclesiastica (constitutum, MUR.), quia pastor qui advigilans continere debet contentiones, aut damnat, aut corrigit. Oportet in hunc ipsum tramitem nobis ambulantibus similis cum eis conspici; quia quorum per Dei misericordiam locum gerimus, ipsorum sequi nos decet exempla. Ex invidia sacerdotibus Ecclesiæ Ravennatis talia contigerunt, quæ (quod, MUR.) omnium catholicorum animos contristasse noscuntur, altercationes, seditiones, pravitates, quæ omnem disciplinam ecclesiasticam dirumpere niterentur. Ista nos iterum..... verum Dei timorem ante oculos habentes, ut nec illicitis audaciam demus excessibus, et non abiciamus..... per constitutum nostrum ordinare, quod justum est secundum Salomonem dicentem: *Non dures (dares, MUR.) transitum aquæ.* Ergo recensentes capitulis a fratre nostro (deest, MUR.) Ecclesio, et a presbyteris, et diaconibus, et clericis (clero, MUR.), et notariis Ecclesiæ Ravennatis nobis oblati, presentibus fratre et consacerdote nostro Ecclesio, et ejus clericis inferius designatis, quod rationi vidimus convenire, censemus eos clericatus officium debere suscipere, quorum vitam et conversationem sacrorum canonum non possit impugnare auctoritas. Clericos vero secundum sanctorum Patrum regulas volentes duntaxat et denuntiatos; quantum ad presbyteros et diaconos pertinet, statutis jubemus temporibus solemniter promoveri. De vero Ravennatum et Classicanorum Ecclesia, antiqua consuetudo servetur. Clerici vero vel monachi ad indebitum obtinendum ordinem, vel locum, potentium patrocina non requirant, per quæ, aut non faciendo ingratus, aut faciendo injustus videatur episcopus. Quarta patrimonii Ravennatensis Ecclesiæ, hoc est tria millia solidorum, solitis erogationibus clericis omnibus, vel quibus erogari est solitum, compleatur. Si quid tamen ex pensionibus vel hæreditatibus crescere, Domino nostro volente contigerit, eodem Domino mediante, etiam

dice Arelatensi vera lectione, discussæ sunt ambages, et reddita auctori suo epistola, id est Felici IV, cujus annus secundus in eum incidit, qui fuit post consulatum Mavortii, id est in annum Christi 528, quo Cæsarius annum agebat in episcopatu suo 25 (imo 29, cum ad eum iam ab ann. 602 scripserit Symmachus papa). JAC. SIMONDUS.

quarta portioni adjiciantur (proficiat, Mur.); sic tamen ut brevibus ordinatis, quod singulis distribuitur latere non possit.... secundum merita, secularum loca, quia omnia Deus secundum justitiam et mensuram constituit..... ita ut unusquisque extra necessitatem infirmitatis aut causam idoneam altaris omnia in suo officio vigilanter observet. Redditus (excepta, Mur.) vero prædiorum sive accessiones propter rei familiaris expensas, vel exenia, quæ diversis offeruntur, et convivia quæ eis exhibere, vel pro loci sui, vel merito, vel pro advenientium susceptione, necesse est, episcopo constituimus debere proficere. Nullam conjurationem, nullum conventiculum, quod vel apud laicos esse non potest impunitum in Ecclesia Dei, ullus facere tentet ex clero. Nam sicut nos optamus ne superna misericordia patiatuŕ admitti, sic, si quis tentaverit, sentiat auctoritatem canonum, et ecclesiasticam disciplinam secundum Apostolum dicentem : *Excedentes in conspectu omnium corrige, ut residui timorem habeant.* Mereantur boni laudem, qui in operibus Dei vigilant; sentiant affectum proprii sacerdotis, qui per obedientiam suam videntur ornare propositum; gloriantur de sui amore pontificis, qui in suis officiis ab operibus Deo placitis cum ejus obsequiis non desistunt; sicut divina loquuntur eloquia : *Dignus est operarius mercede sua.* Ad patrimonium vero Ecclesiæ ex eorum episcopi judicio... ex clero personæ electæ cum solatiis quæ pro notitia deputaverit episcopus sub idonea fidejussione mittantur, quorum fides fuerit, et industria comprobata, ut et alimonia pauperum fraudem non patiantur, et quantitas patrimonii Ecclesiæ latere non possit, et unusquisque clericus sub timore Dei, et proprii sacerdotis de his quæ sibi commissa fuerint exponat fideliter rationes. Illud vero quod omnino ac religioso debet exsecrari proposito, nos nec oportebat loqui, nec verbis exponere. Pervenit ad nos aliquos de clero spectaculo interesse, quæ res ita crudelis est, ut animas catholicorum pro sui execratione conturbet, ut quos in domo Dei divina eloquia recitantes audivit, eosdem contra mandata in spectaculis aspiciat convenire. In his disciplina confunditur, divina præcepta calcantur. Unde oportet episcopum et de hac parte sollicitudinem gerere, ut si non faciunt, non faciant in futuro, et si faciunt, juxta disciplinam ecclesiasticam corrigantur. Si qui vero de clero prædia urbana, vel rustica ad Ecclesiam pertinentia detinet, eisdem libellis sub justa pensionis æstimatione factis statuimus collocanda, hac ratione (ut exinde, Mur.) quod in quo modis suis solent accipere ipsi retineant, quod superest ecclesiasticis inferant compendiis profuturum. Circa prædia urbana, vel rustica cæteraque mobilia pro animarum suarum mercede a fidelibus nominatim diversis basilicis derelicta, vetus consuetudo servetur. Notarii vero juxta ordinem matriculæ, primicerii, secundicerii, tertius, quartus, quintus, sextus, septimus, suo periculo in conspectu presbyterorum, et diaconorum documenta ecclesiastica, sub fidelium brevium de-

scriptione suscipiant, ut quotiens exegerit causa, fideliter proferantur, contradant, atque recipiant. Omnia tamen cum jussione et ordinatione episcopi sui eosdem jubemus efficere. Ideo enim universa describenda sunt ecclesiastica documenta, ne ullo modo, aut suscepta pereant, aut tempore quo sunt necessaria utilitatibus ecclesiasticis exhiberi non possint. Qui tamen notarii in officio suo observantes, strenui, consequantur sine imminutione comoda sibi, vel prioribus suis antiquitas deputata. Ipsi etiam, sicut exigit ratio, et antiquitas ordinavit libellos, et securitates totius patrimonii ecclesiastici, quorum interest subscriptos episcopi manu, contradant. Quibus vero cum secularis conversationis hominibus nullam necessitatem rei familiaris tolerantibus ecclesiastici juris prædia, vel urbana, vel rustica data sunt, episcopi sollicitudine per eos, quibus jusserit clericos ad dominium revocet Ecclesiæ, nec deinceps, præter causam superius comprehensam, dare præsumat. Mastalo vero archidiaconus Ecclesiæ Ravennatis, comoda ejusdem (eidem, Mur.) loco juxta antiquam consuetudinem deputata sine imminutione percipiat, sicut eos qui ante eum fuerunt, claruerit consecutos. Monasteria vero virorum sive ancillarum Dei ab episcopo ordinentur, ut omnibus ratio, justitia, pax et disciplina servetur. A nobis hæc loci nostri exigit ratio non tacere (tacere, Mur.), fratri nostro Ecclesio ea imminet custodire, quia pacem generat cum canonibus servata justitia. De justitia caritas procedit, per quam Deum videmus, et per cujus gratiam hæc possumus præcepta servare. In nullo ergo esse convenit negligentes, sed vigilantes ad omnia, ut talentum, quod nobis est creditum, cum boni operis augmento (augmento, Mur.), ipsi omnium honorum datori reddamus. Recognovimus. Caelius.

Felix episcopus Ecclesie catholice urbis Romæ huic constituto inter partes subscripsi.

NOMINA PRESBYTERORUM, DIACONORUM, VEL CLERICORUM RAVENNATENSIS ECCLESIE, QUI ROMAM VENERUNT CUM EPISCOPO.

Patritius presbyter.	Faustinus acolytus.
Stephanus presbyter.	Romanus acolytus.
Constantinus presbyter	Severinus acolytus.
Servandus presbyter.	(Andreas acolytus. Mur.)
(Honorius presbyter.	Petrus lector.
Mur.)	Marcus lector.
Exuperantius presbyter.	Asterius lector.
Clemens diaconus.	Petrus alter lector.
Ursus diaconus.	Andreas lector.
Felicissimus diaconus	Marinus defensor.
Vigilius diaconus.	Majoranus notarius de-
Neon diaconus.	fensor.
Joannes diaconus.	Hermolaus primicerius
Stephanus diaconus.	defensor.
Gerontius subdiaconus.	Honorius cantor.
Honorius subdiaconus.	Tranquillus cantor.
Petrus subdiaconus.	Antonius cantor.
Vitalis subdiaconus.	Melitus cantor
Julianus acolytus.	

NOMINA PRESBYTERORUM, DIACONORUM QUI ROMAM VENERUNT CUM VICTORE PRESBYTERO ET MASTALONE
DIACONO.

Laurentius presbyter.	Florus lector.
Rusticus presbyter.	Reparatus lector.
Victor presbyter.	Luminosus lector.
Thomas presbyter.	Calunnius lector.
Mastalus diaconus.	Ysaac lector.
Magnus diaconus.	Laurentius horrearius.
Paulus diaconus.	Petrus decanus.
Agnellus diaconus.	Stephanus decanus.
Maurus subdiaconus.	Vindemius acolytus.
Stephanus acolytus.	Colos acolytus.
Vincemalus acolytus.	Cassianus acolytus.
Thomas lector.	Laurentius acolytus.
Laurentius lector.	Stephanus acolytus.

AD SEQUEMTEM EPISTOLAM ADMONITIO.

Antiquam illam canonum epitomen, quam in vetustissimo Lucensi codice nongentorum annorum nactus sum, evolventi, occurrit synopsis epistolæ cujusdam Felicis ad *Siculienses episcopos*, quo sub titulo canones 8 collocantur. Cum vero in iis canonibus quædam agnoverim quæ ad Arianorum resipiscentium receptionem in Ecclesiam pertinent, alia vero quæ Pelagianorum vel Semipelagianorum hæresim jugulabant, ac tandem quædam in Manichæorum dogma de malo a Deo producto invectæ; hæc omnia nonnisi cum Felice IV congruere posse censui. Primo enim hæresis Pelagiana cum Felice II coherere nequaquam potest, diu enim post decessum Felicis II innotescere ac damnari cœpit. Eo igitur pontifice remoto, Felix III, et Felix IV succederent. A Felice III cur epitome hæc nostra removeatur id suadet, quod ejus tempore Manichæos Ecclesiam turbasse nullibi legimus. Vicissim autem cum Felice IV omnia congruunt. Ariani qui Africam et Italiam infestabant, ut ex concilio Vasensi anno 529, id est sub Felice IV celebrato cap. 5 discimus. De Manichæis planum est ex anathematismis Prosperi

(a) Hoc ipsum excerptum epistolæ Felicis ad Sicilienses in Veronensi codice 59 nacti Ballerini fratres animadvertunt sententias sub hoc titulo allatas contulisse se cum libro *de Ecclesiasticis Dogmatibus* edito in append. tom. VIII S. Augustini, atque ex numeris ac rebus ipsis imperperisse nihil aliud hæc-

A ex Manichæo circa hæc tempora conversi, legendis apud Labbeum tom. V, pag. 860 Ven. edit. Denique Semipelagianorum dogma exagitat concilium Arausicanum n. anno eodem 529 habitum. His in antecessum animadversis, modo epitome illa promenda, quam profero ut est in codice cum numeralibus notis singulis canonibus ascriptis; quæ sane notæ cum numerorum seriem minime quidem continuatam, sed ordinem interruptum servant, aperto satis indicio demonstrant e majori aliquo excerpto ea quæ ibi dantur decerpta fuisse.

EX EPISTOLA

FELICIS AD SICILIENSES EPISCOPOS.

XVII. ^a Arianos in catholica fide venientes per manum impositionis recipiant [leg. per manuum impositionem recipiant].

XVIII. ^b Omni dominico die communicare bonum est, si se abstinent a peccato.

XXIV. ^c Sine invitatione Dei nullus ad salutem venit.

XXVII. ^d Malum non esse a Deo factum.

XXX. ^e Bonæ sunt nuptiæ.

XXXI. Melior est continentia.

NOTÆ IN EXCERPTA SUPERIORIS EPISTOLÆ FELICIS.

^a Arianos, etc Ita Siricius papa ad Heimericum cap. 4.

^b *Omni Dominico die*, etc. De communione diebus festis quæ pro consueto more accipi diebus illis obtinuerat, vide concilium Emeritense anno 666, cap. 14.

^c *Sine invitatione Dei*. Vide concilium Arausicanum n. cap. 19.

^d *Malum non esse a Deo factum*. Vide anathematismos a Prospero Manichæo signatos. cap. 1. et 2.

^e *Bonæ sunt nuptiæ, melior est continentia*. Vide Augustinum toto lib. de Bono conjugali (a).

EPISTOLA ATHALARICI REGIS

DE ELECTIONE FELICIS.

(Hanc epistolam videsis infra inter opp. Cassiodori, Variarum lib. VIII, epist. xv.)

quam eundem de dogmatibus librum designari. Nomen vero Felicis ideo præfixum censuit quod in codice, unde hæc brevior desumpsit, statim post Felicis III epistolam ad Siciliensem succederent. Vide Ballerini Oper. S. Leonis tom. III, pag. 261. MANSI.

APPENDIX

AD EPISTOLAS FELICIS IV.

EPISTOLA II.

FELIX PAPA IV AD OMNES EPISCOPOS.

(Hæc et sequens epistola *votivæ* vitio laborant.)

I. *Quod missarum celebratio alibi quam in Deo dicitur locis non debeat fieri nisi magna compulerit necessitas.*

II. *De ecclesiarum sacrationis aubitatione quid sit agendum.*

Dilectissimis fratribus omnibus episcopis per diversas provincias constitutis Felix episcopus in Domino salutem

D Magno munere (S. Leo, ep. 54) misericordia Dei totius Ecclesiæ catholicæ multiplicata sunt gaudia, cum Ecclesiarum status eo viget ordine quo apostolorum successores illum statuerunt. Et cum antiqui hostis astutia eum turbari agnoscimus, non modico contristamur mœrore. Quam ob causam (fratres) hortamur, monemus et flagitamus, ut a tramite apostolicæ institutionis nequaquam recedatis (*Idem*, ep. 84), nec a capite dissideatis, sed fidem et ordinem que-

apostoli et apostolici viri statuerunt absque ulla A hæsitacione teneatis. Nam si columnæ alicujus magnæ domus ruerint, ipsa postea domus minime stabit. Sic et vos, qui columnæ Ecclesiæ estis, si labefactari cœperitis, sancta Ecclesia, quæ per vos regitur, tabescit et labitur. Hæc (fratres) quæ dico valde timenda sunt, et summo moderamine pensanda, atque ne fiant cavenda. Ipsa enim per se veritas ait : *Vos estis sal terræ; quod si sal evanuerit, in quo salietur (Matth. v)?* Ideo (carissimi) vos moneo, quia debitor sum vobis, et valde vos diligo. Et quando bona audio de vobis, nimis sum gavisus : et e contra quando mala, nimis conturbatus. Ego vero, quamvis a vobis per longa terrarum atque maris intervalla disjunctus sim, sum tamen omnino vobis corde conjunctus. Idque de beatitudine vestra erga me modis B omnibus confido, quia cum me vicissim diligitis, a me longe non estis. Unde gratias referimus illi grano sinapi (*Luc. xiv; Matth. xiii*), qui ex modici despiciabilisque seminis specie, ita ramis ex eadem radice surgentibus, atque se distendentibus, usquequaque diffusis, ut in eis volatilia cœli (cuncta) nidificent : gratiaque sit fermento illi quod tribus farinæ satis totius humani generis massam in unitate conspersit : atque parvo lapidi, qui abscissus est de monte sine manibus, et occupavit universam faciem orbis terræ, qui ad hoc se usquequaque distendit, ut omni humano genere in unitatem redacto, totius corpus perficeretur Ecclesiæ, atque ita ad totius compagis pertineret commodum membrorum partialis ista distinctio. Unde nos quoque a vobis non longe sumus : quia in illo qui ubique est unum sumus (*Joan. xx*). Agamus ergo ei gratias, quia solutis inimicitiiis in carne sua fecit ut in omni orbe terrarum unus esset grex, et unum ovile sub se uno pastore, semper memores quid nos egregius prædicator admoneat dicens : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis (Ephes. iv)*. Sanctitatis vestræ scripta, quæ ad sedem apostolicam misistis super quibusdã consultis, quasi ad caput, ut inde acciperetis responsa, unde omnis Ecclesia totius religionis sumpsit exordium, gratanter suscepi, et breviter vobis respondere curavi.

I. De ecclesiarum enim consecratione, et de missarum celebrationibus, non alicubi quam in sacratis Domino locis absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus quibus sunt nota Novi et Veteris Testamenti præcepta. Tabernaculum vero Mosen Domino præcipiente fecisse, et sacrasse, cum mensa et altari ejus, et cæteris vasis utensilibus ad divinum cultum expletum legimus (*Num. vii*) : et non solum divinis præceptis ac precibus ea sacrasse, sed etiam sancti olei unctione, Domino jubente, perlinisse novimus. Qualiter autem hæc facta sint, et quomodo ipsa sacra non alii quam sacerdotes sacra unctione delibuti, Dominoque cum vestibus sanctis sacrati, et levitæ tractabant, ferebant, erigebant, et deponebant, in ipsis institutionibus, quæ (Domino jubente) per Mosen conscriptæ sunt, in lege Domini reperitur. Qualiter ergo David regum piissimus amplificaverit cultum Dei, et templum Domini ædificare voluit, sed propter mul-

tum sanguinem, quem effuderat, prohibitus est, et ipse collegerat expensas, Salomonque filius ejus idipsum, quod ipse facere optaverat, jubente et auxiliante Deo, perfecit, et templum cum altari, et reliqua ad divinum cultum parandum, consecravit, in libro Regum inter cætera legitur ita : *Ædificans (inquit Salomon Domino [III Reg. vii]) ædificavi in habitaculum tuum, fortissimum (firmissimum; ita et c. Just.) solium tuum in sempiternum. Convertitque rex faciem suam, et benedixit omni ecclesiæ Israel. Omnia enim ecclesia Israel stabat, et ait : Benedictus Dominus Deus Israel, qui locutus est ore suo ad David patrem meum, et in manibus ejus perfecit, dicens : A die qua eduxi populum meum Israel de Ægypto, non elegeri civitatem de universis tribubus Israel, ut ædificaretur domus, et esset nomen meum ibi; sed elegeri David, ut esset super populum meum Israel. Voluitque David pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Israel, et ait Dominus ad David patrem meum : Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente tractans. Verumtamen tu non ædificabis domum, sed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis, ipse ædificabit domum nomini meo. Confirmavit Dominus sermonem suum, quem locutus est, stetitque pro David patre meo, et sedi super thronum Israel, sicut locutus est Dominus. Et ædificavi domum nomini Domini Dei Israel. Et constitui ibi locum arcæ, in qua fœdus Domini est, quod percussit cum patribus nostris, quando egressi sunt de terra Ægypti. Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu ecclesiæ C Israel, et expandit manus suas in cœlum, et ait : Domine Deus Israel, non est similis tui in cœlo desuper, et super terram deorsum, qui custodis pactum et misericordiam servis tuis, qui ambulat coram te in toto corde suo. Qui custodisti servo tuo David patri meo quæ locutus es ei. Ore locutus es, et manibus perfecisti, ut hæc dies probat. Nunc igitur, Domine Deus Israel, conserva David famulo tuo patri meo quæ locutus es ei, dicens : Non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel, ita tamen, si custodierint filii tui viam suam, ut ambulent coram me, sicut tu ambulasti in conspectu meo. Et nunc, Deus Israel, firmentur verba tua, quæ locutus es David servo tuo patri meo. Ergone putandum est quod vere Deus habitet super terram? Si enim cœlum et cœli cœlorum te capere D non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi? Sed respice ad orationem servi tui, et ad preces ejus, Domine Deus meus. Audi, Domine, hymnum et orationem, quam servus tuus orat coram te hodie : ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte et die, super domum de qua dixisti : Erit nomen meum ibi, ut exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te servus tuus; ut exaudias deprecationem servi tui, et populi tui Israel, quodcumque oraverint in loco isto, et exaudias in loco habitaculi tui in cœlo, et cum exaudieris, propitius eris. Si peccaverit homo in proximum suum, et habuerit aliquod juramentum, quo teneatur astrictus, et venerit propter juramentum coram altari tuo in domum tuam, tu exaudies in cœlo, et facies, et judicabis servos tuos, condemnans impium, et reddens : iam suam*

super caput ejus, justificansque justum, et retribuens es secundum jusitiam suam. Si sugerit populus tuus Israel inimicos suos (quia peccaturus est tibi) et agentes pœnitentiam, et confitentes nomini tuo, venerint, et oraverint, et deprecati te fuerint in domo hac, exaudi in cœlo, et dimitte peccatum populi tui Israel, et reduces eos in terram quam dedisti patribus eorum. Si clausum fuerit cœlum et non pluerit propter peccatum eorum, et orantes in loco isto pœnitentiam egerint nomini tuo, et a peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam, exaudi eos in cœlo, et dimitte peccata servorum tuorum, et populi tui Israel, et ostende eis viam bonam, per quam ambulent, et da pluviam super terram, quam dedisti populo tuo in possessionem. Fames si oborta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aer, aut ærugo, aut locusta, vel rubigo, et affixerit eum inimicus ejus portas obsidens, omnis plaga, universa infirmitas, cunctaque devotio et imprecatio, quæ acciderit omni homini de populo tuo Israel; si quis agnoverit plagam cordis sui, et expanderet manus suas in domo hac, tu exaudies in cœlo, in loco habitationis tuæ, et repropitiaberis, et facies, ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum); at timeant te cunctis diebus quibus vivunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris. Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum extentum ubique), cum venerit ergo, et oraverit in loco hoc, tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia pro quibus invocaverit te alienigena, ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus Israel: et probent quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam ædificavi. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos, per viam quocunque miseris eos, orabunt te contra viam civitatis quam elegisti, et contra domum quam ædificavi nomini tuo, et exaudies in cœlo orationem eorum et preces eorum, et facies iudicium eorum. Quod si peccaverint tibi (non est enim homo qui non peccet), et iratus tradideris eos inimicis suis, et captivi ducti fuerint in terram inimicorum longe vel prope, et egerint pœnitentiam in corde suo in loco captivitatis, et conversi deprecati fuerint te in captivitate sua, dicentes: Peccavimus, inique egimus, impiissimus, et reversi fuerint ad te in universo corde suo, et tota anima sua, in terra inimicorum suorum, ad quam captivi ducti fuerant, et oraverit te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, et civitatis quam elegisti, et templi quod ædificavi nomini tuo; exaudies in cœlo, in firmamento solii tui, orationem eorum et preces eorum, et facies iudicium eorum, et propitiaberis populo tuo, qui peccavit tibi: et omnibus iniquitatibus eorum, quibus prævaricati sunt in te: et dabis misericordiam eorum eis, qui eos captivos habuerint, ut misereantur eis. Populus enim tuus est, et hæreditas tua, quos eduxisti de terra Ægypti, de medio fornacis ser-

(a) Burch. addit lib. III, cap. 59, et gratia, et veritas per Jesum data est. MANSI.

reæ, ut sint oculi tui aperti ad deprecationem servi tui et populi tui Israel et exaudies eos in universis, pro quibus invocaverint te. Tu enim separasti eos in hæreditatem de universis populis terræ, sicut locutus es per Mozen servum tuum, quando eduxisti patres nostros de terra Ægypti (Ægypto), Domine Deus. Factum est autem, cum complisset Salomon orans Dominum omnem orationem et deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini. Utrumque enim genu in terra fixerat, et manus expanderat ad cœlum. Stetit ergo, et benedixit omni ecclesiæ Israel, voce magna dicens: Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israel juxta omnia quæ locutus est; non cecidit ne unus quidem sermo in omnibus (ex omnibus bonis) quæ locutus est per Mozen servum suum. Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens, neque projiciens, sed inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis ejus, et custodiamus mandata ejus, et cæremonias, et iudicia, quæcunque mandavit patribus nostris, et sint sermones mei isti, quibus deprecatus sum coram Domino, appropinquantes Domino Deo nostro die ac nocte, ut faciat iudicium servo suo, et populo suo Israel per singulos dies, et sciant omnes populi terræ, quia Dominus ipse est Deus, et non est ultra absque eo. Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, ut ambulemus in decretis ejus, et custodiamus mandata ejus sicut et hodie. Igitur rex et omnis Israel cum eo immolabant victimas coram Domino. Mactavitque Salomon hostias pacificas, quas immolavit Domino, boum viginii duo millia, et ovium centum viginii millia, et dedicaverunt templum Domini rex et filii Israel. In die illa sanctificavit rex medium atrii, quod erat ante domum Domini. Fecit autem ibi holocaustum, et sacrificium, et adipem pacificorum; quia altare æneum quod erat coram Domino, minus erat, et capere non poterat holocaustum, et sacrificium, et adipem pacificorum. Fecit ergo Salomon in tempore illo festivitatem celebrem, et omnis Israel cum eo, multitudo magna ab introitu Emath usque ad rivum Ægypti coram Domino Deo nostro septem diebus et septem diebus, id est quatuordecim diebus, et in die octava dimisit populos. Judæi ergo loca in quibus Domino sacrificabant divinis, habebant supplicationibus consecrata (supplicationibus consecrabant), nec in aliis quam in Deo dicatis locis munera Domino offerebant. Si enim Judæi, qui umbræ legis deservebant, hæc faciebant, multo magis quibus veritas patefacta est (a) templum Domino ædificare, et (prout melius possumus) ornare, eaque divinis precibus, et sanctis unctionibus suis cum altaribus et vasis, vestibus quoque, et reliquis ad divinum cultum explendum utensilibus, devote et solemniter sacrare, et non in aliis locis quam in Domino sacratis ab episcopis, et non a chorepiscopis, qui sæpe prohibiti sunt, nisi (ut prædictum est) summa exigente necessitate, missas celebrare, nec sacrificia offerre Domino debemus. Et hoc si summa necessitas agere compulerit, non in domibus, quia in

sacris canonibus sacrificia in domibus offerri prohibita sunt, sed in tabernaculis, divinis precibus a pontificibus dicatis, et in mensis Domino sacratis, et in sacra unctione a pontificibus delibutis, pro summa (ut præfixum est) necessitate, et non pro libitu cujusquam et pigritia agatur. (Statutum) Satius ergo est, missam non cantare (*Concil. Paris. lib. 1, cap. 47; et Capitul. vii, 334*), aut non audire (*S. Gregor. ep. 18, lib. iii*), quam in illis locis ubi fieri non oportet: nisi (ut sæpe dictum est) pro summa contingat necessitate, quoniam necessitas non habet legem. Unde scriptum est: *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus (Deut. x)*. Et in Exodo legitur: *Vos vidistis, quia de caelo locutus sum vobis: Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis; altare de terra facietis mihi, et offeretis super illud holocausta et pacifica vestra; oves vestras et boves in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei (Exod. xx)*. Et sicut non alii quam sacrati Domino sacerdotes debent missas cantare, nec sacrificia super altare offerre: sic nec in aliis quam in præfatis Domino sacratis locis missas cantare aut sacrificia offerre licebit. Si autem, ut legitur in concilio Laodicensi (*ex versione Dionysii Exigui*) capite 26, quod (a) hi qui non sunt ab episcopis ordinati tam in ecclesiis quam in domibus exorcizare non possunt, multo magis (minus) majoris gradus ministeria, nisi ab eis qui ad eos gradus sunt sacrati quibus fungi debent officia agi vel sacrificia offerri licet. Quod autem (ut paulo superius prælibatum est) oblationes in domibus offerri non debent, in eodem concilio capite 58 (b) prohibuit habetur, ita: *Non oportet in domibus oblationes celebrari ab episcopis et presbyteris*. Solemnitates vero dedicationum ecclesiarum et sacerdotum per singulos annos solemniter sunt celebrandæ, ipso Domino exempla dante, qui ad festum dedicationis templi, omnibus id faciendo dans formam, cum reliquis populis eandem festivitatem celebraturus venit, sicut scriptum est: *Facta sunt encaenia in Hierosolymis, et hiems erat; et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis (Joan. x)*. Quod autem octo dierum sint encaenia celebranda, in libro Regum (*III Reg. viii*), peracta dedicatione templi, reperies (reperietis).

II. De ecclesiarum vero consecratione (*S. Leo, D epiat. 92, cap. 15*) quoties dubitatur, et nec certa scriptura, nec certi testes existunt, a quibus consecratio scietur, absque ulla dubitatione scitote eas esse consecrandas, ne talis trepidatio faciat deteriorationem: quoniam non monstratur esse iteratum quod nescitur factum. His, fratres, testimoniis Scripturarum apostolica auctoritate confirmatis, consultis vestris breviter respondisse sufficiat. Vobis tamen prævidendum est, et omnibus prædicandum, ut illicita non agantur, et Domini præcepta conserventur, et fideliter peragantur. Rogamus autem vos, fra-

(a) Burch. inserit si.

(b) Cap. 51.

A tres, ut dicta apostolici replicemus, *corripito inquitos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat; sed semper, quod bonum est sectamini in invicem, et in omnes. Semper gaudete sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Haec est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis. Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere; omnia autem probate, quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur (II Thess. 5)*. Data calendis Martii, Lampadio et Oreste viris clarissimis consulibus (anno Christi 530).

B EPISTOLA III (OLIM II).

AD SABINAM.

Laudat in ea studium cultumque in ecclesiam, quodque stirpis honores vanamque pompam religioni posthabeat.

Singulare membrum Ecclesiae, tuae religionis amplitudinem existere, et a nobis reverentissime coli, satis est omnibus manifestum. In ipso enim apice nobilitatis, inulto nobiliorem Ecclesiae devotionem impendis, et magis læta Christi agnitione præceptis ejus obtemperas, et in fide potius exsultas, quam tanti generis flore jactaris. Summa virtus (Summæ virtutis) est vicisse gloriam carnis, et magna est Christi gratia (magnæ gratiæ) nobilitatem moribus superasse, domina filia merito illustris. Certa igitur existens, dilectissima, vitæ hujus, quæcunque sunt, spatia æternis divinisque officiis illustrare contende, ut qui insignem te præstitit, reddat sibi per sæcula clariorem.

Quapropter tuam hortamur dilectionem, ut bonum, quod cœpisti, semper implere non differas; quia non laudatur initium, sed finis. Sapientiam enim te hortamur diligere et scrutari, ut rationabiliter et sapienter disponas et judices ea que tibi commissa sunt, dicente Domino per prophetam: *Erudimini, qui judicatis terram. Time ergo Dominum, et mandata ejus serva, et dilige eum totis visceribus, et proximum tuum sicut teipsum. Deus altissimus creavit sapientiam in Spiritu sancto, et vidit, et dinumeravit ea terram, et mensus est, et effudit illam super omnia opera sua, et super omnem carnem secundum datum suum præbuit illam diligentibus se. Timor Domini, gloria et gloriatio, et corona exsultationis. Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiā et gaudium in longitudinem dierum. Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur. Dilectio Dei honorabilis sapientia; quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione, et in agnitione magnalium suorum. Initium sapientiæ timor Domini; et cum fidelibus in vulva concreatus est, et cum electis feminis graditur, et cum justis et fidelibus agnoscitur. Timor Domini, scientiæ religiositas. Religiositas custodiet, et justificabit cor, jucunditatem atque gaudium dabit. Timenti*

Quæ sequuntur descripta sunt ex epist. 13 Innocentii quæ est ad Julianam. Tom. III, p. 25.

Dominum bene erit, et in diebus consummationis illius beneauctetur. Plenitudo sapientiæ est timere Dominum, et plenitudo a ructibus illius. Omnem domum illius implebit a generationibus, et receptacula a thesauris illius. Corona sapientiæ, timor Domini, replens pacem et salutis fructum; et vidit, et dinumeravit eam, utraque autem sunt dona Dei. Scientiam et intellectum prudentiæ sapientiæ compartietur, et gloriam tenentium se exultat. Radix sapientiæ est timere Dominum, et rami illius longævi. In thesauris sapientiæ, intellectus et scientiæ religiositas; execratio autem peccatoribus, sapientiæ. Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non poterit justificari. Iracundia enim animositatis illius, subversio illius est. Usque in tempus sustinebit patiens, et postea reddito jucunditatis. Bonus sensus usque ad tempus abscondet verba illius, et labia multorum enarrabunt sensum illius. In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ; execratio autem peccatori cultura Dei. Fili, concupiscens sapientiæ, serva justitiam, et Deus præbebit illam tibi. Sapientiæ enim et disciplina, timor Domini; et hoc, quod beneplacitum est illi, fides et mansuetudo, et adimplebit thesauros illius. Contumax non sis, et incredibilis timori Domini, et ne accesseris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, et non scandalizeris labiis tuis. Attende in illis, ne forte cadas, et ponas scandalum animæ tuæ, et adducas inhonorationem tibi et revelet Deus absconsa tua. Pro fide et justitia, ac pro salute animæ certa semper, et pro adjutorio fratrum viriliter age, ut a Domino recipias remunerationem. Scriptum est enim (Eccli. iv): Fili, conserva tempus, et devota malo. Pro anima tua non confundaris dicere verum.

^a *Data xii calend. Novembris.*] *Hæc chronologia menstria mendosa est (sed et tota epist. ficta). Nam*

*Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gratiam et gloriam. Ne accipias faciem adversus faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium. Non reverearis proximum tuum in casu tuo, nec retineas verbum in tempore salutis. Non abscondas sapientiæ tuam in decore ejus. In lingua enim agnoscitur sapientiæ, et sensus, et scientia, et doctrina in verbis veritatis (verbo sensati), et firmamentum in operibus justitiæ. Non contradicas veritati ullo modo, et de mendacio ineruditionis tuæ confundere. Non confundaris confiteri peccata tua; et ne subicias te omni homini pro peccato. Noli resistere contra faciem potentis; nec coneris contra ictum fluminis. Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Noli citatus esse in lingua tua; et inutilis et remissus in operibus tuis. Noli esse sicut leo in domo tua, everrens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi. Non sit tibi manus tua porrecta ad accipiendum, et ad dandum collecta. His multa Scripturarum auctoritatibus semper sta recta, et a via veritatis ne avertaris, ut gratiam Dei acquiras, et honorum hominum amicitia fruaris: tantoque tua voluntas (mens) facilius ab amore hujus sæculi exeat, quanto et impellitur, dum vocatur. Nam nos et presentes vos videre cupimus, et absentibus per epistolam saltem colloqui desideramus. Unde et optamus, ut vos beatus Petrus apostolorum princeps ad sua limina feliciter perducat, quatenus in omnipotentis gratia perfrui vestra presentia mereamur. ^a *Data xii calendas Novembris (ann. 530 exeunte Octobri sedebat Romæ Bonifacius, non Felix), Lampadio et Oreste viris clariss. coss.**

hoc mense Bonifacius jam pontifex creatus erat, ut patet supra. SEV. BINIUS.

EODEM TEMPORE.

PROSPER EX MANICHÆO CONVERSUS.

PROSPERI ANATHEMATISMI ET FIDEI CATHOLICÆ PROFESSIO.

CAPITULA SANCTI AUGUSTINI QUÆ DEBEANT PUBLICA VOCE DILEGERE ET MANU PROPRIA SUBSCRIBERE IN QUIBUS SUSPICIO EST QUOD MANICHÆI SINT.

I. Qui credit duas esse naturas ingenitas diversis principiis existentes, unam bonam, quod est Deus, alteram malam, quam non creavit Deus, sibi invicem adversantes, anathema sit (*In codice Gervasiano habentem principes suos, et mala sua quæ non creavit Deus, anath. sit*).

II. Qui credit duas naturas bellum inter se gessisse: et partem nature Dei in eodem bello principibus tenebrarum, et omnibus gentibus ad malam naturam pertinentibus fuisse permixtam et ab eis teneri colligatam, oppressam, inquinatam, per quod et credi facit Dei naturam esse mutabilem et coinquinabilem, anathema sit.

III. Qui credit partem Dei ligatam et inquinatam teneri in dæmonibus, et in omnibus animalibus, fructuumque (fructuumque) generibus, et per escas Manichæorum electorum solvi atque purgari; ut credatur pars Dei polluta teneri in cucumeribus, in melonibus, et radiculis, et porris, et quibuscunque vilissimis herbulis (herbis), et ei subveniri, cum ab electis Manichæorum ista eduntur, anathema sit.

IV. Qui credit hominem primum (qui est appellatus Adam) non a Deo factum, sed a principibus tenebrarum genitum, ut pars Dei, quæ in eorum membris captiva tenebatur, copiosius et abundantius in eo teneretur, anathema sit.

V. Qui credit eo modo creatum hominem, quod masculi et femine principes tenebrarum concubuis-

sent, et testis suos majori principi tenebrarum dedissent, et ille omnes comedisset, et cum sua conjugē concubisset, atque ita ex illa Atlantem quem blasphemant patrem Adæ generasset, ligans in illo magnam partem Dei, quæ ligata fuerat in omnibus festibus principum tenebrarum, quos ei manducandos dederunt, anathema sit.

VI. Qui credit principes tenebrarum ligatos esse in cœlo velut sphaera, habentes in se colligatam in angustiis atque angoribus vitalem substantiam, hoc est partem Dei, et modo liberari de membris eorum, cum beatus pater, qui lucidas naves habet diversoria et habitacula, id est solem et lunam, virtutes suas transfiguratur in feminas pulchras, quas opponit concupiscendas masculis principum tenebrarum; et in masculos pulchros, quos opponit concupiscendos feminis principum tenebrarum, ut per ipsam concupiscentiam solvatur ex eis vitalis substantia, id est pars Dei, et ex eorum membris liberata purgetur, anathema sit.

VII. Qui credit partem Dei, quæ de admixtione (commixtione) gentis tenebrarum non potuerit liberari atque purgari, damnari eam, et in æternum affigi (affici) horribili globo, in quo globo includitur gens tenebrarum, anathema sit.

VIII. Qui credit legem quæ data est per Moysen non esse a bono et vero Deo datam, et (nec) Spiritu Dei boni et veri locutos prophetas qui fuerunt in populo Israel, et in canone Scripturarum divinorum habentur apud catholicam Ecclesiam, anathema sit.

IX. Qui credit non habuisse veram carnem Filium Dei Jesum Christum, neque ex semine David natum esse de virgine Maria, neque verum corpus habuisse, nec veram carne mortem fuisse perpassum, et a mortuis resurrexisse, sed tantummodo spiritum fuisse (sine carne), sic autem in carne apparere voluisse, ut et caro putaretur quæ non erat; atque hoc modo contradicit Evangelio, Domino ipso dicente: *Videte manus meas et pedes meos: palpate et videte, quia spiritus ossa et carnem non habet, sicut me videtis habere* (Luc. xxiv). Qui ergo sic constitetur Christum Deum verum, ut integrum etiam hominem negat, anathema sit.

X. Quicumque adventum Spiritus Paraclæti, quem Dominus in Evangelio promittit esse venturum in apostolos, post ascensionem Domini, in die Pentecostes, non statim credit impletum; sed post multos annos in Mane vel in Adimanto discipulo ejus venisse credit anathema sit.

XI. Quicumque carnem hanc quam gestamus, id est corpora humana, resurrecturam negat, anathema sit.

XII. Qui animas humanas transfundi iterum in aliis corporibus vel animalibus credit, anathema sit.

XIII. Quicumque solem et lunam naves esse coelestes dicit, ad animas vel Dei substantiam transfe-

rendam, et honorem eis, vel luci isti visibili aliquid divinitatis ascribit, et non sicut reliquam creaturam ad ministerium humanum a Domino cœli ac terre conditam, anathema sit.

XIV. Qui credit omnem carnem quadrupedum, serpentium, volatiliū et natatiliū, vel omnium quæ in mundo sunt, non a Deo vero creatam, sed a principibus tenebrarum, anathema sit.

XV. Qui symbolum vel orationem Manichæorum non detestans, sed venerans, aut recordari, aut ore proferre voluerit, anathema sit.

XVI. Qui credit animas humanas ex substantia Dei esse, et corpora humana a principe tenebrarum vel facta vel fieri, anathema sit.

XVII. Qui credit diabolum non esse a Deo factum angelum bonum, et propria voluntate per superbiam lapsus factum esse diabolū, eundemque asserit non esse inter reliquos angelos a Deo creatum, sed semper coeternum Deo fuisse, anathema sit.

XVIII. Qui credit Manem, sive Manichæum, qui suprascripta omnia quæ anathemate et damnatione sunt digna prædicavit, Spiritum sanctum habuisse Paracletum, cum ea omnia docere non potuit Spiritus veritatis, sed spiritus falsitatis, anathema sit.

XIX. Anathema etiam ipsi Mani, vel Manichæo, qui omnes supradictas impietates, et alias sacrilegas et damnabiles fabulas docuit et conscripsit, et credendas miseris persuadere conatus est, intendens spiritibus seductoribus, et doctrinis demoniorum et mendaciloquorum.

XX. Anathema Adimanto, et omnibus discipulis ac sectatoribus ejus; et, sicut jam dictum est, qui in eum Spiritum Paracletum venisse credit, anathema sit.

XXI. Omnibus etiam supradictæ perversitatis auctoribus, et doctrinæ, vel legi eorum, vel omnibus secretis, et catholicæ fidei contrariis, orationibus ac sacrilegiis eorum, et cunctis scripturis eorum quæ citra canonem habentur Ecclesiæ, quas fides recta non suscipit, anathema sit.

ABJURATIO ET PROFESSIO PROSPERI.

In Christi nomine, ego Prosper hanc chartulam anathematis Manichæorum relegi, et anathema dicens omnibus, suprascriptis erroribus, manu propria subscripsi, et repudiatis omnibus eorum impietatibus, fide plenissima doctrinis eorum et traditionibus anathema dixi et dico; et me quæcumque Ecclesia catholica constitetur credere et sequi in omnibus sub testificatione divina polliceor atque promitto. Not. sub die xiii kalendas Decembris, Olybrii Juniore viro clarissimo consule (anno Christi 526).

NOTA JACOBI SIRMONDI, S. J.

In codice Ecclesiæ Lugdunensis, qui hæc capitula nobis suppeditavit, subjiciuntur concilio Carpentoracensi: sed consulum ordo exigit ut antecedant. Olybrius enim anno Christi 526 consulatum gessit.

* Qui sequuntur articuli non leguntur in c. Gervasiano, exceptis 18 et 19, quemadmodum nec in ap-

pendice penultima ad tom. X operum omnium S. Augustini.

Mavortius anno sequenti. His porro simillima sunt, A nisi quod pauciora quæ apud S. Augustinum tom. X in appendice leguntur sub hoc titulo: *Communitorium B. Augustini ad Ecclesiam (universam Ecclesiam destinatum) sub qua cautela Manichæi, si conversi fuerint, suscipi debeant.*

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

In veteri codice, qui est in bibliotheca collegii Gervasiani Parisiis, diciturque fuisse liber prioratus S. Salvii episcopi et martyris ad Valentianas in marchia Franciæ scriptus tempore Hugonis prioris, post librum S. Augustini de Hæresibus ad Quodvult-deum episcopum proxime sequuntur nonnulla, quæ lucem concilient præcedenti opusculo.

ITEM AUGUSTINUS EPISCOPUS ECCLESIAE CATHOLICÆ.

Jam anathemavi Manichæum, et doctrinam ejus et spiritum qui per eum tam execrabiles blasphemias locutus est, quia spiritus seductor erat, non veritas, sed nefandi erroris, et nunc anathemo supradictum Manichæum et spiritum erroris ipsius. Ego Felix qui Manichæo credideram nunc anathemo eum et doctrinam ipsius et spiritum seductorem qui in illo fuit, qui dixit Deum Patrem suum genti tenebrarum miscuisse naturam, et eam turpiter liberare, ut virtutes suas transfigeret in feminas contra masculina dæmonia, ita ut postea reliquias ipsius partis suæ configat in æternum labe tenebrarum. Has omnes et cæteras blasphemias Manichæi anathemo.

Ego conversus unus ex Manichæis scripsi, quia si discessero antequam gesta subscribantur sic suum habendus ac si Manichæum non anathematizaverim.

Felix conversus ex Manichæis dixi sub testificatione Dei me omnia vera confiteri, de quo scio esse Manichæos vel Manichæas in partes Cæsarienses Mariam et Lampadiam uxorem Mercurii argentarii, cum quibus etiam apud electum Eucharisum pariter oravimus, Cæsariam et Lucillam filiam suam, Candidum qui commoratur Thipasa, Victorinam, Hispanam, Simplicianum Antonini patrem, et Paulum et sororem suam qui fuit Hippono, quas etiam per Mariam et Lampadiam scivi esse Manichæas. Hoc tantum scio. Quod si aliud inventum fuerit me scire supra quam dixi, me reum ego ipse confiteor.

COMMUNITORIUM SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI AD PRESBYTERUM MANICHÆUM.

Sine causa tergiversaris, cum longe appareat qualis sit. Qui tecum locuti sunt fratres, indicaverunt mihi. Bene quia non times mortem, sed eam mortem debes timere quam tibi ipse facis talia de Deo blasphemando, et quod intelligis mortem istam visibilem quam omnes homines norunt separationem esse mentis a corpore non est magnum intelligere. Sed quod adjungis de vestro separationem esse boni a malo, si mens bonum est, et corpus malum, qui ea commiscuit non est bonus: dicitis quia Deus bonus ista commiscuit. Ergo aut malus est, aut ma-

* Mendose in editis appendicibus tom. X operum S. Augustini legitur *potens*.

** Hæc vox, penitus necessaria, abest ab editis.

*** Mendose habet appendix tom. X hæcenus vul-

lum timuit. Quid tu gloriaris quia non times hominem, cum Deum talem tibi fingas qui tenebras timuit, ut commisceret bonum et malum. Noli autem extolli animo sicut scripsisti, quia vos magnos facimus eo quod impedire volumus venena vestra, ne ad homines pestilentia serpat. Non enim apostolus quos canes appellat, magnos facit cum dicit: *Cavete canes*; aut illos magnos faciebat, quorum sermonem dicebat *serpere ut cancer*. Itaque denuntio tibi in nomine Christi, ut si paratus es solvere quæstionem, in qua defecit præcessor tuus Fortunatus, et ita hinc ierat, ut non rediret nisi cum suis disputatione collata inveniret quid contra respondere posset, disputes cum fratribus. Si autem ad hoc non es paratus, discede hinc et noli pervertere vias Domini et illaqueare, et venenis inficere animas infirmas, ne adjuvante dextera Domini nostri quomodo non putaveris erubescas.

COMMUNITORIUM SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI ECCLESIAE CATHOLICÆ, QUOMODO SIT AGENDUM CUM MANICHÆIS QUI CONVERTUNTUR, ET QUOS PŒNITET NIJUS NEFANDI ERRORIS.

Cum anathematizaverint eandem hæresim Manichæorum secundum formam infra scriptam; libellumque dederit unusquisque eorum confessionis et pœnitentiæ suæ, atque anathematis eorum petens in ecclesia vel catechumeni, vel pœnitentis locum, si libellus ejus episcopo placuerit, eumque susceperit, det ei epistolam cum die et consule, ut nullam de superiore tempore molestiam, vel de publicis legibus, vel de disciplina ecclesiastica patiat. Et post ipsum diem si aliquibus indicis Manichæus apparuerit, sentiat justitiæ severitatem, quæ talibus rebus adhibenda est, id est, ut ab ejus consortio, vel anicitia, vel quacunq; societate christiani se abstineant secundum apostolicam disciplinam (auctoritatem).

Commendantur autem qui epistolam ab episcopo acceperint religiosi catholicis vicinis vel cohaboribus suis, sive clericis, sive laicis, per quorum erga se curam frequentent audientiam sermonis Dei, et quorum testimonio possint innotescere. Nec facile admittantur ad baptismum si catechumeni sint, nec ad reconciliationem, si pœnitentiæ locum acceperint, nisi periculo mortis urgente, vel si eos aliquanto tempore probatos esse cognoverint episcopi per eorum testimonium quibus fuerint commendati.

Forma ergo, secundum quam debent hanc hæresim qui corriguntur, anathematizare, ista est.

I. Qui credit duas esse naturas, etc., quæ paulo ante sunt excusa nonnullis omissis, ut in nota articuli XI strictim observavimus.

ITEM FORMA EPISTOLÆ *** QUAM DAT EPISCOPUS CONVERSIS ISTA EST.

Quoniam te Manichæorum auditorem pœnitet fuisse, sicut ipse confessus es anathema dicens blasphemias et impiissimæ atque immundissimæ hæresi eo-

gata de quodam episcopo ipsius sectæ. Ididem quoque gravisima sustulimus membra, ut ex collatione colliges.

rum, ex quo te non nisi fides catholica salvum fecit, A habebis hanc epistolam adversus eos qui tibi temporis præteriti errorem, quantum ad istam nefariam pertinere sectam, obijciendum putaverint, quæ scripta est die illo et consule illo.

Electis vero Manichæorum qui se converti dicunt ad catholicam fidem, etiamsi et ipsi secundum superiorem formam eandem hæresim anathematizaverint, non facile dandæ sunt litteræ; sed cum Dei servis esse debebunt, sive clericis, sive laicis, in

monasterio, vel in xenodochio, donec appareant penitus ipsa superstitione caruisse: et tunc vel baptizentur, si non fuerint baptizati, vel reconciliantur, si penitentia locum acceperint, ne acceptis cito litteris loca, in quibus fuerant commendati, deserant.

Explicit commonitorium beati Augustini episcopi de hæresi Manichæorum sub execratione anathematis.

ANNIS DXXX-DXXXI.

BONIFACIUS PAPA II.

NOTITIA.

(Ex libro pontificali.)

* Bonifacius natione Romanus, ex patre Sigisbuldo, ^b sedit annos 2 dies 26. Fuit autem temporibus Athalarici regis hæretici, et (a) Justiniani Augusti. Hic cum Dioscoro ordinatur sub contentione. Qui Dioscorus ordinatur in basilica Constantiniana, Bonifacius vero in basilica Julii. Et fuit dissensio in clero et senatu dies 29 (b). Eodem tempore defunctus est Dioscorus pridie idus Octobris. ^c Ipsis diebus Bonifacius zelo et dolo ductus, cum grandi amaritudine sub vinculo anathematis et chirographi reconciliavit clerum, quem chirographum ecclesie archivio

* Vide not. * col. 9.

* *Bonifacius*] Post interregnum triduanum in basilica Julii anno Domini 530 (529 melius), qui est quartus Justiniani, et secundus Athalarici regis Italiae, Bonifacius II genere Gothus, creatus est pontifex 15 die Octobris. Contra eum in schismate electus est in basilica Constantiniana Dioscorus ille quem Hormisdas pontifex una cum Germano et Joanne episcopis, aliisve presbyteris et diaconis ad Justinianum imperatorem Constantinopolim ablegavit, quique de simoniae labe infamatus injusta sententia condemnatus fuit. Causam schismatis dedisse videtur rex Athalaricus, qui dum fortasse exemplo antecessoris sui pontificem designaret ac præsentaret, ex clero alios sibi suffragantes, alios adversantes habuit. Accidit autem singulari Dei beneficio, ut schismatico cita morte prævento schisma exstinctum fuerit.

Initio pontificatus Bonifacii Belisarius dux militum imperialium cum exercitu suo a Persis in discrimen adductus est, cum quatuor annis feliciter contra eos pugnasset. Gentes maritimas, quarum subsidium contra Persas implorarat, ex idololatriæ Christianas reddidit. Procopius de Bello Pers. libro I. Theodorico Francorum regi Theodobertus filius Theodorici, et Clodovei nepos successit. Ex Procop. et Gregor. Turonensi. Baron anno 530, n. 49. De Bonifacio scribit Ado in martyrologio, quod ecclesiam S. Michaelis archangelii nomine constructam in summitate circi dicaverit. Sev. BINIUS.

^b *Sedit annos duos dies 26*] Verius anno (Errat hic Binius) uno et duobus diebus. Nam cum fateatur hic ipsum 17 Octobris anno post consulatum Lampadii, qui est Christi 531, defunctum esse, constatque iis quæ supra initio harum adnotationum dixi, et ipsum 15 Octobris, anno Domini 530, pontificem esse crea-

B reclusit, quasi ^d damnans Dioscorum, et congregavit clerum, cui tamen in episcopatu nullus subscripsit, dum plurima multitudo fuisset cum Dioscoro. Hic presbyteris, et diaconibus, et subdiaconibus, et notariis scutellas de adeptis hereditatibus obtulit, et alimoniis multis in periculo famis clero subvenit. * Hic congregavit synodum in basilica beati Petri apostoli, et fecit constitutum, (c) ut sibi successorem ordinaret. Quo constituto cum chirographis sacerdotum, et jurejurando, ante confessionem beati apostoli Petri in diaconum Vigilium constituit. Eodem tem-

tum, non nisi uno anno et duobus diebus pontificem fuisse oportuit. Sev. BINIUS.

^c *Ipsis diebus Bonifacius*, etc.] Post obitum Dioscori, Bonifacius nimio zelo cognotus eundem Dioscorum, tanquam simoniae crimine pollutum, anathematis sententia condemnavit: et ad evitandum deinceps futuri schismatis periculum, convocata synodo, Vigilium diaconum successorem sibi designavit. Quæ cum post semotis affectus sacris canonibus adversari cognovisset, secundo congregato concilio, res a se perperam gestas plane irritavit, factumque erroneum peracta penitentia expiavit. Successores Bonifacii, Agapetus et Silvarius, res in hac synodo gestas confirmarunt. Sev. BINIUS.

^d *Damnans Dioscorum*] Ob causam pecuniariam, Dioscorum velut simoniacum a Bonifacio condemnatum fuisse, aperte scribitur in epistola Justiniani imperatoris ad Joannem papam scripta, et ad Vigilium data, qua sic ait: *Dioscorus, cum nihil in fide peccasset, tamen solum propter ecclesiasticum ordinem, post mortem ab eadem Ecclesia Romana anathematizatus est. Si igitur nihil in fide peccantes episcopi, propter solum ecclesiasticum ordinem, et propter causam pecuniariam anathemati et post mortem subjiciuntur, quanto magis Theodorum, etc.* Dioscorum, injusta sententia condemnatum, Agapetus absolvit, ut patet apud Anastasium in Vita ejusdem Agapeti. Sev. BINIUS.

* *Hic congregavit synodum*] Cum Gothorum reges

(a) Ms. cod. Luc. 490, Justinii.

(b) Idem cod., xxviii.

(c) Idem cod., fecit constitutum cum chirographis sacerdotum, et jurejurandum ante confessionem apostoli Petri in diaconum Vigilium constituit Eodem tempore.

pore^a facta iterum synodo, hoc censuerunt sacerdotes omnes propter reverentiam sancte sedis : et quia contra canones hoc fuerat factum, et quia culpa eum respiciebat, ut successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius papa reum se confessus est majestatis, quod diaconum Vigilium sua subscriptione chirographi ante confessionem beati apostoli Petri constitueret, ac ipsum constitutum in præsentia omnium

impie sibi usurpassent Romani pontificis electionem, ad ejusmodi præsumptam et vi usurpatam licentiam ex Gothorum manibus extorquendam Bonifacius Ecclesie consultum esse judicavit, ut nullo relicto sedis vacantis loco, successorem sibi eligeret. Quod licet speciem quamdam justitiæ præ se ferret, postea tamen ab omnibus est reprobatum. SEV. BINIUS.

^a Eodem tempore [facta iterum synodo] Secundam synodum Romanam intelligit, qua acta prioris concilii rescilum et irritavit. SEV. BINIUS.

^b Eodem tempore venit relatio. Præerat his temporibus Carthaginensi Ecclesie Reparatus episcopus.

sacerdotum et cleri et senatus incendio consumpsit. ^b Eodem tempore venit relatio ab Afris episcopis de constitutione, et ut cum consilio sedis apostolicæ omnia Carthaginensis episcopus faceret. Qui Bonifacius sepultus est in basilica beati Petri apostoli, sub die 17 mensis Octobris, (a) post consulatum Lampadii. Et ^c cessavit episcopatus menses 2 dies 15.

SEV. BINIUS.

^c Cessavit episcopatus menses 2 dies 15 | Ex hoc mensium et dierum numero dicendum foret Joannem successorem Bonifacii creatum esse pontificem ipse calendaris Januarii, secundo anno post consulatum Lampadii et Orestis, quem primo anno post dictorum consulatum Bonifacio subrogatum fuisse non tantum ipse sibi contrarius fatetur Anastasius, sed etiam inscriptio in titulo Eudoxiæ, quæ est in ecclesia S. Petri ad Vincula, idem manifeste indicat. Vide Baron. an. 531, n. 8. SEV. BINIUS.

(a) Idem cod., consulatu.

BONIFACII PAPÆ II EPISTOLÆ ET DECRETA.

EPISTOLA PRIMA (OLIM XI).

BONIFACIUS PAPA II AD CÆSARIUM ARELATENSEM.

Ejus rogatu confirmat ea quæ in synodo Arausicana fuerant definita.

Dilectissimo fratri¹ Cæsario Bonifacius.

Per filium nostrum Armenium presbyterum et abbatem litteras tuæ fraternitatis accepimus² quas ad nos ut apparet inscius adhuc sacerdotii mihi commissi sub ea qua in Deo tenemur caritate direxeras : quibus credideras postulandum, ut id quod a beatæ recordationis decessore nostro papa Felice pro catholice fidei poposceras firmitate mea explicaretur instantia. Sed quia id voluntas superna disposuit, ut quod per nos ab illo speraveras, a nobis potius impetrares ; petitioni tuæ, quam laudabili fieri sollicitudine concepisti, catholicum non distulimus dare responsum. Indicas enim (quod aliqui episcopi Galliarum, cum cætera jam bona ex Dei acquieverint gratia provenire, fidem tantum, qua in Christo credimus, naturæ esse velint (dicant), non gratiæ ; et hominibus ex Adam, quod dici nefas est, in libero arbitrio remansisse non etiam nunc (abest hæc præpositio ac Palatino et aliis) in singulis misericordiæ divinæ largitate conferri : postulans ut pro ambiguitate tollenda confessionem vestram, qua vos e diverso fidem rectam in Christo, totiusque bonæ voluntatis initium, juxta catholicam veritatem, per prævenientem Dei gratiam singulorum definitis sensibus inspirare, auctoritate sedis apostolicæ firmaremus. Atque ideo, cum de hac re multi Patres, et præ cæteris beatæ recordationis Augustinus episcopus, sed et majores

nostri apostolicæ sedis antistites, ita ratione probentur disserruisse latissima, ut nulli ulterius deberet esse ambiguum, fidem quoque nobis ipsam venire de gratia, supersedendum duximus responsione multiplici ; maxime cum secundum eas quas ex Apostolo direxisti sententias, quibus dicit : *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem (I Cor. vii)* ; et alibi : *Vobis datum est pro Christo, non solum ut eum credatis, verum etiam ut pro eo patiamini (Philip. i)* ; evidenter appareat fidem, qua in Christo credimus, sicut et omnia bona, singulis hominibus ex dono supernæ venire gratiæ, non ex humanæ potestate naturæ : quod etiam fraternitatem tuam, habita collatione cum quibusdam sacerdotibus Galliarum, juxta fidem gaudemus sensisse catholicam : in his scilicet in quibus uno, sicut indicasti, consensu dinierunt fidem, qua in Christo credimus, gratia Divinitatis præveniente conferri ; abjicientes etiam nihil esse prorsus secundum Deum boni, quod sine Dei quis gratia aut velle, aut incipere, aut operari, aut perficere possit, dicente ipso Salvatore nostro : *Sine me nihil potestis facere*. Certum est enim atque catholicum, quia in omnibus bonis, quorum caput est fides, nolentes nos adhuc misericordia divina præveniat, aut velimus ; insit nobis cum volumus ; sequatur etiam ut in fide (one, ex c. Pal.) duremus, sicut David propheta dicit : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me (Psal. lviij)* ; et iterum : *Misericordia mea cum ipso est (Psal. lxxxviii)* ; et alibi : *Misericordia ejus subsequetur me (Psal. xxii)*. Similiter et B. Paulus dicit : *Aut quis prior dedit ei, et retribuetur illi ? quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso*

¹ Cæsario Bonifacius] Tertium epistolæ hujus exemplum vidimus in codice Toliano Engolismensi ; neminitque ejusdem Cyprianus diaconus in Vita sancti Cæsarii, lib. i, sub finem. JAC. SIMONDUS.

² Quas ad nos, sub ea] Quædam hæc loco deprava

vata erant in antiquis exemplaribus, ex quorum vestigiis hæc erui videbantur : *quas ad nos, ut apparet, in hujus aditu sacerdotii mihi commissi sub ea, etc.* JAC. SIMONDUS.

sunt omnia (Rom. xi). Unde nimis eos qui contra A sententiam admirari, usque eo vetusti erroris adhuc reliquiis prægravari, ut ad Christum non credant Dei beneficio, sed naturæ venire; et ipsius naturæ bonum, quod Adæ peccato noscitur depravatum, auctorem nostræ fidei dicant magis esse quam Christum, nec intelligant se Dominicæ reclamare sententiæ dicenti: *Nemo venit ad me nisi datum fuerit illi a Patre meo* (Joan. vi). Sed et B. Paulo simul obsistere clamanti ad Hebræos: *Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum Christum* (Hebr. xii). Quæ cum sint, invenire non possumus quid ad credendum in Christo, sine Dei gratia, humanæ deputent voluntati, cum Christus auctor consummatorque sit fidei. Quapropter affectu congruè salutantes, supra scriptam confessionem vestram consentaneam catholicis Patrum regulis approbamus. Illos autem qui præcedente fide cætera, sicut indicas, volunt (fide secundo loco cætera, sicut indicas, bona volunt) gratiæ deputare, sua professione constringimus, ut multo magis dono gratiæ etiam fidem cogantur ascribere, præter quam nihil est boni, quod secundum Deum quilibet valeat operari, sicut beatus apostolus dicit: *Omne quod ex fide non est peccatum est* (Rom. xiv). Quod cum ita sit, aut nullum bonum gratiæ deputabunt, si ei fidem subtrahere moliantur; aut si quod bonum esse dicunt de gratia, ipsa necessario fides erit gratiæ deputanda. Si enim nihil boni est sine fide, fides autem ipsa venire negetur ex gratia, nullum, quod absit, bonum erit gratiæ deputandum. Ait enim Jacobus apostolus: *Omne donum bonum, et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum* (Jac. i). Sed et ipsi fatentur, ut dicis, dona cætera donari per gratiam; ipsa autem bona per fidem subsistere non ambigunt universa. Ipsa ergo necessario fides erit gratiæ deputanda, a qua bonum, quod gratiæ tribuunt, separare non possunt. His itaque breviter assignatis, contra reliquas Pelagiani erroris ineptias, quas illa videtur epistola continere, quam a quodam tibi mandasti sacerdote transmissam, respondendum non duximus: quia speramus de misericordia divina, quod ita per ministerium tuæ fraternitatis atque doctrinam, in omnium, quos dissentire mandasti, dignabitur cordibus operari, ut ex hoc omnem bonam voluntatem non ex se, sed ex divina credant gratia proficisci, cum se senserint id jam velle defendere, quod nitebantur pertinaciter impugnare. Scriptum est enim: *Præparatur voluntas a Domino* (Prov. xix, juxta LXX), et alibi: *Scio quia non possum esse con-*

tinens, nisi Deus dederit, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum (Sap. viii). Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data viii, kalendas Februarias, Lampadio et Oreste viris clarissimis consulibus (anno Chr. 530).

STEPHANI AD BONIFACIUM LIBELLI TRES.
LIBELLUS PRIMUS.

Domino meo sancto ac per omnia beatissimo, et revera venerando patri patrum universali patriarchæ Bonifacio (*Bonifacius* edita habent ex mss.) Stephanus exiguus episcopus.

Non irrationabili usus fiducia adeo nec ignorans meam mediocritatem, sed cum anima contrita et spiritu humili, et cum multis lacrymis hæc meam vobis offero supplicationem, ideo acceptabilem esse coram te, beatissime pater, existimo: quoniam et antea et hi qui Deo cum lacrymis supplicabant, tanquam cum holocaustibus et arietibus atque tauris, sed cum decem millibus agnis pinguibus, confidentes orabant: *Cor enim contritum et humilitatum Deus non spernet* (Psal. l). Ergo nec tu ipse, sanctissime pater, me multis circumdatum malis, et ad Deum solummodo atque vestram paternam consuetudine pietatem respicientem habetis despectui. Quoniam nullus ecclesiasticus ordo illam vestram, quæ a Salvatore omnium et primo pastore vobis et collata, potest præcellere potestatem, exiguum est vel humile in quo providentia vestra respicit. Quantum vos apud Deum omnes præcellitis, tanto vos necesse est cogitare, quia hæc est probatio Deum amantium, ut post Deum pater et doctor sanctæ Ecclesiæ Petrus vestræ et totius mundi testatur. Quia Domino dicente tertio: *Amas me? pasce oves meas* (Joan. xxi), tradit prius vobis mandata ostendens, et per vos deinde omnibus per universum mundum sanctis Ecclesiis condonavit. Denique per hoc quia venerabiles effecti ante vos, et quanti sanctam illam sedem habere meruerunt, corpore quidem in Romana gloriosa degentes civitate, spiritu autem ea quæ rite agebantur omnia ornantes et transgressi, et plurimi ex corpore Ecclesiæ ab inimicorum calumniantium violentia sunt liberati a Deo et venerabili apostolica sede. Unde deprecor, *judicate humilem, et pauperem*, sicut scriptum est (Psal. lxxxii), *justificate*. Mihi enim in sæculari vita erat antea provincialis ordo militiæ, mediocriter sicut erat meam vitam humiliter transiebam. Sed quia Proclo beatæ memoriæ quiescente, qui factus fuerat Larissæ Ecclesiæ episcopus, oportebat eidem præsalem Ecclesiæ ordinari, decretum factum est communiter tam cleri quam populi, metropolitani

stenii dicitur data viii kalendas Februarias Lampadio et Oreste V. V. C. C. coss., anno sc. 530; sed cum Felix IV die 18 mensis Septembris illius anni mortalitatem expleverit, suspicatus est Sirmondus mendum in notam consularem irrepisse, et legendum, post consulatum Lampadii et Orestis, qua annus 531 in signatus fuit. At Bonifacius II in iis litteris dicens, catholicum non distulimus dare responsum, eam emendationem evertit, et iis verbis indicat clausulam illam additionem esse, floccique faciendam.

* Addit cod. Pal.: *Etenim omne bonum donum constat esse divinum, sicut scriptum est: Omne, etc.*

¹ Lampadio et Oreste consulibus] Non potuit his consulibus Januario mense scribere Bonifacius, qui juxta Anastasium mense tantum Octobri eodem anno creatus est pontifex. Quare mendum irrepit, et legendum fortasse, post consulatum Lampadii et Orestis, qui fuit annus Christi 531. JAC. SIRMONDUS.

OBSERVATIO P. ANTONII PAGI AD ANN. CHRISTI 529, NUM. 11.

Hæc epistola tam in editione Sirmondi, quam Hol-

atque eorum quorum assensus erat actui necessarius, et secundum priscam consuetudinem tribus electis, Alexandro Sciatensi presbytero, et ... presbytero, ac me exiguo: meliori testimonio sortito electionis palmam promerui. Sed ego conscius mei, indignum me tanto negotio esse judicavi; totum autem Dei gratiæ atque clementiæ libenter assensi, ad latronem atque publicanum et alia hujusmodi plurima exempla respiciens; quos ab extremis malis et, ut dicendum est, ab ipso fundo malorum subito Deus eripuit, animabar; et quædam mihi data est spes boni propositi. Igitur ex omnibus in me electionem contulerunt, in decreto pariter subscribentes. Et quia ordinationem secundum priscam consuetudinem non alibi, sed in eadem civitate fieri oportebat, convenit sancta provinciæ synodus, et totius civitatis possessores, omneque corpus Ecclesiæ, et communi omnium testimonio nihil consuetudini detrahente, in Ecclesia sui ordinatus episcopus. Tantam enim alacritatem rei istius habebat, factumque amplectebatur Probianus Dei amator, Demetriadæ civitatis episcopus, ut etiam provocaret in Ecclesia Dei laudem in meæ humilitatis exercere personam. Et ut nihil de me ipso dicente, ex his qui me voluerunt atque elegerunt, datur intelligi, secundum Deum ordinatio ista provenit. Quapropter deprecor, beatissime pater, ut mansuete hæc audire digneris, non enim laudem labiorum meorum diligens, sicut scriptum est, hæc suggero: quoniam qui in se gloriatur, apud Deum probatus esse non potest: sed ut vobis ista cognoscantibus calumnia quæ adversus me excitata est evidenter appareat. Quanta vero deinde dixerint et provinciales episcopi, et sanctæ clerus Ecclesiæ ostendens se pro mea electione gaudere, superfluum judicavi vestris auribus. Quiescente igitur honorum omnium inimico, et Deo mea non respiciente peccata, et nullam perturbationem sustinebat Ecclesia, et erat caritas omnium celans delictum, sicut scriptum est. Sed nescio unde incitati Antonius timoratus presbyter atque dispensator, et Probianus defamator Demetriadæ civitatis episcopus: illum dico, beatissime, Probianum, qui alios festinantes meas laudes dicere repellens, ipse in Ecclesia Deo titulos meæ laudis exercuit, pariter Demetrium Dei amatorem Sciatensis civitatis episcopum; et alios suæ portionis suadentes esse participes, nec subscriptiones quæ in decreto continentur erubescens; nec Probianus suam laudem et totius Ecclesiæ testimonium, sed nec illa quæ dixerunt vel egerunt, quomodo meam amplectentes fieri ordinationem, quomodo et ante ordinationem gratam meam sibi fuisse personam; quomodo et celebratam ordinationem libenter tulisse; ad regiam urbem subito profecti sunt, et quamdam componentas accusationem sanctissimo ejusdem civitatis archiepiscopo Epiphanio querelas deposuerunt; dicentes, meam ordinationem sanctis canonibus minime convenire; sperantes ut in meo loco alter subrogaretur episcopus. Ergo ista me incipiente dicere, angustia me utique detinet. Si enim dixero quæ in me exer-

A cuerunt, vel tempestatem quam nunc vitæ meæ imminet, aut illa quæ minantur, quia sæviora existunt, ne quis me protervum aut audacem esse judicet aliqua dicentem de tanto ac talis Ecclesiæ præsule. Si vero ista tacuero ut mihi est (*Lege vae mihi est*, IIARD.), unde enim habeo auxilium? sed magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, et vestræ beatitudinis, et pietatis serenissimi imperatoris me committens iudicio, tacere non potui. Cum ergo mea accusatio ad sanctissimum archiepiscopum Epiphanium pervenisset (rursus ac sæpius veniam peto de his quæ dicturus sum, ista non proterviæ vel audaciæ, sed necessitatis esse iudicetis sanctissimi patres), commonitorium, sicut ipsi vocant, faciens ad nomen Andreæ viri religiosissimi, diaconis et notariis sanctæ suæ Ecclesiæ, ad Thessaliam direxit provinciam; præcipiens me a sacro recedere ministerio, ut pote non secundum canones ordinatum; nulla accusationum probatione, nec canonica evocatione usus, alios episcopos ejusdem provinciæ et clerum sanctæ nostræ Ecclesiæ a mea communione suspendit, et quod est novissimum, nec cibos aut quæ sunt necessaria de rebus ecclesiasticis me habere permisit: sed quæ in convictis solent fieri, hæc in me antequam aliqua examinatio iudicii proveniret exercuisse dignoscitur. Etenim in his qui revera delinquant plurimæ misericordiæ sunt ab Ecclesiis constitutæ. Hæc ergo Andreas vir religiosus, quem suggesti superius, in me jussus est exercere. Utque ejus iudicio, qui me a communione suspendit, responsurum meam præsentiam exhiberet, Eustathium Gomflensis civitatis episcopum, atque Elpidium Thebanum, sed et Stephanum Laminensem, quasi magis meæ illicitæ ordinationis, pariter exhibere jussus est. Demetrium autem et Probianum viros religiosos, qui antea magna pars meæ fuerant electionis atque ordinationis habens apud se is qui me ad causam compellebat, in meam perniciem omnino fovebat. Me autem prædictus vir religiosus Andreas ibidem non invenit, quia ad Thessalonicensem magnam civitatem fueram paulo ante profectus: clero autem, et quantos alios potuit reperire congregatis, commonitorium eis relegit, et epistolam ad eos directam. Erant autem ad clerum tales littere factæ ab eodem sanctissimo viro: gesta quæ confecit apud defensorem civitatis, quorum exempla exiguis meis libellis subdere non omisi. Factus est autem brevis de sacris vasis atque rebus ecclesiasticis: et aliqui ab ecclesiasticorum sollicitudine ab Antonio viro religioso, qui connivebat ubique viro religioso Andreæ, sunt remoti: qui prædictus Andreas ad Thessalonicensem magnam civitatem veniens, mihi, et Elpidio atque Stephano prædictis Dei amatoribus episcopis, quæ jussa atque interminata sunt, ostendit. Ego vero nec accusatorum nec aliquorum conatus metuens, sed ad Deum solummodo, et ad leges sanctæ Ecclesiæ, et ad principatum sanctarum Ecclesiarum traditum vobis respiciens, mox inter acta dixi ut si oporteret me ad aliquem accusantem respondere, aut de mea ordinatione aliquid iudicare dignatur, causam me dicere necesse est; sed alibi, apud quem sacre-

rum canonum lex custoditur, et usque hactenus consuetudo servatur, memoriam faciens vestri sancti capituli, et apostolicæ sedis; dicens, vos esse dominos hujus examinationis; supplicans nihil in me debere novi fieri, aut quod potest bene composita disturbare. Nam qui locus mihi remedii remansisset ad vos beatissimos iudicii dominos, si hæc non dixissem? Sed nec hoc solum dixi; sed aliqua causæ profutura documenta ostendi. Significant autem ista gesta quæ facta sunt, quæ meis exiguis libellis adunxi, et decretum in me factum et titulos laudis. Ego quidem arbitrabar hanc fidem flagitationis causæ meæ esse potuisse, si vobis, quibus a Deo datum est iudicare, nominatis incompetens se persona subtraheret, *Non est enim Deus perturbationis, sed pacis* (I Cor. xiv, 33). Nec hæc quidem vel alia ad quietem meam sufficere potuerunt: sed invitæ ad regiam urbem sum deductus. Et nisi quidam timentes Deum, et repositam promissionem visitatione carcerum prospicientes atque exspectantes, meam præsentiam adesse prouitterent, victus utique fueram homo nullum nocens, sicut arbitror, nisi cur eligentibus me consensi, et spei Dei me committens ordinari promerui: et quia fiducialiter dixi quod si oporteret examinationem aliquam fieri, ab eo fieri deberet qui est hujus examinationis dominus constitutus: et alia quæ in me facta sunt, atque exerceri non dubito. Compellor autem, et nec aliquod tempus respirationis habeo; nec quis pro me cogitet in tantis cladibus, potero reperire. Deteriora vero ab his qui minantur me sustinere confiteor, damnationem, exsilium, et quantæ criminum sunt vicissitudines immerenter exspecto. Quapropter unicum nunc a vobis, et vestræ apostolicæ sedi confidens, remedium postulo: *Spes enim, ut divinum dicit eloquium, non confundetur* (Rom. v). Quod si quis esset qui præsideret, quem sancti canones in hoc negotio iudicem esse decernerent, oportebat, sicut existimo, eum prius de accusatorum vita iudicare et cognoscere; quia accusatores esse non possunt illius qui, quamvis humilis, episcopatus honorem promeruit. Sed quia propter fiduciam vestri, sicut dixi, offendi, hæc sunt pro meis partibus præmissa, et in quibus malis superius nominavi, sum constitutus; ideoque supplico vobis, si qua est Dei misericordia, si qua pietas, si qua dilectio transite, et hic ipsum in sancto Spiritu, secundum beatum apostolum, auxilium mihi ferentes, vestri et vestrorum decessorum illius beatæ sedis recordantes, quia nullum unquam ab aliquo injuste noceri passi sunt. Siquidem cito succurratis oppresso, confido me a malis meis ea celeritate salvari: si autem, quod absit, mea peccata vestram moraverint pietatem, saltem si aliquid ab insidiantibus velociter fuerit actum, et sic sanctis canonibus adesse vos convenit, et exsequi in his quæ præmissa sunt. Hoc enim opus vestrum est, beatissime, die ac noctu sanctorum Patrum, et venerabilis atque apostolicæ vestræ sedis leges atque constituta in omnibus quidem Ecclesiis, præcipue autem in vestra Illyricana provincia custo-

A dire. *Et alia manu.* Stephanus exiguus episcopus sanctæ Larissæ Ecclesiæ huic libello a me facto manu propria subscripsi, et domino meo sanctissimo ac per omnia beatissimo, etiam venerandissimo patri patrum et universali patriarchæ Bonifacio destina-
navi.

Abundantius Demetriadæ civitatis episcopus surgens e consensu dixit: Prætermittere non potui audiens nomen Probiani. Is de quo agitur Probianus ipse est qui meam Ecclesiam invasit, et me veniente ad beatitudinem vestram cum litteris episcopi, captans absentiam meam per temeritatem locum meum usurpavit, et secundum sanctos canones non debet episcopus nominari; adversus quem rogo beatitudinem vestram, ut sedis apostolicæ mihi disciplina subveniat. Bonifacius episcopus dixit: Et libelli oblati recitatio, et prosecutio fratris et coepiscopi nostri Abundantii gestis indatur; et si qua sunt alia desideramus agnoscere. Theodosius Echinensis civitatis episcopus provinciæ Thessaliæ per interpretem dixit: Et alium libellum idem sanctissimus Stephanus metropolitanus episcopus ad beatitudinem vestram per meum direxit obsequium; quem peto ut vestri sensibus relegi censeatis. Bonifacius episcopus dixit: Libellus quem offert, susceptus a notariis recitatur. Cumque susceptus fuisset, Menas notarius recitavit.

LIBELLUS II.

Domino meo sancto ac beatissimo et revera venerando patri patrum et archiepiscopo atque patriarchæ Bonifacio data supplicatio a Stephano exiguo.

Quæ antea in spe erant, et metuere ac tremere, et sanctam apostolicam vestram sedem invocare faciebant, hæc cum apprehendissent atque constringerent meam miseram vitam, amplius magis vestram beatitudinem appellare compellunt. *Ecce tempus acceptabile, ecce nunc dies salutaris* (I Cor. vi). Libera me ab inimicis meis, et a persecutibus eripe me: etenim circumspersa est aqua mihi usque ad animam, venerabilis pater, et abyssus novissima circumdedit me: ascendat ex corruptione vita mea, sicut scriptum est. Si enim miserationes Dei non prævenerint, ego quidem opus factus sum, quale ipsi voluerunt, inimicorum meorum. Ploro autem atque lugeo, quia tum etiam ecclesiasticus ordo periclitatur. Quoniam enim secundum multam misericordiam Dei, qui hominibus peccata minime reputat, in civitate Larissa, quæ est provinciæ Thessaliæ, electus sum atque ordinatus episcopus; ex his quidam qui me elegerunt, et sæpius scriptis suis suam electionem firmaverunt, ut dignus sacerdotio iudicaretur, videntes mei studii esse, antiquam consuetudinem in nostris sanctis Ecclesiis revocare, separantes me apud beatissimum præselem sanctæ regis urbis Ecclesiæ accusaverunt. Ille autem accusationem suscipiens, nihil ante disceptans de his quæ oportet requiri de episcopo accusato, continuo me ab omni ecclesiastico ministerio separavit; aliquem de religiosis clericis sanctæ suæ

Ecclesie cum litteris, quas communitorium nominant, ad provinciam Thessaliam dirigens. Et cum ista nec civilitati nec mundanis legibus conveniant, nec ordo canonum hoc fieri evidenter admittat, ut ante examinationem iudicii vindicta procedat; olim quam maxime divina predicante Scriptura: *Auditum inanem ne admittas*; sed tamen cum venisset in Thessalonicam vir religiosissimus, qui præceptum deferebat et aliqua inecum per contentionem exercere voluisset, continuo ei dixi: Apostolicam sedem, id est vestram beatitudinem, causas nostræ provinciæ et audire convenit et finire. Sed regie urbis sanctissimus archiepiscopus non quiescens, etiam me contra canones exhiberi præcepit. Et cum venissem conventum faciens episcoporum qui ibidem commorabantur, hoc denuo allegare non distuli; sancti ac beati capitis vestri sedem apostolicam implorans, et consuetudinem quæ usque hactenus in nostra tenuit provincia, non debere convelli: et supplicabam, ne auctoritas sedis apostolicæ, quæ ut a Domino nostro Jesu Christo et a sacris canonibus data est, ita et per antiquam consuetudinem servata est, in aliquo violaretur. Sed nec a sua voluit intentione recedere: sed assumens audientiam unum studium habuit, ut in sanctis Thessaliæ provinciæ Ecclesiis dominus atque iudex esse videatur. Ego igitur fluctuantem tempestatem respiciens, ad sanctum tutissimum vestrum portum confugi, et petitionem faciens, hæc ipsa suggerens ad vestram beatitudinem destinavi; supplicans, ut in me pietatem Dei et sanctæ Ecclesiæ, quæ periclitantibus semper succurrit, ostendas. Sentientes autem, ut arbitror, meæ vitæ insidiatores, quia non despicitis quæ acta sunt, sed exsequimini, sicut sanctitatis vestræ mos est, et ordinem sanctarum Ecclesiarum vindicatis, omni conatu usi sunt, ut antequam aliqua ordinatio vestra proveniat, suam perficiant voluntatem. Cum igitur nihil approbatum de me fuisset, nec ulla culpa esset canonice ultionis digna inventa, sententiam protulerunt, et condemnantes me a sacerdotali officio suspenderunt: cum me constet non demissum fuisse pro meis plenius partibus allegare; sed et petenti aliqua meæ causæ profutura ostendere, non esse permissum. Quapropter supplicabam, ut non ante sententia diceretur quam quæ acta sunt ad vos beatissimos referatur, ut inde vestra causæ discussio servaretur. Quod dictum magis eos adversum me amplius incitavit; putantes de sacrarum ecclesiarum regie urbis jure aliquid minui, quod ego apostolicam vestram sedem visus sum nominasse. Etenim dixi, quia auctoritas sedis apostolicæ, quæ a Deo et Salvatore nostro summo apostolorum data est, omnibus sanctarum Ecclesiarum privilegiis antecellit, in cujus confessione omnes mundi requiescunt Ecclesiæ. Sententia igitur lecta justam denuo vestram audientiam imploravi, apud quam nulla cujuslibet disceptatio vestram potest disturbare justitiam: sed timor Dei qui inest in vobis, ipse unicuique sua facit per vos jura restitui. Arbitror autem, venerabiles, quia despicientes illi quæ olim in me gesserunt, rur-

sus et in secundis eadem erunt acturi: et suspicor quia non usque ad hoc acquiescant; sed etiam cum corpus meæ miseræ suas exerant inimicitias; ut me obeunte nullus possit accusator existere. Nam cum relicta fuisset sententia, mox in custodiam Dei amatoribus sacræ Ecclesiæ defensoribus datus sum. Sed aliqui Deum timentes, et meam miserantes miseriam, quod essem undique destitutus, in sua fide susceperunt, multam pro me quantitatem pecuniæ promittentes, quia non recederem, sed observatum esse in regia civitate: hunc habentes magnopere tractatum omnes qui adversum me ista concinnaverunt, ut non possim ad vestigia vestra beatitudinis convolare, et pro Dei mandato aliquam misericordiam a vobis percipere. Deprecor igitur vos, miseremini homini humili et externato animo, adjuvate me per gratiam quæ vobis a Domino est collata. Si enim et alia peccata dimittere potestatem a verbo Dei percipistis, divina dicente Scriptura, quia quod in terra solveritis, hoc et in cælis esse solutum (*Matth. xvi*); quanto magis habebitis potestatem in his quæ adversum me acta atque decreta sunt? *Tibi enim derelictus est pauper, pupillo tu es adjutor (Psal. ix)*; quia ego ab omni humana spe derelictus esse cognoscor. *Et alia manu.* Stephanus exiguus huic supplicationi meæ subscripsi.

Bonifacius episcopus dixit: Quæ lecta sunt ecclesiasticis indantur annalibus. Et adjecit: Quoniam diei pars major exempta est, futura sessione, si qua alia superesse credis, intimare non differas.

SESSIO SECUNDA.

Post consuatum Lampadii et Orestis vv. cc. sub die v iduum Decembrium in consistorio beati Andreæ apostoli, presidente venerabili viro papa Bonifacio, una cum Sabino Canosie civitatis, Abundantio Demetriadæ civitatis, Caroso Centumcellensis civitatis, Felice Numentanæ civitatis episcopis; residentibus etiam Sanctulo, Mercurio, Vivulo, Petro, Eventio, Albino, Urso, Epiphanio, Benedicto, Servo Dei, Gaudio, Petro, Valentino, Renato, Florentio, Hilario, Paulo, Bacauda, Innocentio, Andrea, Gaudio, Philippo, Crescentione, Libertino, Januario, Sebastiano, Cyriaco, Vivulo, Dulcitio, Joanne, Pullione, Andrea, Bono, Laurentio, Seleuco, Rustico, Celestino, Barbaro, Laurentio, et Redempto presbyteris, astantibus quoque Tribuno, Agapito, Donato et Probo diaconibus; Tribunus archidiaconus dixit: Theodosius Echiniensis civitatis episcopus provinciæ Thessaliæ, sicut præterita sessione constituistis, observat: quid jubetis? Bonifacius episcopus Ecclesiæ catholicæ urbis Romæ dixit: Veniat. Cum ingressus fuisset, Bonifacius episcopus dixit: Ingressus quid desiderat prosequatur. Theodosius Echiniensis civitatis episcopus provinciæ Thessaliæ per interpretem dixit: Elpidius Stephanus et Timotheus venerabiles episcopi fratres mei Thessaliæ provinciæ, per me offerendas sacræ beatitudini vestræ preces destinasse noscuntur; eas quoque me offerente vobis recitari præcipite. Bonifacius episcopus dixit: Hæc

etiam chartula notarii recitatione pandatur. Cumque A suscepta fuisset, Menas notarius recitavit.

Domino nostro sancto et beatissimo, et revera venerando patri patrum et archiepiscopo, Bonifacio patriarchæ, Elpidius, Stephanus et Timotheus exigui episcopi.

Necessitates quæ nos constringebant olim vestra cognovit beatitudo; et parvum componentes libellum, sanctissime pater, dudum mala quæ pertulimus, et scæviora quæ exspectamus declarantes significamus; et quia voluntati atque minis eorum qui adversus nos ista moliuntur servientes unum habent studium, ut Stephanus Dei amator episcopali privetur officio. Sed adhuc eo loquente alter nuntius deteriora significans venit. Factis enim prioribus, audientes sanctissimus regis urbis Ecclesiæ præsul, et quæ cum eo fuerat sancta synodus, in pristina voluntate persistentes, eripuerunt a nobis Stephanum Dei amatorem pastorem nostrorum (at. nostrum) et sanctæ Larissæ Ecclesiæ, quæ est metropolitana civitas provincie Thessaliæ; condemnationis sententiam componentes sicut eis complacuit, adjecerunt non licere eum ad Thessaliam proficisci provinciam. Sed prædictus Dei amator vir sæpius inter acta contestatus est sanctissimum regis urbis præsulem, et synodum quæ cum eo convenerat, quia non licet eos istam audientiam assumere, et quam maxime aliquid decernere, sed apostolicæ sedis id convenire beatitudini. Illi autem contemnentes ejus contestationem, et quam maxime inde amplius incitati, immisericordem sententiam protulerunt. Illum quidem sic putaverunt a sancta nostra Ecclesia removendum; jus autem in nostra provincia sibi facere præparabant: ut exemplo isto nemo audeat de sanctarum Ecclesiarum nostrarum jure quidquam dicere, nec memoriam facere antiquitatis vel eorum quæ usque hactenus tenuerunt. Quia studii eorum est, ut sub ordinationem et jus sanctæ regis civitatis Ecclesiæ nos miseros efficiant. Pro quibus omnibus lugentes die ac noctu omnium Salvatori Jesu Christo Deo nostro lacrymas fundimus, et miseram nostram prætendimus canitiem, supplicantes ne nos in manibus eorum tradi patiamini. Pro his enim et vestram appellamus beatitudinem et apostolicam sedem; et per eam ter beatum Petrum atque sanctæ Ecclesiæ primum pastorem Christum D

Domini nostrum audire et adorare credimus: sperantes ut miserorum hominum petitionem, quam cum anima tribulatione atque doloribus plena porreximus, minime despiciatis; sed ista congrua emendatione corrigentes, rebus istis succurrentes, remedium dare dignemini, quia *defecit spiritus noster* (Psal. cxlii), sicut in Psalmis dictum est ab eo qui in angustia animi supplicabat: quatenus Dei amator vir, qui sedis apostolicæ jus custodire contendens tanta visus est pericula sustinere, apostolica auctoritate suo restituatur officio, prospicientes in futurum ut consuetudo sanctarum Ecclesiarum nostræ provincie nullatenus convellatur. Quia si non Dei misericordia et vestra juveniua nos prævenerint, tertius aut quartus nuntius imilia deportans veniet, B quia non usque ad Stephanum Dei amatorem eorum conquiescit intentio, sed et aliis plurimis ista facient, et non ante quiescent quam ut ad effectum desideria sua perducant. *Et alia manu.* Elpidius exiguus episcopus sanctæ Thebanæ Ecclesiæ supplicans per Joannem presbyterum meum, quia præ dolore manus meæ subscribere non potui, me jubente subscripsit. Timotheus exiguus episcopus sanctæ Dicaresiensis Ecclesiæ supplicans subscripsi. Patricius exiguus presbyter sanctæ Dei Laminensis Ecclesiæ ad regiam urbem veniens pro persona Stephani sancti episcopi mei, ipso jubente supplicans subscripsi.

Bonifacius episcopus dixit: Quæ lecta sunt transcribantur. Et adjecit: Si quid est aliud, suggeratur. Theodosius Echiniensis civitatis episcopus Thessaliæ provincie per interpretem dixit: Ex relectione libellorum vestra cognovit beatitudo quæ acta sunt contra sanctos canones et ordinationem decessorum vestrorum. Nam constat venerandos sedis vestre pontifices, quamvis in toto mundo sedes apostolica Ecclesiarum sibi jure vindicet principatum et solam ecclesiasticis causis undique appellare necesse sit, specialiter tamen gubernationi suæ Illyrici Ecclesias vindicasse. Et nota sunt vobis omnium præcedentium scripta pontificum; verumtamen quarundam epistolarum exemplaria præfero, quarum fidem fieri ex vestro nunc scrinio postulo.

Bonifacius episcopus dixit: Prolatæ epistolæ recitentur, et scriptorum fides in sedis apostolicæ requiratur scrinio. Cumque suscepta fuissent exemplaria litterarum, Menas notarius recitavit.

APPENDIX

AD SCRIPTA BONIFACII PAPÆ II.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

IN SEQUENTEM EPISTOLAM.

Hanc falsam et adulterinam prædicant Baronius, B.-ll. alique viri eruditi, nec diffitetur ipse Binus tum hic, tum in notis ad conc. Carth. vi, ubi impostorem, veteratorem et mendaciorum concinnatorem appellat Isidorum Mercatorem, seu quem alium sub ejus larva latentem. Et vero id luce meridiana clarius evincunt cum alia plura, tum verba Romanorum pon-

tificum S. Leonis, Hormisdæ et Gregorii Magni. Non est credibile, inquit Bellarmin. lib. xi, cap. 25, de Rom. pont. Gregorium a Bonifacio illa verba sumpsisse, siquidem stylus omnino Gregorianus est; quo argumento exsufflantur omnes pseudo-Isidori merces. Facessant hæc, inquit Baronius ad 16 Octobris; non innititur vel fulcitur paleis Dei Ecclesia, quæ est columna et firmamentum veritatis, sed detegamus technam et aperiamus imposturam, etc. Eundem vide ann. 419, n. 92 et seq.; 530, num. 5.

* EPISTOLA II (OLIM I)

BONIFACII PAPÆ II AD EULALIUM ALEXANDRINUM
EPISCOPUM.

De reconciliatione Carthaginensis Ecclesiæ.

Bonifacius episcopus Eulatio coepiscopo salutem.

Olim ab initio tantam percepimus a beato Petro a ostolorum principe fiduciam, ut habeamus auctoritatem universali Ecclesiæ (auxiliante Domino) subvenire, et quicquid nocivum esse auctoritate apostolica corrigere et emendare. Ad hoc enim divinæ dispositionis (dispensationis) provisio gradus diversos et ordines constituit esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, una concordia fieret ex diversitate contextio, et recte officiorum generaretur (gereretur) administratio singulorum. Neque enim universitas alia poterit ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentia ordo servaret. Quia vero queque creatura in una eademque æqualitate gubernari vel vivere non potest, cælestium militiarum exempla nos instruunt (exemplar nos instruit): quia dum sint angeli, sint archangeli, liquet quia non

* *Epistola*] Hac epistola dicitur, a temporibus Bonifacii et Cælestini pontificum, Africanam Ecclesiam, propter invisum ipsi modum prosequendæ appellationis ad sedem apostolicam interpositæ, opera Aurelii Carthaginensis episcopi schismate divisam esse ab Ecclesia Romana, neque ulterius illi communicasse usque ad tempora Bonifacii papæ secundi; cum Eulalio Carthaginensis episcopo, pro inveniendâ concordia et recuperandâ Romanæ Ecclesiæ communionem, prædicto Bonifacio libellum supplicem obtulisset, et sic ad communionem rediisset. Quæ omnia commentitia sunt et notorie falsa.

Nam manifestum est communionem Africanæ Ecclesiæ a Bonifacio I, Cælestino eorumque successoribus permultis usque ad Bonifacium II, ne quidem ad unius diei spatium, aut horæ unius momentum intercisam fuisse. Aurelius et qui cum eo vivebant Cælestino communicarunt, ut patet ex fine epistolæ synodice illius quam ex concilio Africano ad ipsum dederunt, ubi sic scribitur: *Dominus noster sanctitatem vestram ævo longiore orantem pro nobis custodiat, domine fratres*. Quæ sane mutæ pacis, concordie et communionis catholice symbola, in formati usurpari solita, ad pontificem, velut schismaticum non scripsissent, si a Romanæ Ecclesiæ unione se præcidissent: maxime cum, teste Augustino, epistola 162 et 163 prædicta verba ad catholicos duntaxat, non ad schmaticos scribi consueverint. De Augustino Aurelii collega scribit Cælestinus epistola ad episcopos Gallie, capite 2: *Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vitæ suæ meritis in nostra comunione semper habuimus*, etc. Capreolum Augustini successorem, sacrosancto œcumenico concilio Ephesino, adeoque universæ Ecclesiæ, per litteras et legatos, ibidem honorifice acceptos, communicasse, videre est ex notis ejusdem concilii supra. Successores Africanæ Ecclesiæ episcopos, per litteras questionum diversarum solutionem petentes, Leo pontifex instruxit: Hilarius eisdem ad Romani concilii decisiones recepit. Symmachus papa delegatos in Sardiniam a Trasamundo rege Ariano pavit atque vestivit. Dum tempora persecutionis episcopis ac sacerdotibus, propter edictum regis de aliis episcopis in locum defunctorum non subrogandis, destituerentur, Romana Ecclesia iisdem ministros baptismi aliorumque sacramentorum procuravit, ut constat ex Victore libro primo de Persecutione Vandalica: Sanctus Eugenius Carthaginensis episcopus, in publico conventu cum Arianis acturus, Ecclesiam Romanam, teste eodem Victore libro de

A æquales sunt, sed in potestate et ordine (sicut notis) differt alter ab altero. Si ergo inter hos qui sine peccato sunt constet istam esse distinctionem, quis hominum abnuat, libenter illorum se dispositioni submittere? Hic (Hinc) enim pax et caritas mutua se vice complectuntur, et manet firma concordia, ac in alterna et Deo placita dilectione sinceritas. Quia igitur: unumquodque salubriter tunc completur officium, cum fuerit unus ad quem possit recurri, præpositus: vota nostra caritatem tuam latere nolumus, ne qui particeps fuit sollicitudinis, gaudiorum fructus (fructu) reddatur extorris. Et idéo Carthaginensem (Constantinopolitanam *leges apud Hormisdam*) Ecclesiam ad communionem nostram redissè (domino propitiante) tradentibus significamus alloquiis, et mandatorum, quæ legatis nostris dedimus, seriem in omnibus fuisse completam. De qua parte, ut ad dilectionem tuam plenius perfecte gaudium perveniret, libelli Eulalii fratris et sacerdotis nostri Carthaginensis episcopi, et Justiniani clementissimi principis Orientis sacrarum exemplaria credidimus cestinanda, indicantes nihilominus per Orientis partes

Persecutione Vandalica, caput omnium Ecclesiarum publice profitetur. Quid? quod gentiles et Ariani (ut videre est apud eundem Victorem lib. 1 de Persecutione Vandalica, et Gregor. Turon. de Gloria mart., cap. 25) Africanos catholicos, Romanos appellarint, non alia de causa, quam quod cum Romana Ecclesia in fide et religione communicarent, ejusque pastorem Christi vicarium, pari culti omnes in litteris suis colerent et observarent.

Cum itaque ex his manifestum sit Africanam Ecclesiam non modo nunquam a Romanæ Ecclesiæ unitate et communione descivisse, verum potius eandem, etiam persecutionis tempore, velut matrem suæ aliarumque Ecclesiarum agnovisse, quis falsitatis non arguat hanc epistolam, qua Eulalius aliquis Carthaginensis episcopus pro integranda unione libellum obtulisse dicitur, quando omnes episcopi catholici, regnante Gilimero rege Ariano, exulabant? Quis mendacii non accuset eam quæ, sedente Alexandria Timotheo ejus nominis tertio episcopo hæretico, fingitur ad Eulalium Alexandrinum (nullus hoc nomine Alexandrinus vixit episcopus, ut patet ex Nicephoro aliisque) antistitem transmissa? Quis denique impostura et fraude plenissimam esse non dicat, qua scribitur Africanam Ecclesiam ultra centum annos schismaticam fuisse, quæ ne quidem unius horæ spatio ab unitate Ecclesiæ Romanæ se unquam præcidit? Oportebat tale commentum excogitare, ut Augustinos, Eugenios, Fulgentios, viros sanctitate celeberrimos, cum Aurelio, quem ipsi schismatici auctorem, Prosper vero Aquitanus, *Patrem et dignæ memoriæ noninandum antistitem, cælestis patriæ civem appellat*, cum agminibus quibusdam sanctorum martyrum ac confessorum, qui tempore persecutionis Vandalicæ pro fide catholica obierant, e matricula et sacra sanctorum tabula expungere possent. Nam si integro abhinc sæculo, nempe a Bonifacio usque ad hæc tempora, Africana Ecclesia in schismate perseveravit, nihil est ut interea aliquis legitima corona martyrii impertiri vel aliquo confessionis præmio munerari potuerit, cum unanimi omnium Patrum consensu certum sit, nullam posse esse schismaticorum coronam, utpote quæ non aliis quam in stadio catholice Ecclesiæ legitime certantibus, concedatur. Vide Baron. in notis martyr. die 16 Octobr. b. Item ea quæ notavimus supra in concilio Carthag. VI, verbo *Conciliam*. Sev. BERNIUS.

* *Episcopi CP. et Justiniani*, habet Horm., ex quo vix maxime patet fraus interpolatoris ridiculi.

plurimos episcopos sic fecisse. Superest ut a nobis A contendentibus precibus divinitas exorata concedat, quatenus de aliarum quoque Ecclesiarum redintegratione gratulemur. Ea vero quæ significare curavimus, in eorum sacerdotum, qui fraternitati tuæ vicini sunt, curabis perferre notitiam, ut et ipsi de affectu tantæ rei gratias nobiscum cœlestis misericordiæ beneficiis referre non cessent. Aurelius enim præfate Carthaginensis Ecclesiæ olim episcopus, cum (*hæc falsissima*) collegis suis (instigante diabolo) superbire temporibus prædecessorum nostrorum Bonifacii atque Cœlestini contra Romanam Ecclesiam cœpit: sed videnus se modo (more) peccatis (peccantis) Aurelii Eulalii a Romanæ Ecclesiæ communione segregatum, humilians recognovit se (peccasse), pacem et communionem Romanæ Ecclesiæ petens, subscribendo una cum collegis suis, damnavit apostolica auctoritate omnes scripturas quæ adversus Romanæ Ecclesiæ privilegia factæ quoquo ingenio fuerunt.

EXEMPLAR · PRECUM EJUS,

ET JUSTINIANI PREDICTI PRINCIPIS.

* Prima salus est rectæ fidei regulam custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare: et quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia, dicentis: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (Matth. xvi). Et hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica extra maculam semper est catholica servata religio. De qua spe et fide minime separari cupientes, et Patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes qui contra sanctam Romanam et apostolicam Ecclesiam superbiendo suas erigunt cervices; sequentes in omnibus apostolicam sedem, et prædicantes ejus omnia constituta, et per omnia spero, ut in una communione vobiscum, quæ sedes apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra et vera Christianæ religionis et perfecta soliditas, promittens sequestratos a communione Ecclesiæ catholicæ, id est non consentientes sedi apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quod si in aliquo a professione mea deviare tentavero, his quos damnavi complicem mea sententia me esse profiteor. Hanc autem professionem meam manu mea subscripsi, et Bonifacio (Hormisdam habet libellus) sancto et venerabili papæ urbis Romæ direxi, damnamus et antecessores et successores meos, et omnes qui S. Romanæ et apostolicæ Ecclesiæ privilegia cassare nituntur. Hinc enim supernæ misericordiæ documentum perdocetur (*Hormisdæ ep. 80, act. 5, concilii CP. sub Menna*), quando et mundani principes causas fidei cum reipublicæ ordinatione conjungunt, et Ecclesiarum præsules, quod ad dispensationem suam pertinet, officii memores exsequuntur. Talibus enim indigebat post discordiæ procellas religio Chri-

* Prima salus] Hæc professio fidei Justiniani esse non potest, cum is quatuor annis ante tempus editæ ac datæ hujus professionis obiit. Justiniani esse nequit, tum quod ex epistola Hormisdæ pontificis ad Hispaniarum episcopos, et ex Joannis Constantino-

stiana rectoribus, qui compressis provida dispensatione turbinibus, diu peregrinatalam pacem depulsa tempestate reducerent, ut in futura post sæcula ad propositi sui exempla tendentes, sibi ascribendum indubitanter ostenderent, quidquid Domino placitum posteris pro sua imitatione fecissent. Benedicamus Dominum, fratres carissimi, nostris hoc diebus fuisse concessum, et totis orationum et curarum viribus an-nitatur, ut quæ Dei ope bene cœpta sunt, ipso adjuvante per omnia compleantur. Sperandum enim est ut ad compagem corporis sui reliqua, quæ adhuc divisa sunt, membra festinent, et a posterioribus minoribus non discrepent. Ad quod, cum me dilectio tuæ Christianæ studio caritatis hortatur, debet quod invitat sequi, et quod amandum suadet amplecti. Similiter enim jam fidei curam gerentes, per religiosam patientiam, par etiam præmium de boni operis speramus affectu. Neque enim difficultatibus est cedendum. Non enim fatigatur asperis fides, nec ad cœlorum ardua per proclive tenditur, nec remunerationem citra laboris exercitium quis meretur. Unde et facientes bona deficiamus, specialiter admonemur etiam testante Psalmista: *Beati qui custodiunt iudicium, et faciunt justitiam in omni tempore* (Psalm. cv); quia non initium laboris remunerationem præmii consuevit invenire, sed terminus. Ergo studium sollicitudinis assumentes, quibus est una in communione societas et credulitas, quemadmodum de unitate sedis apostolicæ et Constantinopolitanæ Ecclesiæ pariter exultamus in Domino, ita de reliquorum quoque (sicut affectione admones) redintegratione lætemur, et curemus præmium (*forte primum et ita legitur in c. Just.*), ut fidem integritatemque nostram immaculatam ab omni contagione servemus. Nosti enim, frater carissime ac sanctissime, quia ecclesiasticæ servant vincula concordiam, quæ nos ab hæreticorum tueatur insidiis, per quam etiam canonum custoditur integritas (auctoritas). His in robore suo omni circumspeditione servatis, remedia sperantur. Habet enim ecclesiasticarum ordo regularum, et ipsius forma justitiæ, ut medicina rationalis benigne et fideliter sperantibus non negetur, nec quisquam est ita ab humanitate discretus, quem non a rigore distractionis inclinet cauta simplicitas, sed ut caute hoc, cæterasque querelas aut errores alicujus ævi (rei) valeas expedire, dilectissime frater, personam meam te in hoc oportet induere, scientem in hujusmodi causis (sicut prædictum est) quid cavendum sit, et ita omnia prævidendum, ut a te non ambigas rationem dispensationis hujus Deo esse reddendam, ita tamen ut eos qui vobis fuerint communionem sociati, vel per vos sedi apostolicæ vestra nobis scripta declarent, quibus etiam et quam continentiam libellorum obtulerint (continentiam libellorum quos obtule-

quod data habeatur sub consulatu Justiniani tertio, cum jam non amplius Bonifacius, sed Joannes Romanæ Ecclesiæ præsideret. Hæc prudens collector epistolarum pontificiarum diligenter considerans, suspectam de obreptione fidei formulam exposuit. Baron. anno 530, num. 5. Sev. Binius.

* Hæc quoque a callido veteratore confectæ

rius), inseratur. Sic quoque humilitatem debemus tenere in mente, ut inde (tamen) ordinis nostri dignitatem servemus in honore, quatenus in nobis, nec humilitas timida, nec ratio sit superba. Omnipotens Deus, carissime, sua te protectione custodiat, atque ad cœlestis remunerationem patriæ (cum) multiplici

animarum fructu perducatur. Deus te incolumem custodiat, reverendissime frater. Amen. Datum vii kalendas Octobris (hæc falsa consulum nota) Justiniano tertium et Oreste (Valentino II et Oreste, viris clarissimis consulibus (anno Christi 530 vel 533).

ANNO DOMINI DXXXVII.

MONTANUS

EPISCOPUS TOLETANUS.

(Ex Collect. SS. Patrum Tolet.)

PROLEGOMENA.

MONITUM AD LECTOREM

Auspicamur, lector optime, a Montano SS. PP. Toletanorum editionem, quoniam e tota retro antiquitate is primus est, non qui monumenta litteraria ediderit, sed cujus scripta ad nos usque pervenerint. Quis enim dubitet Montano aliquos præcessisse in sede Toletana doctos præsules, ac scribendi laude præclaros? De Audencio, quem Toletanum antistitem fuisse nemo ambigit, scitum est Gennadii elogium, cap. 14, his verbis: *Audencius episcopus Hispanus scripsit adversus Manichæos et Sabellianos, et Arianos, qui nunc vocantur Bonosiaci, librum quem prætitulavit de Fide adversum omnes Hæreticos: in quo ostendit antiquitatem Filii Dei cœternalem Patri fuisse, nec initium Deitatis tunc a Deo Patre accepisse, cum de beata Maria Virgine homo, Deo fabricante, conceptus et natus est.* Virum eundem in *Scripturis exercitatum habentem ingenium* vocat Trithemius. Sed hoc Audencii opus, sicut et alia aliorum, periit. Montanus itaque primus occurrit, cujus epistolæ sæculo sexto conscriptæ, atque a S. Ildephonso laudatæ, temporis edacitatem superantes, in variis mss. repertæ sunt, ex quibus editæ primum a D. Garcia Loaysa, deinde

B ab em. Aguirrio in sua Collectione conciliorum Hispaniæ: postremo a P. Florez ad quamplures mss. codices gothicos, ut ipse asserit, collatæ, multo emendatioribus quam in prioribus editionibus exhibitæ sunt in appendice ad tom. V Hispaniæ sacræ. Ejus nos editionem secuti sumus, nullis ex nostro variantibus lectionibus adnotatis, quoniam ms. codicem, ad quem epistolas exigeremus, nullum habuimus. Variantes igitur descriptæ sunt ex ipsa Florezii editione: adnotationes vero ad imam oram adhibitas ex em. card. Aguirrio desumpsimus, quas tamen nostris animadversionibus ad calcem auximus, locum obscurissimum epistolæ secundæ quoquomodo illustraturi, qui nulli hactenus editorum negotium fecerit. Quod vitam Montani ejus epistolis præfigimus, non vanum nobis consilium visum est iniisse, ut de auctore rationem prius redderemus, quam ejus repræsentaremus scripta. Itaque in cæteris Patribus edendis eandem observavimus methodum. In Montano vero, quoniam elogium illius a S. Ildephonso conscriptum brevius est, nos vitæ ejus historiam paulo longiorem contexuimus, colligentes ea quæ ab aliis historicis scripta reperimus. Vale.

MONTANI VITA.

Montanus Ecclesiæ Toletanæ post Celsum antistes floruit tempore Amalarici regis Gothorum, præfuitque illi ab anno 522 usque ad 531, secundum seriem præsulum Toletanorum D. Joannis Baptiste Perezii canonici Toletani, et Clar. Loaysæ, et Aguirrii, quam auctiorem et correctiorem dabimus ad calcem tom. II.

Ex sancto Ildephonso intelligimus, quot quantisque virtutibus eluxerit. Fuit enim summa animi virtute præditus, in dicendo eloquentissimus, in gubernando prudentissimus, omnibus summis honoribus dignus, atque vitæ innocentia commendatissimus et beatissimus.

Et quidem ejus sanctitatis eminentia abunde comprobatur antiquissima fidelique traditione, qua S.

Ildephonsi ætate omnium ore ferebatur, sanctissimum præsulem putida calumnia ab hostibus invidis appetitum, insigni miraculo suam innocentiam vindicasse, carbones accensos tandiu in propriis vestibus sustinendo quoad sacra mysteria ipse perageret; quin tamen interea vestes vel levissimum ceperint: detrimentum, ignisve quidquam de vi sua remisit. Cujus simili purgatione posterioribus sæculis S. Anselmum aliosque sanctissimos viros, Spiritu sancto inspirante, usos legimus.

Eloquentia Montani atque ejus doctrinæ splendor satis apparet ex duabus epistolis, quæ ad nos usque pervenerunt. Prima fratribus filiisque dilectissimi territorii Palentini, altera D. eximio Thuribio scripta: necnon ex concilio Toletano II, cui præfuit;

cujus canones qui sedulo perlegerit, abs dubio in illis animadvertet quamdam sermonis castimoniam aurea sæcula redolentem, et Gothorum temporibus perraram.

Insigne fuit abs dubio per omnem Hispaniam Montani nomen; et ejus sapientiæ fama adeo percrebuit, ut synodus II Toletana habita anno 527 hoc modo inscribatur: *Synodus habita in civitate Toletana apud Montanum episcopum*; sæpiusque a Patribus postremo in capite nominatur, asserendo, sequens concilium a *Montano convocandum, et apud eum debere celebrari.*

Octoginta tribus annis post præfatam synodum transactis, in synodo Carthaginensi habita sub rege Gundemaro anno 610 referunt Patres acta concilii Toletani II sic indigitati: *apud sanctum Montanum.* Quæ verba superioribus adjuncta perspicue comprobant non solum sapientiam, verum etiam sanctitatem Montani in Hispania fuisse percelebrem.

Quamvis sanctorum Boletanorum fastis non sit ascriptus, fraudari non potest elogio sancti Ildephonsi, qui eum *beatissimum sacerdotem* appellat, necnon Patrum Carthaginensium conclamatione *sanctum Montanum* denominantium.

Licet virtutum omnium laude floruerit, maxime verò zelo domus Domini ardere visus est, et pro fide orthodoxa sarta tecta tuenda atque sacrorum canonum disciplina instauranda, contra errorum monstra et pravos usus in Hispania grassantes assidue præliari. Id epistolæ jam laudatæ testantur, undique zelum spirantes; sive presbyteros Palentinos chrisma conficientes, atque alienæ sortis episcopos ad consecrandas basilicas adsciscentes acriter coarguit; sive ipsorum levitatem atque vecordiam perstringit, qui abominandam Priscilliani hæresim abjicientes, ejus nomen honorare pergerent; sive dum probatissimo presbytero Thuribio auctoritatem suam ad hæc mala coercenda committit. Denique quanta veneratione Romanorum pontificum monita suspexerit, quantoque studio conciliorum sanctorum canones observari curaverit, exemplo erit quod ex epistola secunda non improbabili ter conjicimus, atque latius in notis ad eam exponemus. Cum enim quidam illegitime electus ac ordinatus episcopus, Celso metropolitano Montani prædecessore, comprovincialibusque episcopis iusciis, Ecclesiam Palentinam invasisset, Montanus ad Toletanam sedem evectus, solum diu impunitum esse non est passus, neque multorum precibus adduci potuit, ut contra sancti concilii Nicæni decreta quidquam de illorum severitate remitteret.

Quæ omnia eo magis Montani virtutem commendant, quo mirabilius est, pastorem adeo integerrimum, sanæque Patrum suorum doctrinæ ita tenacem iis temporibus floruisse, cum Ariana hæresis totam fere Hispaniam occupaverat, cum Gothi regibus in throno jactabunda consedens. Ipse vero non in aliquo remoto angulo latuerit, verum in media ipsa Hispania coram principe hæretico, totoque aulicorum

Arianorum grege tam insignia pietatis et in orthodoxa religione tuenda indefessi studii testimonia præbuerit. Ex quo maximam in hanc sanctam metropolitane Ecclesiam Toletanam gloriam redundare nemo non videt: atque inde omnes intelligent, quam merito eam *catholicam* dixerit Eufemius a Montano quartus hujus sedis episcopus in subscriptione III concilii Toletani: nempe quia pastores semper habuisset, qui Montano similes a recta atque orthodoxa catholice Ecclesiæ fide vel inter ipsas errorum tenebras maximasque persecutionum procellas nunquam desciverint.

Obiit Montanus anno ultimo Amalarici regis, episcopatus sui nono, Incarnationis dominicæ 551: atque in hunc annum referenda sunt quæ quamplurimi historici cum nostrates, tum exteri tradunt de directione Toletana a Gallis facta post victoriam de Amalarico impio crudelique catholice Clotildis vexatore reportatam. Qua ex re non temere opinamur, sanctissimum præsulem non tam senio quam dolore confectum, cum vidisset urbem tanta calamitate oppressam, Ecclesiam sponsam suam omni vita carorem bonis suis exspoliata, vasa sacra usque ad sexaginta abrepta, patinas quindecim, librorum Evangeliorum thecas viginti, omnia ex auro mundissimo conflata atque pretiosissimis gemmis ornata, oculos tanta clade defatigatos clausisse; eamque rem omnium luctuosissimam mortem illi maturavisse. Pro coronide damus verba S. Ildephonsi, quibus tanti viri elogium expressit, Lib. de Viris illustr. cap. 3.

C Montanus post Celsum primæ sedis provinciæ Carthaginis Toletanæ urbis cathedram tenuit: homo et virtute spiritus nitens, et eloquii opportunitate decorus, regimen honoris retentavit ac disposuit condigno cœlestique jure, simul et ordine. Scripsit epistolæ duas ecclesiasticæ utilitatis disciplina confertas; e quibus unam Palentiæ habitatoribus, in qua presbyteros chrisma conficere, episcoposque alienæ diocesis alterius territorii Ecclesias consecrare, magna perhibetur prohibere auctoritate, sacrarum Litterarum testimoniis affirmans id ipsum fieri penitus non licere. Amatores quoque Priscillianæ sectæ, licet non operarentur eadem, quia tamen memoriam ejus amore retinerent, abdicat et exprobrat, commemorans, quod in libris beatissimi Thuribii episcopi ad Leonem papam missis, eadem Priscillianorum hæresis detecta, convicta, atque decenter maneat abdicata. Aliam vero epistolam ad Thuribium religiosum, in qua collaudans eum, quod culturam destruxerit idolorum, committit ei sacerdotalis auctoritatem vigoris per quam presbyteros chrisma conficere, et episcopos alienæ sortis alterius diocesis Ecclesias consecrare magna compestat invectione. Hic vir antiquissima fidelique relatione narratur, ad exprobrationem infamæ tandiu prunas tenuisse in vestimento ardentes donec coram sedis suæ sacro altari totius missæ celebritate per semetipsum expleret. Peractis autem solemnibus, nec prunæ ignem, nec vestis inventa est amisisse decorem. Tunc Deo relatis gratiarum actionibus, per simplicem naturam ignis convicta est et

fallacia detestabilis accusantis, et innocentia beatissimi sacerdotis. Gloriosus habitus fuit temporibus dignitatem. »

MONTANI EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA ^a.

Dominis dilectissimis, fratribus filiisque territorii Palentini Montanus episcopus in Domino æternam salutem.

I. Cunctarum Ecclesiarum Domini potissimos ^a presules per Ezechielem prophetam (Cap. xxxiii) terribilis illa commonitorii dictio sub speculatoris nomine concutit, dicens: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel: audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium: Impie, morte morieris: non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via tua impia, et revertat; ipse quidem in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram, et cætera, quæ hujus lectionis ordo de admonentis a Inonitque aniuus ^b exquirendum ostendit.*

II. Hac ergo voce permotus, hujus officii necessitudinem me suscepisse non nesciens, studere curavi; ne cujusquam perditam animam de manu mea Christus inquirat; præsertim cum Toletanæ urbi metropolitani privilegium vetus consuetudo tradiderit; et eo magis non solum parochiarum, sed et urbium cura hujus urbis sollicitet sacerdotem. Ergo, ut Apostolus dicit: *Quid horum vultis? in virga veniam ad vos? an in caritate et spiritu mansuetudinis (I Cor. iv, 21)?* Nova namque præsumptio præsiditium vobis presbyterorum nostros pulsavit auditus, si tamen nova

In epistola hac Montanus Toletanæ Ecclesiæ metropolitane antistes graviter reprehendit, quod quidam presbyteri territorii Palentini, inscii, aut temerarii, conficerent sacrum chrisma, cum id solis episcopis competat; præterea, quod ad consecrationem basilicarum episcopi extranei admitterentur; denique quod aliqui infamem, et toties fulguritam Priscillianistarum sectam in honore haberent. Monet præterea, ut libros Theoribii episcopi contra illam scriptos legant. Sed de iis omnibus satis diximus supra in notis ad concilium Cæsaraugustanum, Toletanum I et Hispanicum generale, atque in epistolam celebrem sancti Leonis papæ ad Thuribium episcopum Asturicensem. CARD. AGUIRRIUS, ex tom. III Collectionis D maximæ conciliorum omnium Hispaniæ.

^a Non solum tibi locutus est Dominus, quia omnis congregatio sancta est. Hæc verba allegat Montanus ex cap. xvi Numerorum. juxta veterem translationem, qua Ecclesia usa fuit, donec postea tempore S. Gregorii Magni Vulgata prævalere coepit ubique fere. Porro priora non habentur apud Septuaginta, ubi solum legitur: *Εσχίτω ἐν ὑμῖν, ὅτι πᾶσα ἡ συναγωγή πάντες ἄγιοι καὶ ἐν αὐτοῖς Κύριος*: Sufficiat vobis, quia omnis congregatio, omnes sancti, et in eis Dominus. Nec præterea exstant in Hebraico textu juxta translationem Pagnini, nec in Paraphraste Chaldaico. Itaque mihi dubium non est priora illa verba, non soli

tantum, et non detestabilis dici possit, quæ ab initio fidei catholice nunquam præter nunc subrepsisse probatur, ut id quod per manus summi pontificis Trinæ Divinitatis invocatio sanctificare consuevit, presbyter ignarus discipline conficere sibi chrisma præsumeret. Hoc si ignaviæ est, tam demens sacerdos esse non debuit; si præsumptionis est, hunc schismaticum esse quis nesciat, qui inauditam rem et religioni contrariam, senescente jam mundo, talis B temerator inducat ^c.

III. Revolvatur manibus vestris, o presbyteri, sacratissimus Numeri liber (xi, 16), in quo vestri officii in septuaginta seniorum personis auspiciatus est honor; et inveniatis quorum negotiorum vobis prærogativa concessa sit. Adjuutores vos Deus ^d nostri laboris secundo dignitatis gradus esse voluit, non temeratores sacrarum quarundam rerum esse ^e permisit. Sic Nadab et Abiud ignem offerentes alienum (Levit. x, 1, 2), id est sui officii non debitum, divinus ignis absumpsit. Sic Chore, Dathan atque Abiron Moysi ^f, Dei gratia, et divinis eloquiis perfruendi invidentibus, ac dicentibus: ^g *Non soli ^h tibi locutus est Dominus, quia omnis congregatio sancta est (Num. xvi, 5)*, novis schismaticis interitus novæ perditionis ^b advenit, ut jejuno ore insatiabiliter terra absorberet, quos indignatio divina damnasset. Quid memorem Oziam (II Paral. xxvi, 16 et seq.), qui non contentus r. galibus fascibus, ne fungeretur et sacer-

tibi locutus est Dominus, citata fuisse ex translatione veteri, quam sicuti Herculeo animo, et incredibili labore coepit restituere sæculo præcedenti Flaminius Nobilius, utinam etiam perfecisset. Vide quæ præmissus tom. I dissert. IV, num. 20 et sequentibus.

Hanc ipsam Montani epistolam commemorat, et plures illius laudes proferit S. Ildephonsus lib. iv de Viris illustribus, dicens: *Montanus post Celsum primæ sedis provinciæ Carthagini Toletanæ urbis cathedram tenuit: homo et virtute spiritus, et eloquii opportunitate decorus, regimen honoris retemperavit ac disposuit, condigno cælestique jure, simul et ordine. Scripsit epistolas duas ecclesiasticæ utilitatis disciplina confertas; e quibus unam Palentiæ habitantibus, in qua presbyteros chrisma conficere, episcoposque alienæ diœcesis alterius territorii ecclesias consecrare, magna perhibetur prohibere auctoritate, sacrarum Scripturarum testimoniis affirmans id ipsum fieri penitus non licere. Amatores quoque Priscillianæ sectæ, licet non operarentur eadem, quia tamen memoriam ejus amore retinerent, abdicat et exprobat, commemorans quod in libris beatissimi Theoribii, ipsis ad Leonem papam missis, eadem Priscillianorum hæresis detecta, convicta, atque decenter maneat abdicata. Hæc ibi Ildephonsus de epistola præjecta. Statim vero commemorat aliam ejusdem Montani nunc a nobis exhibendam. Hucusque CARD. AGUIRRIUS.*

^a Alius ms., peritissimos. Loays., Domini piissimi.

^b Gerundensis et Urgellensis mss., anima.

^c Loays., judicat.

^d Loays., adjuutores suos Dominus.

^e Editio Loays. non habet esse.

^f Urgellens. et Loays., Mosco.

^g Urgell., Num soli

^h Loays., vradicationis.

dotis officio, contra jam fasque potestativo elatus ^a A in Christo connexi, tamen nec provinciæ privilegii, nec rerum Domini noscuntur utilitatibus convenire, quia jam ad ipsum hujuscemodi fama perlata ^b est. Ideoque salubri ordinatione censuimus, ut si quando talis necessitas incubuerit, litteris nos informare debeatis, et aut per nos, aut per eum qui nobis ex fratribus et coepiscopis nostris visus fuerit, et consecratio ecclesiarum, Deo auspice, poterit celebrari.

IV. Caveant ergo, caveant qui sibi putant esse licitum quod aliis non ignorant ^c esse illicitum; ne similis eos ^d horum quos memoravimus, poena percellat. An forsitan sanctorum Patrum regulas et constitutiones synodicas ignoratis, quibus præcipiuntur ^e parochenses presbyteri non per viliores personas, sed aut per semetipsos, aut per rectores sacrariorum annuis vicibus chrisma a præsidente sibi episcopo petant? Credo quod qui petere jusserunt, potestatem consecrandi penitus abstulerunt. Providebit ergo caritas vestra, ne post hujus humilitatis nostræ interdictum, donec et consuetus vobis a Domino præparatur antistes, quisquam vetita iterare præsumat, et incipiat graviorem ecclesiasticæ distributionis sustinere censuram. Utatur quisque honoris sui concessio privilegio, quod proprium scit ^f ordinis presbyterii; non quod summi pontificatus est, improbus minister assumat. Quisquis post hanc admonitionem in hujuscemodi rebus aliquatenus fuerit deprehensus, sub anathematis insolubili vinculo se noverit esse damnandum. Cui in hoc ipsum non parum humanitatis conceditur, quod nunc eum transire patimur impunitum.

V. Sane si Dominus voluerit, cum tempus paschalis festivitatis advenerit, si vobis ad petendum impossibile est, datis litteris vestris indicare debetis ^h, et nos sacri hujus liquoris ultro poterimus transmittere gratiam, dummodo ⁱ non præsumatur ^j illicita.

VI. Pari ratione cognovimus quod ad consecrationem basilicarum alienæ sortis a vobis episcopis inventur, et licet sint unius fidei copula nobiscum

^a Hanc commemorat S. Ildephonsus libro citat. de Viris illustribus agens de Montano Toletanæ Ecclesiæ præsul. Postquam enim de præcedenti illius epistola locutus fuit, ut in notis ad eam vidimus, subjungit: *Aliam vero epistolam (scripsit Montanus) ad Thuribium religiosum, in qua collaudans eum, quod culturam destruxerit idolorum, committit sacerdotalis auctoritatem vigoris, per quam presbyteros chrisma*

^a Ita Ger. et Urgell.; alii vero, *Potestatis velatus.*

^b Ita edidit P. Florez ex mss.; nos legendum putamus: *ad obitum privatus maneret*: quod confirmat editio Aguirriana: *ut munere sacerdotis et regni caret, exosusque, etc.*

^c Ita Loays., Florez vero, *non ignorantis.*

^d Florez ex Gerund. et Urgell. edidit *reos.*

^e Florez ex eisdem mss. interserit *ut*; quod non probamus, nisi pro *præcipiuntur* scribatur *præcipitur*; quod nullus habet codex.

^f Ita Ger. et Urgell.; alii, *provididerit.*

in Christo connexi, tamen nec provinciæ privilegii, nec rerum Domini noscuntur utilitatibus convenire, quia jam ad ipsum hujuscemodi fama perlata ^b est. Ideoque salubri ordinatione censuimus, ut si quando talis necessitas incubuerit, litteris nos informare debeatis, et aut per nos, aut per eum qui nobis ex fratribus et coepiscopis nostris visus fuerit, et consecratio ecclesiarum, Deo auspice, poterit celebrari.

VII. Præterea perditissimam Priscillianistorum sectam tam actis quam nomine a vobis præcipue novimus honorari. Rogo, quæ est ista dementia in ejus amore superflue labi, quem in opere non velis imitari? Nam, ut pauca de ejus spurcitiis in notitiis vestri deducam, exceptis iis quæ in Divinitate profanus erupit, et ore sacrilego blasphemavit, omnium vitiorum in eodem congeries, veluti in sordium sentina confluit, ut sectatricum pudorem impulefactus adulter eriperet ¹; et ut ad sceleris nefarii effectum facilius perveniret, maleficii usus gesta etiam ei assignant. Quid tandem in hoc ^m religioni congruum fidelis cujusquam animi a veneratur, qui non solum a sanctis sacerdotibus refutatus est, verum etiam mundani principes justitia legum suarum eum pro memorati sceleris qualitate damnarunt?

VIII. Hunc talem fuisse, plenius discet qui beatissimi ac religiosissimi viri Thoribii ⁿ episcopi ad sanctum papam urbis Romæ Leonem libros editos legit, in quibus hanc sordidam hæresim explanavit, aperuit, et occultam tenebris suis, perfidiaeque nube velatam in propatulo misit. Ex ipsis etenim libris, qualiter cavere, quid respondere contra sacrilegos possit, pius lector inveniet. ^o Unde, quæso, ut perfidiam cum auctore damnantes atque anathematizantes, rectæ fidei regulam teneatis, et de omnibus superscriptis cautiores exhibere vos procuretis, quo facilius nec mihi de taciturnitate possit esse damnatio, et vobis de obedientia fructum maximum coram Salvatore Deo nostro providerè possitis. Pax Domini cum omnibus vobis. Amen.

EPISTOLA SECUNDA.

Domino eximio, præcipuoque Christicolæ, do-

conficere, et episcopos alienæ sortis alterius diœcesis ecclesias consecrare magna compescat invectione. Sed et statim insignem ejus laudem addit, hisce verbis: Hic vir antiquissima fidelique relatione narratur, ad exprobrationem infamiae tandiu prunas tenuisse in vestimentis ardentes, donec coram sedis suæ sacro altari lotius missæ celebritatem per semetipsum expleret. Peractis autem solemnibus, nec prunæ ignem, nec vestis

^a Ita Ger. et Urgell.; alii habent *sit.*

^b Alii cod., *debebitis.*

^c Ita Gerund. et Urg.; alii *dum.*

^d *Præsumatur*, non habet Loays. editio.

^e Loays., *prolata.*

^f Ita Loays. Florez ex Gerund. edidit, *inipudera-*

tus ... eruperet.

^g Ita Loays. Florez vero ex suis mss. edebat, *Quid tamen in hunc*: non absque mendo.

^h Flor. ex mss. Loays., *Theoribii.*

ⁱ Ita Urg. Loays. edidit, *invenitur.*

nino et filio Thuribio ¹ Montanus episcopus. A

I. Alumnus te fidei catholice, et sancte religionis amicum, etiam in actis mundialis conversantem valde et novimus et probavimus. Cum enim adhuc floreret in sæculo, ita claritudinis ^a tunc vita perperat, ut secundum sententiam Domini et quæ sunt Cæsaris Cæsari non negares, et Deo quæ sua sunt, devota mente persolveres. Jure etenim auctorem ^b dei divini cultus in hac præsertim provincia nominabo. Putasne quanta tibi apud Deum maneat merces, cujus solertia vel ^c instantia ^d et idololatriæ error abscessit, et Priscillianistarum detestabilis ac pudibunda secta contabuit? Si tandem adhuc et in nomine ^e honorare desistant, cujus per tuam admonitionem collapsa esse opera non ignorant. Nam de terrenorum dominorum fide quid loquar? Cui ita tuum impendisti laborem, ut feroces coha-

inventæ est omnis decorem. Tunc Deo relatis gratiarum actionibus, per simplicem naturam ignis convicta est et fallacia detestabilis accusantis, et innocentiæ beatissimi sacerdotis. Gloriosus habitus fuit tempore Amalarici regis. Annis novem tenuit dignitatem. AGUIRRIUS.

¹ Quisnam sit hic Thuribius ad quem Montanus scribit, implicata satis questio est. Quidam enim nolunt fuisse, nisi unicum Theoribium, sive Thuribium, cui conveniat quicquid in hac epistola legitur, tam de libris scriptis adversus Priscillianistas tempore S. Leonis papæ, quam de gestis et prædicatione adversus laudatores ejus sectæ, hortatu Montani præsulis Toletani. Sed enim falsam esse hanc opinionem facile evincitur ex ipso S. Ildephonso, qui eodem loco, de Viris illustribus, palam distinguit inter utrumque Thuribium. Agens enim de epistolis Montani præjactis ait: *Commemorans (Montanus) quod in libris beatissimi Thuribii ad Leonem papam missis, eadem Priscillianorum hæresis detecta, convicta, atque decenter maneat abdicata. Aliam vero epistolam ad Thuribium religiosum (scripsit) in qua collaudans eum, quod culturam desruerit idolorum, committit ei sacerdotalis dignitatem vigoris, etc., ut paulo ante scripsimus. Ubi palam distinguit Ildephonsus duos Thuribios: alterum episcopum, et synchronon S. Leonis papæ, ad quem libros miserit contra Priscillianistas scriptos; alterum vero posteriore non episcopum, sed religiosum et prædicatorem adversus idololatriam, ad quem viventem scripserit epistolam hanc posteriorem Montanus præsul Toletanus. Itaque palam est duos fuisse Thuribios, non unicum.*

Quod ipsum aperte demonstratur ex Chronographia, juxta quam Thuribius episcopus, qui libros scripsit contra Priscillianistas, et misit ad Leonem papam, floruit ipsius tempore, ac proinde circa medium quinti sæculi: nam Leo ab anno Christi 440 usque ad 441 sedi apostolicæ præfuit. Ut omittam, eundem Thuribium jussu ipsius Leonis papæ concilium in Hispania celebrasse anno Christi 447, ut cuique notum est. Thuribius autem, seu potius Theoribius, ad quem scripta est hæc epistola, longe posterior fuit et floruit sub initium sæculi sequentis. Cum enim Montanus ad eum viventem scribens interfuerit et subscripserit concilio Toletano in æra 565, id est anno Christi 527, Amalarici regis 5, et S. Ildephonsus asserat eum *gloriosum habitum fuisse tempore Amalarici regis; consequens plane est ut hic Theoribius sit octoginta circiter annis posterior, ac proinde alius omnino a Thuribio illo precedenti.*

Hinc constat Loaysam, doctissimum licet, lapsum fuisse in notis ad hanc ipsam epistolam, dum dixit:

^a Loaysa, claritatis.

^b Deest auctorem in Loaysa.

^c Loaysa, atque.

bitantium tibi animos ad salubrem regulam et normam regularis disciplinæ perduceres. Quæ tamen ex Palentino conventu ad nos pervenerint, celsitudini vestre indicare curavi: quo facilius per vestram increpationem nefanda præsumptio in posterum conquiescat.

II. Quidam (ut ad nos perlatum est) presbyteri ausu temerario res sacras non tam consecrare quam violare præsumunt: et cunctis ab initio fidei catholice sæculis inusitatum sui ordinis hominibus, nisi tantum summis pontificibus debitum, jus consecrationis chrisimæ, nescio quo typo, an dementia dicam, i dubitanter assumunt: quod quam sacrilegum sit, piissimam conscientiam tuam latere non credo; et ideo spero, ut pro enervanda hac ipsa superfluitate, severissimi sacerdotis auctoritate utaris, et tantæ rei B temeratores districtiori increpatione coerceas. Qui

An hic Thuribius ille monachus fuerit cujus meminit Ildephonsus, de Viris illustribus, in Vita Montani, an alter notarius sedis apostolicæ a B. Leone papa missus in partes Hispaniæ ad Priscillianam hæresim extirpandam, ut constat ex concilio Bracarensi; in exordio (vocabatur et ii notarii regionarii), an vero episcopus Palentinus et Asturicensis, non satis constat. Postremæ sententiæ acquiesco, ut ex prima epistola patet: et scripsisse libros doctissimos adversus Priscillianos; et in secunda epistola eum vocat sacerdotem, hoc est episcopum: ut severissimi (inquit) sacerdotis auctoritate utaris. Lapsus, inquam, fuit dominus Loaysa; cum ex testimonio S. Ildephonsi constet satis huic Theoribium fuisse cujus meminit ille in vita Montani, utpote scribentis ad illum tanquam synchronon octoginta circiter annis, postquam ille alter Thuribius notarius, sive etiam episcopus, tempore S. Leonis floruerat, et memoratos libros scripserat.

Quin et ejusdem veritatis filii facit Montanus ipse in utraque epistola præjacta. In priore enim ad fratres et filios territorii Palentini, loquens de erroribus et vitiis Priscillianæ, ait: *Hunc talem fuisse plenius discet, qui beatissimi et religiosissimi viri Thuribii (non Theoribii) episcopi ad S. papam urbis Romæ Leonem libros editos legit: in quibus hanc sordidam hæresim explanavit, aperuit, et occultam tenebris suis perfidique nube velatam in propatulo misit. Ubi loquitur Montanus de iis libris tanquam olim scriptis a Thuribio episcopo tempore S. Leonis papæ. At vero in hac posteriori epistola epigraphen adhibet: Domino eximio præcipuoque Christicolæ, Domino et filio Thuribio Montanus episcopus. Ubi et eum filium vocat, non fratrem, qualiter deberet si esset episcopus: et tanquam viventem alloquitur eo tempore, octoginta circiter annis postquam floruerat Thuribius scriptor et episcopus Asturicensis.*

Nec juvat Loaysam quod Montanus ibidem ait: *Ut severissimi sacerdotis auctoritate utaris.* Inde enim futurum colligitur, Theoribium jam tunc inter sacerdotes seu presbyteros numeratum, cui præterea Montanus veluti metropolitanus delegat vices suas ad ea delicta coercenda. Quin et ubi in hac epistola loquitur de episcopis, non filios sed fratres appellat. *Fratres nostri, inquit, alienæ sortis episcopi.* Et in alia epistola precedenti episcopos non appellat *sacerdotes*, sed *summos pontifices*, et eorum dignitatem *summum pontificatum.* Mitto pleraque alia, ex quibus id ipsum confirmari possit. Sed sive hic Theoribius fuerit episcopus tunc, sive non, distinctio illius a Thuribio scriptore et episcopo Asturicensi est manifesta. Hæc AGUIRRIUS.

^d Ita Urg.; alii habent *instinctu.*

^e Ger. et Urg., *adhuc ejus nomen.*

^f Ger. et Urg.

si post datam admonitionem neas iterare præsumpserint, contumacia eorum sententia convenienti damnabitur.

III. Simili ratione cognovimus, eo quod necessitudine consecrandarum basilicarum fratres nostri alienæ sortis episcopi in locis istis invitati conveniant : et licet sit in toto orbe sponsæ Christi thalamus unus, ejusque antistites una in eodem sibila charitatis et fidei unione connexi; quod tamen privilegium decessori nostro, necnon dominis et fratribus nostris Carpetaniæ vel Celtiberiæ episcopis

¹ Super hujus periodi intelligentia nihil omnino annotavit enim. card. Aguirrius. Quæ tamen implicatissima atque densissimis tenebris circumsepta omnes lere harum epistolarum editores insigniter torsit. Contextus ea parte corruptissimus est. Qua vero ratione illi medendum sit, hoc opus, hic labor. Padillæ visum fuit, ab illis verbis fragmentum legi alterius epistole, quod huic librorum imperitia attextisset. Sed nulla probabili ratione id nobis suadet. claris. P. Florez putat sententiam præcedentem facile restitui posse, si post illa verba *et fidei unione connexi* hæc alia addantur ex superiori epistola, in qua similem sententiam ita concludit Montanus : *tamen nec provinciæ privilegii, nec rerum domini noscuntur utilitatibus convenire*. Placet nobis conjectura. Quæ vero post hæc addit, ut explicet cl. vir illius vocis *privilegium* commodam in loco significationem, non ita probare possumus. Autumat enim Celsum cæterosque Carpetaniæ et Celtiberiæ episcopos a Palentino antistite testamenti sui executores fuisse forsitan constitutos, qui piam ejus, nescio quam, voluntatem ad effectum perducerent; contra quam aliquid a Montano Palentini postulaverint, quare ab eo fuerint repulsi. Neque enim apparet, inquit, qua alia ratione episcopus inferior et suffraganeus metropolitano suo et comprovincialibus privilegium fecisse dici possit. Expositio verbis quidem speciosa; cujus tamen vim verba sequentia plane infringunt : *Et certe, prosequitur Montanus, municipia, id est Segoviam, Britabto, et Caucam eidem non quidem rationabiliter, sed pro nominis dignitate concessimus*; qui modus loquendi aperte indicat præcedentia esse ad hæc referenda : non enim scriberet *eidem concessimus*, nisi antea de eodem coepiscopo locutus fuisset. Quibus omnibus attente consideratis, ad hæc explananda aliam viam aggressi sumus.

Itaque nos privilegium non vulgata significatione accipiendum putamus, sed potius pro injusta actione contra alterius jus intentata; ita ut privilegium idem sonet ac injuria damnumve alteri irrogatum. Qua significatione non semel illis temporibus fuisse hanc vocem usurpatam novimus ex Glossario Dufresne ad scriptores mediæ et infimæ Latinitatis, verbo *PRIVILEGIUM*, ubi hæc habet : *Privilegium idem quod supra privilegium (videlicet vox in malam partem usurpata, ut sit quid contra legem).... Vita S. Dunstani tom. IV Maii, pag. 356.... Per spiritualitatem sacri baptismatis iterum (Ecclesia) a primi parentis privilegio regeneravit*. Et ex Carpentier in Glossario novo seu supplemento ad Dufresne. *Privilegium idem quod tyrannus.... S. Eulogius lib. II Memorial. sanctor., cap. 1 : Totam pene Iberiam (Abdarragman) diro privilegio occupavit*. Eo sensu, cum aliquis jus proprium alterius sibi arroganter assumit illudque lædit, privilegium illi facere dici potest.

His ita præactis, conjecturam nostram producimus eo probabiliorem, quo cum his omnibus mire consentit quæ de toto isto negotio fuse scribit idem clar. auct. tom. VIII secundæ edit. Hispaniæ sacræ, pag. 18. Quantum ergo conjicimus, res ita se habuit : sede

^a Ita Loays. Florez ex Ger. et Urg. edidit, *vester quoque episcopus*.

vestra coepiscopus ^a fecit, in exemplaribus charitati vestræ direximus; ut scire possitis improba petitio qualem potuisset habere profectum ^b).

IV. Et certe municipia, id est *Segoviam, Britabto*, et *Caucam* eidem non quidem rationabiliter, sed pro nominis dignitate concessimus : ne collata benedictio, persona vagante, vilesceret. Quod ipsi tantummodo, dum advivit, præstitum fuisse cognoscite. Hoc ergo providere volumus, ut consuetudinem antiquam nulla ratione prætermittere debeat. Quod si hæc nostra admonitio in vobis nihil profecerit, necesse

Palentina vacante, electus quidam et ordinatus fuerat in illius Ecclesiæ episcopum contra sacr. canonum disciplinam, quam Innocentius papa I in Hispania collapsam restaurare cupiens per epistolam ^c Patres concilii Toletani ita admonuerat, ut sollicitè invigilarent ne quis eligeretur aut ordinaretur in episcopum ab aliis quam ab episcopis ejusdem provinciæ cum auctoritate metropolitani, prout jam antea canon. 4 concilii Nicæni sanctum fuerat. Is ergo illegitime electus et ordinatus episcopus, atque Palentini Ecclesiæ invasor magnum Celso metropolitano et cæteris comprovincialibus privilegium fecerat. Ipsum vero Montanus sacrorum canonum zelator eximius e sede injuste occupata expulit juxta canon. 6 ejusdem concilii Nicæni, quo cautum erat, eum qui præter sententiam metropolitani factus fuerit episcopus, episcopum esse non debere. Tamen non ita acriter in eum animadvertit, quin episcopalis ordinationis ac dignitatis rationem habens tria illi municipia in eadem diocesi designaverit, quorum curam gereret, simulque ex eis congruam caperet sustentationem.

Hæc cum ita essent, Palentini illius studiosi (nec enim sine multorum suffragio tantum facinus aggressus fuisset) preces Montano adhibuerunt, eum orantes, ut prædictum coepiscopum in Palentinam sedem restituere vellet; atque eam nos putamus esse petitionem, quam improbam vocat in hac epistola, ut pote quæ sacr. canon. severitati esset adversa : quod ipsum abs dubio in exemplaribus, quæ dicit ad eos direxisse, illis luculenter exposuerat. Atque ut simul intelligeret, quæ benigne cum illo actum esset, addit Montanus, se illa municipia non rationabiliter, id est, aliquo suo merito per motum illi assignasse, sed sola episcopalis dignitatis ratione adductum. Insuper, ne Palentini animum inducerent illa municipia ab Ecclesia Palentina in reliquum rescissa mansura, neve minister indulgentia elatus proprium se pastorem et non tantum delegatum putaret, adjungit, id solum illi dum viveret esse concessum.

Nec movet nos, ut ab hac conjectura recedamus, quod legimus Segoviam anno 589 proprium jam habuisse episcopum, qui concilio in Toletano subscripsit. Quanquam enim ea tunc fuerit Montani voluntas, ut illa tria municipia nullatenus ab Ecclesia Palentina sejungerentur, potuit tamen fieri ut Segovienses commodam nacti occasionem, illo primo episcopo vita functo, pastorem proprium sibi postularerint, qui ei succederet, idque non multo negotio fuerint assecuti; maxime cum Palentina diocesis ita amplissimis limitibus contineretur, ut ab uno pastore comode gubernari non posset. Multas enim hujus modi diocesium divisiones factas illo sæculo simili causa legimus in *Provincia Galitiæ*, ut contractioribus episcopatum terminis uniuscujusque gregis rationibus melius consuleretur. Atque hæc satis dicta sint, ut obscurissimum loco lucem aliquam, quoad fieri posset, adspargeremus. Interea nihil nobis arroganter assumimus, sed meliora ab aliis excogitari desideramus.

^b Loays., *effectum*.

^c Vilesis tom. III Collect. concilior. Card. Aguir

nobis erit Domini nostri exinde auribus intimare, A tanta etenim, tribuente Domino, ejus est pietas, ut pariter et filio nostro Ergani suggerere, et hujusmodi nihil de hoc quod jus antiquum custodisse probatur, ausum præcepta culminis ejus vel districtio judicis immutari permittat. Divina vos custodiat Trinitas. non sine vestro detrimento severissime vindicabunt : Amen.

VITA S. ELEUTHERII A GUIBERTO ORD. MINORUM ORDINATA.

(Ex Biblioth. PP. et ms.)

PROLOGUS. — 1. Reverendo patri ac domino ^a Joanni, Dei gratia venerabili Tornacensi episcopo, Guibertus, origine Tornacensis, professione Minor, merito minimus, ^b spiritu consilii tam sapienter armari, quam viriliter animari.

Petistis, domine reverende, ut actus et præconia gloriosi confessoris Christi Eleutherii vel ordinare debeam; vel diligentiori lima, vel meliore stylo præsentibus et posteris explanare. Pia petitio, per quam ætas posthuma tanti pastoris concelebrando perpetuet sanctitatem, et generatio præsens, ejus inherendo vestigiis, amplius inflammetur ad Dei et proximi caritatem. Hi sunt cibi quos in novalibus Patrum esse sacra pagina protestatur (*Prov. xiii, 23*), dum sanctorum exemplis posteritas informatur. Novi petitionis istius originem ex gloria Christi, qua mirificatur in sanctis, ex gratia speciali qua vestræ civitatis antistitem et patronum sincerius in Christo diligitis, ex providentia pastorali qua clero vestro consulitis, ex benevolentia singulari quam talis et tantus ad me homuncionem tantillum et pene nullum ostenditis, derivari. Quare me quasi compellitis aut garrere næniis, aut potius ineptire. Ego igitur dum in capite metetipsum introrsum metior, per incertos affectus distrahor et deducor. Nam inter sollicitudines continuas lectionum et inter labyrinthos inegressibiles quæstionum, sermonum paradigmata, consiliorum axiomata, quibus immergor et alteror assidue, durum

mihî scribere, durius tantæ dignitatis imperio contraire. Nam preces vestras cur imperium non appellem?

B Non quia nudato supplicat ense poteus,

Sed quia dudum inita familiaritas, concivilitatis indentitas, patria, parentela, sanguinis et affinitatis propinquitas, et cætera id genus, quæ vel reverentiam conciliant vel conciliatam continent, exigunt et requirunt, ut vestræ voluntatis affectum, vestri affectus appetens beneplacitum censere debeam imperium et præceptum. Hoc autem exsequendum utilius peteretis a personis pluribus ætate grandævus, fide claris, opere vulgatis, ore promptis, memoria tenacibus, omni denique sublimium meritorum dote potioribus, quos habetis ad manum tam de vestrorum canonicorum numero, quam de vestræ dioceseos diversis collegiis monachorum. Exsiliis enim eloquii mei mediocritas tenues admodum fruges parit, et ad tanti confessoris gloriam exprimentam, nullis secundi cespitis fructibus ingravescit. Ego igitur et fraudatus tempore, et occupatus animo, cui magis est humilitas appetitui, quam verborum urbanitas voluptati, vel historica narratio consuetudini, facio quod jubetis, offerens seriem vitæ sancti pontificis, et officium cum suis appendiciis, sicut ex parte vestra rogatus fueram, mitto vobis, et ut apertius tenor pagine videatur, sub certis, si placet, ^c titulis distinctatur.

^a Waltero episcopo 26 Novemb. anni 1261 mortuo successit Joannes Buchiavus, vita functus 25 Februarii anni 1266.

^b Sequentia desunt in excuso; eorumque loco habetur sal.

^c Hos hic subjungimus, ac margini dein nuda capita ascribimus ^d, cæterum more nostro distinguimus. In hæc ergo capita auctor distinxerat:

Cap. i. De origine civitatis Tornacensis.

Cap. ii. De advenu et prædicatione B. Piatî apud Tornacum.

Cap. iii. De reliquiis et semine B. Piatî et ortu B. Eleutherii.

Cap. iv. De bona indole B. Eleutherii.

Cap. v. De proscriptione fidelium ac B. Eleutherii a Tornaco.

Cap. vi. De promotione B. Eleutherii in episcopum Tornacensem.

Cap. vii. De Blanda, quæ sollicitavit episcopum, et de morte et resuscitatione ipsius.

Cap. viii. De modo conversionis populi Tornacensis ad fidem per B. Eleutherium.

Cap. ix. De miraculis factis illo tempore per B. Eleutherium.

Cap. x. De miraculis factis in ostensione reliquiarum

sanctarum, cum Roma rediisset Sanctus.

Cap. xi. De conflictu quem habuit cum hæreticis.

Cap. xii. De insidiis et plagis, Sancto per hæreticos illatis.

Cap. xiii. De verbis et exhortationibus ejus novissimis.

Cap. xiv. De Satana, quem vidit adstantem, positus in extremis.

Cap. xv. De muliere cæca et muta per ipsum illuminata et curata.

Cap. xvi. De restitutione sedis episcopalis.

Cap. xvii. De revelatione B. Eleutherii et morte Theclæ.

Cap. xviii. De resurrectione filii viduæ.

Cap. xix. De morte mulieris et suscitatione juvenis in eadem solemnitate.

Cap. xx. De aliis miraculis eodem die factis.

Cap. xxi. De ligatione S. Ferioli visitantis sepulcrum Sancti.

Cap. xxii. De solutione ejusdem per B. Eleutherium et morte tribuni.

Cap. xxiii. De suscitatione tribuni

Cap. xxiv. De relatione corporis a Blandinio Tornacum.

^d Nos in notarum fronte cum cifris superioribus. Equ.

CAPUT PRIMUM.

Fabulosa origo urbis Tornacensis. Fides Christi a S. Piato illata.

2. Recensentes diligentius cosmographias et chronica temporum, gentium historias et annales, Tornacum Galliae Belgicae legimus antiquissimam et notissimam civitatem, quae potentia, nobilitate, gloria, super alias sibi finitimas singularem vindicat dignitatem: quae a mari contermina, dulcibus aquis¹ irrigua, frugibus copiosa, divitiis et deliciis est referta. Cujus ager diffusus in silvis, pictas in pratis, peculiosus est in pastoribus, et in pascuis pecorosus. Cujus fluvius, Scaldia dicitur, ipsam alluens et confluens, Galliam dividit et Germaniam, potestatem videlicet imperialem et regalem. Hanc siquidem civitatem Priscus² Tarquinius, Romanorum rex quintus a Romulo, decimo regni sui anno per Romanos aedificasse legitur, et sumptuosius consurgens aedificiis alterius Romae nomine censebatur. Anno siquidem centesimo quadragesimo tertio ab Urbe condita civitatis ejusdem aedificata sunt fundamenta, circa tempus illud quo sacrosanctum Domini templum a Chaldaeis succensum est, et Jerusalem civitas sancta per Nabuchodonosor est eversa. In diebus illis transmigravit Ezechiel, et rex Joachim legitur captivatus, et Romanorum rex Tarquinius interemptus. Successit eidem³ Servius, qui minore Romanus, quae nunc Tornacum dicitur, super centum viginti quinque civitates vel oppida sublimavit, ut ex iis census et tributa colligeret, quae Romanis postmodum destinaret. Sed insolens facta praeter multitudinem virium, anno 24 Servii regis desiit ab impendiis tributorum, et sic annis 40 ab ejus constitutione dicta civitas quievit in pace. Sed Romani missis legionibus in rebelles praerium suscitant, et post plurimos hinc inde congressus anno Servii trigesimo quarto sub onere tributorum pristino rependendo cum Romanis pacem sibi conciliant et reformant. Nec amplius dicta est secunda Roma, sed Hostilis civitas appellata est. Sed labente tempore cum regnaret Artaxerxes, qui regnum destruxit Aegypti, civitas Hostilis destructa est, et Eleazaro principante Judaeis, vicesimo sexto Ptolemæi regis anno reaedificata, Nervius appellata est. Prius altera Roma pro gloriae dignitate; secundo civitas

¹ Alias etiam cap. 1.

² Alias cap. 11.

³ Finibus diocesis ultra Brugas ad mare usque omnimoda protensis.

⁴ Scaldis fluvii praecipue, qui urbem secat.

⁵ Hinc initium datur fabulis de origine Tornacensi, quae ipsi Tornacensibus olim in deliciis erant, sed modo tam ab illis quam externis rejiciuntur. Eas fabulas revelationi Henrici Canonici, ut aliquam verispeciem praeseferrent, appositas fuisse diximus.

⁶ An huic adeo latum imperium, ac postea Julio Caesari, qui Romanorum primus in Belgicam arma intulit? Augustis adhuc terminis regnum Romanum sub Tarquinio conclusum.

⁷ Anno Urbis conditae 140 coepit Tarquinius regnare, ad annum usque 177, cujus regni tempore Judaei in captivitatem abducti sunt.

⁸ Servius regnavit ab anno U. C. 177 ad 221, sed intra regni Tarquinii limites.

⁹ Artaxerxes bellum in Aegyptum movit anno 2

A Hostilis a fortitudine; tertio Nervius a Servio Romanorum rege: sed prima littera mutabatur, ne fortasse servitutis elogio notaretur.

3. Cum autem precedente spatio temporis Julius Caesar ad obtinendam Galliam mitteretur, et in bellorum exercitiis occupatus per decennium moraretur,

Quem tenuit geminis bellantem Gallia lustris tandem de Gallia triumphavit, qui barbaras nationes et indomitas sublimavit. Nam

Cappadores Cilicasque feros Taurosque subegit,
Quem domitus cognovit Arabs, et dedita sacris
Incerti Judaea Dei.

Et ut egregius ille historiographus ait: Ejus post multam sanguinis fusionem paruit Gallia ditioni:

Nimiumque rebellis
Nervius, et caesi pollutus sanguine coctæ
(Lucan.)

Sicut manifestius legitur in secundo libro Julii Caesaris, qui inscribitur belli Gallici a se confecti. Iisdem vero temporibus Turnus rex Nerviorum populo praefuit: a quo civitas Tornacum nomen accepit. Quia sicut Turnus contra Aeneam, sic iste contra Julium fortiter dimicavit.

Post mortem Julii Caesaris regnante Augusto Caesare, anno imperii ejus quadragesimo secundo, anno ab orbe condito quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono, et ab Urbe condita septingentesimo quinquagesimo secundo, et a prima conditione Tornaci quingentesimo nonagesimo fere tertio, Dominus Jesus Christus in Bethlehem de Virgine nascitur, et secundo Neronis anno (videlicet circa annum ab incarnatione Domini quinquagesimum) a Romanis Tornacensis civitas restauratur.

4. Cucurrerunt apostoli, tam vitae prodigi quam laboris, ad exterarum nationes: Christum ubique terrarum disseminant: disseminatus germinat viros catholicos et fideles. Et dum secundum Prophetam (Isai. xxvii, 6) implem faciem orbis semine, purgantur zizania vitiorum; fruges exuberant morum et fidei disciplinae. Successerunt post apostolos martyres, confessores temporibus opportunis mundi tenebras illuminantes, radii veritatis fulgentibus. Sic enim ad illuminandam noctem vitae praesentis astra quaeque suis viribus in caeli faciem veniunt, donec in

olympiadis 401, U. C. 379.

Ptolemæo Philometore regnante, ab Antiocho Epiphane rege Syriae occisi sunt Eleazarus et septem fratres Machabaei, circa annum U. C. 586, et 168 ante Christum natum.

Sed annis 360, et amplius post obitum Servii.

Anno U. C. 696 Galliam provinciam obtinuit, ac sequenti domuit Nervios, quibus Guibertus errore tum recepto annumerat Tornacenses.

Et haec anilis fabula Tornacensium est, cujus nullum apud Julium Caesarem vestigium.

Hanc seriem annorum, quorum ne vel unicus recte ordinatur, refutare nolumus, quod a plurimis viris eruditus factum.

Q. Asinio Marcello et M. Atilio Aviola eoss. sive anno aere Christianae 54, mortuo Claudio imperatore successit Nero.

Acta S. Piati tum primo conditam tradunt urbem Tornacensem.

matutino Luciferum homines effulgere cernunt. Nocturnum etenim spatium dum descendendum succedentiumque stellarum cursibus illustratur, magno cœli decore peragitur; sic certe donec in matutino gloriæ Lucifer verus appareat, nox militantis Ecclesiæ sibi succedentibus erudita doctoribus rutilat et coruscat. Pro patribus ergo nati sunt filii, viri scilicet apostolici, qui sapientiæ luce perfusi, et fidei fervore succensi, diversa mundi climata sunt sortiti. Nam sicut Thomas sortitus est Parthos, Matthæus Æthiopes, Bartholomæus citeriorem Indiam, Andreas Scythiam, Joannes Asiam, Petrus Pontum, Galatiam, et cæteri cæteras illustrare provincias; sic postmodum Parisiensem populum ^a Dionysius cum sociis adiit, Lucianus Belvacensem expetiit, Ambianensem Quintinus, Suessionensem Crispinus et Crispinianus; Piatius vero populum Tornacensem. Qui cum esset nobilis genere, sed nobilior fide, Beneventanus origine, prædicator officio, dulcis eloquio, martyr desiderio, sed apostolus zelo, gentes indomitas, et incultas post multam prædicationis instantiam convertit ad fidei disciplinam. Regnantibus autem Diocletiano et Maximiano, post multa genera tormentorum, tandem præcisione capitis in eodem territorio Tornacensi meruit obtinere desideratum diutius bravium et coronam, relinquens post ejus martyrium filios et nepotes, quos per Evangelium in Christo genitos sære reddidit gloriæ participes, et fidei catholicæ confesores.

CAPUT II.

S. Eleutherii ortus, educatio, exsilium, episcopatus.

¹ 5. Igitur post hujus venerabilis beati patris excessum, procedente tempore, sed vitio succedente, gente multiplicata, sed non magnificata lætitia, magna pars populi Tornacensis revertitur ut canis ad vomitum, et veritatis deficiente doctrina, recrudescit infidelitas et peccatum. Et quoniam cum senio delicta nullatenus moriuntur, nec scelera temporibus obruuntur, nec oblivione facinus sepelitur; mutatus est status optimus, periit in Tornaco plurimorum fides, et sicut scriptum est (*Osee* v, 11), cœpit populus abire post sordes. Nam omnis arbor eradicabitur, quæ a Patre cœlesti (qui solus incrementum vegetabilibus mysticis tribuit) non plantatur: ergo ramis succisis, foliis excussis, fructibusque dispersis succisa est arbor typica Danielis (*Dan.* iv), intantum ut fugerent volucres in ramorum cacuminibus habitantes. Succisa est, non simpliciter extirpata, quia germen radicem ipsius perseveravit, et pullulavit in terra. Nam cum esset civitas idololatriæ ludibrio prostituta, vitiorum spinis obsita, repertus est in ea vir sapiens, fide conspicuus, doctrinæ Piatii sectator præcipuus,

¹ Alias cap. iii.

² Alias cap. iv.

^a Coluntur hi Galliarum apostoli, *Dionysius* 9 Octob., *Lucianus* 8 Januarii, *Quintinus* 31 Octob., *Crispinus* et *Crispinianus* 25 Octob.

^b Martyrium silent Acta hactenus data. Illud innotuit in Vita Eleutherii ex breviario Ms. Torna-

nomine Hirenæus. Hic dum suos posteros informavit ad fidem, sua sapientia liberavit a crimine civitatem. Iste est Hirenæus, qui confessus publice Christum, suscepto ^b martyrio inigravit feliciter ad triumphum.

6. Hic ^c filium re ac nomine Serenum genuit, qui divitiarum gloria, parentum potentia, veritatis sapientia, pietatis affluentia plenus fuit. Hujus uxor Blanda tam vero quam proprio nomine vocabatur, ut putares quia cordis serenitas et sermonis suavitas quodam spirituali conjugio ditarentur. Et quia arbor bona fructum bonum ex se producit, et quod patrem viderit facientem, filius idem facit, declinantes aliquantisper ad vesperam senectutis, dum ob cultum fidei propagandum vacant officio copulæ conjugalis, divino munere suscipiunt hæredem, tam honorum suorum quam pietatis ac fidei successorem. Filium autem jam in Christo renatum, et de sacro fonte susceptum, Eleutherium vocant, et quod esset futurus ornamentum sæculi, quasi nominis ^d interpretatione præsagiunt et designant. Nonne jam renovata videri poterat illa prædicta per angelum futura lætitia (*Luc.* i), cum Joannes natus est de justis parentibus et ætate provectis Elisabeth et Zacharia? ^e Regnantibus ergo Valentiniano et Marciano imperatoribus puer Eleutherius Tornaci nascitur, loco scilicet oppidano.

^f 7. Puer autem magistris traditus litteris imbuedus, adolescebat in gratia, crescebat in sapientia: Creatori caritatis ardorem, sibi castitatis decorem, proximis humilitatis honorem sedulus exhibebat: corde pius, ore sobrius, opere strenuus, vultu verecundus, gestu maturus, affectu devotus, affatu benevolus, vestitu modestus, graciosus in omnibus apparebat. Tantam in se demonstrans speciem honestatis, ut in exterioris dispositione hominis legi posset interioris habitus gratiæ et virtutis. Sic enim in exterioris domus vestibulo conjicitur facile bonitas interior quæ latet in domo. Inde est, quod Medardus, futurus postmodum Noviomensis episcopus, spiritu prophetiæ præventus, eundem fore prædixit episcopum Tornacensem, cum adhuc idem Eleutherius in scholis positus ætatem ageret puerilem.

8. Sed et hoc multum ejus laudibus proficit, quod inter malos puer bonæ indolis fuit. Sicut enim gravioris culpæ est, inter bonos bonum non esse; sic majoris est præconii inter malos etiam bonum esse. Inde Job magnis effertur laudibus (*Job* xxx, 29), quia frater fuit draconum et socius struthionum. Et de Loth dicitur (*II Petr.* ii, 8), quoniam aspectu et auditu justus erat, habitans apud eos qui de die in diem animum justi iniquis operibus cruciabant. Sic sanctus iste, in nationis prævæ et perversæ medio, sicut luminare lucebat in mundo, sicut scriptum est

censi.

^c Pronepotem appellat eadem Vita

^d Ἐπιθίπιος, ingenuus, generosus, liberalis.

^e Mortui sunt Valentinianus anno 451, Marcianus anno 457. Non sunt apposita nomina imperatorum in ms. aut aliis Actis, uti neque Franci antiqui solebant. Natus est S. Eleutherius an. 456.

in amoris Cantico (*Cant. ii, 2*) : Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Spina est inter spinas, inter inquietos inquietus, lilium inter lilia, inter disciplinatos pacificus; spina inter lilia, Saul inter prophetas : sed cum iis qui oderunt pacem erat pacificus, et sic lilium inter spinas.

¹ 9. Factum est autem in diebus illis, ut tribunus Scandinensis, qui et Tornacensi præerat civitati, congregatis senioribus populi, cum effrenata multitudo paganismi decerneret in communi, ut sine defectu conditionis aut sexus indifferenter omnes fidei Christianæ cultores ab urbe Tornaco cum ignominia pellerentur, et suis omnino possessionibus privarentur. Propelluntur igitur ad injuriam Christi Serenus et Blanda et unicus eorum filius Eleutherius ab urbe Tornaci, propriis nudati possessionibus, destituti prædiis et gloria temporalis. Sed virtutis exercitium, quod latuerat in prosperitate, magis ac magis innotuit in adversitate. Sic enim unguenta redolere latius nesciunt nisi commota : sic aromata ^b fragrantiam non expandunt, nisi fuerint igne succensa : sic grani siapis virtus nequaquam cognoscitur, nisi theca valide conteratur; non contritum leve est, contritum amplius inardescit et acrimoniam latentis energię vehementer ostendit. Sic in persecutione virtus animi declaratur : sic quod latebat in parentibus et filio, luculentius aperitur. Unde alia littera dicit (*Psal. xli, 9*) : In die mandavit Dominus misericordiam suam, et in nocte declaravit. Donum enim Dei gratuitum, quod in tempore serenitatis infunditur, in tribulationibus declaratur. Sed quid paleis ad triticum? dicit Dominus (*Jerem. xxiii, 28*).

10. Ut igitur disjungerentur et locis, qui disjungebantur et actibus, mota est persecutio quasi ventus. Et sicut invalescente ventorum turbine ventilatis paleis, et adulterinis granis, et vacuis jamjam rejectis, post regyrationes multiplices grana solida conglobantur ad invicem, ut unius massę quamdam inseparabilem faciant portionem, ^d sic a civitate regia eliminati christicolę et fideles, non divisi sed uniti, non contriti sed excitati, vividius glomerantur ad Eleutherium et parentes, et in loco, qui Blandinium appellatur, basilicam in honore B. Petri construunt et ædificant : ubi ad Serenum multi gentilium familiaritatis antiquę gratia, necnon et pro meritorum ejus excellentia confluentes, relicto gentilitatis errore, renati fonte baptismatis, idololatrię sordes abjiciunt, catholicę fidei cultum suscipiunt, ritum mutant.

² 11. Refulgente jam sole, qui prius erat in nubilo, serenitas aspiravit, cœtus fidelium in ecclesia congregato. Gratulabatur cœtus fidelium orthodoxorum,

videbantur rediisse tempora prophetarum (*I Esdr. iii*) cum sub Zorobabel reædificaretur templum. Quin imo, jucunda nos imaginatio protrahit ad Machabæorum consideranda tempora, cum Machabæi fratres suos dispersos revocant, leges lapsas erigunt, renovant cæremonias, mundant sacra, damna longę desolationis eximio virtutis compendio redimentes. Recolamus Ecclesię nascentis infantiam, pauperum Christi statum, videbimus consimilem humilitatis modulum, a quo sumpsit ecclesia Tornacensis exordium et progressum. Non de lateribus ejus arvina pendebat, quando nullus proprium aliquid asserebat. Sed ne plebs humilis velut acephala per licentię campos vaga, vel ^e tetre per hæreses dyscola periculis subderetur, Theodorus in primum episcopum Tornacensem a paucis fidelibus confirmatur. Sed ^f interitii divino percussus spiculo, paucorum dierum tempore evoluto. Sic per apostasię vitium primus angelus corruit; sic Saul primus Hebræorum rex propter peccatum inobediencię reprobatus fuit (*I Reg. xv*) : sic primus episcopus Tornacensis ultione divina percellitur, ut secundum Sapientis eloquium pestilente multato parvulus sapientior habeatur (*Prov. xix, 25*) Nam cum exiguo concedatur misericordia, potentes potenter supplicia patientur. Sed qui sedes superbiorum evertit, et humiles pro eisdem constituit, Eleutherium in episcopum eligi procuravit, et ejus electione confirmata per ^g summum pontificem, gratuito consecratus est in episcopum Tornacensem post Theodorum ^h.

CAPUT III.

Mortua a S. Eleutherio resuscitata; cæci, claudus, leprosus sanati; Tornacenses ad fidem conversi; peccatum Chlodoveo regi indicatum.

³ 12. Sublimatus Eleutherius infula pastorali, bonis operibus implevit pontificem, cujus officium mereri magis studuerat quam mercari, vivens ordinabiliter sibi, socialiter proximo, sed humiliter in præsentia Creatoris : compositus ad mores, fervidus in dilectione, mansuetus in societate, stabilis in promisso, fortis ad patientiam, pronus ad concordiam, rigidus ad censuram. Erat enim in judiciis rectus, in jubendo discretus, in dispensatione industrius, in agendo strenuus, in auxiliando sollicitus, in consiliis fidus, in responsionibus circumspectus. Qui dum oratione sua reficeret quadam ⁱ vice spiritum, ecce vesana quædam tribuni filia Scandinensis, quę latenter eum dilexerat, ab antiquo vexata spiritu libidinis opportunitatem nacta solitudinis, verecundię tollens signaculum, irruit in secretum locum, interrumpit illud divinum alloquium. Proh odor! Fatetur affectum,

actibus, mota est persecutio in Christianos. Desunt in ms.

^e Excusum, terrę.

^f Passim fulmine percussus, et ob superbiam, volunt. Aliqui laudant, Catullius ait tradi etiam martyrem obiisse.

^g In aliis Actis Romam profectus dicitur.

^h Anno 487.

ⁱ Excusum, luce.

¹ Alias cap. v.

² Alias cap. vi.

³ Alias cap. vii.

^a Excusum, Scandiensis; alibi, Scandiniensis et Scaldiniensis, ad Scaldim fluvium.

^b Excusum, fragrantię non extendunt.

^c Editio vulgata, et in nocte canticum ejus.

^d Repetantur in excuso hæc verba ante posita : Ut igitur disjungerentur et loca qui disjungebantur et

petit concubitus, turbat in pontifice pecto is sabbatismum. Sed ecce alter Joseph, qui relicto pallio fugit, et egressus est foras, relinquens femine vestem, ne relinqueret castitatem. At illa protecta pallio, postquam eam salubriter pontifex sanctus admonuit et corripuit, spiritum exhalavit.

13. Audiens tribunus filie miserabilem obitum obstupescit. Sed si Christi fidem vero corde profiteri voluerit, B. Eleutherius de divina confusus misericordia, suscitandam ejus filiam repromittit. Annuat pater, et celebratis ex more missarum solemnibus, terram sanctus baculo percussit pastorali: et dum patri fidem facere super promisso nititur, factus est terræ motus horribilis. Quid plura? Patris infidelitas certis indicibus aperitur. Pernoctans igitur sanctus in oratione, mane coeptum aggreditur. Sed iterato terræ motu patris infidelitas confirmatur. Qui compunctus ad tempus tertio redit, pedibus pontificis se prostravit, reatum aperit, fictionem ostendit, recipit filiam in Christi nomine per B. Eleutherium suscitata. Quæ catechizata fidei rudimentis, sexque dierum purgata jejunio, regeneratur in Christo; quam Blanda venerabilis mater episcopi de sacro fonte suscepta, Blandæ nomen eidem imposuit. Quæ tribuni filia postmodum Blandinium nomen dedit. Hanc pater ad infidelitatem rediens, multis affecit molestiis eo quod esset fidelis. Sed virgo Christum lucrificans, patris abdicacione ereptum sibi patrimonium parvipendens, perseverans in fide, quæ quæviit in pace. Sepulta in villa Blandinii pridie calendis Junii ante B. Petri sacrarium et altare.

14. Volens autem Dominus generare sibi populum substantivum, corripuit Tornacenses peste mortis subitæ, qua percussit ibidem aliquos paganorum. Latere vulnere signa, nesciebatur effectuum causa; sentiebatur funerum poena, quærebatur inefficax medicina. Nam quodam noctis crepusculo cum armis Blandinium pergunt, sanctum orantem inveniunt, catenis vincunt, Censorino Cæsari tribuno sistunt, ter virgis cæsum incarcerant et reludunt. Sed eadem nocte visitans eum angelus, eidem assistit, fores carceris aperit, viam qua Blandinium pergat, ostendit, vincula dirumpit, vincit educit.

15. Eductus gratias agit, et diem postmodum missarum vacat solemnibus, factus in exstasi, positus in excessu mentis, obsecrat pro tribuno, Deum precibus sollicitat pro salute populi Tornacensis. Constitutus est in illa mentis affectione, et experta paucis orationis dulcedine, quæ sensum humanum omnino transcendit, quam nec sonus vocis, nec lingue motus, nec enuntiatio verborum ulla distinguit. sed quam devota mens infusione cælestis illustrata luminis, angelicis non humanis designat eloquiis, sed conglobatis in unum sensibus, et mortificatis affectibus, velut de

A quodam fonte copiosissimo ubertim effundit. Quam dum offert sanctus pontifex in ministerium holocausti statim refert xenium in signum muneris impetrati. Nam promissione mox certificatur angelica quod ejus oratio est exaudita.

16. Ergo quia per omne flagellum Jerusalem eruditur, et per vexationem intellectus acies aperitur, mox super paganos manus Domini pestem exaggerans aggravatur. Prodire non possunt in publicum, coguntur dæmonia negare responsum, finaliter decernunt gentiles tribunum occidere, si non in omnibus voluerit Eleuthero consentire. Qui venientes ad sanctum, lacrymis fuscis, prosternunt se pedibus sancti pontificis. Impletum est illud Isaie vaticinium: Venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, et qui detrahebant tibi, adorabunt vestigia pedum tuorum (Isai. lx, 14). Post hæc indicto septem dierum solemnibus jejunio, die octava tribunus et populus induti saccis, exeunt de Tornaco. Quos numero signatorum et electorum sanctus ascribit caractere baptismatis et fidei sacramento. Nam volentes de tenebris prodire ad lucem, et amplecti suavissimam Christi legem, suæ conversionis primitias baptismali lavacro necesse est consecrari, quatenus in novam animæ innocentiam et vitæ infantiam renascantur in aquis regenerationis deposita vetustate peccati. Celebrata est ergo cum gaudio illa solemnitas quinto calendis Octobris, cum a gentilitatis errore per Eleutherium conversus est ad fidem catholicam populus Tornacensis. Hæc est dies, quam nulla debet delere oblivio, sed exuberare vox laudis et gratiarum actio; cum tam indignatione quam miseratione conversa est tanta populi multitudo modo mirabili et stupendo, sicut scriptum est (Isai. lx, 10): In indignatione mea percussi te, et in reconciliatione mea misertus sum tui. Sanctus ergo pontifex post hæc ingreditur cum gloria civitatem, quem populus universus excepit cum debita reverentia sicut patriæ defensorem.

17. Latuerat diu lucerna sub modio, quæ jam posita super candelabrum coepit amplius illustrare domum. Nam dum ex pii pastoris præsentia populus gratulabatur, crescit amplius exultationis materia, quia cæcus adductus ad pontificem illustratur: et infusa sibi luce fidei cæcitas interior emundatur. Cæcum etiam alium, nomine Mantilius, in die dominici Natalis illuminat, qui destitutus temporali stipendio, desolatus ductoris suffragio, petens elemosynam in ecclesia mendicabat. Increpatur ut lateat a prætereuntibus: misero compatiens sanctus cæcus, proposita cæci illius evangelici parabola (Luc. xviii), qui rogatus ut taceret, clamabat amplius, signo crucis oculis ejus impresso, restituit ei visum: et die quo lux vera venit in mundum ad illuminandum omnem hominem, sanctus, qui testimonium perhibe-

¹ Alias cap. viii.

² Alias cap. ix.

³ Ms., abdicacionem et ereptum.

⁴ Post plenam patris conversionem, ab eo sepulta, ut alii tradunt.

⁵ Ms., pridie idus Junii.

^d Ms., xenium, donum hospitale, ut xenium, cui more Gallico e præponitur. De eo legendus Rosweydeus in Onomastico.

^e Excusum, cæcus. In aliis agitur etiam de cæco illuminato.

^f Idem, raritas

bat de lumine, oculos cæci aperuit, ut exterius perderet cæcitatem, et interius agnosceret veritatem. Claudum etiam a nativitate sanctus ^a virtuti restituit progressivæ.

18. Peritus quidam nomine, lepra percussus, et velut abominabilis ab omnibus est contemptus. Hic jacebat ad januam ecclesiæ, quæ tunc temporis dicebatur Mantilia, præstolans electum Dei pontificem, ut ab eo sacramentum regenerationis acciperet, quem exspectaverat per dies circiter quadraginta. Quem sanctus aspiciens, et compatiens regeneravit unda baptismatis, et carni contulit beneficium integræ sanitatis. Qui gratia sanctitatis effulgens, a B. Medardo postmodum primus abbas institutus est civitatis. Diffundebatur ergo magis et magis odor boni nominis ejus ad vitam gentium: lux claritatis ipsius Ecclesiæ replebat hemisphærium.

19. Cujus fama compulit Ludovicum regem, ut intraret præsulis civitatem. Ipse etiam est Francorum rex Ludovicus primus a B. Remigio baptizatus. Delectabat eum mirabiliter audire prædicantem Eleutherium, et memoriter retinebat sermonem sapientiæ sale conditum. Hic peccatum post lavacrum baptismi commiserat quod confiteri verecundia prohibebat. Quod sanctus videns in spiritu regi detulit. Rex pudore suffusus et lacrymis, illico reatum cognovit, et obsecrans rex ut inter missæ solemnia sanctus ejus fieret advocatus, pro ipso veniam impetravit, sicut rei probavit eventus. Nam mane consecrans Dominici corporis et sanguinis sacramentum, lucis in ecclesia claritas fulsit per unius horæ spatium, ubi per ministerium angelicum sanctus accepit qualitatis culpæ notitiam, et quantum ad veniam, certitudinis argumentum. Certificatus ergo rex per scriptum ab angelo revelatum tam de culpa quam de venia, Deo gratias agens et ad propria remeans, sancto Dei contulit gratuito multa dona. Sic ergo lucerna super candelabrum posita fulsit miraculis, qui postmodum diffulsit amplius sæcularibus documentis.

CAPUT IV.

S. Eleutherii itinera Romana, synodus habita, oppugnati hæretici, vulnera illi ab his inflicta.

¹ 20. Quoniam, ut ait Apostolus (*I Cor. xi, 19*), hæreses esse oportet, ut qui a Domino sunt probati fiant et hominibus manifesti, surrexerunt in diebus illis hæreses, unitatem divinæ essentiæ, mysterium incarnationis Filii, processionem Spiritus sancti destruentes. Post verborum autem jurgia, corporum

Alias cap. x.

Alias cap. xi.

Idem, progressui.

Gelasio 19 Novemb. anni 498 defuncto successit Anastasius: sub hoc convertit Tornacenses ac postea hæresis accessit, ut Acta alia habent.

^a Ms., exiliatibus.

^d Exorta est post concilium Chalcedonense, contra quod Eutycheti favebant non admittentes duarum in Christo naturarum distinctionem. Acephalis adjunctus est Anastasius imperator, cujus tempore sederunt Anastasius, Symmachus, Hormisdas.

A verbera sequebantur, ita ut multi catholici per hæreticorum violentiam et insidias in Schalde fluvio necarentur. Decimo siquidem ordinationis suæ anno, presidente papa Anastasio, ^b Gelasio jam defuncto, dyscolos reduxit ad fidem, et incredulos ad catholicam unionem: et quia frequenter erumpit in regulum quod occultius est confotum, quartodecimo sui præsulatus anno videns viperam sobolem matris Ecclesiæ viscera dividentem, et contra divinitatem unigeniti Filii Dei ^c toxicatis linguis inverecundius oblatrantem, Romæ jam præsentem Symmachum adiit, sermones catholicos eidem obtulit, et susceptus ab eodem honorifice, reversus ad natalia confudit hæreticos et convertit.

21. In diebus autem illis invaluit ^d Acephalorum hæresis: revertitur pontifex Christi Romam, et anno præsulatus sui ^e vicesimo quinto, mortuo jam Symmacho reperit ^f præsulantem Hormisdam cum quo super Ecclesiæ suæ negotiis benigne contulit, et a papa reliquias venerabiles, Mariæ scilicet Ægyptiæ, cum B. Stephani protomartyris humero, pius pastor impetrans, has ad natalia deportavit, et dum reverteretur, occurrenti sibi Tornacensi clero et populo cum debita veneratione, montem S. Andreae, qui tunc dicebatur mons Thesauri absconditi, legitur ascendisse; et cum reverenter ostenderet reliquias populis qui aderant universis, circumfulsit eas immensitas claritatis: et laborantibus in turba duabus mulieribus et quatuor viris ægritudine quæ vulgo dicitur sacer ignis, ante viros posuit protomartyris humerum, ante mulieres vero caput Ægyptiæ gloriosum.

Procuere omnes, in æntique ora tenebant

et excitans sanctus populi multitudinem ad orandum, sanctos obsecrat, ut succurrant, protestatus cum fiducia, non cessaturam ab oratione multitudinem, donec curati fuerint qui laborant. O mira viri constantia, procedens de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta! Vere omnia possibilia sunt credenti. Unde ad tantæ vocis efficaciam sunt omnes communiter liberati. Ecce data est voci suæ tanta virtutis efficacia, quod caro quam ægritudo corroserat, quam erysipelas consumpserat, est etiam (dictu mirabile) continuo restituta.

¹ 22. Jam tempus advenerat, jam meritum dignitas exigebat, ut post multiplicem pugnæ victoriam, vocaretur miles emeritus ad coronam. Sic enim ex legis civilis justitia ascripti milites sacramento, pro republica fideliter militantes, olim expletis armorum

^e Hæc in prioribus Actis referuntur ad Symmachum aut loco 25 legendus est 30 aliusve annus, aut certe aliud iter instituit anno 25 ordinationis.

^f Ita Lanfrancus, archiepiscopus Cantuariensis, præsulantibus antecessoribus suis, possessiones quasdam in sua tenuisse possessione dicitur in Vita Gundulfi Roffensis episcopi apud Seldenum, in notis ad Eadmerum pag. 197, lin. 7. Hinc præsulatus, qua voce usi Eucherius, Beda alique, ducta a Latino præsul, qui primus erat Saliorum. In excuso positum præsulantem.

exercitiis, legitimis stipendiis solvebantur, et prædiis unde viverent assignatis eisdem, tandem ad propria mittebantur. Certamen tamen forte dedit ei Deus, ut vinceret, et finis gloriosior appareret. Jam quadraginta ferme laboraverat annis in officio regiminis pastoralis. Novem siquidem annis Ecclesiam Blandiniensem, triginta et uno rexerat Tornacensem. Resuscitavit ei Dominus adversarios pertinaces hæreticos, catholici dogmatis et Christi nominis inimicos. Sed quoniam in animarum grassabantur perniciem, pastor bonus eorum non ferens inquietudinem, ex decreto summi pontificis pepulit a septis et nænibus civitatis eos duntaxat qui redire nolebant ad ecclesiasticæ gremium unitatis. Sed ne pœnam propriæ iniquitatis ascriberent sævitæ potestatis, ut Scripturarum auctoritas frontes obtereret impudicas, diem ad disputandum de fide catholica statuunt, synodum episcopus convocat, ut hæreticos superet et confundat, et confusis indicat silentium et imponat. Convocatis igitur utrimque partibus, exurgens in medium, et manu silentium indicens, fidem confitetur catholicam et exponit publice pastor bonus.

23. Exponit enim qua veneratione Deus Pater dicitur, quo sacramento Jesus Christus Dominus noster ejus Filius habeatur, qua perfectione sanctus ejus Spiritus nominetur, quomodo beata Trinitas unum in substantia, sed et ipsa personaliter est distincta, quis partus Virginis, quæ Verbi in carne nativitas, quod sacramentum crucis, quæ utilitas divini ad inferos descensus, quæ resurrectionis gloria et animarum de inferis captivitas revocata, quis etiam ascensus in cœlum et expectatio Judicis affuturi, quid Ecclesia, quæ adversus eam conventicula variatæ, quæ peccatorum remissio, quæ carnis resurrectio, quæ vita æterna, quis interitus sempiternus. Hæc autem omnia diffusius prosequitur sermo ejus. Quid plura? Fidem unanimiter catholici confitentur, hæretici confunduntur, confusi fugiunt, et ad argumenta nequitæ se convertunt. Dedit ergo certanti victoriam, qui certandi dederat audaciam, et vincendi fiduciam. Sic ergo Goliath robustum terribilibus armis et ingenti forma munitum pastor David uno lapidis ictu prostravit, exterorum castra turbavit, Allophylos effugavit. Jam enim septuagesimum primum agebat annum, cum adeptus est triumphum.

24. Vulpes Samsonis etsi facies legantur habere diversas, habent tamen caudas ad invicem colligatas (Jud. xv, 4). Videntes autem filii damnationis æternæ quomodo procedentē temporis tractu catholicorum Ecclesia Tornacensis meritis et virtute floreret, et eidem de die in diem prosperitas arderet, collegerunt concilium adversus Eleutherium, quomodo eum dolo tenerent et occiderent, et periret. Dicebant enim: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, probo ducimur, contemnimur, exsufflamur: venite, occidamus eum, et eo mortuo dilatabitur nomen nostrum. Factum est igitur verbum

in illis diebus, quod qui audierit, tinniant aures ejus. Exierunt in dolo viri sanguinum et dolosi, et unanimiter impetum fecerunt in ministrum altaris, sanctum pontificem, Christum Domini, civem cœli. Cætera quis prosequatur siccis oculis? In manibus eorum vasa mortis, latebræ mentis hominibus post anguli latebras occultatis. At pater Eleutherius Christi hostia mox futurus, annorum numeros meritorum titulo jam grandævus pariter et præclarus (agebat enim septuagesimum sextum annum) cum ^a Athanasio diacono et Andoeno fidei discipulo, B. Mariæ Virginis egrediebatur templum. Et ecce generatio prava atque perversa, semen Chanaan et non Juda, viperarum progenies, scelestæ factionis satellites caput illud angelicis reverendum aspectibus non verentur profundis vulneribus arare, sulcare et ^b verrere, et faciem illam ad cœlestis pulchritudinis figuratam imaginem notis turpibus deformare. Quid parricidæ nefarii, quid fraudulenti sicarii, virum egregium de grege catholicorum eximitis, qui per incensam deprecationem allegans paulo ante serventer obsecrabat in templo pro vobis? Sed illi minutatim ictibus iteratis et plagis impositis cultorem in vinea, pontificem ante ecclesiam, patronum in fundo, pastorem in caulis, patremfamilias in suo prædio relinquentes seminecem abierunt, et, ut conformarentur Dominicæ passioni, discipuli, relicto pastore, fugerunt.

25. Audiens ergo quod factum est Censorinus, in maleficos vehementius excandescit, et eos sublaturus de medio truculentissimo crucis tormento proponit. Publicæ namque justitiæ interest ut crudeli supplicio deleantur qui nec Deum timent, nec Ecclesiæ deferunt, nec sanctos diligunt, nec censuram canonum reverentur. Sed o mira patris et inolita pietas! Dei Filium imitans pro malefactorum salute judicem deprecatur, qui tandem ejus precibus et reverentia temperatur. O quantus luctus fidelium! quanta præcipue lamenta et gemitus egenorum! Lugent promiscui sexus viri et femine, plangentes commune discrimen omnium, imo et proprium singulorum.

CAPUT V.

Extremus S. Eleutherii morbus, mors, miracula.

26. Flebat ergo Rachel filium uteri sui, nec poterat consolari.

Nam quis eam nisi mentis inops in funere nati flere ve. et?

In illis præcipue cruentis exsequiis, quibus debet et compassionem animus, et irrigationem oculus, et ultionem judiciaria manus. Defertur pontifex in sanguine suo manibus bajulorum ad domum propriam, in locum, quem supra diximus, oppidanum. Jubet stratum sibi construi cilicinum, et quinque supervivens hebdomadibus, ut sanctitas ejus excellenter emineat, in illo temporis intersitio cæcum illuminat, afflictos et affectos variis ægri tudinibus plures sanat. Et jam in spiritu præsciens mortis suæ, cum viciniam

¹ Alias cap. xii.

² Alias cap. xiii.

^a Excusum, Anastasie.

^b Ms., u. scere.

corporis resolutionem attenderet, indicavit adstantibus suum exitum imminere, et eadem hebdomada se de carcere corporeo, de carnis ergastulo migraturum, sicut experientia declaravit per evidens argumentum.

27. Videns ergo quod transiret de hoc mundo ad patrem, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos, verba promens in mortis articulo super mel et favum prædulcia. Monet eos super unitate sectanda, pœnitentia facienda, castitate diligenda, patientia acquirenda, vanitate sæculi contemnenda, et post morum exhortationem subnectit verbis prolixioribus utilem de Divinitatis et humanitatis fide sermonem. Mox inter dolores corporis et mœores mentis, velut in quodam meditullio constitutus, gemitus fudit et fletus; et in se quidem corpore patiens, Ecclesie vero corde compatiens, conversus ad Dominum fidem suam verbis igitis recitat, pro amicis et inimicis Deum obsecrat; Ecclesiam Tornacensem, et eos qui specialiter et devote tenerent eundem in memoria Domino recommendat. Vidisti, inquit, Domine, agonem meum, nosti desiderium meum: ego enim jam delibor, et viam universæ carnis ingredior: tempus est ut terræ commendes, Domine, corpus meum. Sicut cervus desiderat aquam fontis, viator finem itineris, servus remunerationem operis, ita sanctus perfrui conspectibus Salvatoris. Nonne nobis dixisse videtur hoc verbo cum tenderetur prolixior ejus agonia, desiderio feror, corporea mole retrahor? Hanc sarcinam tempore prolixo portavi, diu super populum mihi creditum vigilavi: vellem ab hac obedientia liberari, gravi nimis indumento, quod gesto, exspoliari, subtiliore vestiri: in te, Domine, confido, te videre desidero, te requiro, te semper in terra positus colui, cui me tota dilectione devovi: libera me, Domine Deus meus, qui es in sæculorum sæcula benedictus.

28. Et ecce mox certum exauditionis indicium, per aspectum scilicet et auditum. Fulgor enim magnus apparuit: vox de cœlo velut alarum aquilæ sonuit: Eleutheri, tua est exaudita deprecatio, dignus est enim operarius cibo suo; Trinitatem catholice colaudasti, viriliter et sollicitè decertasti: nunc vero finaliter exauditionis efficaciam reportasti; quod cœpisti, perfice serve meus, ne post bonum finem ducatur in irritum. Liber bonus evacuabitur, sed restaurabitur, in ignis incendium jacietur, sed voluntas Domini est, ut post hæc Ecclesie reveletur. His dictis, vox audita cum claritate visa disparuit. Sanctus autem in gratiarum actiones mirabiliter mox erupit. Quas qui videre desiderat, sermones ejus, quos propriis locis factos causa vitandæ prolixitatis omisimus, diligenter legat.

29. Sollicitudine non pigros semper legimus existisse sanctos; et, quoniam hæreticorum sermo serpit ut cancer, libros et sermones multiplices construxerunt, ne fidei vallum irrumperetur, vel pertinaciter, vel latenter, et ideo per documenta sancto-

A rum firmum stat fidei fundamentum. Inde est quod beatus pontifex Eleutherius in extremis agens et accersiens Andoenum, jubet ut post ipsius patris excessum dilectus filius Romani acceleret, et munimenta fidei, quæ sanctus confecerat, summo pontifici Bonifacio repræsentet. Et iterum conversus ad orationis dulcedinem, vidit a sinistris Satanam assistentem. Volebat enim interrumpere sermonem orantis, vel terrore suæ præsentis conturbare spiritum exeuntis; sed funestus ille furcifer apparebat in irritum ei duntaxat, in quo nihil reperturus erat proprium vel funestum. Quem sanctus objurgans verbis, confusum expellit ostenso sanctæ crucis signaculo. Hinc monemur, fratres, ut, cum extrema debiti finis imminet hora, exercere nos debeat oratio continua. Si enim ad ignota vel longe posita loca nos in hoc mundo transire disponimus, modo nos proximorum orationibus commendamus, modo nos ipsos in ipso protectionis articulo continua lacrymarum inundatione perfundimus, obsecrantes Deum, ut placidis itinerum congressibus properemus. Et si nos tam studiose manentes adhuc in sæculo istud agimus, quanto studiosius in fine talia facere nos debemus?

30. Unde et beatus præsul incessanter orabat ad Dominum, recommendans in manus ejus spiritum suum: et percepto corporis et sanguinis Domini sacramento, corona laufeatus inaccessibili, cum immenso lumine, cunctis qui aderant videntibus et gaudentibus, transiit invitatus ad epulas paradisi. Sic pretiosa margarita quoniam ab hominibus conculcata, nunc thesaurizatur in cœlis, honoratur ab angelis, fruitur præsentia Trinitatis, digna thesauro regio, digna palatio, digna cœlo: nec amplius ergastulo clauditur, paupertate premitur, exsilio relegatur, sed libere contemplatur. Hic est enim B. Eleutherius, proprius apostolus Tornacensis evangelico ministerio, martyr sanguine proprio. Martyrem enim causa facit et pœna: causa fuit in eo martyrii libertas fidei catholice, pœna fuit acerbitas passionis illatæ. Confessorem eum nihilominus reddidit rigor abstinentiæ, vigor pœnitentiæ: Virginitatis puritas, et carnis integritas, quibus emicuit gratiose, nunc vero floret in patria gloriose.

31. Hujus corpus sepulturæ tradidit gloriosus pontifex Noviomensis et confessor Christi Medardus, eadem in Tornacensis populi regimen proxime successurus, et solemnibus procuratis exsequiis, quæ magis sunt vivorum solatia, quam subsidia mortuorum, illud venerabile sancti Spiritus organum de communi consilio in B. Petri Blandiniensis ecclesia est sepultum: ut, qui fidem puer inter infideles tenuit, adolescens eandem docuit, pro qua veteranus occubuit, in illius tumularetur ecclesia, cujus fides perseverabit in sæculum illibata.

32. Vere pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum, sicut in die depositionis confesso-

catum ab Heydilone episcopo, et post elevationem corporis ac miracula tunc facta narratur, et melius. Nam S. Eligius et Amandus sæculo septimo floruerunt, ac mortui sunt, ille anno 665, hic anno

¹ Alias cap. xiv.

² Alias cap. xv.

³ Hoc miraculum in Vita Eleutherii ex mss. Cornelii Dugny et Tornacensi dicitur scriptori ind-

tris Christi factum est manifestum. Quædam enim mulier cæca et muta, dum ante altare ducitur, ducta dimittitur, dimissa soporatur, soporata curatur. Soporata siquidem modicum, visionem vidit, quæ aurem exterius eidem aperuit, dum revelavit interius intellectum. Quid plura? Locutionis usum mulier recuperavit et visum. Apparuit enim mulieri gloriosus pontifex Eleutherius cum Christi martyribus Nicasio et Piato, sanctisque confessoribus Eligio et Amando; qui signum crucis mulieris impressit oculis, et quasi baculum igneum ori ejus injiciens, curavit ægritudines patientis. O Christi confessor et martyr, merito venerabilis Eleutheri, qui gemino gratiæ privilegio militantem Ecclesiam illustrasti, fragilitatis nostræ defectus oculo respice pietatis: et tui præsidio patronatus, nostros, pater, expone gemitus ante divinæ præsentiam majestatis, ut exuti tunicæ mortalis onere, liberati concupiscentiæ carnalis inquietudine, tui simus participes bravii et coronæ, præstante Domino Jesu Christo, cui cum Patre et Spiritu sancto est omnis honor et gloria sine fine. Amen.

¹ 33. Regimini Tornacensis Ecclesiæ venerabilis Christi confessor et pontifex Eleutherius annis quadraginta quinque legitur præfuisse qui naturæ soluto debito, cælo quoque reddito spiritu, fidelem meruit habere successorem, beatum scilicet Medardum Noviomensem episcopum, quem, dum adhuc viveret, debilitate contractus et senio, ² pro consecrandis ecclesiis et ordinibus celebrandis habuerat adiutorem: et sic procedente postmodum prolixioris temporis spatio, præfuit unicus tantum pontifex in Noviomio pariter et Tornaco. Annis enim amplius quam sexcentis proprio viduata pastore legitur civitas Tornacensis. Sod benedictus Dei Filius, qui dispendiis compatitur animarum, dispersos colligens, et lapsos erigens secundum modum et ordinem opportunum. Anno siquidem incarnationis Dominicæ millesimo centesimo quadragesimo sexto, præsidente papa Eugenio, patrocinante B. Bernardo, restitutus est proprius episcopus in Tornaco. Tunc enim Anselmus, ecclesiæ B. Medardi Suessionensis dudum monachus, merito famæ et vitæ conspicuus, cum jam pluribus annis abbatis gessisset officium in ecclesia B. Vincentii Laudunensis, Romæ ^b est in episcopum ab Eugenio consecratus, qui post restitutionem cathedralis regiminis in Tornaco primus dignitatem habuit infulatus; et sic divina gestum credimus esse Pro-

¹ Alias cap. xvi.

² Alias cap. xvii. 684, uti 6 Februarii ad hujus Vitam probavimus. In titulis capitum post præfationem positos interponebatur hic cap. xvi titulus: *De translatione corporis S. Eleutherii ad civitatem Tornacensem*, quod caput ultimo loco positum est, forsitan ab alio errore Guiberti emendante.

^a Hæc eadem ex chronico ms. Tornacensi refert Buzelinus: silent vetustiores scriptores. In excusa legitur, *pro conservandis*.

^b Dominica die medice Quadragesimæ. At bulla separationis episcopatum Noviomensis et Tornacensis exstat apud Cognatum lib. iv, cap. 46, data

A videntia, quod dignitas cathedræ Tornacensis in B. Medardo perita, per B. Medardi filium fuit Tornacensibus restituta.

CAPUT VI

Elevatio corporis S. Eleutherii, mortuus resuscitatus, ægri sanati.

¹ 34. Igitur in illius fluentis temporis intercapedine, quo duæ dicte dioceses leguntur unitæ, præsidebat Heidilo, vir multo præditus præconio, ^c vigesimus sextus a B. Eleutherio, cujus tempore grassata legitur Normannica rabies in ^d Tornaco. Temporibus autem dicti pontificis, mirificavit amplius Dominus sanctum suum: revelavit Christi fidelibus confessorum Eleutherium, non sustineus amplius ^e occultari tam venerabilis glebam corporis, tam pretiosum ærarium, tam nobile margaritum, et cujus spiritus jam gloria coronatus fulgebat in cælis, ejus corpus sepulture traditum, singulari gratia venustatum jam spirabat in terris. Factum est igitur, ut quædam Tornacensis matrona, nomine Thecla, nobilis genere, morum nobilior dignitate, dum purgatis sensibus cordis et mente quiesceret, et oculis corporis obdormisset, abriperetur in spiritu, et fieret in excessu. Videbatur enim sibi videre quasi per somnium hominem dealbatam, blandum, amabilem, alacrem et modestum: admonetur secretius ab eodem ut pergit Blandinium, repertura B. Eleutherii reliquias inter corpora sepulta sanctorum. Admonetur nihilominus ut eat ad episcopum Heidilonem, et eidem sibi factam referat visionem. Quæ dum differt exsequi quod jubetur, succedentibus noctibus, eadem sibi visio tertio præsentatur:

Thecla soror, quæ te suspensam insomnia terreat?
Non est insomnium vel somnium phantasticum, quod vidisti, sed magis describendum oraculo, vel verius limpiddissimæ visioni.

Hærent infixi pectore vultus

Verbsque, nec placidam membris dat cura quietem.

35. Quod igitur vidit tertio repetitum, factum est ei certitudinis argumentum. Mane facto Thecla consurgens aggreditur profectionem, exsequitur visionem, revelat Heidiloni pontifici visionem, convocantur præsules urbium vicinarum, celebrantur solemnia votiva missarum, et, oratione fusa ferventius, omnes tam promiscui sexus quam differentis status, cum timore reverentiæ ad locum veniunt destinatum.

Viterbi ix kalendas Augusti indict. 9, incarnationis Dominicæ, an. 1146, pontificatus vero domini papæ Eugenii anno 2.

^c Consule Galliam Christianam Claudii Roberti, a quo etiam xxvi statuitur Hedilo.

^d Chronicon de Northmannorum gestis ad an. 896 deductum tomo II Chesnei pag. 527 ad an. 880 hæc tradit: *Northmanni Tornacum civitatem et omnia monasteria supra Scaldis fluxum ferro et igni devastant, interfectis incolis terræ atque c. p. t. n. t. s. etc.* Cognatus pluribus calamitatem Tornacensibus illatam prosequitur lib. II, cap. 70.

^e Excusum, *occultum*.

Episcopi vero sarculos habentes in manibus competentes, quasi effodientes thesaurum, gavisii sunt vehementer, cum invenere sepulcrum : et, elevato corpore de sarcophago, geminatur lætitia tam in populo quam in clero.

36. Thecla vero percipiens revelationis suæ stipendium, orans eadem hora demigrans perrexit ad Dominum, postquam percepit a præsule Domini corporis sacramentum. O felix matronæ transitus, non interitus, de quo jocundatur imprimis sanctorum exercitus laurea coronatus. A facie quidem malitiæ justa collecta est et rapta, ne malitia forsan intellectum ipsius immutaret.

37. Dum sic jugis solemnitas tenderetur, ecce gaudii materia renovatur. Intravit enim mulier vidua, pro defuncto filio desolata. Quem cum misisset in agrum causa custodiendi pecoris, puerum dæmon impetiit, cujus erat similitudo et species ut leonis, qui de saltu procedens et rugiens, impetens et occidens, illico fugit, et in latebrosa nemora se recepit. Cognita mater misera tristis eventus serie, resoluta muliebri mollitie, gemitibus indulget et lacrymis, et crebris suspiriis intabescit, ut, etsi matrem nescias, matrem agnoscas : manifestat doloris affectum, et in modo dolendi lacrymarum excessum, et sicut Jacob, filium existimans a bestia devoratum, planctum agebat continuum. Puer unicus non comparebat, et ideo mulier solatium non habebat. Versa est solemnitas in mœrorem, in compassionem lætitia. Clerus et populus internum lacrymis egerebat dolorem, et indultis paulisper suspiriis, recuperata spei fiducia. B. Eleutherium deprecatur, ut ejus filius suscitetur. Compatiens clerus et populus, idem flagitabat votis et precibus. Vere secundum sententiam Domini (*Matth. xxi, 22*) : Impossibile est orationes plurimum non exaudiri. Benedictus tamen Dominus, qui post tempestatem tranquillum facit, et post luctum consolationem inducit : nubilo siquidem repulso tristitiæ, protinus introduxit serenum lætitiæ. Motus est terræ locus, in quo puer jacebat exanimis, et subito circumfulsit eum claritas immensa de cœlis. Resuscitatus est puer, lætificata est mulier, magnificatus est in populo gloriosus Christi pontifex et minister, et post ejus resurrectionem, qui mortuus fuerat aperire cœpit beati pontificis pietatem, et datam eidem a Domino cœlitus potestatem. Quid enim illius potentia potest objici, qui Omnipotentem concordem habet ejus per omnia voluntati? Quid enim mirum si sancti jam in anima Christo conformes effecti pro dispensatione præsentis circa res corporales mira faciunt, ipso præstante, cujus gratia jam participes ejus divinitatis existunt?

38. Vere propheta magnus in die declarationis suæ surgens apparuit, qui filium viduæ tam solemniter suscitavit. Nonne jam implebatur in Sancto spiritus Elisei, cum filius suscitatus redditus fuisse legitur Sunamitidi? sicut scriptum est (*IV Reg. iv, 34*) :

¹ Alias cap. xviii.

² Alias cap. xix.

³ Alias cap. xx.

A Puer mortuus jacebat in lectulo ejus, et incubuit Eliseus super puerum, posuitque os suum super eum, et oculos suos super oculos ejus, et manus suas super manus ejus, et incurvavit se super eum, et calefacta est caro pueri. Os siquidem blandæ propitiationis et obsecrationis ad Deum oculos piæ miserationis et manus efficacis operationis adhibuit, et sic mortuus resurrexit. Sic etiam sui ducis insignia renovabantur in milite, qui defunctum^b reddidit unicum matri suæ. Accepit itaque mulier de resurrectione filium suum. Revirescit commune gaudium, commendatur sancti patrocini, comprobatur ejus sacritas, pietas et potestas per indicium multipliciter manifestum. O mira bonitas et stupenda, dum in eadem solemnitate suscitatur juvenis, moriturque matrona! Scriptum est enim de Domino (*Deut. xxxii, 39*) : Ego occidam, et ego vivere faciam : percutiam et sanabo. Sed utrobique pietas, dum juvenis revocabatur ad gratiam, matrona vero nobilis et jam Christo sponso nubilus vocabatur ad gloriam.

39. Quid inter hæc, fratres, animadvertitis? nisi quod de mortuis fiebat liquidum argumentum, quod ad ejus transierat Sanctus consortium qui vitæ et mortis habet imperium? Aut certe, quia fides resurrectionis propria est catholicæ religionis, decebat ut fides, quam Sanctus docuerat verbo, in ejus elevatione confirmaretur exemplo, nam si suscitatus est mortuus, et nos similiter resurgemus. Suscitatio mortuorum resurrectionis est qualecunque vestigium, et quod utrobique revocatur ad vitam quod fuerat vita privatum. Sed tamen suscitationis et resurrectionis est differentia, cum suscitatus revocatur ad tempus ut iterum migraturus e vita; in resurrectione vero vita humana perpetuabitur in æternum, vel in gloria vel in pœna. Sive hoc aliquis, sive aliud dixerit, certissimum juvenem resuscitatum ad Dei gloriam et ad sancti pontificis efficaciam comprobendam. Unde et de Lazaro resuscitando legitur (*Joan. xi, 4*) : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed ut per eam Filius hominis clarificetur. Et si quid eorum quæ Dominus facere non disponit aliquis sanctorum rogaverit, nullo modo fieri Dominus id permittit. Ex quo plane concluditur ut si quid a Domino sanctorum precibus obtinetur, eorum in cœlis efficacia declaretur.

40. Sed ecce, dum miraculis quæ dies sanctus elevationis attulit vacabamus, digressionem aliquantulam passi sumus. Nam et fluvius dum per alveum defluit, si valles concavas ex latere contingit, in eas illico sui impetus cursum divertit, et in alveum postmodum se refundit. Venatoribus etiam solet contingere ut desistant a bestia, quam sectantur, si forte viderint aliam ex inopinato statim emergere. Repetat igitur fluvius alvei consuetam viam, venator sectatam bestiam, stylus materiam inchoatam. Nemus etiam contra legem in templo Domini plantamus, si tantum verborum foliis insistamus. Certum est enim quoties in foliis segetis culmi proficiunt, minori plenitudine

^a Excusum, fidei.

^b In eodem hæc interponuntur, in civitate Naim filium viduæ.

apicarum grana turgescunt. Igitur in illa die solemniter, quam-sumus hactenus persecuti, Dominus ad sancti pontificis declarationem duobus cæcis oculorum restituit visionem : continuantur gaudia gaudiis, dum succedunt ad invicem signa signis. Eadem enim die tres paralytici sunt curati, dum redditur ad instrumenta sensuum transitus spiritui animali, et sic membris stupidis et insensibilibus restituitur plenarie sensus et motus. Claudus etiam in virtute deficiens progressiva, consolidatis plantis et basibus, statim exsiliens ambulabat. Mulier etiam fluxum sanguinis diu passa legitur ipso die sancti confessoris precibus ab ægitudine pristina liberata. Hæc igitur et huiusmodi, tam ardua, tam insolita, supra spem et facultatem admirantium existentia, manifestant expresse reverentiam, quæ sancto fiebat pontifici, Domino placuisse, qui sic suum declaravit sanctum, ut in necessitatibus existentes portus solatium invenirent, ad cuius patrocinium fugerent, sicut ad auxilium opportunum.

CAPUT VII.

Upe S. Eleutherii Feriolus vincitus solvitur, Libertinus a morte suscitatur.

41. Crebrescebant de die in diem Christi magna, fulgebant luce clarius miracula per Sancti merita, concurrebat ad Blandinium catervatim frequentia populorum. Odor bonus occultari non poterat, sed de gente in gentem pertransiens, de regno ad populum alterum exhalabat. In odorem enim unguentorum Sancti Tornacense territorium visitabant alienigenæ peregrini. Secundo igitur elevationis ipsius anno, sacerdos quidam, nomine Feriolus, a Vienna Tornacum venerat peregrinus. Qui cum esset inunctus oleo pietatis et profusus exterius ad opera caritatis erga misero misericorditer se agebat, super quem perituri benedictio veniebat. Erat autem in diebus illis Libertinus quidam tribunus populi Tornacensis. Hic hominem quemdam, penæ mortis addictum, stipatus populi multitudine, pertrahebat miserabiliter ad tormentum. Intuens eum Feriolus, et patienti compassus, devote tribunum obsecrat ut damnato misericorditer condescendat. Ille vero monitis acrior precibusque insolentior est effectus, et offensionem animi loquebatur sine causa et titulo : vultus irrationabiliter inflammatus; os enim turbidum, corpus trepidum, truces oculi, spuma candescens, facies fervescent, clamor immanis, nec parcens opprobriis, satis indicare poterant passionem cordis irati, et conversus ad satellites : *Ite, inquit, et arripite sacerdotem hunc sacrilegum, et vincitum catenis ad patibuli ducite cruciatum. Vere secundum iudicem populi et minister ejus. Unde et dum superbiret impius, pauper injuste duris est compedibus obligatus. Semper virtus est contraria vitiosis, sacrilegis exosa sanctitas, corruptis integritas, luxuriosis frugalitas, crudelibus dura misericordia; sed et impiis pietas non ferenda. Sic judicant impii sedentes in loco ju-*

A dicitur, sic innocentia destruitur, ubi tyrannizans sævitia debacchatur.

42. Non obliviscitur misereri Deus, sed justum in tribulatione liberat, cum probatur per patientiam ejus virtus. Nec conturbat justum, quidquid eidem acciderit, sed imminente tentationis articulo se ad Dominum in oratione convertit. Unde Feriolus mortis expectans sententiam, dum ante Blandiniensem transiret Ecclesiam, ubi congregatus erat clerus et populus ad sancti confessoris Eleutherii memoriam celebrandam, ad orationem convertitur, et Christi confessorum toto cordis affectu suscitans devotissime deprecatur, et commemorans martyrii bravium, confessoris titulum, virginitatis præconium illibatum, postulat auxilium opportunum. O sancte, inquit, præsul Eleutheri, si vera sunt quæ de tuis audivi meritis, oppresso subveni; vincitum libera per tuæ pietatis mysterium. His dictis, de satellitum manibus liber evadit, et ad ecclesiam concito gradu pergit : et dum staret ante sepulcrum beati confessoris in ecclesia, vincula, quibus tenebatur adstrictus, repente motu soluta sunt, et catena divisa.

43. Tunc pestes Eræbi, scilicet levis contagia, mors ra inferni, cives P uonis, mortis alumni, Tartareum chaos egressi, funduntur in orbem, Concilium delordæ movent, glomerantur in unum.

Qui nec Deo gloriam, nec loco reverentiam, nec misero misericordiam, nec innocenti justitiam exhibentes, et qui in sordibus fuerant amplius sordescentes, pro nefas! catenam iterato collo ejus injiciunt, manus vinciunt, ut abscedat a septis ecclesiæ, flagellis et minis concitant et propellant.

Quid tale immanes unquam gessisse feruntur
Vel Sinon Punica pini vel rupe profunda
Seyron, vel Phalaris tauro, vel carcere Sylla?

Omnes sanguinem sitiunt innocentem, omnes unanimiter pari voto configere crucis patibulo sanctum Domini sacerdotem.

Quis furor o cives, quæ tanta licentia ferri?

Stans autem ante sepulcrum beati confessoris Feriolus inter timoris et fiducie terminos constitutus, sancti præconia replicat, replicans obsecrat, obsecrans impetrat, impetrans liber exsultat, et ex intimis Domino sabbatizat. Positus igitur inter hostium cuneos timeans et tremens, ad cælum elevans oculos, confessorum Domini deprecatur, ut humilitatis ejus oratio non spernatur. O gloriose, inquit, pontifex Christi Eleutheri, tu Blandam tribuni filiam, divino beneplacito tuo merito suscitasti; patrem virginis, et populum Tornacensem jugo fidei catholice submisisti. Per te mulieris viduæ filius legitur mirifice suscitatus : te cæci, te muti mirificant, tua miraculorum opera Deum laudant. Tuam, pater, invoco pietatem, ut tuam iterum manum mihi sentiam adjutricem. Mirum visu : repente catena solvitur, soluta frangitur, fracta prosilit, prosiliens tribunum in media facie percutit, et percussum occidit.

Div. rso interea miscetur mœnia luctu.

44. Sed uxor tribuni præcipue fortuito cruciatur

¹ Alias cap. XXI.

² Alias cap. XXII.

³ Alias cap. XXIII.

eventu, cujus solertia corpus extincti defertur A multo tempore Sanctus in patria sua. Blandinium: statuitur ante sepulcrum beatissimi confessoris, triste piaculum suis, turpe spectaculum alienis. S. Eleutherium humiliter obsecrant, et pro suscitatione mortui devotis orationibus excitant et invitant. Sed Sancti caritas nunquam excidit, quia jam Deo conjunctus, etsi fragilitatis a symptomata, caritatis viscera non abiecit. Nam in quemdam divinum mutatus affectum, quid posset sapere, quid elargiri miseris, nisi ium? Nam si Deus caritas est, quanto quis Deo propius conjungitur, tanto caritate plenior comprobatur. Cum igitur una pro tribuno flentes implorarent misericordiam confessoris, fulsit immensa claritas ex supernis, et vox insuper est audita de cælis. Orate, inquit, presbyterum, ut oret pro Libertino Dominum Jesum Christum. Assistentes B neminem quidem viderunt, vocem tamen nihilominus audierunt. Instantes igitur orationi, crebrius reliquias confessoris Feriolus super defuncti corpus imposuit, et post horam undecimam, qui mortuus fuerat, resurrexit.

43. Conticuere omnes intentique ora tenebat, cum ea quæ mortuus viderat audiebant. Referebat eis occursum dæmonum, diversitatem pœnarum, quæ non solum juxta verbum prophetæ cum, sed et juxta versum poeticum sensum excedebant humanum. Unde Mantuanus ille poetarum egregius ait (*Æneid.* vi):

Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferreæ vox, omnes scelerum comprehendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possim.

Referebat frequenter idem tribunus animæ suæ tristem exitum, et formidabilem, et catervam dæmonum attentius expectantem. Qui cum in occursum properassent parentis animæ, prohibiti sunt tam ab archangelo Michaelæ, quam ab Eleutherio confessore. Sic ergo dæmones sunt frustrati, quia missa est anima corpus revisere proprium et reverti.

46. Solebat etiam idem Libertinus tribunus inter cætera recitare, quod gloriosi confessoris notitia multorum spatiis temporum velut oblitterata fieret et deleta; sed in novissimis temporibus, cum mundus ad senectam vergeret, in novam adolescentiam memoria resoreret. Quod jam nostris pro parte temporibus impletum cernimus et dolemus. Quin imo, si digna vox est beneficium capientem obligatum ad antidora se quolibet prosteri, etsi nihil dignum confessori Christi possimus retribuere, qui civitatem Tornacensem et ejus confinia solidavit in fide, tamen in copiosis actionibus gratiarum debemus ejus memoriam in cordium nostrorum penetralibus sigillare. Quod si non fecerimus, vereor ne vel indevotionis statuum, vel ingratitude simulacrum adoremus. Infausta hæc prodigiorum soboles, quarum prima infamis, secunda infamis, utraque sine laude, neutra est sine sorde. Indevotionis enim obscuritas, et ingratitude obscuritas beneficia præterita sepeliunt, præsentia corrumpunt, futura repellunt. Harum factam est incuria, ut non fuerit in honore debito

A multo tempore Sanctus in patria sua.

47. Libertinus autem tribunus tandem soluto nature debito in sancta confessione. in fide catholica, in spe communi, in caritate non ficta, in manu Domini spiritum commendavit, et cum Censorino Cæsare tribuno Scandiniensi in B. Mariæ Virginis ecclesia requiescit: et ut cesset omne figmentum, evanescat humanum commentum, catena, de qua supra dictum est, Viennam delata est in rei mirabilis et memorabilis efficax argumentum.

CAPUT VIII.

Translatio corporis S. Eleutherii in urbem Tornacensem.

48. Factum est in diebus illis miraculum nulla temporis antiquitate delendum. Clarescebant magis et magis merita confessoris, laudabantur in eo magna Creatoris. Cives igitur Tornacenses, sancti corporis absentiam amplius non ferentes, Blandinium properant, ecclesiam intrant, reliquias sanctas inveniunt, inventas accipiunt, acceptas deferunt, ut in ecclesia B. Mariæ Virginis eas exponant magnificentius et recondant. Sic enim de divina Justitia credimus ordinatum, ut qui persecutione grassante latuerat apud Blandinium, ibidem acciperet quasi latentem sepulture locum. Et qui postmodum pontificatus sollicitudinem administraverat in propatulo, clarescentibus ejus meritis collocaretur clarius in Tor Cives ergo prædicti, sancti corporis secum ferentes reliquias, revertebantur ad urbem cum lætitia, sicut exsultare victores sunt soliti capta præda.

49. Intuentes autem habitatores illius territorii Tornacenses reliquias cum violentia deferentes,

ipsi in certamina pugnae

Succedunt, animasque in aperta pericula mittunt.

Intendunt acres arcus amentaque torquent.

Sternitur ecce solum telis, pugna aspera surgit.

Ergo sagitta volat prænuntia mortis, et hostem

Impetuosa petit: quam totis viribus actam,

Motu reflexo reversam in se cum vulnere cepit, qui sagittam emisit.

Confixi propriis telis turbantur agrestes:

Pugnat affixus vaginæ mucro, nec extra

De facili prodit longo torpore quiescis,

Denegat officium vario delirus in ictu.

Mira res. Quidam insectantium vulnerati, quidam etiam cæcitate percussi, quidam autem in via seminimes sunt relictæ. Et quia nullus civium vulnus excepit, Deo gratiarum actiones exsolvent, et sic ad propria revertentes.

Lætitiaque flemunt, animasque ad sidera tollunt.

50. Et ita cum totius gaudio civitatis in ecclesia Dei genitricis Mariæ collocatum est corpus gloriosissimi confessoris. Occurrerant Sancti reliquiis paralyti laborantes; vociferabantur in platea sedentes, qui reliquiarum tactu viginti quinque numero consecuti sunt plenarie sanitates. Porrigebantur miracula de die in diem Sancti meritis. Unde et illis diebus cæci septem consecuti sunt beneficium visionis, præstante Domino Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* Alias cap. xxiv.

* In excuso, *syntheomata*.



SERMONES S. ELEUTHERII.

SERMO, SEU CONFESSIO DE SS. TRINITATE.

Dilectissimi, Dominum omnium Christum Jesum confitentes, sanctamque Trinitatem unitate venerantes, ipsi soli subjecti estote, Deum immortalem time, cui est honor in sæcula sempiterna. *Trinitas* sancta Deus, unus Deus siquidem Pater Verbi viventis, perfectus perfecti genitor est, qui neque ab aliquo initium habuit, neque in aliquo finem continebit. Qui enim ratione Pater ingenitus filii unigeniti ab alio esse haberet, qui α et ω erat, et est. Unicus autem Filius Dei ex uno Patre Deo nasci voluit, qui est sapientia Patris, per quem omnia creata sunt quæ existunt, quæ florent, quæ floruerunt : quæ nascentur, quæ peribunt. Filius verus de Patre vero, æternus de æterno, immortalis de immortali, incorruptibilis de incorruptibili, invisibilis de invisibili, et unus Spiritus sanctus, in quo permanet perfecta vita credentium, in quo sanctitas et sanctitatis fons et ministrator veræ ædificationis : per quem Deus in omnes credentes et super omnes, et Filius, qui per omnes. Quamvis vero Pater a nullo esse habeat, Filiusque ab ipso oriri obtineat, et Spiritus sanctus ab utroque procedat, non tamen hi tres dii sunt, sed unus et ve-

rus Deus, cujus Trinitas in personis veneranda est, unitas in substantia adoranda est. Trinitas perfecta gloria, regnum sempiternum, regnum perenne et individuum. Nunquam enim defuit filius Patri, aut filio Spiritus. S. Pater æqualis Filio unigenito : Filius par Patri ingenito secundum potentiam divinitatis : minor autem in susceptione nostre humanitatis Spiritus quoque sanctus non minor Patre et Filio, sed coæternus consolator mœrentium, fortitudo fragilium, septiformis, sempiternus et gratiæ largitor subtilissimus. Filius verus vera imago paternæ lucis, et verus splendor internæ claritatis, volens omnes homines ad agnitionem sui nominis pervenire, propter salutem eorum et peccatorum ablu-tionem de cœlestibus ad terrena descendit. Incarnatus est, homo factus est, passus est, deinde factus obediens usque ad mortem. De cujus obedientia Paulus apostolus attestatur, dicens : *Cum esset Filius Dei didicit ex his quæ passus est obedientiam : et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus pontifex a Deo secundum ordinem Melchisedech.* Idem etiam Christus die tertia a mortuis resurrexit, deinde in cœlos, unde

descenderat, ascendit, et captivitatem nostram admirabili virtute sua duxit captivam. Omnes igitur catholice fidei servientes credant illum inde venturum, et mortuos et vivos judicaturum. Illos autem qui Christum convertibilem vel commutabilem asserunt sancta et catholica anathematizare debet Ecclesia. Igitur homo factus, id est carnem de sancta Virgine Maria suscipiens, quamvis factus sit in assumptione carnis et sanguinis, tamen id quod erat, Deus natura scilicet et veritate persistens. Nec carnem dicite in deitatis naturam esse conversam; nec in substantiam carnis inseparabilem Dei verbi essentiam commutatam. Inseparabilis enim, et incommutabilis, et inconvertibilis est, idemque secundum Scripturas permanet Dominus omnipotens, qui est benedictus in sæculorum sæcula. Non potest esse major, non potest esse minor; non magnitudine terminari, non tempore comprehendere. Quod enim cœleste est, vel divinum, est sine quantitate, et sine mole cognoscitur: neque ullis terminis continetur. Verbum Dei secundum substantiam confitemini, unum adorate Filium et Dominum nostrum Jesum Christum, non determinate, nec seorsum ponite Deum et hominem, velut invicem sibi dignitatis et auctoritatis unitate conjunctum; nec Christum specialiter nominare *Deum verbum*, quod ex Deo est, nec alium similiter Christum specialiter qui de muliere natus est. Unum autem tantum Christum Dei Patris verbum cum propria carne cognoscite, venerate, adorare. Unus enim est Christus Filius et Deus, non velut quælibet conjunctio habeatur in unitate dignitatis et auctoritatis hominis ac Dei. Nunquidnam potest natura unire sola dignitatis æqualitas? absit. Pastor etenim dominici gregis Petrus, et virgo electus Joannes evangelista et apostolus, ad alterutrum æqualis sunt dignitatis: propter quod Christi discipuli et veritatis testes idonei vocantur. Horum tamen uterque non unus est. Vos ergo, filioli mei charissimi, neque Deum aut Dominum, Christi verbum, Dei Patris asserite; ne iterum apertius in duos dividatis unum Christum et Dominum, et in sacrilegii crimen incidatis. Deum illi seipsum facientes et Dominum. Unitus quidem, sicuti diximus, Deus Verbum carni secundum subsistentiam. Deus quidem est omnium dominator, universitatis creator omnium, et pretiosissimo sanguine suo redemptor hominum. Evidenter autem denegat unitatem, qui dividit in duos Christos eum qui unus est: ille apostata est, et vere infelix, vere perpetuo cruciatui subjiciendus. Illi diabolus et angeli ejus in rapinam consurgunt, illi maligni spiritus in receptionem animæ occurrunt: tormenta illi innumerabilia præparantur, et mala, quæ in vita sua egerat, oculis ejus proponuntur. Igitur, ne in hæc terribilia loca deveniatis, confitemini quod unus intelligatur Jesus Christus Filius Dei unigenitus, una servitute cum propria carne venerandus. Confitemini pura mente, laudate perfecto corde, glorificate benigno ore, qui ex Deo Patre natus est Filius unigenitus Deus. Quamvis juxta naturam suam expers passionis exstiterit, pro nobis tamen secundum

Scripturas carne perpassus est, et erat in crucifixo corpore propriæ carnis impassibiliter ad se referens passionem. Gratia autem Dei pro omnibus hominibus mortem gustavit, tradens etiam proprium corpus, quamvis naturaliter ipse sit vita et resurrectio mortuorum. Nam ut mortem ineffabili potentia, et admirabili virtute sua, et inestimabili magnificentia proculcasset, et prius in carne sua primogenitus ex mortuis fieret, et primitiæ dormientium, viamque faceret humanæ naturæ ad incorruptionis recursum, gratia Dei pro omnibus, ut dictum est mortem gustavit, et tertia die resurgens sævissimas fauces inferni expulsiavit. Et ideo, licet dicatur quod per hominem facta est resurrectio mortuorum, tamen intelligere debetis hominem factum, verbum quod ex Deo est, et per eum mortis imperium esse destructum. Ut autem Scriptura attestatur, *Veniet novissimis temporibus unus Filius et Dominus in gloria Patris, ut judicet orbem in æquitate*. Necessarium quoque est, ut credatis incarnationem Domini nostri Jesu Christi, nativitatem, circumcisionem, apparitionem, Evangelia, passionem, mortem, resurrectionem, et in cœlos ascensionem. Hæc est enim fides recta. Sed quoniam Deum carne unitum juxta subsistentiam virgo concepit, virgo peperit, idcirco eam Christi genitricem profiteamini: non quod verbi natura existendi principium de carne sortita sit. *Erat enim in principio Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*: et ipsa est conditor sæculorum, Pater universitatis. *Tres quidem sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus: hi tres unum sunt*. Igitur omnium creatorem unum in substantia, Trinitatem in personis confitemini, ut ad cœlestia gaudia pervenire mereamini, ubi floreat merita sanctorum, quorum gaudium et exultatio non desinet usque in sempiternum, regnante Domino nostro Jesu Christo, cum Patre cœterno, cooperante gratia Spiritus sancti, cui sit laus, imperium, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

TRANSITUS S. ELEUTHERII EPISCOPI.

In illis temporibus dum beatus Eleutherius Tornacensis Ecclesiæ pontifex præesset secundus, litigatio magna inter Tornacenses clericos exorta est. Quidam enim hæretici quasdam propriæ hæreseos novitates proferebant, et predicationem veritatis destruere conabantur, audentes mysterium divinæ dispensationis corrumpere, et negantes paranympum cœlestem partum virginis nuntiasse. Alii autem hæretici confusionem inducentes, et unam carnis et deitatis naturam esse male componentes, divulgabant tali confusione divinam naturam unigeniti passibilem, et purum hominem esse qui de beatissima virgine Maria natus est, impudenter asseriebant. Alii vero Spiritui sancto adversabantur. Alii autem Deo devoti et servientes, credebant veritati, non obediens falsitati. Tanta autem litigatio inter illos erat, ut etiam hæretici catholicos Ecclesiæ Tornacensis filios invaderent, et in fluvio qui dicitur Scalda multos obrucatos submergerent. Eodem tempore beatus Tornacensis Ecclesiæ antistes Romam ierat, et secum ca

put Mariæ Ægyptiacæ asportaverat. Ipsum enim ab A Ecclesia Romana beati Petri apostoli occulte accepit, et in Ecclesia Christi genitricis Mariæ detulit. Hoc modo igitur vir Dei a Roma regressus cum magna exultatione universi populi suscipitur. Exsultant clerici, et dalmaticis induti, beato pastori suo obviam procedunt, sed ex improvise gaudium omnium geminatur. Ipse enim pontifex reliquias beatæ Mariæ, quæ tot et tanta mala sustinuit, afferebat. Cum autem Nerviam portam intraret in eodem loco miraculum magnum a Deo manifestatum est. Occurrentibus enim populis gaudentibus, similiter clericorum agminibus, palliatus, beatus antistes conscendens montem, qui dicebatur Mons thesauri absconditi; nunc autem dicitur Mons S. Andree, reliquias sanctæ Mariæ Ægyptiacæ, et Humerum beati Stephani protomartyris B omni populo ostendit. Subito autem circa reliquias capitis sanctæ Mariæ quædam claritas de cælo adveniens apparuit: quæ etiam ab omnibus visa est, donec intraret ecclesiam Christi genitricis. Super Humerum autem beati Stephani, lucidior claritas in modum circuli quasi argentei visa est. Cum vero ecclesiam totius populi vallatus caterva intraret, quatuor viri, dux mulieres magna infirmitate periclitabantur, quæ vocatur ignis gehennæ. Tunc vir Dei pictus e motus, caput ante mulieres, humerum autem ante viros posuit, dicens: *Oremus omnes*. Procumbentibus autem et orantibus illis ait: *Sancte Stephane protomartyr, succurre his hominibus: Sancta Maria miserere hujus feminei sexus. Non enim profecto surgemus ab oratione, donec sani efficiantur*. Ad hanc vocem omnes liberati sunt. Caro autem, quam in ipsa infirmitate perdidit, restituta est in ipsa hora. Mutus quoque assistens locutus est, dicens: *Ecce reliquias beati Stephani et sanctæ Mariæ*. Tunc omnes obstupefacti admirabantur. Illis temporibus reliquias sanctorum nec in auro vel argento ponebantur. Hæc acta sunt nonis Octobris. Beatus siquidem Eleutherius jam Tornacensem Ecclesiam triginta annis et uno rexerat, Blandinensem vero novem. Qui audiens filios Ecclesiæ perturbatos indoluit. Deinde auctoritate Romani papæ decrevit, quatenus omnes hæretici ab ipsa civitate ejicerentur, ut Christum Dei Patris Filium unanimiter confiterentur. Igitur a præsule coacti, diem competentem elegerunt, in qua synodum suam antistes Christi Eleutherius convocaret. D Advenit dies in quo synodus convocata erat, advenirent etiam filii catholici, hæreticorum sectam confundentes, adfuerunt et nonnulli hæreticorum illis contradicentes. Exsurgens autem sanctus vir Dei Eleutherius, et manu faciens silentium ait: *Omnes Dominum Patrem et Filium ejus, cum Spiritu sancto confitentibus audite*.

SERMO DE TRINITATE.

Credite in unum Deum, Patrem omnipotentem, et in Filium ejus; unicum Dominum nostrum Jesum Christum, qui ex Deo Patre natus est Filius unigenitus, immensus de immenso, immortalis de immortali, invisibilis de invisibili, sempiternus de sempi-

terno, per quem et cum quo omnia quæ continentur in cælo, vel in terra, aut in mari fecit Pater. Hortor ergo vos, dilectissimi, credite Dominum nostrum Jesum Christum propter salutem hominum et sæculi liberationem de cælis descendisse, incarnatum, et hominem esse passum sub Pilato præside. Præterea die tertia a mortuis resurrexisset, et iterum in cælos, unde descenderat, ascendisset. Hæc decreta, filii mei charissimi, tenere et observare debetis. His vos devote oportet obtemperare, si gaudia vultis promereri cælestia. His dogmatibus et decretis antiquorum Patrum obedite, considerantes et lucidissime intuentes quid sit incarnatum esse, et hominem factum Dei verbum. Vos enim asserere non debetis, quod natura Dei immutata sit, sed magis quod copulaverit sibi anima rationabili carnem animatam, Christusque Dei Filius irreprehensibiliter, ineffabiliter, substantialiter homo factus sit, et filius hominis etiam sit appellatus. Itaque Christus Jesus qui ante omnia sæcula ex æterno Patre natus est, etiam ex muliere, id est beata Virgine Maria carnaliter procreatus est, non quod cælestis ipsius natura de sancta Virgine sumpserit exordium, nec propter seipsam necesse habuit nasci secundo, post illam gloriosam nativitatem quam habuit ex Patre. Non enim est competens, sed magis stultum affirmare quod Jesus Christus Dominus noster, qui ante omnia sæcula est cœternus Patri, post generationem Patris alterius induerit, ut per illam quam in virgine assumpsit, esse inciperet. Sancta autem catholica universalis Ecclesia affirmet et credat, quod propter salutem hominum et peccatorum ablutioem sibi naturam copulaverit humanam; et processerit ex utero virginali, utero impolluto, sed ab angelis dignissime cælestibus conservato. Ideo asserunt illi catholici Patres, et nos auctoritate majorum carnaliter esse natum. Qui benignus et misericors omnes volens ad semitam deitatis convertere, ex ipso virginali et incontaminato utero, ut supra dictum est, secum conjunxit carnem, et generationem sustinuit carnalem, suæ carnis suam faciens nativitatem. Deinde credite ipsum crucifixum esse, et tertia die a mortuis resurrexisset: non quia Deus Verbum in sua natura sub Pilato præside sit colaphis cæsus, deinde patibulo crucis affixus, aut quia pro nobis transfixiones lanceæ atque clavorum, et tanta vulnera sustinuerit (Deus namque incorporalis et extra passionem est), sed quia corpus illud, quod proprium factum est ipsius hæc pro nobis sustinuit. Hæc omnia idcirco dicitur pro omnibus hominibus ad peccatorum redemptionem passus esse. In eo etenim corpore quod patiebatur, inerat Deus, qui nullo modo pati poterat. Similiter mortem ipsius intelligere debetis. Naturaliter enim incorruptibile est et immortale vivificans Dei verbum. Sed quoniam gratia Dei, proprium corpus ipsius, juxta sententiam doctoris gentium Pauli, *mortem gustavit*, ideo dicitur Deus pro nobis mortem esse passus, non quia mortem ipse expertus fuisset, quantum ad naturam ipsius pertinet (idoneum siquidem non esset, sed ineptum asserere

hoc), sed quod, ut superius diximus, vera caro ipsius mortem gustaverit. Ita carne ipsius resurgente iterum resurrectionem asserite, non quia in corruptionem cecidit, sed quod ejusdem corpus surrexit. Itaque, dilectissimi, deprecor fraternitatem vestram quatenus Deum verum, et Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum devote veneremini, adorate benigno corde, laudate pura mente, confitemini lacrymiosis suspiriis, non sicut hominem eum verbo glorificantes, ne inducat is quendam speciem divisionis, sed unum et eundem honorate : quia non est corpus suum (cum quo etiam ipse assidet Patri) a Verbo alienum. Nec etiam debetis contestari, quasi assidentibus duobus filiis, sed uno cum carne per unitatem. Præterea fides vestra credere debet quod Christus Dominus noster mediator Dei et hominum factus est, et reconciliator ad pacem Deo Patri pro nobis, offerens se in odorem suavitatis. Ideo enim dicebat per prophetam : *Sacrificium et oblationem noluit; holocausta pro peccato non tibi placuerunt, corpus autem perfecisti mihi. In capite scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus.* Proprium enim corpus non pro se ipso obtulit, sed pro nobis in odorem suavitatis. Fratres mei, quis vestrum ultra dubitet, agnum verum et immaculatum pro salute humani generis immolatum, et ab impiis Judæis crucifixum? Ipse est, qui nos per admirabilem virtutem et ineffabilem potentiam divinitatis suæ redemit, rebellesque et superbos Judæos devicit, et claustra gehennæ exspoliavit, educens de vinculis captivos, emittens de tenebrarum locis carceratos, clamantes et dicentes : O triumphator bone sæculi, o pie debellator diabolicæ fraudis, te nostra, clementissime Jesu, in his tormentorum pœnis expectabant lamenta, te, misericors Christe, flebilium in caliginosis locis conclamabant suspiria. Ecce advenisti quem ab antiquis temporibus expectavimus. Libera nos quem in terra positi olim devote colimus. Ipse est qui post destructionem diaboli, et liberationem sanctorum de tenebris clamantium die tertia surrexit, et ascensum in regnum cæleste sedet ad dextram Dei Patris. Ipse est Filius Mariæ, quæ virgo de Spiritu sancto concepit, quæ in virginitate illibata Deum et hominem peperit, quæ etiam post partum Virgo et Mater Salvatoris permansit. Qui se, ut supra dictum est, hostiam immaculatam, hostiam Deo Patri placentem obtulit. Si quis autem dixerit, quia tam pro se ipso, quam pro nobis sacrificium se Deo obtulerit, non extremum effugiet supplicium, sed pœnas in interitu cum impiis dabit æternas. De Spiritu quoque sancto, cum discipulis suis diceret : *Ille me clarificabit*, hoc, filii, sentientes unum Christum et Filium, non velut alterius gloria egentem, confitemini gloriam a Spiritu sancto consecutum : quia ejusdem Spiritus me superior, me melior ipso est. Licet vero in substantia sua Spiritus ejus sit, et intelligatur in persona proprietatis, secundum id quod Spiritus ejus est, et Filius, tamen ab illo non est alienus. Appellatus enim est Spiritus veritatis, et veritas Christus est. Igitur a Filio similiter, sicut a Patre

A Spiritus sanctus procedit. Spiritus enim sanctus miracula per manus sanctorum apostolorum faciens, Deum glorificabat Jesum Christum, postquam per gloriosam resurrectionem suam in cœlum (unde pro liberatione animarum nostrarum descenderat) ascendit : ideo a nobis et nonnullis catholicis viris Christus creditur Deus natura existens, per Spiritum suum virtutes et gloriosa miracula gentibus per universum orbem dispersis demonstrans. Inde dicebat Dominus noster Jesus Christus, *quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Sed nequaquam idem Spiritus sanctus alterius participatione potens aut sapiens dicitur, quia perfectus est per omnia et in omnibus, et nullo penitus indigens bono. Nam paternæ virtutis et sapientiæ cœlestis, id est Filii, Spiritus sanctus creditur, et ideo ipsa re et virtute subsistente virtus et sapientia comprobatur. Dilectissimi fratres, hæc est fides recta, et omnibus catholicis viris tenenda, quam nisi quisque firmiter et recte crediderit, non poterit a consortio diaboli liberari. Unum in substantia, trinum in personis confiteamini, ut ad cœleste regnum pervenire et æternis bonis perenniter gaudere mereamini ; ubi gaudent angeli, lætantur apostoli, exultat martyrum turba gloriosa, plaudit confessorum et virginum caterva, quos Redemptor mundi perenni laurea coronat, qui vivit et regnat Deus, omnipotens, invisibilis, æternus, incorruptibilis, cui est honor, laus, decus et imperium, potestas indeficiens, majestas immarcescibilis, gloria perpetua et virtus ineffabilis cum Patre et Spiritu sancto per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Si quis autem his decretis contradixerit a Patre, et Filio, et Spiritu sancto, anathema sit. His dictis beatus pontifex Eleutherus sedit. Catholici autem viri qui ad sanctam synodum convocati erant, vocem cum gaudio levantes glorificabant Deum, dicentes : Trinitatem in unitate veneramus et colimus, unitatem in substantia profiteamur, et devote adoramus, e contra confundantur hæretici, deinde a sacra synodo recedunt confusi. Synodo autem ad propria revertente, sanctus similiter Eleutherius ad aulam suam, quæ in oppidano loco continebatur, cum catholicis viris jam septuaginta et uno existens anno regressus est. Interea per quinque annos Tornacensis Ecclesia, quibus sacerdos supervixit invictissimus, a catholicis viris sublimatur. Interim autem hæreticorum pars confunditur. Quid facerent? Consilium inierunt, quid de illo fieret exquisierunt, et dicebant : Si ita prævaluerit apud nos, vita nostra contemnetur ; si autem prævaluerimus, victoriam laudis adepti erimus. Sic illis in una dierum colloquentibus, ecce beatus pontifex, cum Athanasio diacono et Audoeno fidei discipulo ab ecclesia beatæ Mariæ Tornacensis egrediebatur ; quem videntes hæretici post angulum occultati (multis enim modis insidiabantur ei) dicebant : Ecce destructor legis nostræ, venite occidamus eum. Igitur sustibus arrectis duriter ceciderunt eum, et relicto semivivo ante ecclesiam, plagis impositis occulte abierunt. Discipuli similiter, relicto pastore

suo, fugerunt. Quod audiens Censorinus Cæsar, omnes patibulo crucis affixisset, nisi oratio viri Dei prævaluisset: sit per urbem tumultus populi, clamant juvenes, lugent matronæ, et virgines cinere asperguntur, senes præsulem semivivum videre certantes, ipse autem exanimis jacebat, et a sancto ejusdem capite, et ut ab utroque latere sanguis emanabat. Tunc a civibus urbis parato, ut ipse rogaverat, stratu cilicino, intra domum suam delatus est: qui quinque postea vivens per hebdomadas, in ipsa infirmitate cæcum illuminavit, et nonnullos infirmos curavit. Igitur finis dierum beatissimi Eleutherii appropriavit, fratres suos et veræ religionis cultores advocavit, et palam corpus et sanguinem Christi percepit, se eadem hebdomada e carcere corporeo transmigratum prædixit. Quid facerent? Patrem suum cœlestia desiderare videbant, ipsumque jam deserere Christianos deslebant, quos blande allocutus ipse ait: *Finem universæ carnis ingressurus, a Domino promissa mihi gaudia æterna percepturus, hortor vos, charissimi, odia fugite, concordiam seminate, schismata dissipate, virtutem exsequamini, mala temporanea pro iudice vestro patiamini, quatenus dignum pœnitentiæ fructum Christi exhibere mereamini. Omnis etenim homo senum, caro autem ejus ut stipula agri. In matutino virens florescit, in vespere arida labitur et vilescit. Patientes estote, casti permanete, Dominum timete, in omnibus bonis perseverate. Audistis enim David dicentem: Homo vanitati similis factus est. Itaque pulvis sumus, in iudicio resurgemus ante tribunal Christi, teste Scriptura, omnes astabimus. His dictis, tanta claritas oppidanum locum, in quo natus erat, affulsit, ut omnes qui ad exsequias tanti Patris venerant facti quasi in excessu mentis spiritum ejus ab angelo elevari in nube viderent, et cum claritate nubis cœlos penetrare, et claritatem cum ipso volantem, nullatenus apparere. Sic unda sacri sanguinis perfusa verus martyr et confessor in pace abiit. Pridie kalendas Julii.*

Hæc acta sunt ab hæreticis septimo calendarum Junii et in ipso anno beatus Eleutherius obdormivit in pace, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et potestas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO DE INCARNATIONE DOMINI.

Paterna auctoritas fraternam charitatem cohortatur ut credat, et ut a malis cesset clementer exoptulat. Clamamus, nemo mortalis obaudit. Christum invocamus, Christus cœlestis exaudit. Verumtamen infideles fideliter audiant, insipientes sapienter intelligant. Crelinus Deum Patrem omnipotentem, visibilium et invisibilium creatorem. Adoramus Christum perfectum perfecti filium. Veneramus Paraclitum ab utroque procedentem Spiritum. Quemadmodum Pater absque initio est, sic etiam Filius, cujus Pater Deus est, sine principio permanet. Unigenitus eum ab ingenito descendens, semper Deus fuit, qui semper illius, cujus Patrem Deum esse confitemur, permanet. Antequam mundus fieret Verbum Pater ha-

Abuit, sapientiam obtinuit, et virtutem non amisit. Verbum perhibent Patres catholici Dei fortitudinem. Dei sapientiam, quam semper fuisse non dubitamus. Ut autem certius ab initio ipsam fuisse sapientiam credamus, quid dicat aperte, audiamus: *Ego ex ore Altissimi exivi. Cum enim Altissimus firmamentum stabiliret, firmaret terram, et fons aquæ de profundo abyssi erumperet, ego in altissimis cum Patre eram, cum ipso omnia disponens. Et iterum dicitur: Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum ipso fuit semper, et est ante ævum. Ut etiam ipse Pater ostenderet ab initio Verbum fuisse, apertius pronuntiat dicens: Eructavit cor meum Verbum bonum (Psal. XLIV, 1). Credimus illum sic esse Deum, ut Pater semper permaneat: quoniam Verbum, Sapientia et Fortitudo ejus est Filius. Siquidem de partu Mariæ Virginis prophetæ sunt præconiati. De nativitate enim Christi Iaias propheta perhibet, dicens: *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabitur consiliarius, Deus fortis; cujus potestas et imperium permanebit in sempiternum (Isai. ix, 7). Unigenitus itaque Patris ingeniti Christus secundum carnem ex semine David natus est, factus homo visibilis, cujus Pater Deus est invisibilis. Necessarium quidem erat humano generi, ut quem Pater ab initio invisibilem genuerat, virgo conciperet, virgo nobis visibilem produceret, et virgo post partum permaneret, essetque in Deo (forte a Deo) Christus ante omnia sæcula genitus sine muliebri concubitu ex cœlesti Patre: et perfectus homo ex utero virginali nasceretur, absque carnali patre. Ingrediens namque sanctus Spiritus virgineam pulchritudinem aulam, talem Christum, hominem factum ex ea fecit procedere, qui perdita restauraret, et omnium delicta relaxaret, qui innocens innocentem sanguinem suum pro redemptione humanæ fragilitatis effunderet, et per hominem visibilem Deus invisibilis unigenitum suum visibilem hominibus præsentaret. Itaque Jesus Christus secundum carnem natus et octava die circumcisus est. In cujus circumcissione carnis, quemadmodum circumcisio linem dedit, ita per baptismum Christi consecratio baptismatis exordium habuit. Ipsum enim aqua Jordanis ablucendo non sanctificavit, sed easdem aquas Filius Dei ingrediendo purificavit. Igitur ut Pater per prophetas suos prædixerat, virgo concepit, et creatura creatorem suum terris edidit. Ipsum tertia die post passionem resurrexisse, et in cœlos ascendisse, videntibus apostolis, perhibens. De cujus gloriosa passione Paulus apostolus ad Philippenses scribens ait: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo: humiliavit semetipsum obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (Philip. i). Nos ergo de Deo id sentientes non dicimus purum hominem, qui de Virgine Maria natus est, nec separatim alterum filium hominis, alterum Filium Dei prædicamus, ne aliam personam carnis, aliam Deitatis faciamus, sed in Verbo Dei et in carne unum Christum profitemur et credimus, et Filium u ni-***

genitum secundum naturam esse testatur et colimus. Id etiam palam aperimus, similiter Dei Verbum carnis et sanguinis exordium habuisse, et nostrum corpus suum specialiter fecisse, et perfectum hominem de virgine processisse, non tamen abjecta cœlesti Deitate, ut illam generationem amitteret quam habebat ex æterno Patre. Hoc utique ratio catholicæ fidei testatur. In hac religione sanctos Patres, et Dei electos milites verosque agonistas fuisse didicimus, qui veraciter matrem Domini nostri Jesu Christi virginem crediderunt: non quia Deitas naturaque Verbi in ipsa exordium acceperit, sed quod anima rationali ex ejusdem virginis impolluta alvo illud sacratissimum corpus Christi animatum natum sit, cui Dei Verbum adunatum substantialiter scimus esse natum carnaliter. Hinc de eo Paulus apostolus ad Thessalonicenses scribens ait: *Ipsi enim de vobis annuntiant, qualem introitum habuerimus apud vos, et quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero, et expectare Filium ejus de cœlis, quem suscitavit, Jesum, qui eripuit nos a ventura ira.* Nos ergo sanctæ hujus fidei cultores, ac Christianæ legis sectatores profiteamur secundum substantiam Dei Verbum carni unitum, unumque Christum Deum, eundemque hominem cum propria carne adorandum. Testamur vero corde, perhibemus pura mente, confitemur modesto ore, Filium Dei crucifixum carne, mortem pertulisse carne, factumque ex mortuis primogenitum, secundum quod in ipso permanet perfecta vita credentium, qui ut Deus, omnium vivificator est fidelium.

Hæc, dilectissimi, scribo, ut pax et concordia Ecclesiarum conservetur, et indissolubile charitatis vinculum permaneat, donaque divinæ largitatis non minuantur. Trinitatem in unitate veneramus et credimus Patrem Filiumque sic initio fuisse, ut procedentem ab utroque Paraclitum confitemur et colimus, non tres deos, sed unum tantummodo Deum: cui fideliter persolvamus debita, ut nobis relaxare nostra non dedignetur crimina Dominus ac Receptor noster, qui tanta in servis suis miracula mirabilis operatur, et majora horum videbimus, adjuvante illo cujus majestas et pulchritudo, immarcescibilis gloria, virtus et honor inæstimabilis permanet in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO DE NATALI DOMINI.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Ecce in his diebus impletum cernimus quod voce Isaïæ propheta dicitur: *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Ecce virgo concepit absque virili semine, virgo parturivit absque aliqua carnis infestatione. Ejusdem enim filii natiuitate humanæ plebis lætitia augmentatur: cujus ortu inimicus nostræ substantiæ mœrore confunditur. Ille etenim adversarius noster, qui diluculo ut Lucifer oriebatur, qui in paradiso Dei deliciarum cibus delectabatur, cecidit de cœlo et a lire promeruit: *Si ut aquila exaltatus fueris, inde a Domino turpiter detraheris.* Ille quidem inimicus humanæ substantiæ, qui

A dixerat se similem Altissimo, per superbiam elapsus, rugiens ut leo, quærit quem devoret. Non quærit hominem infidelem, non iracundum, non illos qui foris sunt, sed quærit humilem, modestum, rationabilem, vel aliquem de Ecclesia Christi dejicere nititur. Iste invidus hominem de paradiso Dei ejectum in hanc miseriam et convallem lacrymarum misit, et beatum Job a Deo longe facere voluit, nec potuit. Ipsi enim immaculato et simplici viro dicitur: *Virtus ejus in lumbis ejus, et potestas in umbilico ejus.* Igitur per primi hominis inobedientiam, in mundum intravit mors et miseria: per natalem vero secundi hominis ingressa est salus et lætitia. Stella solem dedit: Virgo Deum hominem absque homine; virga florem parturivit. Si Maria virgo non permansisset, non utique Filium Dei genuisset. O quam laudanda virginitas! Ait beatissimus Isaïas: *Exiit virgo de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet (Isai. xi, 1).* Virgo mater est Christi, simplex, humilis et immaculata, nullo germine extrinsecus cohærente, et ad Dei imaginem secunda unione. Necessarium revera erat hominibus, ut virgo Dei Filium conciperet, Satanæ quidem molestum, nobis autem fructuosum. De illo flore quem virga Jesse protulit, scriptum est: *Ego flos campi et lilium convallium.* Si virginitas virgini non prodesset, propheta Virginem de Virgine nasciturum non significasset. Optima tamen est continentia vidua's, melior autem castitas virginalis. Aliter autem lex Moysi data erat. Scriptum est enim: *Beatus qui habet semen in Sion. Et Maledicta sterilis quæ non parturit.* Et alibi: *Non erat in tribubus eorum infirmus.* In lege vero Domini nostri Jesu Christi dicitur: *Lætare sterilis: nec te lignum arbitreris aridum.* Habebis locum pro filiis et filiabus tuis in æternum. Nunc etiam qui infernus est, fortior efficitur, testante Apostolo, qui ait: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Igitur quia Christus ante omnia sæcula, ex æterno Patre genitus est, divinæ virtutis ineffabile sacramentum fuit. Quam vero ex virgine nobis visibilis, ut homo, apparuit, humanæ gratia salutis exstitit. Mors mundum ingressa est per Evam; vita vero perdita restauratur per Mariam. Postquam eum Virgo in utero concepit, Virgo lumen quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum parturivit: *Cujus principatus super humerum ejus, qui est Deus fortis, pater futuri sæculi (Isai. ix, 7).* Maledictio adversus omne genus humanum prolata soluta fuit. Quis autem hoc divini consilii posset æstimare secretum, quod Virgo in utero acciperet, Virgo Deum ante omnia a Patre genitum sine matre parturiret? Deusque invisibilis per hominem visibilem appareret, et conditione humanæ mortalitatis mortem suscipiens, nulla corporeæ generationis lege conceptus de originali utero humana sub lege prodiret, ipsaque ejusdem Mater virgo incorrupta permaneret? Itaque Christus absque matre ante sæcula natus de invisibili patre, nec sibi, sed humano generi necessarium, sine carnali patre secundo nascitur ex visibili matre. Et quia periclitabamur per primæ mulieris inobedientiam, oportebat

ut salvemur per feminam. Gaudeat genus humanum, Christus enim nascitur, et vilibus pannis obsitus in præsepi animalium ponitur. Vilitas quidem pannorum magnum et inenarrabile est sacramentum. Illa enim vilitas pannorum a magis adoratur, ipsique puero in præsepio jacenti, et super angelicam creaturam regnanti, *aurum, thus et myrrha* offertur. Aurum decet regem, *thuris* oblatio magnum sacerdotem, *myrrha* vero mortuorum sepulturam. Aurum quidem significat Filium Dei ex Virgine natum, jam in terra regnare. Thus vero summum sacerdotem se pro nobis hostiam Patri cœlesti offerre. Myrrha vero eundem Virginis Filium pro salute humani generis sepeliri et resurgere. Panni ergo quibus Virgo mater infantem circumligat, nostra scimus esse peccamina, dicente propheta: *Vere infirmitates nostras tulit, et peccata nostra ipse portavit*. Per hos viles pannos manifestum est ipsum nostra suscepisse delicta. Quod autem ponitur in medio duorum animalium, inæstimabile est Dei mysterium. Ecce impletum est quod voce Abacuc prophetæ dicitur: *Domine, audivi auditum tuum, et timui; consideravi opera tua et expari: in medio duorum animalium*. Bene autem Filius hominis inter villa ponitur animalia. Ipse est enim vita hominum, pabulum angelorum, et pabulum jumentorum. Oportebat ergo ut ille qui erat panis vivus, inter duo animalia in cunis vagiens mitteretur. Ipse est enim qui ait: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*. Ipse est Agnus mundus, cujus illibatam corpus postquam a sacerdote fuerit atrectatum, et ab omni fideli populo comestum, permanet illæsum et inconsumptum. Postquam ergo impletum est quod de partu Virginis prophetæ prodiderunt, et patriarchæ præconati sunt, omniaque completa quæ per Gabrielem angelum de Christo oportebat fieri, competens fuit ut novus homo procedens de homine mundus, virgo exutus de virgine, novam sibi acquireret familiam: ut qui in cœlo adorabatur ab angelis, angelos etiam sibi institueret in terris. Deinde baptizari voluit a Joanne, rex a milite, Dominus a servo. Non quod aliqua commisisset facinora, sed ut nostra per ejus baptismum delerentur peccamina. Ipsum enim aqua non mundavit, sed eam ingressu suo, qui baptizabat in Spiritu et veritate, benedixit. Deinde populo annuntians verbum vitæ et veritatis quosdam fert esse discipulos, alios autem evangelistas. Gemini namque fratres, id est Jacobus et Joannes, relicto patre suo Zebedæo et navi, Salvatorem sequentes curam familiaræ et affectum sanguinis unanimiter postponentes reliquerunt. Post hæc multi alii discipuli, quibus a Domino Jesu dictum est: *Si quis vult post me venire abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*. Sic enim Scriptura continet divina. Nemo miles cum uxore pergit ad prælium. Si quis vult sequi vestigia Redemptoris, omnia relinquat, neque post tergum, quemadmodum uxor Loth perspexit, respiciat: *Nemo enim mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei*. Si quis vero habet unde animam suam a fraude iniinici redimere

A possit, pauperes nutriat, hospitalitatem sectetur, nudum vel vilis vestimento cooperiat. Cum autem Christus de terris ad cœlos ascendere, de inferno ad superiora transire vellet, ut discipulis suis longe antepredixerat, mortem pertulit, ut mortuos peccato liberaret. Prædicavit, ut viam salutis nobis ostenderet. Resurrexit, ut vivificatos vivere faceret. Cujus, carissimi, nos sequentes vestigia non placeamus nobismetipsis, sed Deo et proximo. Sic enim Jesus cum pacem annuntiaret populo, discipulis ait: *Non veni facere voluntatem meam, sed illius qui misit me*. Cum enim Filius hominis voluntatem Dei adimpleret, Judæi dicebant illum peccare in Deum, qui potius Filium non recipiendo quem miserat, Patrem exprobraverunt, et ideo Filium Dei qui nil commiserat, crucis patibulo sine causa affixerunt. Peccata ergo peccantium ceciderunt super Christum, qui innocens inventus quasi blasphemus occisus est. Deinde victor Dominus Jesus exspolians loca tenebrarum, tertia die resurrexit, et in cœlos unde descenderat feliciter ascendit. Quomodo autem humanitas ascendit, nisi quia Deitas prius descendit in inferiores partes terræ, ut humanæ uniretur naturæ? Descendit enim cœlestis Deitas, ut ascenderet Redemptoris humanitas. Ipse est una eademque persona. Semper enim in Patre, semper a, ud Patrem, semper fuit cum Patre. Post ascensionem quoque humanitatis Spiritum sanctum in igneis linguis apparentem discipulis misit. Spiritus quidem Filii virtus est, quæ de illo exibat, et sanabat omnes. Dicitur tamen a Patre procedere, et ad ipsum referri solet: de quo et ipse est, et quod ipsius est. Ipse namque Christus perhibet, dicens: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me*. A Patre enim habet Filium ut sit Deus. Est enim de Deo, Deus. Ab illo habet ut de ipso procedat Spiritus sanctus. Igitur, fratres carissimi, debita veneratione frequentemus adventum Domini nostri Jesu Christi. Fugiamus superbiam, ne in infernum obruamur, ut mali angeli. Superbia enim homo inflatur, avaritia quatitur, ambitio delectatur. Nolite de divitiis sæcularibus gloriari; nolite aliis præferri, ne cogitatio mala subrepat; et qui nunc auratas vestes concupiscitis hactenus sedere in sordibus placeat, ut et vos Christo placeatis: cui est honor cum Patre invisibili per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IN ANNUNTIATIONIS FESTUM.

De tripartita solemnitate beatissimæ Virginis Mariæ, fratres carissimi, in qua angelus annuntiat, Virgo concipit, unigenitus ingenti Filius carne vestitur, pauca dicenda sunt, quamvis multimoda laude dignus sit qui nuntiat, dignior quæ per aurem concipit: dignissimus autem qui nuntiat, dignior quæ per aurem concipitur. Hæc est dies salutifera, debita veneratione a nobis celebranda, quæ terrena cœlestibus conciliat; in qua ad nos Redemptoris divinitas descendit, ut ad cœlos nostra conscenderet humanitas. Hæc est illa sollemnis dies quæ ab angelo sumit exordium, qualiter Virginem de Virgine nasciturum nuntiavit, qua-

liter Virginem virtus Altissimi obumbravit, qualiter A
 incontrectabilis Deus dignatus est contrectari, qui
 est æternum lumen quod illuminat omnem hominem
 venientem in hunc mundum. Hæc est dies sollemnis
 quæ nos de terris ad superna extollit et elevat, ac
 super cœlos cœlorum honorifice sublimat, ut vobis
 præsens sermo declarabit. Ejecto siquidem primo
 homine per lignum scientiæ a Domino vetitum et
 incongrue gustatum, fallacia dæmonum homines per
 illecebras vitiorum errantes decepit, decipiendo cap-
 tivavit, et captivando in tenebras exteriores demer-
 sit. Ibi fletus et stridor dentium auditur, testante
 Domino. Cum enim gloria diaboli excitasset ambitionem,
 ambitio provocasset invidiam, genus humana
 de terris ad cœlos transferri dolebat. Nam quia
 miserabiliter deciderat, solatium suæ miseriæ sibi
 per hoc inferebat. Considerans igitur Pater perditionem
 humani generis per serpentis fallaciam, mundum
 liberare dignatus est per unigeniti Filii sui incarnationem,
 ut quoniam femina per exhortationem dæmonis
 ejecta erat de sedibus paradisi, per salutationem
 angeli gloriam mereretur excipere immortalitatis.
 Decepit Evam exhortatio inimici, confortavit Mariam
 salutatio Gabrielis. Nuntiat angelus ut fallacia di-
 aboli destruat: obumbratur Virgo virtute Altissimi,
 nuntiante angelo, ut femina reparetur jam dudum
 decepta a Satanæ nuntio. Incorruptibilis Deus carne
 ves itur et descendit, ut per hanc secundum hominem
 Jesum ascenderet vetus homo, qui, fructu incongrue
 gustato, ad hanc miseriam et convallē lacrymarum
 devenit. Legitur namque quod cum mulier C
 decepisset virum suum, dictum sit ei a Domino: *In
 dolore paries filios, et ad virum conversio tua, et ipse
 dominabitur tui.* Hæc tria incommoda patiuntur,
 quæcunque Mariæ virginitatem non imitantur: ac si
 ei Dominus diceret: Quando ad virum conversio tua
 erit, serviuti illius subjeceris; cum autem parturires,
 doloris et tristitiæ detrimenta patieris. Hæc autem
 tria excluduntur a felicitate Virginis Mariæ, et non
 tantum ab ipsa Virgine, sed ab omnibus quæcunque
 suam Christo devoverint virginitatem. Venite igitur,
 virgines, quæ Virgini virginitatem vovetis, vovete
 Virgini corporis integritatem, quæ Domino illibatam
 exhibuit castitatem. Quanti ergo meriti eadem Virgo
 fuerit, audite. Non enim tantum meruit allocutione
 angelica visitari, sed intra claustra virginalis uteri
 illum comprehendere qui nullo modo poterat
 comprehendere. Mater nostra Eva tribus malis
 aggravatur, beata vero Maria ab his excluditur,
 et tripartita felicitate lætatur. Salutatione etenim
 angelica confortatur, confortata benedicitur, et plenitudine
 gratiæ secunda esse nuntiatur. Sic enim scriptum est: *Mis-
 sus est angelus ad virginem.* Hanc esse virginem
 confitemur, de qua in Isaia legitur: *Exiet virga de radice
 Jesse* (id est, Virgo Maria), *et flos de radice ejus
 ascendet,* id est Christus. Ipse enim in Canticis
 Canticorum perhibet dicens: *Ego flos campi.* Et
 ingressus ad eam dixit: *Ave, gratia plena, Dominus tecum.*
B. nediq. tu in mulieribus, et benedictus fructus ven-

tris tui. O vocem angelicam plenam suavitatis et
 ketitæ! Cum enim dixit, *Ave, Maria,* salutationem
 cœlestem Virgini exhibuit. Cum autem dixit, *Gratia
 plena,* ostendit exclusam esse illam sententiam, per
 quam primi parentes longe a Deo facti sunt, et restitu-
 tam supernæ benedictionis gratiam, per quam liberati
 a servitute intra paradysum introducti sunt. Cum
 autem protulit: *Benedicta tu in mulieribus, et
 benedictus fructus ventris tui,* non tantum fructum
 ventris ejus benedictum expressit, sed omnium quæ-
 cunque sequentes Mariam Virginem in virginitate
 permanserint. O Virgo benedicta, o Virgo a Condi-
 tore mundi perelecta! illum qui ante omnia sæcula
 genitus est, absque matre ab æterno Patre, concipies,
 mater effecta absque alicujus viri copulatione. Ibi
 B enim auricula uxor fuit, angelicus autem sermo maritus
 exstitit. Virgo concipies, et post partum virgo
 permanebis, et Filius Dei in te descendet, ut qui
 ascensus erat cum sublimitatis potentia et claritatis
 suæ gloria ad Orientem, convertat gratiam majestatis
 suæ ad Occidentem. Non te confundat auditus,
 non perturbet conceptus. Non est enim iste conceptus
 necessitas, sed Dei inestimabilis potestas. Vestietur
 carne, et in tuo virginali utero se recondet, et Filius
 Dei filius hominis esse incipiet, permanens semper
 quod erat. Incommutabilem namque illum credimus,
 sed misericorditer assumens quod non erat, ut in te
 comprehendi possit, quem totus orbis bajulare non
 potuit. Per hunc conceptum non minorabitur virginalis
 castitas, sed magis in te ampliabitur castitatis
 integritas. Mater Conditoris facta es, cum ipse esset
 apud Patrem: et cum nasceretur ex te Matre mansit
 apud Patrem. Semper enim cum Patre, quia absque
 principio, non habet initium temporale. Semper
 enim cum Patre, qui permanet absque initio et fine.
 Facta es scala cœlestis, virga Aaron præ cæteris
 floruit; id est præ cæteris virginitate digna splenduit.
 Facta es scala in quam gloria cœlestis descendit
 ad inferiora, quatenus humilitas ad cœli subveheretur
 altiora. O nova et inaudita conjunctio! O ineffabilis
 et miranda permistio! Qui enim omnia ex nihilo
 creaverat, creatur; qui capi non poterat, comprehenditur;
 qui omnes divitiis affluentes facit, pauper efficitur;
 Christus, qui perfectus est, evacuari dignatur. Dicitur
 enim se evacuasse a forma D
 Deitatis in tempore, ut ditaremur ejusdem cœlesti
 perfectione. Ergo, fratres carissimi, Virginem deprecemur
 ut hominibus Deum conciliet, et terrena cœlestibus
 concordet. Interveniatur pro præteritis, exorans
 Filium pro futuris. O Virgo, da non tantum cibum
 corporalem, sed angelorum panem intra tui uteri
 claustra descendentem, fac ut timeamus Filium Dei.
Initium enim sapientiæ timor Domini. Si enim quis
 timet Dominum, mandata ipsius custodiet: deinde
 carnalis purgatio sequetur, ut divini luminis radios
 considerare valeamus. Postquam enim carnalis purgatio
 nobis dabitur, illuminatio cordis nostri sequetur.
 Audi itaque, et inclina aurem ad preces nostras. O Virgo,
 quæ merito a nobis laudaris, quæ

post partum virgo permanens a nobis veneraris, ora pro nobis Deum, ut præbeat constantiam, largiatur patientiam: ut concordia firmetur, tolerantia augeatur, ut cum venerit dolor mœroris et miserix, calamitatis et tristitiæ, nos Filio tuo unigenito digneris præsentare, qui est unus Deus: quem in substantia unum, in personis trinum confitemur; qui in omnes, et super omnes, et in omnibus nobis; qui ex parte exquiritur, ex parte autem cognoscitur: qui non vult mortem peccatoris, sed ut a via sua mala convertatur. Ora, ut perfectum lumen efficiamur; ut collaudemus te in gloria Filii tui: cui est honor et potestas, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO BEATI ELEUTHERII

ANIMAM AGENTIS AD DEUM PRO FIDE ET ECCLESIA
TORNACENSI.

Catholica fides non tres deos, sed unum Deum credit et confitetur, adoratur et veneratur. Unitas permanet in Trinitate: perfecta Trinitas consistit in unitate. Deus verus, idem D. N. Jesus Christus, de Patre vero secundum divinitatem natus est; juxta humanitatem vero de virgine illibata genitus est. Ab utroque Spiritus sanctus, qui corda incredulorum ad agnitionem veritatis converti faciat, procedit. Filius par Patri ingenito, Spiritus sanctus æqualis Filio ejusdem unigenito; Filius æternum lumen de æterno lumine processit: lucerna indeliciens ab illa invisibili claritate effulsit, cum Virgo Maria æterni Judicis Mater prænuntiata de Spiritu sancto concepit, et Virgo in castitate permanens Dei Filium terris edidit, et post admirabilem partum in virginitate consistens Christum Jesum divino lacte nutrit. O sancta illa pronuntiatio angelica! Mittitur angelus Gabriel ad Virginem mysticæ rei nesciam. Mater Redemptoris ancille assimilatur, cum ab illa angelo respondetur; ait enim: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Igitur Filius Dei caro factus, ut sermo angeli adimpleretur, de gloriosa Virgine nascitur divina inspiratione: in præsepe jacitur, deinde pastoribus ab angelo nuntiatur. Omnia regit regnans in cœlo, parvulusque Dei Filius jacet in præsepio. A matre virgine nutritur, et a magis cum muneribus adoratur. Qui ut humilitatem potentix, et magnificentiam divinitatis suæ nobis ostenderet, omnia. ut homo absque crimine, dignatus est possidere. Peccatum non habuit, mortem pertulit, et nobis morte sua vitam immortalis exhibuit. O mira unigeniti Dei nativitas! O miranda filii hominis prædicatio! O inaudita tanti juvenis sapientia! Prodierat in synagogis Filius Dei, omnesque scribæ et legis doctores per Spiritum sanctum convincit: non tamen ei aliquam secundum quod Filius Dei est, eodem Spiritu inferente virtutem. Filius enim qui æterno Patri cœternus est, nunquam alterius auxilio eguit, quia perfectus est, et in sæcula sæculorum benedictus. Sapientes sapientiam mundo inauditam admirantur. Quam ob causam Filium hominis Judæi a Juda impio et sceleratissimo traditore traditum flagellant, et opprobriis insequuntur. Itaque Christus Jesus,

qui propter salutem humanæ fragilitatis ad exinanitionem spontaneam se inclinavit, obtulit quidem proprium corpus, non pro se, sed pro nostra redemptione, æterno Patri hostiam veram, hostiam Deo placentem in odorem suavitatis. Quo enim sacrificio vel oblatione egeret, cum liber ab omni peccato, ut Deus, existeret. Quod si omnes peccaverunt, et egent gratia Dei, peccatis namque et malis facinoribus humana ægrotavit natura: ipse vero non ita, licet servi imaginem acceperit, et mortem spontanea voluntate su cepit. De Patre D. N. Jesu Christi sentiebat David propheta cum dicebat: *Redde mihi lætitiâ salutaris tui, et spiritu principali confirma me (Psal. L).* Pater enim principium omnium est, cum quo omnia Filius fecit, Rex regum, pater universitatis, et reformator sæculi labentis. Inter hæc verba sancti viri dolor vulnerum atque animi ipsius duriter coarctabat. Quid faceret? Imminere obitus sui diem videbat, et ecclesias quas intra muros construxerat lapsuras esse sciebat. Itaque cum fletu conversus oravit dicens:

Omnipotens, clementissime Deus, qui in tribus sanctis patriarchis tuis, Abraham videlicet, Isaac et Jacob, voluisti trina invocatione gloriosum nomen tuum invocari, ut per unigenitum Filium tuum Jesum catholicæ fidei cultores eximii agnoscerent, et perfecte crederent, quod in Trinitate perfecta Deus sis Pater ingenitus, æqualis Filio unigenito, atque compar Spiritui sancto: Pater verus, qui Filium verum ante mundi constitutionem et ante rerum stabilitatem genuisti, qui Spiritum sanctum ex te procedentem de cœlis ut corda discipulorum tuorum corroboraret, et nomen Christi hominibus clarificaret, transmisisti: cujus vera Trinitas consistit in unitate, una Deitas permanet in Trinitate, par Filio, æqualis Spiritui sancto. Nihil enim majus tibi, nihil minus alteri. Es enim idem ubique Deus, ubique tua majestas, tuum imperium, tua potentia, qui omnia ex nihilo per Unigenitum tuum formasti: qui descendens in uterum incontaminatæ Virginis formam servitutis nostræ dignatus es accipere, et perfectus Deus perfectum hominem induere, ut hominibus subveniret factus caro, et non credentes ad viam veritatis converteret, incarnatus homo. Qui post partum Virginis puer collocatus in cunabulis humilitatem conditionis sibimet exhibuit: qui pastoribus vigilantibus, magisque Æthiopiæ stella præcunte ostensus est ab angelis gaudentibus: qui tentationes diaboli et pro nobis opprobria cæteraque tormenta sustinuit, ut nos a laqueis visibilium et invisibilium hostium liberaret, nostrorumque criminum maculas detergeret, crucis patibulum pertulit, ut nos ad gloriam cœlestis curiæ, quam per Adam perdidimus, renovaret; et filius hominis incarnatus est, ut filios hominum filios Dei cœlestiumque bonorum participes faceret: Tibi supplico, qui auctor nostræ resurrectionis exististi, ut nobis introitum cœlestem aperires, et imperium diaboli captivares, et ascendens in cœlum admirabili virtute tua captivitatem nostram duceres captivam: qui morte

tua mortuis vitam, et captivatis reddidisti medelam. Te clementer invoco, te misericorditer appello, ut Tornacenses Ecclesias, quantum potui mea parvitate sublimatas, et omnia habitacula sanctorum ab omni inquietatione dæmonum conserves et defendas, sublimes et extollas. Oves meas pauculas præsentés et subsecuturas, usque in ultimam generationem custodias : ut sciant quia mitis es, Pater misericordiæ et pietatis ; dator scientiæ et veritatis. Illis autem qui me indignum famulum tuum usque ad mortem gladiis et fastibus insecuti sunt, benigne indulge, meque cum sanctis tuis in horreum tuum digneris congregare. Illis etiã, piissime Deus, qui memoriam meam devote coluerint, largire fidem, confer amicitiam, clementissime Deus, qualiter pro fide catholica, pro religione Christiana delectari, clementia tua non ignorat. *Omnia siquidem nuda et aperta sunt oculis tuis. Ecce nunc tempus resolutionis meæ appropinquat. Æterne Deus, quid faciam ? Mitte me ut sequar David dicentem : Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.* Et iterum ait : *Sitivit anima mea ad Deum vivum : quando veniam, et apparebo ante faciem Dei ?* Si potest fieri, permitte me assimilari B. Job, dicenti : *Comparatus sum luto et assimilatus sum favillæ et cineri.* In te confido, Deus meus, te quæro, te videre desidero, quem semper in terris positus colui : cui me tota dilectione devovi, libera me, qui es benedictus in sæcula sæculorum.

Et mox, iterum prorumpens in laudes Dei, ait : Filium illum esse perhibet fides catholica, cui per prophetam clamat Pater, et dicit : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et iterum : *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.* Ipse est Jesus Christus Dominus noster Patri æqualis invisibilis, procedens de invisibili, alterius de æterno, immortalis de immortalis : qui naturam humanitatis nostræ juxta subsistentiam sibi met uniens ex ipsa corporea et virginali alvo sustinuit nativitatem. Non quod necessario gloriosa illa nativitate eguerit, sed ut ipsas nostræ substantiæ sanctificaret primitias : quatenus etiam dum Christus carne unitus a benedicta Virgine Maria processisset ; illa tam misera maledictio, quæ adversus omne genus humanum prolata fuerat, cessaret, nec ulterius animas et mortalia corpora morti destinaret, atque ut verum esse monstraret, quod voce prophete prædixerat : *Absorpta est mors in victoria.* Et alibi : *Abstulit Deus omnem lacrymam ab omni facie* : ipse est Christus filius Virginis Mariæ, qui surdis auditum, cæcis visum restituit ; siccis pedibus mare deambulavit, demonia effugavit, ventos et maria placavit,

A mandavit leprosos, curavit paralyticos, mortuos suscitavit, Judæisque dicebat incredulis : *Si verbis meis non creditis, saltem virtutibus et miraculis credere debetis.* Unus est in Christo Filius Dei, qui sicut in veritate Filius Dei est invisibilis, ita in veritate Christus est visibilis. Induit etenim hominem perfectum Deus perfectus, ut exhiberet perfectam salutem hominibus. Et de Spiritu sancto audiamus prophetam orantem et dicentem : *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Temeritatis quidem magnæ est separare Filium a Patre, Patrem a Filio : Spiritum sanctum quasi non procedentem ab utroque. Inseparabilis enim Deus et inconvertibilis et impassibilis est. Filius, ut supra dictum est, æqualis Patri : Spiritus sanctus nec superior, nec melior ipso est, sed par Patri, æqualis Filio, procedens ab utroque : Spiritum sanctum omnipotens Deus misit in mundum, ut Filium suum clarificaret ingenitus unigenitum. Quia vero Christus Filius Dei humana miracula faciebat, leprosos curabat, mortuos suscitabat, et cætera mundo inaudita, et ad demonstrationem Deitatis, virtute proprii Spiritus utebatur, ab ipso *glorificari* dicebatur. Verumtamen non est idoneum affirmare, quod D. N. Jesus Christus sit a Spiritu sancto clarificatus, ut pote qui per eum aliena virtute usus fuerit, et per eundem Spiritum virtutem contra immundos spiritus assumpserit ; sed potius debemus confiteri ejusdem Spiritum per quem tam præclara miracula fecit. Affirmare etiam convenit omni credenti, illum oblationem vel sacrificium non pro se, sed pro redemptione humani generis obtulisse Patri, cum nulla oblatione eguerit, qui peccatum incontaminatus nescierit. Propterea credat et affirmet fides catholica vivificatricem et propriam ipsius Verbi carnem esse factam. Vita enim naturaliter, ut Deus existens, quia proprie carni unitus est, vivificatricem eam professus est. Quia vero dicit : *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam æternam* : non tamen eam ut unius hominis debemus existimare. Juxta naturam enim suam quomodo posset esse vivificatrix caro unius hominis ? Fugiat infelix Judæus : destruat qui nativitatem Christi denegat hæreticus. Collaudant Deum in personis trinum, in subsistentia vero unum Deum fideles : quem miseri in ira exspectant poenis infernalibus dati, quorum consortio gaudent mali angeli, justi autem exspectant pro remuneratione laborum, quorum collegio Dei gratulantur angeli, adjuvante illo cujus beneficia præstantur infirmis, per quem gaudium datur afflictis : cui sit decus, imperium, potentia, cum Patre ingenito et Spiritu sancto per infinita sæcula sæculorum. Amen.

ANNO DOMINI DXXXIII.

SANCTUS FULGENTIUS

RUSPENSIS EPISCOPUS.

Epistola Dedicatoria.

Illustrissimo Ecclesiæ principi D. D. CAROLO MAURITIO LE TELLIER, Remensium archiepiscopo ac duci, sanctæ sedis apostolicæ legato nato, Belgicæ secundæ primati, primo Franciæ pari, capellæ regis præfecto, etc.

Ut ratio beneficiorum cesset, quorum nobilissimæ tuæ genti debitor sum, ea sunt in te, illustrissime archipræsul, propter quæ hanc operum sancti Fulgentii novam editionem tibi dicari oportuit. Nam cum doctrinæ sanctorum Patrum universæ te fautorem eximium adhuc exhibuisti, tum præsertim eorum scriptis indulgere studio tuo, patrocinioque visus es, in quibus exstant disciplinæ veteris monumenta. Idque adeo non usurpas vel captandæ oblectationis, vel inanis gloriolæ aucupandæ studio, ut ex eo maximæ utilitates in Christianam rempublicam redundarint. Nam exemplo tuo et sacrarum Litterarum amatores excitavisti ad ecclesiasticæ antiquitatis memoriam vestigandam attentius, et pastores animarum induxisti ad priorum Ecclesiæ sæculorum consuetudines curiosius observandas. Neque enim satis episcopali muneri fecisse arbitratus es, nec provinciæ tuæ vicis, pagis, urbibus, locis omnibus toties perlustratis, et pastoribus oribusque ad exsequenda rite Christianæ pietatis officia qua commonendo suaviter, qua vehementer exhortando compulsis; nec instituto apud Remos clericorum seminario, quos aleres de tuo maximam partem, et ad rei sacræ ministerium per viros idoneos curares informari; nec sacrarum ædium exornatione, refectione, structura; nec sublevata passim familiarum egentium calamitate; nec subversis hæreticorum Sedanensium scholis, et magistrorum in eis docentium regni stipendio, de ipsius regis concessione, in doctorum catholicorum alimenta converso; nec denique omnibus officiis archiepiscopalis curæ plenissime defungendis: nisi tuam pro commisso grege sollicitudinem faceres quodammodo perpetuam, et ad tuos successores imitandam transmitteres, descriptis et compactis in unum corpus, quæ Remensium diœcesi ex instituto apprime Christiano regendæ necessaria iudicasti. Nam cætera, quæ in luce totius regni quotidie suscipis apud regem Christianissimum, per eam qua polles usquequaque gratia; apud hominum eruditorum conventus, quos sæpissime convocas; apud cleri Gallicani comitia pro divinarum rerum tuenda majestate, pro asserendis Ecclesiæ Gallicanæ juribus, pro doctrinæ purioris defensione, quid attinet commemorare, cum in oculis omnium versentur? Itaque dum illustrissimus Galliarum cancellarius parens tuus in moderandis per universum regnum iudiciis, principi ac civibus fidem approbat suam, quam variis maximisque publicæ rei ministeriis toto vitæ decursu exercitam retinet etiamnum plenus animi roborisque in senectute summa; dum illustrissimus marchio frater tuus belli pacisque administrandis rebus paternum in principem obsequium æmulatur, tu sacrorum continendis rationibus invigilas, ac potissimum institutis Ecclesiæ ad antiquæ pietatis exempla revocandis. Hoc agebas nuper in Gallicano episcoporum conventu alter præses constitutus, cum politicæ auctoritatis jura ad ecclesiasticæ potestatis momenta eo temperamento dirigebas aptasque, ut, adhibitis cautionibus, quas cum summa dicendi gravitate afferebas, neutra quidquam alteri officere, ambæ mutuo possent adjuvare quamplurimum: in eoque et filii reverentis in sedem pontificiam, et subditi obsequentis in regem animum præstitisti. Fave igitur, illustriss. archipræsul, la'ori nostro, et hæc opera sancti Fulgentii emendata recens atque in lucem denuo prodeuntia nominis tui patrocinio tuere, hoc est, asserere tui suffragatione iudicii, ejus doctrinam episcopi, cujus apostolicum studium religionis augendæ, firmandæ, excolendæ, agendo, sentiendoque imitari contendis.

Tibi addictissimus et obsequentissimus,

GUILLELMUS DE-PREZ.

PROLEGOMENA.

PRÆFATIO.

Omnibus quidem Patrum scriptis ea dos inest, ut non solo mentes veritatis fulgore perstringant, sed simul intimum quemdam pietatis sensum cordibus legentium inserant. Haud scio tamen an ullius propria magis laus illa fuerit quam Fulgentii, cujus ex scriptis is caritatis spirat ardor, ea spiritus ubertas exundat, ut pectus Deo plenum non intelligas modo, sed sentias.

Augustini discipulum scias, non magis ex consensione dogmatum quam ex similitudine virtutum, varisque ingenii ac morum ornamentis quibus ille totum Augustinum expressit.

Est quidem Augustini stylus aliquanto cultior, et a sæculi sui vitis intactior, cum Fulgentio nunquam curæ fuerit abstergere sæculi sui situm, at idem in utrisque mentis vigor, idem acumen, idem sententiarum pondus, eadem ingenii felicitas, eadem in tractandis Scripturis diligentia, dexteritas, affluentia, eadem morum æquitas, suavitas, mansuetudo, idem caritatis ardor ex scriptis emicans, idem pro veritate zelus. Nec disparēs utrique hostes. Nam et Augustino frequens cum Arianis luctatio fuit, et Fulgentio hæc hæresis per totam vitam exercuit; cum Semipelagianis orientibus conflictus Augustino fuit, cum iisdem adultis Fulgentio, pari utrobique successu. A neutro enim hic error in totum compressus est, sic tamen ab utroque revictus et depressus est, ut utrique tota se Latinorum theologorum cohors semper adjunxerit.

Eam igitur cum inter Ecclesiæ scriptores locum merito Fulgentius obtineat, multis ecclesiasticarum literarum amantibus ægre erat ejus opera tam incuriose adhuc habita, ut alienorum potius scriptorum accessio fuerint quam in proprium collecta volumen suo jure steterint. Quod cum emendatum cuperet vir clarissimus, de tota Gallia ac de litteris præsertim bene meritis, novam Fulgentii editionem, pro ea qua pollebat auctoritate, quamprimum adornari præcepit. Hæc illa est quæ nunc in lucem prodit: in quam mihi eorum qui editioni præfuerunt rogatu aliquid præfatio nihil potius visum est, quam ut eorum quæ supersunt Fulgentii operum brevem quamdam seriem instituerem, eorumque occasiones et argumenta strictim exponerem.

Fulgentius igitur ex regio procuratore monachus, tum monasterii præpositus, deinde presbyter, mox episcopus, ac continuo cum aliis Africæ episcopis in Sardiniam relegatus; atque inde a Trasimundo, nescio quem litterarum amoreni præ se ferente, ob singularem ingenii et eruditionis famam revocatus in Africam: post primum illum e Sardinia reditum, pro Ecclesiæ tum defensione, tum institutione varia scripsit.

Prima ejus lucubratio ea videtur esse cujus in hac editione hic titulus est: *Sancti Fulgentii contra Aria-*

A nos liber unus ad decem objectiones decem responsiones continens. Ac objectionum quidem mira tum barbaries, tum obscuritas; responsiones nihilominus luculentæ, et ad Patrum superiorum doctrinam exactæ. Hinc est quod illum Scripturæ locum, *Dominus creavit me initium viarum suarum*, non de æterna, sed de temporali Christi generatione intelligendum docet; quem tamen non incommode posteriores ad æternam Verbi generationem referunt, creandi verbo non deterriti, cum Hebræa potius sonent quod habet editio Vulgata, *Dominus possedit me initium viarum suarum*.

Huic libro subjungendi sunt tres ad Trasimundum, quorum occasionem ipse exponit in limine. Felix quidam regis minister nescio quod scriptum ad Fulgentium a rege detulerat raptim ac festinanter legendum, seu libandum potius, statimque extorserat: huic tamen ut quam primum a Fulgentio responderetur rex nihilominus perurgebat. Nunquam certe iniquius comparata concertatio fuit. Quis enim unquam libro respondere jussus est cujus lectione prohiberetur? Pugnæ tamen conditionem accepit Fulgentius, me, ut ipse loquitur, *aut fastidio tumidus, aut taciturnitatis culpa obstrictus putaretur.* Et quæcunque ex subitaria illa lectione in memoriam hæserant tribus libris acerrime repulit.

Hos quidam Arianorum episcopus nomine Pinta refellere aggressus, a Fulgentio item egregie confutatus est. Cæterum quominus illud scriptum esse credam quod hujus editionis p. 535 hunc titulum præfert: *Pro fide catholica adversus Pintam Arianum*, multa me deducunt. Primum quod nulla hic Pintæ, nec librorum ad Trasimundum, nec totius hujus concertationis mentio. Deinde quod illa quam affert *ἁποστολικὴ* interpretatio Fulgentio Græce non leviter erudito non satis convenit. Itaque longe probabilius tum Sirmundus tum alii hoc opus Fulgentio abjudicant, tametsi illud et in Africa et in persecutione Vandalica scriptum constet.

Non multo post Arianorum invidia in Sardiniam iterum pulsus, libros ad Monimum aggressus est. Erat is ex præcipuis ejus amicis, virtutis etiam ac eruditionis laude præstans. At cum in sancti Augustini doctrina rudior esset, in eam venerat opinionem, ut ad bonum, sic ad malum homines a Deo prædestinari, in eamque sententiam quædam Augustini loca torquebat; sed Fulgentio plus quam sibi credens, rem totam ejus judicio permiserat; enixe rogans ut quid de ea re sentiendum esset præscribere non gravaretur. Id Fulgentius primo libro luculenter exsequitur. Negat ex Augustino homines ad malum prædestinari, cum Deus hæc tantum prædestinet quæ ipse facturus sit; ex quo fit ut sicut mala facere a Deo alienum est, sic item ad malum prædestinare; sed quia malorum poena malum non est, sed mali potius medicina, ad pœnam recte ho-

mines dici prædestinatos docet, licet Deus ad culpam A non neminem prædestinet. Atque hoc primi libri argumen- tum est, quem de Prædestinatione librum Florus appellat. Secundo præter alia nonnulla, toti Trinitati sacrificium docet offerri, nec verum esse quod Ariani pertendebant soli Patri sacrificari. Tertio varias eorumdem Arianorum refellit argutias.

De Remissione peccatorum libri duo, his ad Monimum subjungendi sunt, quos in exsilio scriptos claret ex ejus Vita. In his Fulgentius veniam peccatorum nec extra Ecclesiam a Deo concedi docet, nec extra vitam; solum enim vitæ spatium agendæ cum fructu poenitentiae a Deo præstitutum.

De ea autem venia loqui Fulgentium patet qua quis ex injusto fit justus, ex impio pius. Cæterum utrum justis post hanc vitam poenæ quædam temporariæ B exsolvendæ supersint, quarum liberatio precibus et bonis operibus impetretur, id Fulgentius neutram in partem attingit.

Ad idem secundi exsilio tempus referri debent variae epistolæ, quæ hoc ordine scriptæ videntur.

Primo loco collocanda est quam ad Probam Romanam virginem dedit, et genere et virtutibus clarâ. Erat illa ex Aniciorum familia, in qua tam Probæ nomen frequens quam consulatus: spretisque quibus innutrita fuerat deliciis, virginitatem Deo sacrarat, Romanisque puellis non castitatis modo laude prælucebat, sed etiam humilitatis exemplo, quarum virtutum studio, sæpe cum Fulgentio egerat per quemdam Dei servum ut aliquid sibi tum de virginitate, tum de humilitate scribere dignaretur. Paruit C Fulgentius, Christo in fratribus obsequi solitus, et de isto argumento tractatum ad Probam instituit, in epistolarum quidem censum relatam, sed quem tamen ipse libellum appellat.

Ejusdem item hortatu duos de Jejunio et Oratione libros scripserat: quos quidam nihil aliud esse putant quam quartam epistolam, quæ de Oratione et Compunctione cordis ad Probam inscribitur. At illa cum in explicanda Christi gratia, humilitate et compunctione cordis tota versetur, nec de oratione quidquam separatim habeat, horum librorum titulo de Jejunio scilicet et Oratione non satis apte respondet.

Non minus illustre Gallæ nomen, quam ut a Fulgentio litteris compellatam, sic a sancto Gregorio laudatam non improbabiler Baronius existimat. D Hæc Symmachi consulis filia, et consuli nupta, mox intra annum vidua, mundi illecebras semel experiri satis habuit, ac dissuadentibus licet medicis, et si continentiam sequeretur, ob nimium calorem, barbam non frustra minantibus, statim a viri morte in monasterium se abdidit: quo comperto Fulgentius scriptis ad eam litteris et de viri morte consolatus est, et de viduitatis statu et officiis erudiit.

Simili caritatis ardore Theodorum Romanum senatorem et consulem, qui sæculi fastum Christo posthabuerat, in sancto proposito multis monitis confirmavit. Ex quibus istud merito commendat Baronius: *Multum gaudeo quod jam sæcularis dilectionis nexibus*

non teneris, et mundum contemnendo calcas, a quo cum diligeres calcabar. Quamvis enim Christus æqualiter sit pro cunctis fidelibus mortuus, et æquale cunctis beneficium redemptionis impenderit, dicente Apostolo, Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis, non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina; omnes enim vos unum estis in Christo Jesu: tamen conversio potentium sæculi multum militat acquisitionibus Christi. Sicut enim multi fratres, amici, clientes, ac subditi, noti pariter et ignoti, talium auctoritate ad mundanæ dilectionis excitantur ardorem, et eo magis igne sæcularis concupiscentiæ succenduntur, quo sublimis sæculi dilectione mundana libenter captivos teneri conspiciunt, ita quoties ille qui respicit terram, et facit eam tremere, qui tangit montes, et fumigabunt, dum terrenis rebus intenta corda misericorditer respicit, et consideratione judicii sui tremere compellit..... in talium tremore plurimi contremiscunt, et in talium conversione multi ad subsidium miserationis divinæ confugiunt. Ita fit ut qui sunt in culmine constituti, aut plurimos secum perdant, aut secum multos in via salutis acquirant. Magna tales vel poena manet, si multis præbeant malæ imitationis laqueum, aut gloria, si multis ostendant sanctæ conversationis exemplum. Nec minus notandum quod idem habet de duplici superbia. Damna bilis est, inquit, cordis humani superbia qua facit homo quod Deus in hominibus damnat; sed illa detestabilior qua sibi tribuit homo quod Deus hominibus donat; damnabilior qui substantia sæculi male utitur, sed damnabilior qui spiritualibus donis superbus effertur.

Reliquarum Fulgentii epistolarum tempus incertum, illiusque præsertim quæ prima censetur. Cujus argumentum, satis perplexum. Nupta cuidam viro mulier accepta, inquit Fulgentius, in gravi morbo manus impositione, poenitentiam secundum morem quem habet Christiana religio peregerat, cui poenitentiae annexum erat continentiae votum, a marito tamen voluntate suspensum. Id viro adhuc juveni scrupulum injecerat, de quo ad Fulgentium retulit. Nodum ergo Fulgentius generali doctrina dissolvit. Nec a marito nec ab uxore citra mutuum consensum continentiam rite voveri posse. Cæterum si quis venti consenserit, ei mutandi propositi jus non esse, præstandumque prorsus cuique esse quod Deo promiserit, aliqua licet necessitate compulsus: nec aliud tunc contra carnis tentationes remedium, quam precum, et strenuæ contra concupiscentiam luctæ. Nec defuturum divinitus auxilium ubi plena fuerit continentiae voluntas, et ab oratione atque operibus bonis non destiterit vera cordis humilitas.

Subjicienda huic videtur epistola ad Eugypium sive Eugypium abbatem simul et presbyterum nonnullis lucubrationibus clarum. Ab hoc acceptam benedictionem, hoc est, quemadmodum interpretor, munusculum, multa Fulgentius grati animi testificatione remuneratur; et multo caritatis ardore succensus in commendanda caritate totus est.

Epistola ad Venantiam externam et ignotam Fulgentio feminam cujusdam Junilii familiaris sui precibus concessa est. Hac peccata post baptismum commissa poenitentia deleri posse docet, ad spem veniæ, sed poenitentiam conjunctam hortatur, variisque ueris modis ad poenitentiam vocari et allici, in quibus corporis infirmitates non postremo loco esse, ut qui, *abutendo sanitate infirmitatem nobis peperimus, per infirmitatem sanitatis beneficia reparamus.*

Epistolis accensetur tractatus ad Donatum de Fide. Cujus occasio fuit propositum illi ab Arianiis argumentum quo Patrem majorem, Filium minorem efficere tendebant. In hoc primum laudat probatque Fulgentius quod, etsi ei non fuerit respondendi facultas, *veritatis tamen firma credulitas in corde ipsius permanserit.* Mox fidem catholicam de una in tribus personis natura, deinde Incarnationis doctrinam rejectis erroribus luculenter exponit.

Nil commodius his epistolis subjici potest quam tractatus a Fulgentio in causa Maxentiana elaborati: non illi quidem uno tempore nec continenter scripti, sed propter materiam conjunctionem minime separandi. Horum argumentum ex istius controversiæ historia petendum, e qua hic pauca libabimus.

Quis iste Maxentius et cujus fuerit apud eruditos non satis constat. Neque enim audiendus Usserius, qui illum eundem esse vult cum Antiocheno Joanne cujus Gennadius in Catalogo meminit, cum nec ætas utriusque nec sententia conveniat. Monachorum certe Scythiæ dux fuit sive defensor, iisdem quibus illi sensibus implicatus, non tamen Scythia: eam enim a se opinionem ipsemet amoliri studuit. Abbatis sibi nomen et titulum sumpsit, at id adversariis suis non persuasit, qui tacitum ab ipso monasterii sui nomen itemque abbatis sub quo professionem emisisset invidiose objectaverunt. In Occidente certe natum aut educatum stylus arguit non plane rudis, et genuinam istius ævi Latinitatem referens.

Induxerant autem sibi in animum illi monachi Scythiæ eorumque fautor Maxentius, hæresim Nestorianam et Eutychanam non satis excludi posse, nisi *unus e Trinitate passus* assereretur. Multos tamen offendit hujus locutionis novitas, nec conciliorum, nec Leonis Magni, nec ecclesiastici usus auctoritate nixæ. Brevisque totus Oriens in partes scissus, hanc formulam probantibus aliis, aliis damnantibus. At nihilo segnius Scythiæ monachi, nihil de vehementia remittere, instigante Maxentio, præferendi ingenii viro, et in quo moderationem nonnulli desiderarunt, jure an injuria, nihil definitio.

Itaque primum ad legatos sub id tempus Constantinopolim ab Hormisda Romano pontifice missos hæc causa delata, mox a monachis illos causæ suæ iniquiores expertis Romam ad ipsum Hormisdam translata est, missique ea de re Romam a monachis legati, quorum Petrus diaconus unus fuit.

Non est hujus loci referre quem exitum Romæ monachorum legatio habuerit, quoque pacto illorum doctrina et formula ab Hormisda primum non leviter

exagitata, tantumque non hæreseos damnata; post, sub Joanne II pontifice, ipsiusmet Joannis et imperatoris assensu, totiusque Ecclesiæ conspiratione probata sit. Illud tantum observare nostri est instituti, Scythas monachos omnia sibi Romæ infesta nactos, episcoporum Africae in Sardinia exsulantium suffragia sibi conciliare studuisse.

Itaque vertente anno 520 aut 521 reddita est Petri diaconi et sociorum ejus nomine, Datiano, Fulgentio cæterisque confessoribus in Sardinia exsulantibus, quædam expositio fidei ad epistolæ modum concinnata, additis precibus, ut Africani Patres quid de tota hac controversia sentirent rescribere dignarentur. Atque ut qua de re ageretur plenius nosset, suam ipsi sententiam de Christi tum persona, tum gratia, accurate exponunt, formulam *unus de Trinitate passus est* a calumniis vindicant; postremo Pelagium, Celestium et Julianum simulque Fausti libros anathemata, percillant.

Non defugerunt Africani Patres de fide interrogati de fide respondere, suumque de propositis questionibus sensum expromere. Ac de Incarnatione quidem præclare subtiliterque disputarunt, de illa vero formula, *unus de Trinitate passus est*, minus acute, cum ejus loco, quasi ejusdem sensus, hanc locutionem usurpent, *una de Trinitate persona crucifixa est*; quam tamen ita sensu diversam existimabant qui huic formulæ *unus de Trinitate passus est* iniquiores erant, ut cum illam admitterent, hæc funditus repudiarent.

Atque ut monachorum scriptio magna ex parte in explicando gratiæ prædestinationisque mysterio versabatur, sic Africanorum Patrum responsio in iisdem capitibus confirmandis muniendisque multa est. Quod utrique ea de causa opportunum necessariumque putaverunt, quia, delatis Constantinopolim Fausti libris, magnæ hinc inter multos exortæ lites erant; dum alii Augustini doctrinam quasi novam inauditamque respuerent, alii, in quibus monachi Scythiæ, strenue illam defenderent, Faustumque vehementer oppugnaverent. Ea vero dogmata quo loco habuerint ostendit totius responsionis clausula, in qua sic loquuntur episcopi: *Hujus prædestinationis veritatem qua nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione præferre, si ante ultimum diem vitæ præsentis impietatis suæ contumaciam, qua Deo vivo et vero rebellis obsistit, non abjecerit, manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis eligit ac prædestinavit ad regnum*

Nec satis fuit Scythiis monachis hanc ab Africanis episcopis scriptionem ellicuisse, sed cum nihilominus Constantinopoli hæc contentiones efferverent, ipsos Fausti libros ad eos mittendos curaverunt. Quibus Fulgentius egregiam responsionem opposuit septem libris comprehensam, in quibus profundam viri calliditatem detegebat, et infesta catholicæ fidei dogmata pondere Scripturarum ac Patrum elidebat. At hujus

præstantissimi operis, et inter Fulgentii libros longe præcipui jacturam tandiu dolebunt ecclesiasticæ eruditionis amantes, quandiu tanto et tam exoetendo thesauro temporum injuria fraudabuntur.

Vix hoc labore defunctus erat Fulgentius, cum Trasimundi morte, quæ anno 523 contigit, episcoporum Africanorum mutata sors est. Eos enim Hildericus in catholicam fidem propensior ab exilio revocatos sedibus suis restituit, ac novorum ipsi episcoporum in demortuorum locum sufficiendorum facultatem concessit.

Hic reditus aliam Fulgentio vitam, aliorum laborum occasiones attulit.

In his primum obtinent locum tres de Veritate prædestinationis et gratiæ libri ad Joannem, credo, Maxentium et Venerium Constantinopolim missi, quorum tertium Chiffletius Jesuita, vir de litteris ac de Fulgentio præsertim bene meritus, primus publici juris fecit.

Addiderunt episcopi ante exsules, tum vero in patriam reduces, egregiam epistolam ad eosdem Joannem et Venerium, in qua præcipua Christianæ gratiæ dogmata ad Augustini mentem et placita diligenter exponunt; hos autem libros in concilio Parisiensi anni 823 et Aquisgranensi anni 836 laudatos reperies.

Ex prolixo in Fabianum opere duodecim libros complexo nonnulla demum excerpta, sed longiuscula Chiffletius edidit. Erat autem Fabianus non mediocris nominis Arianus, qui cum Fulgentio alicubi congressus, sparsis super eo colloquio falsis rumoribus, eorum refellendorum ipsi necessitatem attulit.

Ad idem tempus referri debet scriptus ad Victorem liber adversus Fastidiosum. Hic quondam catholicus, imo monachus, et in monasterio presbyterii dignitatem adeptus, carnis illecebris turpissime victus, professionem primum, mox fidem quoque penitus abjecerat, et ad Arianos defecerat. Hujus ergo sermonem sibi a Victore missum refellens Fulgentius neutiquam consequens esse docet ex essentiali Patris et Filii et Spiritus sancti conjunctione, ut simul cum Filio Pater et Spiritus sanctus humanæ se naturæ copularint.

Postremus Fulgentii labor ille est quo Regini comitis rogatu duo explicare statuerat: primum quid de controversia nuper inter Alexandrinos Eutychianos exorta sentiendum esset, utrum Christi corpus statim ab Incarnatione corruptionis expertis existisset, an tale demum post resurrectionem factum fuisset; deinde quid militari viro servandum ad retinendam colendamque in eo vitæ genere pietatem. At necdum absoluta priori hujus operis parte ad cæleste regnum evocatus est.

Post ejus mortem (ita flagitante Regino) Ferrandus diaconus inchoatum opus absolvit, multis prius indignum se professus qui Fulgentii successor haberetur. *Nunquid, inquit, sic repletus sum sapientia sicut ille? Nunquid eadem mihi facultas eloquii? Nun-*

quid similis mihi data est auctoritas dignitatis? Aut vel ipsa saltem conversationis innocentia talis est mihi?

Superiores Fulgentii lucubrationes ut potuimus certis temporibus assignavimus. Sunt aliæ in quibus idem præstare non licuit, in quibus primum occurrit egregius tractatus de Fide ad Petrum. Erat autem Petrus non diaconus, ut perperam in titulo hactenus dictus est, non monachus, ut a Blondello (*De Primatu* p. 412) primum, post incaute a Noricio creditus est, sed vir militaris, qui Hierosolyman profecturus, et ne quid sibi hæreticæ pravitatis subreperet metuens, fidei regulam a Fulgentio flagitarat. Hujus ergo pietati morem gesturus Fulgentius, sed temporis exclusus angustiis, post uberiorem de Trinitate, Incarnatione, angelorum et hominum creatione lapsuque, ac variis aliis capitibus disputationem; ad extremum fidei dogmata quadraginta articulis astringit, quibus quisquis obloqui ausus fuerit, eum pro hæretico habendum denuntiat. Hæc illa est, opinor, fidei regula quam sibi a Fulgentio mitti Ferrandus postulaverat, et quam eodem nomine designat Isidorus. Diu tamen ille tractatus Augustini operibus admixtus est; at postmodum variis argumentis, ac præsertim styli colore Fulgentio eruditorum consensu restitutus, imo sub ejus nomine dudum a Bertramo laudatus est. In Sardinia scriptum putat Noricius, propter eam quam in operis calce habet persecutionum mentionem; sed non satis firma conjectura. Potuit enim et præteritarum meminisse, et futuras animo præsagire.

Incerti temporis tractatibus accenseri debent tum libellus de Trinitate ad Felicem notarium, tum de Incarnatione Filii Dei ad Scarilam.

Priori occasionem dedit Felicis postulatio, qui hæreticorum convictui ac sermonibus expositus, nec satis ad illos refellendos instructus, a Fulgentio doceri voluit quo pacto illis resisti possit. Cui tam pio desiderio obsecutus Fulgentius, non modo catholicam de Trinitate fidem adversus Arianorum argumenta egregie defendit, sed de aliis quoque fidei capitibus præclare disseruit. In hoc opere cujusdam Patris loca tacito nomine laudata reperies, quorum pleraque saltem Augustini sunt.

Alterius operis argumentum sic narrat ipse Fulgentius, ipsiusmet Scarilæ verbis: *Dum ad mensam, inquit, Christiani catholicæ Ecclesiæ filii Eventi de Dei Incarnatione locutio nasceretur, unus ex convivis hoc de Incarnatione asseruit, quoniam non Deus Pater carnem induit, sed solum Dei Filius. Et alius dixit: Ipse Deus qui unus est in tribus dignatus est carnem assumere, ut nostram servitulem, qua per transgressionem patris nostri Adæ obligati detinebamur, ad libertatem perduceret.* Hujus concertationis arbitrum placuit eligi Fulgentium, quem affluentem lumine donatum noverant. Addita est alia de villium et noxiarum animalium, qualia sunt muscæ et scorpiones, procreatione quæstio, quam convivarum nonnulli Deo abjudicabant, alii asserabant.

De utroque ergo capite præclare Fulgentius disputat hoc tractatu cui titulus est de *Incarnatione et vilium animalium Auctore ad Scarilam*.

Dux supersunt ad Ferrandum diaconum epistolæ eu libri, quorum primo Fulgentius respondet propositis a Ferrando quæstionibus de servi Æthiopsis baptismo. Is omnibus catechumenorum officiis egregie functus, mox lethali morbo correptus in extremo pene halitu ad baptismi locum delatus est, ibique sine voce, sine motu, ministris quasi pro infante respondentibus, mente absentissimus baptismum acceperat, statimque sine eucharistiæ participatione excesserat e vivis. Hinc duplex Ferrando scrupulus obortus est. Primum an adultus sufficere ad salutem posset aliena confessio; deinde an qui accepto sacramento baptismi mortis velocitate præpediti carnem Domini manducare non potuerunt, salutis compotes esse possent, cum nota fidelibus essent verba Salvatoris, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Doceri ergo studebat Ferrandus super isto capite, *utrum noceat, quantum noceat, an omnino nihil noceat, si quis baptizatus in nomine Trinitatis sacro cibo potuque fraudetur*.

Duplicem hanc quæstionem separatim Fulgentius expendit: ac priori quidem respondet, sincerum baptismi desiderium prius habitum sufficere, dummodo adhuc vivo, tametsi nihil sentienti, baptismus conferatur; alteri vero, nemini baptizatorum fraudi esse quod morte præventus eucharistiæ particeps esse nequiverit, cum per ipsum baptismum, si minus sacramento, saltem re sacramenti donatus sit. Eam enim vim esse baptismi, ut corpori nos cujus caput est Christus inserat, ac verum ejus membrum efficiat: quæ incorporatio ipso eucharistiæ sacramento significetur.

Altero ad Ferrandum scripto, propositis ab ipso quatuor de Trinitate quæstionibus respondet, et uni de duobus calicibus in cœna datis: quod propterea de *Quæstionibus* inscribitur.

Aque hæc de Fulgentii scriptis quæ librorum aut epistolarum nomine censentur. Addendum aliquid de sermonibus quos magno numero vel scriptos ab eo, vel dictatos oportuit sive ab ipsomet, sive ab aliis pronuntiandos.

Ex eorum numero sunt qui has inscriptiones præferunt:

- De Dispensatoribus Domini, p. 546.
- De Duplici Nativitate Christi Domini, p. 561.
- De Sancto Stephano protomartyre, p. 555.
- De Epiphania deque Innocentium cæde, p. 558.
- De Caritate Dei et proximi, p. 563.
- De sancto Cypriano, p. 566.
- Hi sancto Fulgentio plane digni.

Sermo de sancto Vincentio, p. 570, *ὁμοιοκράτους* ita luxuriat, ut licet hæc figura satis fuerit Fulgentio familiaris, eum tamen alteri libentius quam Fulgentio tribuerim.

Sermonis de loco Michæ, quem habes hujus edi-

tionis p. 572, clausula his verbis expressa, *conversus ad Dominum*, Augustinum mire redolet: non indignus ille adeo Fulgentio; nec item qui de Latrone, p. 567, et qui de Pentecoste inscribitur, p. 569.

De duobus ad calcem additis, p. 664, quid sentendum peculiari nota lectorem monere qui huic editioni præferunt.

In appendicem conjecti sunt varii, quorum nonnulli Augustini sunt, quidam Chrysologi, alii antiqui auctoris Africani, sed perperam omnes Fulgentio tributi.

Miras porro pugnas edit Theophylus Raynaudus ut librum de Prædestinatione et Gratia in appendicem pridem conjectum asserat Fulgentio, quasi in Sardinia scriptum. At potius multo Bellarmini, Possevini, Lovaniensiumque doctorum auctoritas hoc opus Fulgentio abjudicantium, imo suspecti auctoris esse contententium. Parum certe verisimile est ut post librum hoc titulo scriptum, tribus aliis a se scriptis eundem pene titulum indidisset.

Ex his colligi licet Fulgentii opera tritariam partem temporum ratione dividi posse.

Primum temporis spatium illud est quod a primo in Africam ab exilio reditu ad secundum exilium fluxit: huic assignanda sunt ex ante dictis opera sequentia:

Contra Arianos liber unus, ad decem objectiones decem responsiones continens, p. 51.

Ad Trasimundum libri tres, p. 69.

Secundum spatium totum secundi exsiliis tempus complectitur: cui ascribenda sunt opera quæ sequuntur:

Ad Monimum libri tres, p. 3.

De Remissione peccatorum ad Euthymium libri duo, p. 360.

Ad Probam epistolæ duæ: quarum prima est de Virginitate et Humilitate, p. 163; altera de Oratione et Compunctione cordis, p. 177.

Ad Gallam consolatoria de mariti Morte et de Statu viduitatis epistola una, p. 151.

Ad Theodorum de Conversione a sæculo epistola una, p. 186.

De Conjugali Debito et Voto continentie una, p. 144.

Ad Eugypium abbatem de Caritate una, p. 182.

Ad Venantiam de Recta Pœnitentia una, p. 190.

Tractatus de Fide ad Donatum, p. 197.

Fulgentii et aliorum quorundam episcoporum Africanorum, ad Petrum diaconum et alios qui ex Oriente in causa fidei Romam missi sunt, de Incarnatione et Gratia Domini nostri Jesu Christi liber seu epistola 17, p. 286.

Tertium tempus, a secundo in Africam reditu post Trasimundi mortem ad vitæ Fulgentii finem extenditur; huic assignanda sunt illa:

De Veritate prædestinationis et gratiæ ad Joannem et Venerium libri tres, p. 434.

Epistola episcoporum Africanorum de gratia Dei et humano arbitrio ad Joannem et Venerium, pag. 269.

Contra Fabianum libri duodecim quorum fragmenta exstant, p. 577.

Contra sermonem Fastidiosi Ariani ad Victorem liber unus, p. 340.

Epistola ad Reginum, p. 525

Incerti sunt temporis opera sequentia.

De Fide seu de Regula veræ fidei ad Petrum, pag. 500.

De Trinitate ad Felicem notarium, p. 328.

De Incarnatione Filii Dei ad Scarilam, p. 406.

Ad Ferrandum epistola ad quæstiones de salutæ Æthiopiæ moribundi, p. 216.

Ejusdem ad eum Ferrandum de quinque quæstionibus, p. 229.

Atque hæc quidem e Fulgentii laboribus reliquæ adhuc supersunt. Cæterum multo plura ab illo scripta non conjecturis modo, sed certis indicis constat. Nam præter eximium illud contra Faustum opus, quod alicubi fortasse in bibliothecarum angulis delitescit, sunt alia quorum inventiendorum vix ulla spes est.

Primum nusquam exstat vera illa responsio adversus Pintam, quam tamen ab ipso scriptam constat.

Nusquam exstat liber Altercationis quo de fide cum Trasimundo rege disputavit, a sancto Isidoro memoratus.

Nusquam exstat liber de Spiritu sancto ad Abragiam, quo multis Scripturarum locis Spiritum sanctum unum cum Patre et Filio Deum probabat.

Nusquam exstat præclara epistola ad Cartaginenses, *sublimi*, ut habet ipsius Vitæ scriptor, *exhortatione perspicua, ubi pene cunctos dolos et fallacia blandimenta, quibus infelices animæ seducebantur ad mortem, gravissima conquestione digessit.*

Nusquam exstant duo de Jejunio et Oratione libri quos ad Probam ab eo scriptos constat.

Nusquam exstant duæ ad Stephaniam nobilem feminam et suo et episcoporum nomine in Sardinia scriptæ. Ex quibus locum Arianus quidam in suum sermonem transtulerat.

Nusquam exstat epistola ab ipso scripta ad quemdam Joannem episcopum; qua luculenter probabat criminum reum sæculari judici non esse tradendum.

Nusquam exstant libri decem ad Fabianum, ex quibus nonnisi fragmenta supersunt.

Hæc de operibus Fulgentii præfari visum. De quibus quis fuerit antiquorum sensus ex Isidoro scribi potest, a quo dicitur in *Scripturis divinis copiose eruditus, in loquendo dulcis, in disserendo subtilis*. Eruditus certe noni sæculi viris non leve studium fuit magnas ex ipso lacinias excerptendi; tota vero Ecclesia Lugdunensis hoc ipsum elogio dignatur: *Beatus antistes et gloriosus confessor, qui ob admiranda et veneranda scripta semper ab Ecclesia fideliter receptus, et inter scriptores ecclesiasticos laudabiliter numeratus est.*

Est certe singularis in ipso vis ingenii, non vulgari suavitate condita. Sunt tamen qui ipsum astrictiorem vellent et in iisdem sententiis versandis re-

petendisque minus crebrum. At hoc ipso sensus suos altius animis et clarius insigit.

His prænotatis, ea nunc breviter indicanda quæ postremam hanc editionem commendant.

Primum non parvi referre visum est omnia summi viri scripta separatim jam haberi posse, nec ut antea vel in variis demum voluminibus dispersa reperiri, vel in immensum postremæ Patrum Bibliothecæ pelagus immersa latere.

Deinde, quod majoris etiam momenti est, cum in cæteris editionibus, dum errata priorum posteriores inconsulte sequerentur, mendarum numerus auctus potius esset quam immiautus, in hac certe in his emendandis repurgandisque multum laboris impensus est, multa sensu plane carentia in integrum restituta: cujus curæ fidem faciunt appositæ ad paginarum calcem notæ. Atque utinam in hoc labore amplius progredi licuisset, eaque mss. copia præsto fuisset, quibus permulta quæ obscura manserant illustrari potuissent! Est tamen aliquid cæteris in hac emendandi diligentia præviisse, eosque ad hanc operam majoribus adjumentis præstandam excitasse.

Capitum partitiones aliquoties inmutatas lector offendet, sed mutationis causam facile deprehendet: tanta enim incuria sectiones illæ olim factæ fuerant, ut non raro eadem periodo in duas partes scissæ; prior præcedentis capituli clausulam, altera sequentis exordium faceret, ac sic tota sententia lucis prorsus et intellectus experta esset.

Si ubi vero operum tituli nonnihil vel mutati, vel aucti, tum vel ratio simul addita, ne temere factum videri possit; quod animadvertere est in tractatu de Fide ad Petrum, ubi expunctum recte diaconi nomen novumque additum titulum in nota probatum est ex ipso Fulgentio; vel si hoc quandoque prætermisum est, ipsa se legentibus ratio prodet, et quasi in oculos incurret. Sic enim libro de Incarnatione Filii Dei additum est in titulo *et vitium animalium auctore*; tum quia istius operis pars fere dimidia in hoc argumento versabatur, tum quia clarius hac accessione tractatus ille ab alio distinguebatur hunc titulum præferente, *de Incarnatione et Gratia.*

Erant forte qui mirentur ex medioeri volumine tot opera in appendicem relegata. Sed id non sine justis evidentibusque causis factum in cuiusque operis fronte demonstratum est; nec id privato iudicio tentatum, sed eruditorum suffragiis diligenter expensis.

De duobus sermonibus additis et quid videretur expositum, et res tota ad lectorum arbitrium remissa est.

Additus est mss. impressorumque codicum ex quibus hæc editio emendata est index ad hujus voluminis calcem.

Nec omittendum hic est debitum Chiffletio Jesuitæ eximie eruditionis viro, grati animi testimonium, ob singulare ejus de Fulgentio et de hac præsertim editione meritum. Quas enim ex variis olim codicibus bibliothecæ Cartusie ad Portas exscripserat variantes in omnia fere Fulgentii opera lectiones, eas ille be-

nignissime cum iis communicavit qui postremæ isti A editioni emendandæ operam dabant : ex quibus illi quæ excudenda restabant Fulgentii scripta correxerunt, serius acceptas in variarum lectionum syllabum accurate retulerunt.

Hæc sunt quæ ad publicam utilitatem promovendam vel tentata, vel effecta sunt. Quæ si minus rerum ipsarum pretio, voluntatis certe ac studii merito, æquis iudicibus probatum iri non immerito sperare nobis videmur.

S. FULGENTII EPISCOPI RUSPENSIS VITA,

A (a) quodam ejus discipulo conscripta

AD FELICIANUM EPISCOPUM SANCTI FULGENTII SUCCESSOREM.

PROLOGUS. Duo doctoribus catholicæ Ecclesiæ necessaria, vita bona et sana doctrina. B. Fulgentius præcessor Feliciani episcopi.

1. Omnis Novi Testamenti fidelissimus dispensator, in quo loquitur Christus, sancte Pater Feliciane, ut exemplo suo credendum sibi facile persuadeat, operum honorum curam maximam gerit, et quidquid aliis faciendum dicit, ipse primum facit. Sine causa quippe nititur docere sapienter, nisi vixerit innocenter. Duo igitur Ecclesiæ catholicæ doctoribus necessaria judicantur : vita bona et sana doctrina. Vita enim bona commendat sapienter docentem, doctrina sana ornat bene viventem. Vita bona facit amabilem, doctrina sana laudabilem. Vita bona continuo creditur imitanda, doctrina sana nunquam judicatur esse repudianda. Vita bona tollit occasiones detrahentibus, doctrina sana resistit contradicentibus. Propterea mihi diutissime beati Fulgentii pontificis (tui scilicet præcessoris, a quo simul nutriti sumus), et nomen et gratiam cogitanti, dum frequenter ante oculos cordis mei magister egregius versaretur, dolebam tanti viri solatio caruisse populos Africanos. Et quamvis ille gaudiis cœlestibus oblectandus ad meliora migraverit, apud nos tamen modo similem deesse doctorem, sapientiæ ejus bene conscius suspirabam,

2. Dabatur sane flebili recordationi quædam respiratio, quotiens dulcissimos libros ejus, aut epistolas, aut quos dedit populo præsertim sermones, vel ego legebam, vel legentes alios audiebam. Verumtamen in illis præclaris opusculis ingenium viri sapientiamque posse agnosci tacitus considerabam : cujus autem justitiæ, probitatis et misericordiæ fuerit, et quomodo laudabiliter vitam suam (quod tu bene nosti) cum familiaribus suis transegerit, sicut docuit vivens, scire plerosque non dubitabam, latere tamen plurimos sentiebam. In posterum vero, ne oblivione longa conversationis ejus bona nescirentur, semper et vehementius formidabam. Dixi ergo diu cogitans : Ecce fulget beati Fulgentii sana doctrina, quoniam leguntur ab omnibus libri ejus. Quasi ille loquitur, quando codex ejus titulus nonine legitur : qui autem fiet ut similiter nota sit omnibus vita ejus bona? Quan-

(a) P. Chiffletio aliisque videtur quod a Ferrando Ecclesiæ Carthaginensis diacono, propter rationes ab ipso allatas in præfatione ad opera Fulgentii Ferrandi Divione edita anno 1649. Alios tamen hæc non convincunt, cum Vitæ auctor videatur a latere Fulgentii non discessisse, nec id de Ferrando possit affirmari. V. Bolland. 4 Jan., p. 32, § 3.

(b) In ms. Colb. nec non in Vita a Chiffletio edita iuxta opera Ferrandi, ubi presbyter habitabat. In An-

diu vivunt adhuc qui noverunt eum vel a certissimis testibus aliquid de ejus virtutibus audierunt, potest illi præsens memoria verum testimonium perhibere. Quid ageret ventura progenies? Quid in transmarinis partibus longe constituta fidelium turba? Cum pervenerint ad notitiam lectionis, in qua idem beatissimus pontifex absens loquitur, mortuus vivit, admirabuntur profecto sapientiam : unde cognoscent innocentiam? Sicut ergo clara est ejus doctrina, sic clarior fiat etiam vita. Loquamur et narremus fratribus nostris quomodo tantus pontifex vixerit.

3. Nec timendum est ne minore facundia sacerdotem, qui per universas orbis Ecclesias magnum nomen obtinuit, ego faciam parvum. Cujuslibet enim sit meriti oratio mea, nec augere poterit tanti viri merita, nec minuet : sed proficere tantummodo ad testimonium caritatis, in qua illi semper inhaerere desiderans, salutiferis ejus monitis ad suscipiendam professionem monachorum conversus, in illo parvissimo monasterio quod sibi apud Sardiniam pro Christi nomine relegatus effecerat, ubi jam tu presbyter (b) habitas, diebus ac noctibus, ante eum positus vixi, quando me super mel et favum dulciora cœlestis ejus eloquii flumina frequenter (c) irrigabant. Et nisi sterilitas arenæ ingenii præpediret, centesimum fructum gleba nostri pectoris attulisset. Sed indignus ego de tanta plenitudine vix exiguum capere valui portionem. Tuæ tamen paternitatis orationibus fretus, libelli præsentis laborem suscipere cogitavi : in quo omnia quæ memoriter nobis audientibus ipse referebat, et illa insuper quæ oculis nostris aspeximus, aut ut jam positi in doctrina illius quemadmodum sint gesta non ignoramus, breviter explicabo : notam falsitatis incurrere nullatenus timens, cuncta quippe senilem tuam paternitatem minime latent. Nec tibi nunc aliqua quasi nescienti dicuntur, sed tuo potius testimonio confirmanda simpliciter (d) digeruntur.

CAPUT PRIMUM. Genus Fulgentii. Mariana mater Fulgentii. Fulgentii institutio. Paternam domum gubernat. Procurator ordinatur.

4. Beatus igitur et vere Fulgentius, nobili secundæ tuæp. editione, habitas. Hinc Joannes Molanus in sua ad eandem editionem præfatione, scriptam arbitratur hanc vitam ad Felicianum S. Fulgentii successorem in monasterii regimine, non vero in episcopatu.

(c) Ms., rigabant, additque hæc, velut paradisi rivus quæ abundantius effluebant verba ex ore ejus, et in modum lacrymæ oculorum ejus rigabant.

(d) In posterioribus editionibus, diriguntur.

dum carnem genere procreatus, parentes habuit ex numero Carthaginensium senatorum. Avus (a) enim ejus nomine Gordianus, dum rex (b) Geysericus memoratam Carthaginem victor invadens, senatores plurimos, imo cunctos, amissis omnibus bonis, ad Italiam navigare compelleret, inter cæteros etiam ipse impositam peregrinationem libenti voluntate suscepit: volens saltem facultatibus perditis, non perdere libertatem (*Vide lib. 1 B. Victoris de Persecutione Vandalarum*). Post cujus obitum duo ex filiis ejus, spe recuperandæ hæreditatis, Africanam provinciam repetentes, manere (c) tamen intra Carthaginem minime potuerunt, domo propria donata sacerdotibus Arianis. Sed possessionibus suis ex parte per auctoritatem regiam repetitis (d) ad Bizacium perrexerunt. Ibi in Tellepte civitate unus eorum nomine Claudius, ex conjugæ nomine (e) Mariana, Christiana scilicet et honesta femina, istum, cui tanta gloria debebatur, feliciter genuit; eumque statim, quasi (f) præsciis qualis esset futurus, Fulgentium nominavit. Quem religiosa mater moriente celeriter patre Græcis litteris imbuendum primitus tradidit: et quandiu totum simul Homerum memoriter reddidisset, Menandri quoque multa percurreret; nihil de Latinis permisit litteris edoceri: volens eum peregrinæ linguæ teneris adhuc annis percipere notionem, quo facilius posset, victurus inter Afros, locutionem Græcam, servatis aspirationibus, tanquam ibi nutritus exprimere.

5. Nec sefellit matrem piam cauta provisio. Sic enim quotiens ei Græce loqui placebat, post longam (g) desuetudinem locutionis ejus et lectionis, non inconditis sonis verba proferebat, ut quasi quotidie inter Græcos habitare putaretur. Litterarum proinde Græcarum percepta scientia, Latinis litteris (quas magistri ludi docere consueverunt) in domo edoctus, artis etiam grammaticæ traditur auditorio: magnitudine ingenii cuncta sibi tradita memoriter et veraciter retinens. Inde tamen domesticorum negotiorum urgente necessitate cito sublatus, paternæ domus gubernationem suscepit adolescens, ita se maternis imperiis subdens, ut ibi quoque Christi existeret imitator, de quo sacra Evangelia contestantur, *Et erat subditus illis* (*Luc. 11, 51*), id est parentibus. Gaudebat venerabilis mater, et præclara indole sapientis filii mœrorem viri amissi consolabatur. Cœperat in illa familia esse, qui amicis obsequium benevolus redderet, inimicos (h) rationabiliter repelleret, servos mansuetus et severus regeret et corrigeret, patrimonium diligens coleret, sublimioribus potestatibus carissimus fieret. Cujus rei gratia, crescente per singulos dies fama ejus, repente procurator ordina-

tur, hinc initium sumens imperandi, et consulendi, ac gubernandi quamplurimos.

CAPUT II. *Felicitas monachorum.*

6. Accepta tamen hac potestate dum clementer utitur, et neminem lædere pro ingenita sibi pietate (al. bonitate) desiderat, atque in exigendis pensionibus crudelitatem jubetur exercere, cœpit sæcularium negotiorum gravis apparere sarcina, et displicere felicitas vana; paulatimque laudabili patientia succedente, cœpit vitæ spiritalis amor exurgere, desiderium lectionis insuper, et orationis iudessum crescere studium. Monasteriorum proinde suavissimos greges frequentius visitans, servorum Dei mores propositumque discibat. Inter abstinentes, nulla esse gaudia sæculi, sed nulla esse etiam tædia sentiebat. In summa abstinentia viventes, videbat neminem calumniatorem timere, sed se invicem diligere. Considerabat etiam multos adolescentes perpetuæ continentiae deditos, ab omni posse abstinere concubitu. Talibus apud semetipsum cogitationibus fluctuabat, atque in hæc verba prorumpens, Cur obsecro, aiebat, sine spe futurorum honorum laboramus in sæculo? Quid nobis aliquando præstare poterit mundus? Si gaudere desideramus, licet sit melius bene flere, quam male gaudere: quanto melius tamen gaudent quorum sic in Deum tranquilla est conscientia, quos minime terret exactoris improbi violentia, qui nihil timent nisi peccata, nihil agunt nisi unde possunt divina implere mandata! Non fatigantur publicis excursibus, non damna rei familiaris coguntur aut flere miserabiliter, aut timere deformiter. Operantes manibus suis non adversantur utilitatibus alienis: vivunt inter sese pacifici, sobrii, mites, humiles atque concordēs. Nulla illis cura libidinis: imo magna sollicitudo et jugis custodia castitatis. Imitemur tam laudabiles viros, arripiamus hanc bene vivendi constantiam. Sit nobis utile quod revelante gratia meruimus meliora cognoscere. Abjiciamus pristinos mores, et mutemus labores. Nitebamur prius inter amicos nobiles apparere nobiliores, nitamur modo inter servos Dei pauperes effici pauperiores. Si coacti sumus exigere debitores, conemur modo convertere peccatores. Solet etiam de publicis exactoribus efficere Christus Dominus noster magistros Ecclesiæ: de telonio enim vocatus est Matthæus, ut apostolus fieret. Neque nos (i) huic honori personam convenire credimus nostram: sed si ille, deposito officio exactionis, accepit officium prædicationis, mihi non licebit, post depositam procurationem, pœnitentis assumere lamentationem? Refugium nostrum Deus est. Nulla de ætatis imbecillitate nascatur excusatio: potens est quippe Deus, qui dat continentiam tantis adolescen-

(a) Sic ms. In reliquis, *denique*.

(b) Ms., *Honoricus*. Ant., *Hunericus et Geusericus*, et in margine, *Geusericus*.

(c) Ms. et Chiff., *manere jam*.

(d) Ms. et Ant., *Byzantium*. Apud Chiff. vero, *ad Bizacium*. Idem habetur in margine apud Ant. edit. additurque *Bythyniam*.

(e) Ant., *Marriana*.

(f) Ms. et Ant., *præscia*. Chiff., *præsciis*.

(g) Sic ms. At Chiff. et Ant. in margine, *consuetudinem*.

(h) Ms., *rationabilis*.

(i) Sic ms. cum Chiff. In Ant. vero, *Nervus* hujus exactoris hono- i.

tibus, quos videmus in (a) monasteriis vivere, mihi A quoque peccatori similem gratiam donare.

CAPUT III. Meditatur monasticam vitam. B. Augustinum legens convertitur.

7. Post hæc verba diutius in suo pectore ruminata, decrevit, Spiritu sancto revelante, sæcularibus omnino renuntiare deliciis, et illius vitæ socius fieri quam laudabat. Prius tamen cogitans ne subita mutatione mentem simul corpusque perturbans, inter ipsa conversionis initia, gravissimum sibi vel impedimentum vel scandalum gigneret, occulte arripuit rara exercere jejunia; dehinc paululum progrediens, antiquorum sodalium tentabat vitare consortia. Segregatus frequenter a turbis, in possessione propria, nescientibus parentibus et clientibus, quasi propter actionis laborem tristis sedebat, et ibi orabat, legebat, jejuna- B bat, epularumque immoderatam copiam minuebat, ad balneas penitus non accedens; et sub ipsa adhuc professione laica, plenus jam monachus conversabatur. Stupebant omnes qui noverant eum, (b) delicati viri mirabilem parcimoniam, causamque mutationis hujus interpretabantur ex angustia natam pusillanimitatis. Apud illum vero per singulos dies amor sanctæ professionis et mortificationis impensior cura crescebat.

8. Aliquando igitur ubi omnia quæ sibi dura videbantur expertus, adjutorio gratiæ spiritualis voluntati suæ sensit suppetere facultatem, beati Augustini exponentis tricesimum sextum psalmum disputatione commonitus et compunctus, publicare suum statuit votum : mutare gestiens habitum, ne vel amabili- C ter ad se venientes pati cogeretur, cum quibus diu sæculariter (c) vixerat. Cogitabat autem vir prudentissimus conversionem sui cordis sibi soli utilem futuram, si latere potuisset; publicatam vero, multis aliis exemplum bonum dimittendi peccata pristina præstituram. Quis enim mediocris aut pauper fieri monachus erubesceret, dum Fulgentium videret genuini fastus arrogantia recedente, duras abstinentiæ vias patientiæ gressibus ambulantem?

CAPUT IV. Ad Faustum episcopum se confert. Fit monachus. Imitantur... alii exemplum ejus.

9. Fuit autem tunc temporis episcopus quidam laudabiliter prædicandus, nomine Faustus, qui pro fide catholica non longe a cathedra sua jussus fuerat relegari. De multis enim sacerdotibus hoc (d) Hun- D neri tyranni persecutoris astuta malignitas ordinaverat, ut juxta patriam propriam peregrinationis in- commodum sustinentes, ad negandum Deum facile flecterentur. In eodem proinde loco ubi relegatus tenebatur, monasterium sibi construxerat, in quo spiritaliter vivens, apud omnes Christianos honorabiliter habebatur. Ad hunc ergo sanctus Fulgentius (fuit quippe ei notissimus) alacriter venit, eique votum sui cordis fideliter indicavit. (e) Ille autem sciens sæcularem omnino juvenem, verebatur talia cre-

(a) Ms., in monasterio.

(b) Ita ms. At reliqui, et tam delicati viri, etc.

(c) Ms., Cum quibus nequiter diu vixerat.

(d) Ms., Honorici.

dere pollicenti, dicens ei, Quare, filii, mentiris, ut ser- vos Dei fallere delecteris? Tunc eris monachus, aut antiquam deliciarum tuarum consuetudinem sic repente mutabis, ut escarum vilium negligentior apparatus, et vestium sordidarum (f) tuum animum non offendant abjectio? Prius est, ut sis saltem laicus minus deliciosus, et tunc forsitan credibile putabo, quod renuntiare sæculo aut velis, aut valeas. Ad hæc ille juvenis magis ac magis inflammatus, repellentis manum suppliciter osculatus, sic oculis in terram depositis precabatur: Potens est, domine pater, dare volenti facultatem, qui nolenti tribuit voluntatem. Permite me tantum tuis inhærere vestigiis; aperi mihi januam monasterii, præbe sanctæ ædificationis adjutorium, fac me unum de discipulis tuis: et Deus novit quomodo me liberet ab iniquitatibus meis. Hæc audiens beatissimus senex, gravissimum putavit supplicantiem diutius spernere; tandemque flexus ad consentiendum, Mane, inquit, nobiscum, filii, sicut vis: experiamur paucis diebus, utrum verbis facta concordent. Utinam superfluum sit timor meus, et professio tua inveniatur stabilis!

10. Postquam igitur supplicanti consensum præbuit sanctus Faustus episcopus, sonuit illico per affines et notos, Fulgentium monachum factum. Gratulabantur boni, confundebantur mali. Quosdam faciebat vita ejus transacta in deliciis desperare; quosdam singularis ingenii notissima scientia magnum aliquid suadebat de profectu ejus velociter sperare. Quidam vero familiares ejus, quibus ab infantia carissimus amicus et fidelissimus fuerat, eum imitari cupientes, ipsi quoque sæculum contempserunt, et se monasteriorum gregibus mortificata voluntate junxerunt.

CAPUT V. Mater ejus proposito excruciat. Matri illum videndi copia negatur. Constantia Fulgentii.

11. Audit hoc mater referentibus multis, ad consortia monachorum fugisse Fulgentium, totiusque domus regendæ atque gubernandæ curam penitus dimisisse, nec omnino jam posse de tali proposito revocari. Turbatur, expavescit, et amoris nimii desiderio concitante, quasi jam Fulgentium moreretur (quanvis bene moreretur, qui sic moriebatur), cœlum nimiis lamentationibus pulsat, et sicut solent matres in funeribus filiorum, modum nescit habere lacrymarum. Rapitur inconsideratis cursibus ad monasterium furibunda, contumeliis et conviciis sanctum Faustum nihil dubitans aggreditur. Redde, in- quiens, filium matri, redde dominum servis. Sacerdotes semper multa beneficia viduis præstant, quare nunc domus viduæ per te perit? Cui patienter (al. sapienter) respondebat episcopus: Si tu mihi filium tulisses, ego te, mulier, deberem quantum dolor imperaret arguere; modo tu mihi juste contumeliam facis, quia ego tibi filium tuli. Quando enim tibi displicet quia serviturus est Christo, bene facis con-

(e) Ms., Ille vero sciens cum sæculariter omnino viventem.

(f) In ms., tui animi propositum.

lumelias inferens Fausto. Sub his etiam sermonibus **A** equanimiter tolerans, et (a) affabiliter arridens, videndi saltem filium nullam prorsus dat licentiam. Illa sciens quantum diligeretur a filio, magnis ante januam monasterii clamoribus ejulabat; et Fulgentii nomen frequentius inclamans, desolationem suam miserabiliter allegabat.

12. Hæc prima beatum Fulgentium tentatio multis viribus impulit, dum (b) suam genitricem, quam semper amaverat, cui maxima devotione servierat, audiret suis auribus flere. Sursum tamen corde positus, audiebat, et non audiebat; nec illius preces advertere dignum putabat, quia pietatem solitam religiosa crudelitate vincebat. Ibi jam futuræ patientiæ in laboribus multis exemplum fidelissimum præbebat, et similis ebrio per spiritalem gratiam factus, utrum **B** mater esset quodammodo ignorabat. Hic eum beatus Faustus episcopus ex toto corde conversum primitus approbavit, et cum gaudio cæteris fratribus dixit: Facile poterit hic juvenis tolerare quemcumque imposuerimus laborem, qui potest maternum jam despicere dolorem. Illa mater dum se plangere sæpius, nec ad se filium prodire cognosceret, in eodem loco eum jam non esse credebat; quia si ibi esset, (c) non ferre posse dolorem matris, adhuc virtutis ejus nescia putabat. Sæpe ergo iens ac rediens, et episcopo molestias, et filio plurimas afferebat insidias, donec tædio victa propria revertetur ad domum.

CAPUT VI. Abstinentia ejus incredibilis. Proficiendi desiderium.

13. Beatus ergo Fulgentius supra credibilem modum laboribus abstinentiæ se cruciabat, sine vino **C** et oleo manducans et bibens, sic parce et tenuiter, ut inediciæ magnitudo siccitam corporis cutem fatiscere diversis ulceribus cogeret, ac superducta quam dicunt impetigine delicati corporis pulchritudo fœdaretur. Putabant plurimi tunc beatum Fulgentium, sub occasione ipsius infirmitatis, aut recessurum simul a proposito sanctitatis, aut reddendum deinceps tepidum, ne vel regulæ communis parcimoniam custodiret. Ille vero contra spem omnium, misericordiz Dei prævenientis auxilio gubernatus, ex infirmitate corporis ampliores animi vires capiebat, et tanto abstinentior, quanto debilior, de salute perpetua jugiter cogitabat, salutem vero corporis arbitrio Domini committebat, hoc plerisque dicens: **D** Scimus omnes ex epulis vitam solere servari, non sanitatem posse conferri. Nam ut sanetur infirmitas, si explenda videtur gulæ cupiditas, quare infirmantur etiam illi qui conviviis lautioribus quotidie saginantur? Tolerabat ergo infirmitatem patienter, exercebat abstinentiam satis humiliter. Parvum namque putans omne quod faciebat, de die in diem melior fieri gestiebat. Hoc propositum cordis ejus miserator et misericors Deus adjutorio superni juva-

minis fulciens, velociter ei corporalem restituit sanitatem.

CAPUT VII. Portionem substantiæ donat matri.

14. Tunc animus viri sapientis altiori pietate commotus, cum tota mente mundum sibi crucifigeret, et ipse mundo crucifixus, iter rectum a juventute sua (*Eccl. I, 20*), sicut scriptum est, ambularet; portionem substantiæ propriæ, quamvis haberet fratrem juniorem nomine Claudium, per donationem soli contulit matri, ut a matre postmodum, si bene servisset, donaretur et fratri. Sic salubri consilio superbiam junioris fratris edomare desiderans, ut qui nolebat esse humilis propter pietatem, disceret humilis esse propter hæreditatem; mater quoque sanctissima post discessum dulcissimi filii, cujus jam non poterat obsequio (*al. præsentia*) lætificari, ejus meruisset beneficio consolari. Quantas tunc ibi universi laudes et gratias Domino retulerunt! cum viderent beatum Fulgentium, sæculari cupiditate calcata, rebus quas distrahere et donare pauperibus non poterat, ne offenderet bonam matrem, renuntiasse penitus, ut Christum invenire mereretur doctorem.

CAPUT VIII. Propter persecutionem de priori monasterio migrat. Coabbas eligitur.

15. Finita jam erant cuncta quæ eum in conversionis primordio videbantur affligere. Sed quia hæc vita nunquam potest sine suis tentationibus præteriri, nascitur rursus talis persecutio fidei, quæ sanctæ memoriæ Faustum episcopum cogeret per diversa latebras commigrare, nec in ipso monasterio jugiter **C** sineret requiescere. Tunc beatus Fulgentius timens aut in illo loco solus remanere, aut de loco in locum frequentius transmigrare, consulto prius episcopo Fausto, vicinum monasterium petiit, ubi paucis, sed simplicibus fratribus Felix nomine abbas præerat, amicus ejus ab adolescentia, cum quo semper etiam laicus familiariter vixerat. Tunc igitur eum Felix abbas cum gaudio suscipiens, imparemque se ejus virtutibus sciens, et nomen et potestatem ei tradidit abbatis. Ille plenus studio humilitatis, (d) excusat privilegium potestatis: et post multa certamina pietatis, ex consensu totius congregationis, passus violentiam caritatis, vix consentit esse collega boni consortis. Ita duo viri sanctissimi, diligentes æqualiter Deum et proximum, ambo moribus similes, ambo meliores proposito, conversatione æquales, unus scientia superior, jugum bonum gubernandæ congregationis excipiunt.

16. O quam felix servorum Dei numerus fuit, quibus cœperat præesse Fulgentius! O quantum fulgebat illud monasterium, cui dispensator permanserat Felix! Dabant sibi mutuis nominibus etiam ipsi non minoris laudis auspiciam. Felix vocabatur Fulgentius viam Domini currens, et fama (e) crescente Fulgentii, capiebat fructum sui culminis Felix. Unus tamen

(a) Ms., affabiliter irridens.

(b) Ms., sanctissimam.

(c) In ms., non dolere, adhuc virtutis ejus nescia, non putabat.

(d) Ant. recusabat. At Chiffi. cum ms. et Ant. in margine, excusat.

(e) Ant., crebrescente.

eorum, beatus videlicet Fulgentius, docendis fratribus peculiariter vacabat, alter in quotidiano ministerio sollicitius laborabat. Supervenientibus fratribus, unus verbum Dei singulariter prædicabat, alter hospitalitatem diligenter præparabat, et hilariter offerebat. Nihil alter sine consensu alterius faciens, sed sic ambo cæteris erant imperantes, ut sub unius se regula crederent constitutos. Ita dum timebat Fulgentium offendere Felix, Felicemque Fulgentius, mortificatis voluntatibus propriis uterque vivebat, et de fratrum quibus consulebant utilitate laudabile, et de mutua quam sibi reddebant invicem subjectione sublimes. Quis istius affectus explicare possit loquendo virtutem? Quos quieta pax adunaverat, nec bella valuerunt feralia separare.

CAPUT IX. *Cogitur fugam capessere cum Felice.*

17. Sed cum subito (a) barbaricæ gentis provincia turbaretur incursu, videntes salutem temporalem fugæ præsidio vindicandam, labores illico perferendæ peregrinationis excipiunt, limatoque consilio procul abscedunt, ubi nulla belli nascentis opinio construendi monasterii præberet integram facultatem. Promovent igitur castra spiritalia duces inclyti cœlestis exercitus, et per ignotas Africæ regiones monachorum suorum caterva comitante pariter gradiuntur, ubique facientes gaudium bonis, invidiam malis. In territorio denique Siccensi dum cogitant certas sedes statuere, regionis fecunditate delectati, virorum etiam fidelium (b) devotione suscepti, presbyter quidam sectæ Arianae in fundo Gabardilla perfidiam prædicans, cui nomen quidem fuit inter homines Felix, sed voluntas adversus Deum semper infelix; natione barbarus, moribus sævus, facultatibus potens, catholicorum persecutor acerrimus, (c) beati Fulgentii nomen in illis regionibus clarum ferri sentiens, reconciliandos multos quos occulte deceperat, suspicatur. Nec virum dignum sacerdotio, vere adhuc esse monachum credidit, sed eum sub habitu monachi, sacerdotis officium implere putat. Et revera sacerdotis officium laudabiliter etiam tunc implebat, (d) non aliquos reconciliando, sed omnes quos attingere poterat, ad reconciliationem salutaribus monitis invitando. Cujus sermo dulcis et rectus, quia dura quoque corda mollebat, nec immerito hunc presbyterum sic timere pro sua perfidia compellebat.

18. Arripit igitur presbyter, insani furoris stimulis concitatus, servos Dei delictis persequi, et per omnes vias custodibus (e) distributis ambulantium simpliciter obsidet itinera. Necessarium quippe fuerat athletas fortissimos voluntariis abstinentiæ laboribus ad omnem tolerantiam præparatos persequentium tracti paululum manibus, ut martyrialis agonis participes effecti, illata discerent supplicia tolerare; pro-

(a) Sic Ant. Chiff., *barbaricæ multitudinis*; ms. vero, *Maurorum*.

(b) Ms. noster cum aliquot aliis a Chiff. visis, *favore*. Idemque præfert Ant. editio in ora libri.

(c) Sic ms. Cæteri sic distinguunt, *persecutor acerrimus*. *Hic*, etc.

A baturi quid profecissent, si flagellis membra omnia dissipantibus a fide vera minime defecissent. Nescientes ergo cogitationes maligni serpentis, habentesque fiduciam conscientia, nihil timentes, ambo simul gradiebantur secum loquentes.

CAPUT X. *Sistuntur Ariano presbytero. Mira crudelitas Ariani. Vehemens caritas Felicis abbatis. Cæditur Felix.*

Et ecce subito quasi violentia sævissimæ tempestatis invadit incautos, dividit junctos, ligat divisos, et feralibus vinculis oneratos perducit ad presbyterum vinctos. Efficiuntur subito sine crimine rei, sine belli sorte captivi. Quibus enim fugientibus nihil nocere potuerunt Mauri, pœnas ingerunt Ariani. Tunc antequam tenerentur, Felix abbas paucos solidos, unde fratrum sustentabatur inopia, simpliciter ubi metus suaserat (al. invaserat) projecti, et custodiendos Dei servis, ipsi Deo committit. O divini singularis potentia miraculi! Nemo valuit solidos illos projectos aspicere, nullus permissus est victum pauperum pauperibus tollere: sed illi soli qui sic probandi fuerant tenentur, ligantur, ad presbyterum perducuntur. Quibus ore terribili violentus presbyter intonat, Cur ex vestris regionibus occulte venistis Christianos reges evertere? Bene enim miser Christianos reges esse dicebat, in quibus Christum Regem regum miserabiliter exsufflaverat, et quos Filium Patri æqualem negare similis Antichristo docuerat. Illis (f) ad hæc veracissimæ responsionis verba parantibus, inferri præcepit verbera primitus.

19. Igitur Felix abbas vehementi caritate commotus, Parcite, ait, fratri Fulgentio, qui non potest tormenta perferre. Nolite istum cedere inter vestras manus forsitan moriturum. Convertatur in me vestra crudelitas: ego scio quid confitear, in me est omnis causa. Tunc dilectionis admiratione stupefactus, removeri paulisper beatum Fulgentium jubet, atque illum gravius cædi ministris sævissimis imperat. Tunc hilari animo Felix abbas verberibus subditur. Dolorem quippe cum gaudio sustinebat, quia beatum Fulgentium nihil adhuc pati videbat. Ecce qualis fuit beatus Fulgentius circa amicos, ut usque ad mortem diligi mereretur. Ista quippe caritas beati Felicis, vitæ illius sanctæ magnum perhibet testimonium. Neque enim salutem suam pro illius salute despiceret, nisi sibi primitus, et multis utilem jocundumque sentiret. Imitentur utrosque qui placere Deo desiderant. Alios doceat beatus Fulgentius sic vivere inter fratres, ut amentur, foveantur, et in summis necessitatibus adjuvandi, etiamsi periculum non defuerit, judicentur. Sumant alii de bono facto Felicis abbatis exemplum, melioribus fratribus et in Dei timore plus proficientibus omnem gratiam

(d) Sic ms., et quidem rectius, ut videtur, quam cæteri in quibus habetur, *non tantum aliquos reconciliando, sed*, etc.

(e) Ita ms. et codices in notis a Chiff. laudati. Editi vero, *deputatis*; in margine, *distributis*.

(f) Ms., *adhuc*.

bonæ voluntatis impendere. Quando enim talis caritas inter fratres fuerit, qualis inter sanctissimos viros fuit, vis totius tentationis facile superatur, inimicorum vero pertinacia continuo frangitur. Quamvis tunc sævissimus presbyter etiam de Felicis abbatis injuria minime satiatus, nec beato Fulgentio parcendum putavit.

CAPUT XI. *Verberatur etiam Fulgentius. Post verbera cum aliis ignominiose dimittitur.*

20. Beatus vero Fulgentius, vir omnino delicati corporis, ut pote ex familia natus illustri, violentos impetus sustium repentini doloris acerbitate crescente vix tolerans, sicut ipse nobis postea referebat, cogitavit presbyteri furentis insaniam vel mollire si posset, vel certe paululum donec recrudesceret avocare, quo facilius inter ipsas moras inveniret spatium respirandi, ne continuata pœna omnino intolerabilis fieret. Dico aliquid, si loquendi potestas tribuitur, dum cæderetur, exclamat. Tunc presbyter putans eum confiteri velle, jubet quiescere cædentes, et sic adhuc ad flagella suspensum loqui præcipit quod volebat. Ubi dum beatus Fulgentius eloquentiæ soliti sermonibus blandis suæ peregrinationis est narrare aggressus historiam, presbyterum facit attonitum, diuque nimia verborum suavitate delinitum, pene totius crudelitatis reddit oblitum. Miratur presbyter beati Fulgentii facundiam, probat sapientiam, magnumque aliquem virum conjiciens, erubescit inferre violentiam. Sed ne suis proderet suam superatam fuisse (a) sævitiam, Cædite, ait, iterum fortiter, et multiplicatis flagellis lacerate verbum. Etiam me, puto, seducere cogitat; longoque inanis fabulæ circuitu quid conficere moliaturno ignoro. Recrudescit iterum manus (b) vesana tortoris, flagellisque innumeris beatus Fulgentius exaturatur.

21. Tandem presbyter de illata cæde confusus, virorum laudabilium merita sentit, nec apud se eos tenere diutius ausus est, sed deformiter decalvatos, ablatis etiam omnibus vestimentis, ex domo sua nudos inanesque projecit. Sed nec illa decalvatio viris sanctissimis turpitudinem, nec nuditas attulit confusionem: quia (al. quos) tolerata (c) propter amorem religionis injuria primæ jam confessionis decoraverat ornamento superna gratia fulciendos. Processerunt itaque de domo presbyteri tanquam de loco gloriosi certaminis, insignis victoriæ laureis coronati. Reversique per campum ubi fuerant capti, solidos quos abbatem Felicem projecisse diximus, integro ibi numero servatos inveniunt, et quasi ex divina manu restitutos hilariter accipiunt, agentesque ineffabiles gratias Deo, qui consolatur humiles in omni tribulatione eorum, revertuntur ad proximos fratres. Hujus autem crudelissimi facti detestabilis opinio cunctam simul mœstificat regionem; nuntiatur etiam Carthagine fama.

(a) Ms. nequitiam.

(b) In aliis, manus sæva.

(c) Ms. et Bollandus, et Ant. in margine, propter odium. Utrumque bene: quia etsi illata est propter

22. Inter alios quoque Arianorum episcopus dolet mactatum gravi cæde beatum Fulgentium. Et quia parentes ejus cognitos habebat idem episcopus, ipsumque beatum Fulgentium singulariter adhuc laicum dilexerat, adversus presbyterum suæ religionis et parochiæ, qui cædis auctor exstiterat, graviter commovetur, vindicare beatum Fulgentium parans, si querelam de memorato presbytero deponere voluisset. Sed beatus Fulgentius, multis ut hoc faceret suadetibus, Non licet, ait, in hoc sæculo vindictam querere Christiano. Novit Dominus quomodo servorum suorum defendat injurias. Iste presbyter si gravissimi sceleris inter homines me agente receperit ultionem, patientiæ nos apud Deum perdidimus retributionem; maxime quia multos parvulos scandalizare poterit, si episcopi Ariani judicium qualiscunque peccator, tamen catholicus et monachus queram. Nolens ergo retribuere mala pro malis, et vitam suam sciens necessariam bonis, ne quam forsitan hæreticorum violentiam denuo paterentur, ex illa provincia rursus egrediuntur, et ad vicina provinciæ suæ loca celeriter revertuntur, magis eligentes vicinos habere Mauros quam pati molestissimos Arianos.

CAPUT XII. *Fulgentius meditaturn iter in Ægyptum. Appellit Syracusas. S. Eulalius Syracusanus episcopus. Monasterium S. Eulalii. Ab itinere cæpto revocatur propter Ægyptiorum monachorum schisma. Hospes hospitalitatem exercet.*

23. Juxta civitatem proinde quæ (d) Ididi nuncupatur, fundare monasterium incipiunt, ubi parvo tempore Domino servientes insistebant operibus caritatis, donec subito beatus Fulgentius Ægyptiorum monachorum vitas admirabiles legens, institutionum simul atque collationum spiritali meditatione succensus, memoratas terras navigio petere statuit: duabus videlicet ex causis, ut vel ibi deposito nomine abbatis, sub regula viveret in humilitate, vel districtioris abstinentiæ legibus subderetur. Et quia desiderium suum impediri poterat publicatum, querit primitus occasionem proficiscendi Carthaginem. Dehinc veniens ad ipsius mœnia civitatis, uno tantum fratre, cui nomen erat Redemptus, socio peregrinationis electo, navim conscendit, Alexandriam petiturus: nullus forte sumptus tantæ peregrinationi necessarios secum ferens, sed in Deo qui dives est, spem suam firmiter ponens, suaviter canebat cum David, *Domini pascit me, et nihil mihi deerit (Psal. xxii, 1)*. Ventis itaque flatu prospero consequentibus, Syracusanum contigit feliciter portum, Deique summi providentia gubernante ductus est ad hanc civitatem, ubi tunc Ecclesiam catholicam beatus papa Eulalius gubernabat, vir eximie sanctitatis, admirabilis hospitalitatis, perfectissimæ caritatis, in cujus corde thesaurus sapientiæ spiritalis absconditus, multos talentorum dominicorum negotiatione ditabat. Virtute enim discretionis super omnia decoratus, monachorum professionem singulariter diligebat: habens etiam

odium religionis, tamen propter ejusdem amorem tolerata est injuria.

(d) In quibusdam, Ydidi; in aliis, Indidi. Vide notam Chiffi. ad hunc locum in Ferrando.

ipse monasterium proprium, cui semper adhærebat, quoties ab ecclesiasticis actibus vacabat.

24. Ad hunc ergo beatus Fulgentius veniens, inter alios peregrinos hospitalitatis officio libenter excipitur; neque tamen diu latere permittitur. Mox enim (sicut moris est in convivio (a) sacerdotum), dum de divinis rebus ortus est sermo, virum singularis scientiæ locutio sua continuo prodidit. Intellexit episcopus ex ornatu sermonis, et responsionum moderatione, sub monachico habitu magnum latere doctorem; distulit tamen eundem vel quis esset, curve advenisset, convivis præsentibus inter epulas quaerere. Post prandium vero cum meridianis horis ante vesperam in domo sua deambulet, episcopus per fenestram respiciens, observantem sibi sicut cæteros beatum Fulgentium vidit. Quem continuo peculiari-
ter vocans, De institutionibus, ait, et collationibus loqui coepas, dum pranderemus. Affer, obsecro, mihi codicem, si portas. Ille sine mora jussis obediens codicem detulit, in quo quid contineretur verbis propriis jussus exponit. Admiratur sanctus Eulalius scientiam juvenis, et tali hospite delectatus, cur ex Africa venerit, diligenter inquit. Ille metuens arrogantiae notam, si desiderium suum fateretur, incurrere: Parentes, inquit, meos requiro, quos illis in partibus vivere peregrinos audi. Vere enim parentes suos requirebat, quorum suavissimos mores imitari cupiebat. Intellexit episcopus responsum non manifestum, totiusque itineris ejus per alterum fratrem (b) qui fuit simplex, investigat causas. Ibi tunc beatus Fulgentius salubriter proditus, veritatem simpliciter confitetur, utrunque se ad ultimam Thebaidæ regionis eremum dicit, ut illic, sicut lectio monebat, mundo mortuus viveret, ubi major abstinentium numerus assumptioni suæ nullum gigneret impedimentum, sed forte potius præberet exemplum. Recte factis, respondit episcopus, cupiens meliora sectari: sed scis quoniam *Deo sine fide impossibile est placere* (Hæc. xi, 6). Terras ad quas pergere concupiscis, a communione beati Petri perfida dissensio separavit. Omnes illi monachi, quorum prædicatur mirabilis abstinentia, non habebunt tecum altaris sacramenta communia. Quid ergo proderit affligere jejuniis corpus, ubi solatiis spiritalibus indigebit anima, quæ multo melior est corpore? Revertere, fili, ne vitæ melioris intuitu periculum rectæ fidei patiaris. (c) Ecce et ego quondam juvenis, antequam pontificalis honoris gratia præveniret indignum, diu cogitavi sanctissimæ hujus professionis in ipsius provincie monasteriis adimplere propositum: sed hæc causa me prohibuit assumpta perficere.

25. Consentit beatus Fulgentius monentis patris consilio salutari, suæque intentionis fervore deposito, suadetur ibi apud Syracusam paucis mensibus degere,

(a) Apud Chiff. et ms., *Sacerdotis*.

(b) Ms. paulo aliter, *per alterum fratrem, fuit enim simplex*, etc.

(c) Sic apud Chiff. In Ant., *Ego etiam*. Ms., *Fgo enim*.

(d) Chiff., *bonæ indolis mens*.

A sancto Eulalio præbente victum et hospitium congruum. Sed quia bonæ mentis (d) indoles nunquam vacat caritatis opera semper exercens, in ipso parvissimi hospitii quod acceperat habitaculo, cœpit hospitalitatem multis supervenientibus exhibere peregrinis, et alterius indigens solatio consolandos suscipere peregrinos. Miratur sanctus Eulalius affluentem sancti animi libertatem, magnoque gaudio saginatur, dum per manum beati Fulgentii, cui victum quotidianum nihil habenti ministrabat, alimenta ministrari non habentibus videret; et si fas est dicere comparatione minorum crescere solere majores, quamvis esset sanctus Eulalius in pauperibus gubernandis omnino perfectus, opera tamen beati Fulgentii considerans, de die in diem plus misericors efficiebatur et largus

CAPUT XIII. *Rufinianum episcopum adit. Romam petit religionis causa. Martyrum monumenta invisit.*

26. Peracto itaque præsentis hiemis tempore, cura vehemens beatum Fulgentium commovet, episcopum quemdam Rufinianum nomine, qui persecutionis violentiam fugiendo declinans ex Byzaceno concilio navigarat, ibique provincie Siciliae vicinus in quadam brevissima commorabatur insula, vitam monachi laudabiliter gerens, videre indifferenter, ut ejus admonitione secundo firmatus, quid facere deberet agnosceret. Hoc autem volebat, non quia Eulalio pontifici minus credebatur, sed in rebus dubiis utilissimum semper esse multorum consilium sentiebat. Per (al. Post) multos itaque pedestris labores itineris ad illum Siciliae veniens locum cui plus propinquior illa insula fuerat ubi sanctus Rufinianus episcopus habitabat, modica navicula deportatus, sacerdoti venerabili velociter præsentatur. A quo similiter ne in Ægyptum proficisci perseveraret admonitus, redire protinus ad proprium monasterium, neque tamen apostolorum memoriam prætermittere statuit.

27. Occasione igitur navigii felicioris inventa, Romanam venit, et auctorum sæcularium consono semper ore laudatam, caputque mundi veraciter appellatam, festinus ingreditur civitatem. Fuit autem tunc in Urbe maximum gaudium, (e) Theoderici regis præsentia Romani senatus et populi lætificante conventum. Unde contigit ut beatus Fulgentius, cui mundus olim fuerat crucifixus, postquam sacra martyrum loca venerabiliter circumvit, omnesque servos Dei, quorum in brevi capere notitiam potuit, humili obsequio salutavit, in loco qui Palma Aurea dicitur, memorato Theoderico rege concionem faciente, Romanæ curiæ nobilitatem, decus ordinemque distinctis (f) decoratam gradibus aspectaret, et favores liberi populi castis auribus audiens, qualis esset hujus sæculi gloriosa pompa cognosceret. Neque tamen in hoc spectaculo aliquid libenter intuetur, (g) nec nugis il-

(e) Ant., *Theoderici*. Emendamus ex ms. et Chiff. propter rationem ab eodem in notis allatam.

(f) Sic ms. referendo ad *nobilitatem*; cæteri, *decoratum*.

(g) Apud Chiff., *intuitus, nugis illis sæcularibus*, etc.

lis sæcularibus superflua illoctus delectatione consentit; sed inde potius ad illam (a) supernæ civitatis Hierusalem desiderandam felicitatem vehementer exarsit, salubri disputatione præsentis sic admonens: Fratres, QUAM SPECIOSA potest esse Hierusalem cœlestis, si sic fulget Roma terrestris! Et si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor et gloria et pax præstabitur sanctis contemplantibus veritatem?

CAPUT XIV. *In Africam redit. Constructit monasterium. Clam aliud petit cœnobium, posito abbatis nomine. Exercitia S. Fulgentii.*

28. Multa his similia beatus Fulgentius illo die salubriter disputavit, et jam toto corde monasterium suum revisere cupiens, ad Africam velociter per Sardiniam navigavit, vix credentibus præ nimio gaudio monachis suis beatum Fulgentium rediisse. Nesciebat plane sancta fraternitas quid primitus ageret, utrum de absentia Patris quereretur, an potius de præsentia lætaretur. Nullus tamen ausus est eum quia discesserat culpæ, sed cuncti potius satagebant pro reditu ejus Deo gratias agere. Junguntur servorum Dei gaudiis etiam laici; lætantur omnes honesti ac nobiles viri quod beatus Fulgentius Africanæ Ecclesiæ doctor prædestinatus, non diu defuisset transmarinis regionibus occupatus. Certatim denique singuli properant ampliori præbere solatia pietatis (al. caritatis), quibus foveretur animus revertentis. Offertur denique a quodam nomine (b) Sylvestro, bene Christiano et provinciæ (c) Byzacenæ primario, locus aptus monasterio fabricando, cujus gleba pinguis ac fertilis instituendis hortis optabili fecunditate congrueret, et quod plus eligendum videbatur, longe adhuc a furore bellico constitutus, quietissimæ pacis securitatem plenissimam daret: honestis plurimis per vicinas possessiones commanentibus, quorum frequens oblatio transactionem facilissimam monachis promittebat, ut regnum Dei quærentibus nulla cura secularis transactionis obstreperet.

29. Libenter itaque beatus Fulgentius hominis religiosi devotam suscipiens oblationem, sine mora in loco sibi concesso monasterium fundat, plurimosque ad conversionem piis monitis invitando, monachorum numerum multiplicat, et magnæ (d) congregationis efficitur pater. Qui quamvis spiritalia meditari jugiter concupisceret, ampliori tamen sollicitudine (e) distendi compellitur, OTIUM SANCTUM quærens ex dilectione veritatis, negotia multa suscipiens ex necessitate caritatis. Unde victus aliquando contemplatione meliorum, lectioni et orationi tantum vacare desiderans, cogitavit diu quomodo sarcinam præsentis

(a) Sic Chiff. cum ms., a quo abest vox civitatis. Ant., ad illam supernam Hierusalem feliciter desiderandam.

(b) Ms. cum nonnullis a Chiff. laudatis, Sylvestro.

(c) Ms. cum Ant. in textu, Byzantinæ. In marg. vero, Byzacenæ, conformiter Chiff.

(d) Ms., conversationis.

(e) Sic Chiff., excepto quod pro distendi emendamus distendi ex ms. qui paulo aliter legit sic, efficitur pater: quamvis, etc. Ampliori sollicitudine dis-

toneri abjiceret, et sub aliorum regimine constitutus ipse potius sub regula viveret quam vivendæ regulam cæteris traderet, secundum præceptum Domini magis utile judicans imperantibus obedire quam obedientibus imperare. Cogitanti vero ista diutius, talis subito sententia nascitur. Est in medio vadosi maris (f) sinu monasterium Vivecensi littori proximum, (g) Bennefensi autem maxima ex parte contiguum, ubi neque hortos colere parvissimi scopuli limes sinit angustus, neque ligni vel potabilis aquæ consolatio saltem ministratur exigua; sed rei utriusque per brevissimas naviculas quotidie sufficientia præparatur. In hoc monasterio rigidi propositi disciplina antiqua servatur, ab infantia sua plurimis usque ad decrepitam senectutem sanctissimè ibi viventibus, sanctæque professioni opera congrua laudabiliter exercentibus. Ubi tunc duo presbyteri peculiare et merito mirabiles, et immaculatæ senectutis honore venerabiles, abbatis officio fungebantur, nunquam de cœnobio recedentes, sed ecclesiasticæ dignitati multos viros idoneos nutrientes.

30. Ad hoc ergo monasterium clam beatus Fulgentius proficiscitur, ibique in congregatione tam maxime nomen deponit abbatis: et adunatus multitudini monachorum, fulget quidem super cæteros mirabili scientia eloquentiaque speciali; sed subjicitur omnibus laudabili humilitate atque obedientia singulari. Memor quippe illius evangelicæ sententiæ, qua Dominus noster dicit, *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (Joan. vi, 58); omnes suas mortificat voluntates, jejuniis insuper, orationibus, vigiliis et abstinentiæ vacans, totumque se cum vitiis et concupiscentiis sæcularibus crucifigens, manibus suis etiam delectabiliter operabatur. Nam et scriptoris arte laudabiliter utebatur, et ex palmarum foliis flabellos sæpissime contexebat (cui operi, etiam cum fuisset abbas, in suo monasterio vacabat), lectioni autem in cellula frequenter coram fratribus insistebat, apud omnes amabilis, honorabilis et jocundus.

CAPUT XV. *Cogitur redire ad abbatis officium. Presbyter consecratur.*

31. Sed quanta in eodem monasterio lætitia, tanta in illius (h) proprio exorta est repente tristitia. Gaudebant isti qui eum susceperant, dolebant illi qui amiserant. Nascitur inter eos nova pugna caritatis. Isti novum socium tenaciter amplectuntur, illi antiquum patrem reddi sibi suppliciter deprecantur. Isti se ornari de præsentia ejus, illi de absentia deficere confitentur. Beatus vero Fulgentius magis volens discere quam docere, consentit hic esse ubi fuit inferior; et

tendi compellitur. Ant. autem, *Quamvis sane, etc.*

(f) Hic variant codices. Nam Ant. in margine, situm monasterium Vincensi, etc. Ms., Juncensi, Chiff., Vicensi. Quidam codices (ex Chiff.), Vivecensi; plerique, Vincensi.

(g) Sic ms. cum aliis a Chiff. laudatis. In Ant., Bennefensi, conformiter nonnullis codd. ab eodem visis. Chiff. ipse, Bennefensi.

(h) Sic apud Chiff. Ant., in illius discessu. Ms. vero utraque voce caret.

trepidat illuc redire, ubi cunctis possit esse superior. Tunc abbatis Felicis et omnium fratrum quos reliquerat dolor ex necessitate consilium sumens, patrocinio sancti Fausti episcopi insulanos monachos pulsat. Ille protinus episcopali auctoritate suum esse monachum Fulgentium allegat, sibi que reddi, et ubi ipse jusserit vivere debere confirmat. Minatur excommunicationem contradicentibus; ipsum vero Fulgentium, nisi consentiat, inobedientibus similem pronuntiat judicandum. Quid multa? Deponitur rursus beatus Fulgentius ad monasterium proprium, subire præcipitur abbatis officium. Et ne iterum a desiderio spiritali mutabilis fieret, repente eum sacerdos consecrat presbyterum, ut abbatis et presbyteri decoratus officio, nec monasterium relinquere, nec in alia Ecclesia posset ordinari.

32. Victus igitur et honoris compedibus vinctus, cepit jam beatus Fulgentius æquanimiter monasterium suum regere, fama que crescente laudabili, super omnes Africæ provincias innotescere, in ipso autem (a) Nuntorum territorio tanquam proprius episcopus honorari, paratis omnibus, quandocumque facultas ordinandi episcopum concessisset, beato Fulgentio primum (b) sacerdotium vocibus et mentibus petere, nec alterum nisi beatum Fulgentium sibi consecrari permittere. Desiderium deinde populorum Deus videbat, ipsum quoque beatum Fulgentium non latebat.

CAPUT XVI. *Interdicto regio cavetur ne ordinentur episcopi. Fugit episcopatum. Post factam episcoporum ordinationem revertitur.*

Sed quia tunc regalis auctoritas episcopos ordinari prohibuerat, nec viduatis plebibus providere pastores licebat, securus interdictionis hujus tempora transigebat, superfluum judicans honorem fugæ præsidio recusare, quem nec dare alicui fas erat, nec accipere.

33. Postquam vero sacra turba pontificum qui remanserant, communicato inter se consilio, defuerunt adversus præceptum regis in omnibus locis ordinationes celebrare pontificum, cogitantes aut regis iracundiam, si qua forsitan existeret, mitigandam, quo facilius ordinati in suis locis vel plebibus viverent, aut si persecutionis violentia nasceretur, coronandos etiam fidei confessione quos dignos inveniebant promotione, ministerium vero suum facilius impleturos, atque inter ipsas tribulationes propriis plebibus solatia præstituros; fit repente communis assumptio, presbyteros, diaconos, et si quos inveniret electio, rapere, benedicere, consecrare certatim (c) locis singulis properantibus; ne in tali studio aliquis, aut tardus aut novissimus inveniretur. Tunc beatus Fulgentius eligentium vota velociori præveniens fuga, latebris incertis absconditur, nec quæsitus ullatenus invenitur. Plebs ipsius loci ubi fuerat monasterium constitutum, differre suam prorsus electio-

(a) Ant. in marg., *Vintorum*. Vide notam Chiff.

(b) Ant., *Beatum Fulgentium primum sacerdotem*.

(c) Ant., *in locis*. Ms. cum Chiff. caret hac particula in.

A nem, donec inveniret beatum Fulgentium, cogitabat. Veruntamen timens ne, dum diu beatus Fulgentius quaeritur, fama hæc Carthaginem perveniret, atque inde rursus regalis interdictio nasceretur, ita compellente festinationis necessitate, suadentur sibi de suis clericis alterum quaerere. Sic per multa loca ubi beatus Fulgentius aut primus, aut solus electus est, postquam minime potuit inveniri, dedit aliis honoris (d) summi licentiam.

34. Repleta jam fuerat provincia Byzacena novis sacerdotibus, et pene vix paucarum plebium cathedræ remanserant destitutæ. Regis quoque commota sævitia, cunctos jam decreverat exilio mancipandos, in ipsum primitus ordinatorem, id est primatem nomine Victorem, procedente sententia, qui jam a servis regis exeuntibus captus, ad Carthaginem ducebatur. Et omnino succedente majore tristitia, versa fuit in publicos luctus ordinationis assumptæ letitia. Tunc occultis nuntiis edocentibus transisse tempus faciendæ ordinationis, beatus Fulgentius putans cathedris quam maxime proximis episcopos haberi proprios, ipse rursus monasterii sui congregationem gubernare revertitur, nihil dubitans neque formidans, sed omnino se pontificalis dignitatî evasisse sarcinam gaudens.

CAPUT XVII. *Felix diaconus Ruspensem sedem ambit. Fulgentius cogitur episcopatum Ruspensem suscipere. Felix diaconus repulsus Fulgentio varat insidias.*

35. Veruntamen altiori consilio Deus noster prædestinata perficiens, cui dederat docendi salubriter facultatem, doctrinæ salutaris dare jam volebat auctoritatem, ne deesset fidei catholicæ contra Arianos fidelissimus prædicator. In tempore ergo tribulationis abscondere noluit (al. voluit) vas electionis, per quem disposuerat implere officium prædicationis. Erat adhuc Ruspe nobile oppidum, clarissimis habitatoribus prorsus illustre, cui nullus fuerat episcopus ordinatus, quia diaconus quidam Felix nomine, qui ambire volebat honorem pontificis, repudiatus, in illo loco nec ipse merebatur, nec alterum recipere patiebatur. Frater quippe ejus germanus amicus procuratoris, per potentiam sæcularis actionis ministrabat vires ambitionis. Dolor honestorum civium mentes (e) vehementer exagitabat, cur soli remansissent sine patre spiritali, qui videbantur super cæteros excellere nobilitate carnali, (f) cum repente fama verax dolentibus nuntiat beatum Fulgentium, quem tot loca primo sacerdotio judicaverant dignum, nullatenus tempore ordinationis inventum, remansisse presbyterum, gloria majore vestitum, quod honoris superioris sic calcaverat appetitum. Illis quibus displicebat superbus ambitio, placet iste laudabilis excusator. Consentitur ab omnibus ipsum sibi esse servatum, propterea minime tantis plebibus ambientibus ordinatum. Nesciente igitur beato Fulgentio, Victor primas in itinere peti-

(d) Chiff., *honoris sumendi*.

(e) Ant., *vehementer angebat*.

(f) Sic ms. Cæteri, *Tum revertente*.

tur a Ruspensibus (a) ut vicinis episcopis ordinandi Fulgentium licentiam donaret. Tunc eo annuente, aggregata violentæ multitudinis manu, repente beatus Fulgentius, dolens oculos, in cella propria reperitur, invaditur, tenetur, ducitur, et pontifex esse non rogatur, sed cogitur. Inde ad episcopum, qui admonitus fuerat ordinationem celebrare, perductus, ignoti populi constituitur pater, ita ut in illo propheticum illud compleri videretur oraculum: *Populus quem non cognovi servivit mihi* (Psal. xvii, 45).

36. Nimis autem (b) gratissimus viri sapientis aspectus, et favores populi suffragantis augebat; et a quocunque tunc videbatur incognitus, humilitate vestium blandus, modestoque incessu venerabilis habebatur. Cum vero loqui quidpiam cogente interdum ratione voluisset, in ore ejus omnis turba pendebat, ex locutione familiari considerans qualis esset spiritalis magistri futura doctrina. Propter quod ex omnibus possessionibus ubicunque transibat, populus confluebat ad favendum, Ruspensi Ecclesiæ, quanto serius, tanto meliorem confidentes provenisse pontificem. Diaconus porro videns suæ ambitionis conatus vanissimos defecisse, quod solum remanere deluso poterat, sævit, (c) et traditoribus innumeris congregatis, venienti filio pacis *scandalum* (sicut sacer loquitur psalmus [cxxxix, 6]) *juxta semitam ponit*. Viam igitur per quam veniebat Dei servus electus obsedit ambitior infestus. Sed ubique simplicibus subvenit Christus, nec impediri potest ab homine sacerdotis electio quam non præcedit ambitio. Nescio quo sancti Spiritus admonentis imperio per alteram viam populus qui præcedebat ambulavit, et beatum Fulgentium, dum adhuc hostis sederet in via, super suam cathedram collocavit. Celebrata sunt eodem die divina solemniter sacramenta, et de manibus beati Fulgentii communicans omnis populus lætus abscessit. Quod postea diaconus audiens, divinæ voluntati, læet tardius, cessit. Hunc illico revertentem B. Fulgentius benigne, affabiliter clementerque excepit, ita ut eum postea presbyterum ordinaret. Sed ultionem debitam divina justitia demonstravit omnino velociter. Etenim ipse diaconus jam presbyter intra annum mortuus, et procurator ei consentiens ad penuriam est redactus. Dederunt enim pœnas temporalis audaciæ, quibus potens est Deus præparare in futuro gratiam cœlestis indulgentiæ. Nos istud propterea vel commemorandum putavimus, ut ostenderemus hinc beato Fulgentio majorem crevisse circa singulos auctoritatem, dum cognoscerent in istis vigilasse divinam severitatem.

CAPUT XVIII. *Honores Fulgentio non mutant mores. Vestitus ejus. Carnibus perpetuo abstinet.*

37. Suscepit interim beatus Fulgentius episcopatum, sine aliqua ambitione, cum maxima devotione, manente in contradictoribus divina ultione. Nec ita factus est episcopus, ut esse desisteret monachus; sed

(a) In Ant., et vicinis... licentia datur, desuntque, hæc, eo annuente.

(b) Ms., Nimis autem gravissimus vir sapiens aspectu.

(c) In ms., sævit et tardus. Innumeris denique congregatis venienti filio pacis, etc. Ant., innumeris de viis congregatis.

A accepta pontificis dignitate, professionis præterita servavit integritatem. Servata vero professionis (d) integritas plus ornavit pontificis dignitatem. Nunquam denique pretiosa vestimenta quæsit, aut quotidiana jejuniâ prætermisit, aut conditos suaviter cibos, vel inter hospites manducavit, aut discumbendo saltem requiescere, et resolvere rigidum propositum voluit; sed una tantum vilissima tunica, sive per æstatem, sive per hiemem patienter indutus, orario quidem, sicut omnes episcopi, nunquam utebatur, pelliceo cingulo tanquam monachus utebatur (*forte* cingebatur). Sic studio humilitatis ambitionem vestium fugiebat, ut nec ipsa calceamenta suscipiens clericorum, aut (e) ultimis caligis in tempore hiemis, aut caligulis in tempore æstatis uteretur. Intra monasterium sane interdum soleas accipiebat, frequenter nudis pedibus ambulabat. Casulam pretiosam, vel superbi coloris, nec ipse habuit, nec monachos suos habere permisit. Subtus casulam nigello vel lactinio (f) pallio circumdatus incessit. Quando temperies aeris invitabat, solo pallio intra monasterium est coopertus. Scapulis vero nudis nunquam a nobis visus est, nec deposito saltem cingulo somnum petivit. Suæ autem (g) continentiæ, Deo teste, fiduciam gerens, in qua tunica dormiebat, in ipsa sacrificabat; et tempore sacrificii, mutanda esse corda potius quam vestimenta dicebat.

38. Huic beatissimo sacerdoti nullus aliquando extorsit cujuslibet generis carnes accipere, sed sola simpliciter olera, ptisanas et ova, quandiu fuit juvenis, sine oleo; postquam vero senuit, superfuso oleo manducavit; (h) deo oleum persuasus accipere, ne caligo prævalens oculorum lectionis impediret officium. A vino autem sanus semper abstinuit. Si quando vero compellente infirmitatis necessitate vino modico uti compulsus est, calicibus plenis aqua, superfundens quidpiam meri, nec saporis ejus, nec odoris jocunditate fruebatur. Antequam vigiliæ nuntiarentur a fratribus, ipse semper corde et corpore vigilans, aut orabat, aut legebat, aut dictabat, aut cuicumque spiritali meditationi solus vacabat, quia se per diem filiorum Ecclesiæ necessitatibus occupari jugiter sciebat. Ad agendas cum servis Dei vigilias interdum descendebat, sed privatas apud se vigilias, studiis quibus dixi, multo laudabilius exercebat.

CAPUT XIX. *Nusquam degit sine monachis.*

39. In nullo autem loco visus est sine monachis habitare: propter quod a civibus Ruspensibus hoc primum beneficium ordinatus episcopus postulavit, ut fabricando monasterio locum congruum darent. Tunc ex pluribus civibus obedire festinantibus, optimo sacerdoti quidam nomine Posthuvianus, Christianissimus, et inter suos nobilissimus civis, agellum proprium fideliter obtulit, non longe ab ecclesia constitutum: ubi pinis surgentibus in excelsum, speciosi nemoris virebat amœnitas. Excepit beatus Fulgentius libentissime lo-

(d) Ms., integritate.

(e) Ita codices nostri. Alii quidam a Chiff. laudati, vilissimis.

(f) Ms., lactinio pallio. Forte non male.

(g) Ant., conscientiæ.

(h) Chiff., ideo vltus suasus oleum accipere.

cum, cujus etiam ligna necessaria futuræ fabricæ conspiciebat, protinusque beatum abbatem Felicem venire velocius persuasit, cum maxima pene totius congregationis multitudine, nisi quod paucissimos fratres in illo monasterio dereliquit, quibus unum e fratribus nomine Vitalem præposuit: tali (a) caritatis lege monasteria utraque præcipiens vivere, ut quasi non fuissent locis divisa, sic essent unanimitate conjuncta. Si quos autem novos monachos, vel in isto, vel in illo monasterio Christus acquireret, tempus inter se conversionis ordinemque servarent. Et si quando ad se videndos jubentibus duntaxat prioribus venirent, non ut hospites, sed quasi unius congregationis homines susciperentur; beati vero Fulgentii episcopi provisionibus communiter gubernati, patrem spiritalem simplici venerarentur affectu: sic beato Fulgentio singula disponente, ne suscepta regendorum sarcina clericorum (b) consolationem perderet monachorum.

CAPUT XX. *Protruditur in exsilium. Ejus sententiam quanti fecerint episcopi. Nomine omnium episcoporum reddit responsu litteris. Efficacia scriptorum Fulgentii. Monachi et clerici simul degunt.*

40. Interea repente diriguntur ministri regalis furoris, ut detentus etiam ipse cum cæteris in exsilium Sardiniam confessor Christi nobilis truderetur. Abductus ergo velociter, licet doleret Ecclesiam suam nullis adhuc eloquiorum suorum monitis eruditam, remansuramque protinus destitutam, sapienter tamen tristitiam gaudio majore vincebat, quod tam gloriosæ confessionis esse particeps inchoabat. Comitantibus ergo monachis simul et clericis, magister egregius utriusque professionis exit flentibus omnibus laicis de cathedra honoris ad locum beati certaminis, paratus fidem catholicam mente libera, voce forti, coram regibus et potestatibus confiteri. Suscepit eum Carthago venientem, fructumque notitiæ ejus in paucis (c) diebus fideliter gustans, multa obtulit munera, quæ beatus Fulgentius monasterio illi quod fabricari delegaverat profutura mandavit. Ipse vero navim crucifixo corde et corpore nudus ascendit, habens secum plurimas divitias scientiæ singularis, quibus omnes, ubicunque veniebat, indeficiente largitate pascebat.

41. Inter alios sane episcopos cum quibus exsilium commune susceperat, tempore ordinationis erat inferior, sed patientiæ et caritatis virtute non inferior. In rebus enim dubiis, ubi quam maxime consilium petebatur, si quando inter se confessores beatissimi de communi utilitate tractabant, ultimus quidem sedebat; verumtamen ipsius sententiam primas vel omnes qui primatem sequebantur audire et facere cupiebant, quamvis ille, nihil per inanem gloriam sibi vindicans, deferret honorem congruum prioribus suis. (d) Sic enim cogebatur respondere consulentibus, ut paratus esset semper obedire jubentibus,

(a) Ant., Tali vera, in marg., præcipiebat uniri.

(b) Apud Chiff., cæram vel consolationem postpone-ret monachorum.

(c) Chiff. cum ms., in paucis suis.

(d) In ms., Si enim.... ita paratus erat semper ob-

nec præsumeret aliquid extorquere nolentibus. Post deliberationis autem longissimas moras, quidquid definitio communis invenerat, eloquenter allegandum sensibus cæterorum, beato Fulgentio dimittebatur. Huic etiam quodcumque transmarinis litteris de fide, vel de diversis quæstionibus interrogabantur episcopi, respondere pro omnibus ab omnibus imponebatur. Ita sicut sanctæ memoriæ Aurelius Carthaginiensis Ecclesiæ antistes inter sua privilegia meruit ut litteras ex Africano concilio dandas ipse solus scriberet; sic iste meruerat ut litteras ex illo concilio dirigendas solus ipse dictaret. Sexaginta quippe et eo amplius episcopos tunc catena ligabat exsilii, quorum lingua et ingenium beatus Fulgentius episcopus fuit. Propterea quodcumque rescribebant consulentibus, episcoporum cunctorum nomina dicebantur in titulo, sed solius beati Fulgentii sermo tenebatur in stylo.

42. Præter istas quoque publici tractatus epistolas, si quis forte ex ipsis episcopis absentem plebem suam corrigere vel monere voluisset, ad beatum Fulgentium suppliciter accedebat, et per ministerium linguæ ejus officium suæ dispensationis implebat. O mirabilem virum non sibi soli, sed omnibus natum! Sola eum Ruspensis Ecclesia doctorem meruerat, et pars maxima concilii Byzaceni de ipsius sermone vivebat. Quicumque in qualibet sacerdotum exsulantium plebe tentabat inquietus existere, vel episcopum proprii jussa contemnere, beato Fulgentio dictante sic corripiebatur absens, ut satisfactionis remedium querens, enavigato mari continuo fieret præsens, et per ipsum beatum Fulgentium, cujus eloquentiam senserat excommunicatus, impetraret veniam salubriter humiliatus. Ipse namque beatus Fulgentius erat ultor, ipse intercessor: cum collega ultor, pro ministro intercessor. Ab ipso procedebat gladius, unde superborum cervix dura cæderetur; et per ipsum rursus benevolentiae medicina præbebatur, donec supplicum fratrum pusillanimitas sanaretur.

43. Inter ipsa plane primordia gloriosi exsilii, monasterium congregare, paucos secum ducens monachos minime potuit: sine fraterna tamen congregatione vitam ducere nesciens, coepiscopos suos, illustrem scilicet et Januarium, habitare secum persuasit volentes. Quibus unico serviens caritatis affectu, similitudinem magni cujusdam monasterii monachis et clericis adunatis sapienter effecit. Erat quippe eis communis mensa, commune cellarium, communis oratio, simul et lectio. Nullus se super alterum insolenter efferebat, neque propriis fratribus amplius aut peculiariter consulebat, nisi quod magis illi monachi qui beatum Fulgentium sequebantur, districtioris abstinentiæ regulam custodientes, nihil omnino proprium possidebant, (e) nec inter alios clericos clericorum more vivebant. Talis erat beati Fulgentii erudire jubentibus, ne præsumeret, etc. Ant., Si enim... erat paratus... nec præsumebat.

(e) Nec legimus quæ sequuntur in ms. nec apud Chiff.

ditio, quæ spiritualibus monitis ita subjectorum sibi corda transferret a terrenis voluptatibus ad spirituales cœlestesque delicias, ut boni propositi manente censura, non seducerentur infirmorum fratrum inertia, nolentium imitari quæ quotidie ante oculos eorum gerebantur exempla. Quis illius habitationis digne explicet laudes? Domus illa tunc Caralitana civitatis oraculum fuit. Illuc enim veniebat afflictus percipere remedium consolationis, ibi gerebantur inter discordantes pacis et concordiaë pacta fidelia, divinam volentibus audire diligentius lectionem ministrabat ibi Dominus plenissima expositionis ædificationem. Delectabat nobiles viros, si fieri posset, quotidie beatum Fulgentium cernere disputantem: libebat indigentiam sustinentes inde petere suppliciter eleemosynam corporalem, unde doctrinam quoque sumerent spiritalem. Frequenter enim beatus Fulgentius quos multa largiendo de temporali fame liberabat, renuntiare sæculo, sapienter admonendo, faciebat; et quamvis nihil habentes, habendi voluntatem contemnere suadebat, ita cupidus semper acquirendaë ad cœnobium fraternitatis, ut quamvis omnia omnibus nosset esse, monachorum tamen professioni sociare cunctos et optaret et vellet. Hæc fama per dies singulos crescens, Carthaginensis quoque Ecclesie populos ad majora gaudia provocabat, et certissimis testibus ex illa provincia venientibus beatum Fulgentium commendabat absentibus.

CAPUT XXI. *Persecutio regis Trasamundi. Trasamundus accersit Fulgentium. Fructus doctrinaë S. Fulgentii.*

44. Interea Trasamundi regis adversus religionem catholicam mens implacabilis et ira terribilis, inter asperas persecutiones subdolasque factiones, quibus æqualem Deo Patri negare Christum catholicos nunc terroribus cogeat, nunc promissionibus invitabat, sub intentione plus deicienda multitudinis simulare cepit rationem se simpliciter inquirere catholicaë religionis, reperiri neminem putans cujus posset in suis erroribus assertionem convinci. Proponebat denique (a) multas ineptiarum tendiculas quaestionum, nec si quis ei respondere voluisset, aut despiciebat, aut repellabat, imo quasi patienter audiens, satis fieri sibi non posse jactabat. Et revera quis homo tam obdurato cordi valuisset lumen ostendere veritatis? Efficiebat tamen plurimos religiosos (b) audax fidei suæ constantia per occasiones a Domino præparatas studiosi regis convincere blasphemias. Dicitur tamen requirenti diutius quis plenissime posset testimonio evidentibus vindicare veritatem catholici dogmatis, (c) esse inter episcopos exultantes beatum Fulgentium, cui nihil deesset in scientia, plurimum redundaret in gratia, qui sapienter et eloquenter roganti regi satisfaceret.

45. Protinus rex probare cupiens sacerdotem, cui generaliter testimonium bonum tota religionis nostræ perhibebat Ecclesia, servum strenuum celeriter

dirigit, a quo sine mora ductus atque perductus, pervenit Carthaginem lætus. Ubi tanquam fidelissimus dispensator, erogandi talenta sibi credita reprensione occasionem, cepit in hospitio proprio venientes ad se catholicos orthodoxos diligenter docere, rationem reddens quomodo Pater et Filius et Spiritus sanctus, manente trium personarum differentia, Deus unus a fidelibus prædicetur. Tanta autem fuit beato Fulgentio facundi sermonis suavitas, tanta in vultu ejus micabat hilaritas, ut certatim fideles universos sancta caritas traheret, vel interrogare doctissimum virum, vel audire, quoties ad interrogata respondebat. Ille vero verbum Dei sine invidia tabescente communicans, occurrebat interrogationibus omnium, neminem despiciens, nullum judicans improbum, paratus etiam ipse, si cui forte Deus per Spiritum sanctum melius revelasset, audire vel discere, tenere, sequi, approbare, sub officio doctoris humilitatem discipuli benignus et mitis exercens. Unde contigit ut multo doctior et seipso melior fieret, lucra Christo majora perquirens. Alios enim jam rebaptizatos errorem suum plangere docebat, et reconciliabat; alios autem, ne suas animas pro terrenis commodis perderent, admonerat. Et quos jam perditioni proximos sentiebat, ita blandis sermonibus leniebat, ut propter ejus benevolentiam verecundarentur cogitatum implere malitiam, reversique velociter agerent poenitentiam. Confortati alii verbis ejus et doctrinaë ejus sale conditi, redargebant Arianos hæreticos cum omni fiducia. Sic mirabili gratia factum fuit ut per unum sacerdotem, cujus sapientiam rex voluerat experiri, sapientum numerus apud Carthaginem cresceret, et per ministerium persecutionis fides catholica incrementum potius quam defectum acciperet.

CAPUT XXII. *Responsio B. Fulgentii ad decem objectiones Arianorum.*

46. Hæc omnia rex per occultos nuntios discens egregii sacerdotis ingenium, sapientiam, doctrinam, fidem, pietatem, mansuetudinem, continentiam probat, et convenienter fama suæ præconiis, talem esse qualis prædicabatur agnoscit. Dicta proinde quædam, veneno perfidiaë plena, legenda ei celeriter dirigit, responsionem sibi flagitans reddi. Suscepit hæc doctissimus pontifex, et longissima narrationis ineptias per objectionum capitula dividens, responsiones subjecit breves, probabiles, necessarias, auctoritate testimoniorum graves, et totius rationis lumine radiantibus. Quas cum multis sapientibus viris diu multumque collatas, et ad populi fidelis notitiam perductas, regi quoque longa expectatione suspensio tradidit ingerendas. Quas rex ille barbarus intentissime perlegens, quia nunquam prædestinatus fuerat ad salutem, laudat sapientiam, miratur eloquentiam, prædicat humilitatem, neque tamen meretur intelligere veritatem. Carthaginensis autem populus triumphali spiritualis interpres, propositiones regis fuisse convi-

(a) Ms., *mutis*.
(b) Ant., *audaces*.

(c) Ms., *Dicitur tandem requirere..... Dicitur esse inter*.

ctas læto murmure confitetur, et catholicam fidem semper esse victricem, conjunctis beati Fulgentii laudibus, gloriatur.

CAPUT XXIII. Libelli tres ad Trasamundum regem. Liber B. Fulgentii adversus Pintam episcopum Ariarium.

47. Adhuc tamen rex virum doctissimum probare desiderans, de aliis eum quæstionibus rursus interrogat et interrogationem suam semel tantum beato Fulgentio præcepit legi, neque meditandi, neque describendi tribuens facultatem. Timebat enim ne verba ejus convincenda sicut prius sermonibus ejus insererentur, totiusque judicio civitatis victus esse iterum probaretur. Beatus vero Fulgentius semel sibi lecta vix recolare prævalens, respondere differebat; sed respondere eum rex magis ac magis imperabat, responsionis arguens moras, et cautelam viri sanctissimi diffidentiam judicans. Unde idem pontifex discretionis virtute subnixus, ne qua forsitan per populum mendacia spargereatur, quibus fingeretur aut non potuisse, aut noluisse beatum Fulgentium regalibus quæstionibus obviare, tres libellos mirabiles facit, ubi memoratum regem simpliciter alloqueas, totius quæstionis (a) seriem quam tenui auditu perceperat, late reventilabat, docens animam rationalem Christo Domino in susceptione carnis minime defuisse. Tunc rex admiratione maxima repletus, nihil est amplius interrogare (b) ausus, nisi quod unus ex episcopis ejus, Pinta nomine, quasi respondere conatus, tacere potius noluit quam respondere aliquid potuit. Cui tamen illico beatus Fulgentius, alterius operis, quod adversus Pintam titulavit disputatione veridica restitit, et in prima defensione sua victos adversarios temere satis ostendit repetiisse certamen.

CAPUT XXIV. Liber seu commonitorium de Spiritu sancto ad Abragilam presbyterum.

48. De Spiritu sancto interroganti presbytero Abragilæ per commonitorium parvissimum testimonia protulit plura, docens eum cum Patre et Filio unum Deum simpliciter constandum. Cujus etiam commonitorii sententias inter utrumque illius temporis opus ordinavit oportere describi; legentibus omnibus fidelibus catholicis et mirantibus, erubescensibus Arianis et dolore (c) contra ipsum murmurantibus: donec malæ suggestionis occasione reperta, volenti eum regi intra Carthaginem diutius retinere, diceretur ab impiis et malis hominibus: Sine causa, rex laboras; nihil tua diligentia proficit. In tantum quippe jam doctrina Fulgentii episcopi prævaluit, ut de sacerdotibus tuis reconciliet aliquantos: proinde nisi cito subveneris, (d) religio nostra deficiet; et quicumque a nobis est baptizatus, hominibus iterum prædicabit publice reconciliatus; nec si persecutionem volueris concitare, timeri poterit regalis sævitia. Multum quippe confortat stabilesque facit omnes episcopos Fulgentii præsentia.

(a) Ms., totius quæstionis, quam tenui auditu perceperat, latera ventilabat.

(b) Ms., nisus.

(c) Ms., in ipso.

(d) Ms., religioni nostræ, deficiet.

A CAPUT XXV. Iterum relegatur Fulgentius. Prædicat celarem reditum suum.

49. Suggestentibus talia rex quasi magna necessitate constrictus assentit, et beatum Fulgentium rursus ad exsilium Sardinie revocare compellit. Intempesta igitur nocte (sic enim rex fieri delegaverat) ad navim beatus Fulgentius populo ignorante perducitur. Sed contrario flatu resistentibus ventis, super littus tantas passus est moras, ut per dies plurimos omnis pene illuc civitas conveniret, et de manu ejus valefaciens communicaret. Ibi autem prophetica gratia per Spiritum sanctum repletus, (e) Juliteo viro religioso nimis afflicto graviterque pro discessu beati pontificis ingemiscenti, Diutius, ait, flere noli, cito revertemur ad vos; catholice Ecclesie libertate reparata videbitis nos. Hoc autem, quæso, secretum sit apud te, quod nimia caritas indicare me compulit. Sic sollicitè semper beatus Fulgentius jactantiam fugit, nec in donis spiritalibus humanam gloriam quæsit, testimonio conscientie sue contentus, et de sola misericordia Dei fretus. Unde etiam mirabilia facere nunquam delectatus, hanc gratiam dari sibi nullatenus desideravit. Sed si quando petebatur pro infirmis et laborantibus, vel necessitatem temporarium tribulationum tolerantibus, Dominum deprecari, preces suas sub hac devotione fundebat: SCIS, DOMINE, quid animarum nostrarum saluti conveniat. Poscentibus ergo nobis quod monet necessitas, hoc misericordia tua concedat, unde spiritalis non impediat utilitas. Oratio igitur nostræ humilitatis, si expedit, tunc ita a te exaudiatur, ut voluntas tua (f) principaliter compleatur. Et frequenter quidem Deus omnipotens oranti sacerdoti suo multa concessit; sed ille nihil propriis tribuens meritis, eorum potius fidei pro quibus exaudiebatur omnia deputabat, neque sibi, sed illis concessum hoc esse dicebat.

CAPUT XXVI. Redit in Sardiniam cunctis lætantibus.

50. Sed ne diu moras longissimas faciamus, unam ejus sententiam de faciendis mirabilibus inseramus. Mirabilia, aiebat, non conferunt homini justitiam, sed hominum notitiam. Quisquis autem hominibus fuerit notus, nisi fuerit justus, ad æterna perveniet supplicia condemnatus. Ille vero qui misericordie cœlestis opera justificatus, in conspectu Dei solius vixerit justus, etiamsi parum sit hominibus notus, beata sanctorum gaudia percipiet coronatus. Vir igitur mirabilis timuit habere laudem de mirabilibus, quamvis (g) ampliori quotidie miraculo faceret exhortatione sanctissima multos infideles credere, multos hæreticos reconciliari, multos pessimis moribus deditos continentie faciens leges excipere; dum per ejus saluberrima monita sobrietatem discerent ebriosi, castitatem sectarentur adulteri, distribuere omnia pauperibus avari rapacesque docerentur; et mutato proposito, superbis humilitas, litigiosis pax,

(e) Apud Chiff. codd. alii, Juliteo; alii, Vilitateo, alter Villeo.

(f) Ant., feliciter.

(g) Sic ms. At Ant., ampliora quotidie miracula faceret exhortatione.

inobedientibus obedientia fieret dulcis. Talibus plane A mirabilibus beatus Fulgentius piam semper operam dedit, quibus secum comitantibus, in omni loco et tempore gloriosus, favente aliquando sereni aeris tranquillitate Sardiniam reportatus, exsultantium coepiscoporum lætos animos reddidit, ipsamque provinciam, cui tantorum præsentia sacerdotum tribuebat ornatum, præsentis suæ luce fecit splendidam; concurrentibus undique cum gaudio Christianis hominibus videre athletam Christi fortissimum, qui certamine singulari sævientis impetum regis fregerat, ad divina castra rediisse insignibus laureis adornatum, et antiquis commilitonibus junctum, tanto amplius singulis exhibuisse laudabiliter humilitatem, quanto sciebat suam plus enituisse virtutem, memor sine dubio Scripturæ monentis: *Fili, quanto magnus es, B humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam (Eccli. iii, 20).*

CAPUT XXVII. *Novum ibi construit monasterium. Veri monachi qui sint.*

51. Noluit plane jam beatus Fulgentius in priore domo multis fratribus comitantibus diutius habitare: sed juxta basilicam sancti martyris Saturnini, procul a strepitu civitatis vacantem reperiens locum, (a) Brumasio (b) Calaritanæ civitatis antistite venerabili prius, sicut decuit, postulato, novum propriis sumptibus monasterium fabricavit. In quo quadraginta et amplius fratribus congregatis, disciplinæ cœnobialis ordinem custodivit illæsum, nemini dans licentiam professionis sanctæ regulam præterire, sed principaliter hoc observandum monachis tradens, ut nullus eorum quidquam proprium sibi vindicaret, sed essent omnibus omnia communia. Dicebat enim frequenter, nec debere, nec posse monachum judicari, cui voluntas habere privatum peculium persuaserit. Ut enim monachus lautioribus forsitan cibus utatur, interdum cogit infirmitas corporis; ut autem cupiat in quamlibet exiguis rebus juris proprii dominium vindicare, superbæ voluntatis et avaræ cupiditatis evidens testimonium est. Distribuebat plane ipse cum summa discretione servis Dei necessaria vitæ subsidia, singulorum vires infirmitatemque considerans. Verumtamen quibuscumque plus cæteris consulebat, eos humilitatem custodire amplius admonebat, dicens eis, DE SUBSTANTIA communi quisquis aliquid plus accipit, omnium sit debitor, quorum est illa substantia: porro debitorem sola juvat humilitas. Sic efficiebatur ne quis scandalum pateretur, quando uni propter infirmitatem plus dare videbatur.

52. Erat quoque ei nimia sollicitudo prævenire cunctorum monachorum petitiones, ante tribuendo quidquid tribuendum cuilibet vel necessitas, vel ratio manifesta monstraret. Si quis autem præsumpsisset priusquam acciperet petere, negabat ei continuo,

etiamsi mereretur accipere, dicens monachos debere iis quæ acceperint esse contentos. Cæterum qui sibi (c) antequam accipiant petunt, desiderii adhuc carnalibus serviunt, et omnino non perfecte de cœlestibus cogitant, quandiu quid sibi necessarium sit, ipsi sibi, quia non possunt negotiando, petendo saltem providere festinant. Illos quoque veros esse monachos dicebat qui, mortificatis (d) voluntatibus suis, parati essent nihil velle aut nolle; sed abbatis tantummodo consilia vel præcepta servare. Propterea sine suo consilio nec eum fratrem qui præpositi gerebat officium, sinebat aliquid agere. Laborantes fratres et opera carnalia indefessis viribus exercentes, lectionis autem studium non habentes, minus diligebat, nec honore maximo dignos judicabat. In quo autem fuisset scientiæ spiritalis affectus, etiamsi virtute corporis destitutus operari manibus nunquam posset, ab eo peculiariter habebatur dilectus et gratus.

53. Amabat autem quando coram fratribus disputabat, si quis ei quæstiones proposuisset acerrimas, in quibus excellentissimo laboraret ingenio, licebatque generaliter omnibus fratribus etiam natura simplicibus, parumve intelligentibus, unde vellent interrogare; nec priusquam satisfactum sibi confiterentur rationem reddere victus tædio vel labore cessabat. Erat enim maxima ei et mirabilis gratia, corripere inquietos corde tranquillo, ita ut tunc magis quando putabatur ab aliis vehementer irasci, summa in eo vigeret regnaretque placiditas, et sine perturbatione perturbato similis multos male agentes salutari impetu perturbabat. Odiens enim vitia, diligens homines, tandiu severus apparebat, quandiu disciplinæ spiritalis utilitas exigebat. Alias autem circa singulos ita mansuetus fuit, et communis et facilis, ut neminem fratrum puro nomine clamitaret, neque cum typho sæcularis dominationis aliquibus quamvis parvulis imperaret.

CAPUT XXVIII. *Quæ scripserit Fulgentius. Hildericus rex catholicus episcopus ab exilio revocat.*

54. Scripsit eodem tempore (e) Carthaginensibus epistolam sublimi exhortatione perspicuam, ubi pene cunctos dolos et fallacia blandimenta, quibus infelices seducebantur animæ ad mortem, gravissima (f) conquestione digessit. Tunc etiam de remissione peccatorum consulenti Euthymio viro religioso duobus libellis sine mora respondit. Testimonia quoque prædestinationis et gratiæ (g) differentias cupientem nosse salubriter disputans docuit. Jam familiares epistolas, in quibus tamen spiritalis ædificatio continetur, et ibi apud Sardiniam commanentibus, et in Africa degentibus, et Romanis, præcipue senatoribus, viduisque ac virginibus, quarum fama laudabilis habebatur, frequenter direxit. Ad Probam virginem Christi, de Jejunio et Oratione duos libellos conscri-

(a) Ex Chiff. Brumasio ferunt nonnulli; alii, Villa-teo; alter, Villeo.

(b) Chiff., Caralitana.

(c) Ant., qui sibi plus quam indigeant.

(d) Ms., voluntatibus suis.

(e) De hoc opere in Ant. editione in ora libri scribitur, Puto eam esse quam ad Donatum habemus.

(f) Ms., cum quæstione.

(g) In ms., differentia.

psit. (a) Ita namque notior fuit pene omnibus gentibus ut etiam illi duo libri quos Faustus episcopus Galliarum contra gratiam subdolo sermone composuit, favens occulte Pelagianis, sed catholicus tamen volens videri, Constantinopoli offensis plurimis fratribus, ad beatum Fulgentium probandi dirigerentur. Quibus, ne occultum serperet virus, septem libris ipse respondit, plus laborans exponere quam convincere, quia dubios sermones ejus exponere, hoc erat delirantis argumenta convincere.

55. Magnus plane hujus operis labor mercedem debitam cito suscepit. Mox enim ut est dictatio ipsius finita, protinus est longissimæ captivitatis catena disrupta. Mors enim Trasamundi regis, et mirabilis bonitas Hilderici regnare incipientis, Ecclesiæ catholice per Africam constitutæ libertatem restituens, B Carthaginensi plebi proprium donavit antistitem, cunctisque in locis ordinationes pontificum fieri clementissima auctoritate mandavit.

CAPUT XXIX. *Fulgentius honorificentissime suscipitur et deducitur. Carthagine egreditur. Oblata gloria reddit Fulgentium humiliorum. Monachos ministerii ecclesiasticis adhibet. Insignis ejus humilitas. Plurimas scripsit homilias ac habuit sermones ad populum. Libri decem contra Fabianum. Libri tres de Veritate prædestinationis et gratiæ. Sub mortem maxime se dat penitentia. Precatio Fulgentii in summis et acerrimis doloribus. Fulgentius moriturus distribuit omnia pauperibus. Moritur S. episcopus. Ejus honorificum monumentum. Mauri Russe territorium populantur.*

Beatus itaque Fulgentius, postquam sapienter expugnasset Pelagianos, lætificatos meruit videre catholicos. Inde, secundum quod per eum Spiritus sanctus prædixerat, reversus est Carthaginem cum omnibus consacerdotibus, unde solus exierat. Invenit lætos, quos reliquerat mæstos. Invenit nimia exultatione ferventes, quos reliquerat persecutionis violentiam sufferentes. Invenit habentes spiritalem patrem, quos reliquerat dolentes viduatam Ecclesiam matrem. Invenit expectantes se cum gaudio, quos reliquerat gementes in tædio.

56. Tanta autem fuit devotio Carthaginensium civium, beatum Fulgentium revisere cupientium, sic universus populus exspectabat ardentem quem viderat in conspectu suo pugnasse viriliter, ut aliis episcopis ante ipsum descendentibus, silens multitudo super littus staret, oculis et mentibus inter omnes episcopos beatum Fulgentium (quem familiariter noverat) quærens, et eum a cunctis navibus expetens. Ubi vero facies ejus apparuit, immensus nascitur clamor, altercantibus omnibus quis primo salutarer (b) agnoscendum, quis caput benedicienti supponeret, quis extremis vel saltem digitis mereretur tangere gradientem, quis videre vel oculis procul stantem. Resonabat divina laus ex omnibus linguis. Ad Sancti quippe Agilei basilicam sequens populus

A et præcedens, confessorum beatorum triumphum nobilem celebrabat. Multitudo autem maxima populi beatum Fulgentium, quem plus cæteris honorabat, concurrere alacriter comprimebat: donec sancta quorundam Christianorum provisio rotam in circuitu faciens æstuanti liberum præberet iter in medio transeunti. Probare tamen adhuc Dominus cupiens virorum fidelium caritatem, copiosis imbribus ambulantes mirabiliter inundavit. Et quis opera pietatis (al. caritatis) enarrare valeat absque dispendio veritatis? Immensa pluvia neminem terruit, aut obsequium (c) sacerdoti religioso præbere prohibuit; imo potius, velut benedictione cœlesti desuper descendente, tantum fides nobilium crevit, ut planetis suis super beatum Fulgentium gratanter expansis, repellent imbres, et novum tabernaculi genus artificiosa caritate componeret: imitatorum eorum effecti qui, prioribus temporibus, Salvatori super pullum asinæ considenti, et Hierosolymam venienti, *vestimenta sua* (sicut Evangelium loquitur) *in via sternebant* (Matth. xxi, 8). Tale quippe aliquid et isti faciebant, qui propriis indumentis beati Fulgentii nudum caput unanimiter protegebant. Vix ergo appropinquante vespere, sanctæ memoriæ Bonifacio episcopo representati, benedixerunt omnes et laudaverunt communiter Deum. Tunc beatus Fulgentius per omnes vicus Carthaginensis civitatis ubicunque transibat manibus et oculis demonstrabatur, laudibusque innumeris prædicabatur.

57. Postquam vero domos omnium diligentium se (d) concitus visitavit, benedixit, et gaudere dignatus cum gaudentibus, qui prius fleverat cum flentibus, cunctorum desideria satiavit, vale faciens fratribus egressus est de Carthagine: per omnes prolixi itineris vias gaudia majora reperiens, in occursum suum populis undique tendentibus, cum lucernis et lampadibus et arborum frondibus, (e) reddentibus gratiam ineffabili Deo qui beatum Fulgentium mirabiliter in conspectu omnium fecerat gratiosum. Per omnes Ecclesias tanquam proprius episcopus suscipiebatur, et sic de reditu ejus omnis Byzacena provincia velut plebs una gaudebat. Quem obsecro gloriæ hujus non attolleret magnitudo? Beatum tamen Fulgentium ad majoris humilitatis studium provocavit. Veniens namque cum gloria populari, et dignitatem pontificis privilegio specialis venerationis accumulans, postquam cathedram sedit, inter monachos adhuc habitare desideravit. Et ne videretur abbatibus Felicis adventu suo minuere potestatem, imperandi monachis omnem sibi ademere voluntarie facultatem, non suam, sed alterius volens ipse quoque sequi voluntatem. Et qui adhuc monachus dispensationem susceperat fratrum, jam episcopus dominari noluit in proprio monasterio: sic sollicitè cavens ne Felicem contristaret abbatem, ut exhibens superveniendum.

(a) Ita Chiffi. At vero Ant., *Ita erat notior omnibus gentibus ut duo libri Constantinopoli offensi a plurimis fratribus ad beatum Fulgentium probandum dirigerentur.*

(b) Ms., *agnoscendo, quis caput supponeret ad bene-*

dicendum.

(c) Ms., *sacerdotibus gloriosis.*

(d) Sic ms.; cæteri, *petitus.*

(e) Chiffi., *agentibus Deo gratias ineffabiles.*

tibus hospitalitatem, si quando vel multiplicari pa-
nem, vel aliquid amplius exhiberi necessitas expetis-
set, abbatis primo Felicis consilium requireret. In
omni denique concilio Byzaceno, de rebus majoribus
ipse primus consulebatur; in monasterio proprio de
rebus minimis abbatem Felicem suppliciter consu-
lebat.

58. Parum fuit beato Fulgentio verbis et operibus
hanc humilitatem sequi ac retinere, nisi per scriptu-
ram quoque firmaret nihil se in illo monasterio pro-
prium vindicare, nec pro potestate, sed pro caritate
inter monachos habitare. Considerans enim vir pro-
vidus ne quod servi Dei simplices præjudicium po-
stea paterentur, obicem contradictionis in hac scriptu-
ra successoribus suis apposuit, quia utilitati mona-
chorum Deo servientium nihil præposuit. Emit tamen
juxta ecclesiam domum, cui fabricandæ curam ma-
ximam diligenter impendit ne futuro successori suo
deesset hospitium. Clericorum vero si qua defuerunt
ministeria reparans, probatos sibi multos ex fratri-
bus monachis ad ecclesiasticam militiam transtulit;
ibi quoque caritati consulens, ut dum pene omnes
clericos ex illo monasterio ordinat, antiquæ familla-
ritatis monente notitia, nulla lis aliquando inter mo-
nachos et clericos ventilaretur.

59. Summam quoque diligentiam præbuit ne quis
clericus ambitiosus vestibus ornaretur, ac negotiis
secularibus occupatus ab officio ecclesiastico diutius
vagaretur: jubens omnes non longe ab ecclesia do-
mos habere, manibus propriis hortum colere, psal-
lendique suaviter aut pronuntiandi curam maximam
gerere. Per singulas septimanas omnes clericos ac
viduas, et quicumque potuisset ex laicis, quarta et
sexta feria statuit jejunare, quotidianis vigiliis, jeju-
niis, matutinis et vespertinis orationibus adesse
præcipiens omnes. Aliquantos inquietos verbis, ali-
quantos verberibus coercebat, quos culpa manifesta
flagellari coegerat. Ita vitia cunctorum salubri dis-
putatione mordebat, ut nullius interserens nomen
omnes cogeret metuere, et latentia quoque peccata
salubriter timendo deserere. Veruntamen quomodo
inter proprios clericos minorem posset habere cau-
telam, qui diuturnas etiam finitimarum plebium ri-
xas et contentiosa certamina dirimebat? Ipse deni-
que Maximianensis animositatem plebis, ordinatum
sibi episcopum recipere nolentis, salubri admonitione
sedavit, debitumque finem gravissimo scandalo sta-
tuens, cuncta inter eos modeste et salubriter pacifi-
cans ordinavit.

60. In concilio quoque (a) Vincensi, judicio sacer-
dotum omnium qui convenerant, episcopo cuidam
nomine Quodvultdeo, qui priorem se illius existere
confirmabat, antepositus et prelatus, ipso die et
tempore tacuit, nec auctoritatem concilii excusando
minuere voluit. Sed ubi post concilium dolere sensit
episcopum, timens propter suum honorem generari
fratri scandalum, mellisque Judæans per caritatem

A se fieri minorem quam sine caritate majorem, Su-
phetani postea concilii gloriosum respiciens adesse
conventum, precem supplicem coram omnibus fudit,
ut, sibi rarsum se volente, Quodvultdeus episcopus
præferretur, ut nomine suo posterius recitato, latus
deinceps viveret consacerdotis animo reconciliato.
Mirati sunt episcopi humilitatem talia postulantis,
nec contristare voluerunt offerentem Deo sacrificium
humilitatis, ad custodiendam spiritus societatem in
vinculo caritatis. Ubi sunt nunc illi quibus eminendi
super cæteros dominatur affectus, qui se etiam suis
prioribus anteponunt, indebita sibi privilegia vindic-
cantes? Ecce beatus Fulgentius, nec primatum quem
meruit defendere voluit, quia sine caritate prior esse
alicui minime concupivit.

61. Catholicæ Ecclesiæ singularis magister et
doctor, licet inter varias occupationes hic in Africa
parum vacaret, plurimos tamen ecclesiasticos ser-
mones, quos in populis diceret, scribendos dictavit:
et ubicunque sermonem faciebat, omnium animos
demulcebat, nec inanes et vanissimos plausus, sed
compunctionem generans cordis. Expectavit eum
sanctæ memoriæ Bonifacius episcopus Ecclesiæ Car-
thaginensis apud Burnos (at. Furnos) Ecclesiam de-
dicans, duobus diebus se præsentem tractantem, quo-
niam tantum delectatus est audire verbum Domini
de ore ejus, ut donec ille sermonem finiret, ipse (b)
terram lacrymis irrigaret, gratias agens Deo, cujus
gratia semper in Ecclesia catholica summos excitat
præclarosque doctores. Multa jam reversus de exsi-
lio condidit nova, decem libros Fabiani mentientis
falsa gesta convincens; de veritate prædestinationis
et gratiæ libellos tres confecit, aliisque multa diges-
sit, quæ si quis scire voluerit, in ejus monasterio
veraciter scripta reperiet.

62. Nobis autem jam tempus est dicere quomodo
post omnia bona opera sua requieverit, ad cæli re-
gna translatus. Ante annum ferme quam de isto sæ-
culo raperetur, profunda cordis compunctione per-
motus, reliquit subito ecclesiasticas occupationes.
Et de ipso quoque monasterio suo secreto recedens,
ad insulam Circinam paucis comitantibus fratribus
navigavit, ubi in quodam brevi scopulo, cui nomen
est Chilmi, ubi jam monasterium fabricari mandave-
rat, lectioni et orationi et jejuniis vacans, veluti sci-
ret appropinquare sibi novissimum diem, sic ex toto
corde suo penitentiam gessit. Et quamvis tota vita
ejus, ex quo monachorum professionem conversus
ex toto corde suscepit, penitentiam fuerit tempus,
in hac tamen insula multo amplius ac multo diligen-
tius, inchoanti similis, membra sua mortificavit, et
in conspectu solius Dei flevit. Inde jam plurimis de
absentia sacerdotis murrnantibus, caritatis neces-
sitate constrictus iterum descendit ad monasterium
suum, consueta hominibus religiosis exhibere solatia,
laboresque durissimos pro utilitatibus proximorum
longanimiter sustinere.

(a) Ms., Juncensi. Ant., Virecensi.

(b) Apud Chiff., ipse lacrymis genus rigaret.

63. Non multi autem fluxerant dies, et ecce ser-
vum fidelem bonus Dominus requirebat. Incidit enim
repente in corporalis infirmitatis acerrimas passiones,
ubi septuaginta prope diebus ægitudine fatigatus,
hoc solum frequenter dicebat: Domine, da mihi modo
hic patientiam, postea indulgentiam. Nec ab isto
sermone aliquantulum (*al.* aliquando) cessavit, sive
dolor affligeret, sive febris incenderet, sive lassitudo
dissolveret. Persuadentibus autem medicis ut lavacris
balnearibus uteretur: Nunquid balneæ, inquit, face-
re poterunt ne homo mortalis expleto vitæ suæ tempore
moriatur? (*a*) Si vero proximam mortem nec
aquarum calidarum possunt fomenta repellere, cur
mihi, obsecro, persuadetis ut rigorem diu servatæ pro-
fessionis in fine dissolvam? Sic salutem suam super-
næ voluntati fideliter credens, postquam se sensit
sine aliqua dubitatione dissolvendum, vocans uni-
versos clericos suos præsentibus monachis, allocutus
est eos dicens, Ego, fratres, animarum vestrarum
saluti prospiciens, molestus apud vos forsitan et diffi-
cilis existit; et ideo obsecro vos ut ignoscat mihi
quisquis aliquid dolet. Et si forsitan severitas nostra
modum transgressa est debitum, orate ne mihi hoc
Dominus imputet ad peccatum. Cumque talia beato
Fulgentio lacrymosis singultibus exprimente, cuncti
simul super genua ejus caderent, semper bonum,
semper affabilem, pro omnium salute, sicut decuit,
iuvigilasse clamantes, Provideat ergo vobis, ait, Do-
minus Deus meus pastorem dignum se.

64. Tunc imperato silentio, paululum requievit.
Et deinde pauperum curam gerens, requisita summa
pecuniæ, de qua fidelissimus dispensator quotidie
egentibus ministrabat, totum jussit expendi; per
seipsum memoriter recolens viduarum, pupillorum,
peregrinorum, cunctorumque illic indigentium nomi-
na, quibus quid singulatum daretur propria delibera-
tione constituit; hæredes in hoc sæculo non habens,
hæreditatem hujus benevolæ sollicitudinis pauperi-
bus derelinquens. Sed nec suos clericos debita bene-
dictione fraudavit; ipsorum quoque paupertati mise-
ricorditer consulens; ac secreta omnia præordinans,
orans jugiter, et intrantes singulos benedicens, usque
ad extremam horam sana mente permansit. Postre-
mo die kalendarum Januariarum post peractam ve-
esperam, beatum spiritum feliciter in manus Domini
tradidit, annum sui episcopatus agens vicesimum
quintum, vitæ autem totius sexagesimum quintum,
sicut multis ante fratribus morti proximus indi-
cavit.

65. Ipso autem die sanctum corpus ejus sepeliri
minime potuit; sed in oratorio monasterii constitu-
tum, tota nocte illa in psalmis, hymnis et canticis
spiritualibus vigilare monachos simul et clericos invi-
tavit. Mane vero postquam multitudo maxima popu-
lorum de locis finitimis ad exsequias venit, sacerdo-

tum manibus ad ecclesiam civitatis, quæ Secunda
dicitur, ubi etiam reliquias apostolorum constituerat,
deportatus, sortitus est honorabile monumentum.
Primus plane in eadem basilica pontifex poni meruit,
ubi nullum mortuum, neque sacerdotem, neque lai-
cum sepeliri consuetudo sinebat antiqua. Sed magna
vis dilectionis removebat impedimentum consuetudi-
nis, ambientibus universis civibus, et cum summa
devotione quærentibus, ut ubi vir sanctus et Deo
amabilis fuerat consecratus, ibi orationibus singulo-
rum semper etiam localiter videretur adjunctus. Pro-
baverunt quippe sæpius quanta bona illis oratio
beati Fulgentii præstiterat, et quanta mala repulerat,
sicut postea manifestis indicis evidenter apparuit,
quando non post plurimos dies accersitionis (*al.* de-
cessionis) ejus, inimica gens Maurorum Ruspense
territorium repente vexavit, rapinis, cædibus, incendiis,
multa devastans, atque intra ipsos ecclesiæ parietes
quos invenire potuit jugulans. Quis beati Fulgentii
gratiam non miretur? Quandiu vixit furorem belli
civitas illi commissa non sensit. Et cum tota pene
provincia captivitate sustineret horribilem, Ruspa
fuit incolumis, propter sacerdotem venerabilem,
cujus vita propriis civibus murus fuit.

66. Nec hoc interim prætereundum silentio judi-
cavi, quod dum ei successor idoneus quæreretur,
discordantibus laicis et clericis, annum prope inte-
grum prolixitas contentionis exegit; et illo die sanctitas
tua super cathedram ejus sedit, quo ipse defunctus
est. Ornari quippe hoc privilegio meruit prima
solemnitas ejus depositionis, ut multo amplius venerabilis
fieret per gaudia tuæ ordinationis. Vis autem nosse
quomodo non fortuitis motibus ista provenerunt,
sed illius orationibus demonstrantur esse concessa?
Recole visionem fidelissimam beati Pontiani episcopi
Thenitani, quam sic ipse narravit: Eunti mihi secundum
præceptum Datiani primatis, ut Ruspensi Ecclesiæ
eligeretur antistes, idem beatissimus Fulgentius per
tempus quietis apparuit; et affabili, sicut solebat,
aspectu salutans amicabiliter, Quo, inquit, nunc
sanctitas tua velociter ambulat? Cui respondi, Ut
episcopus Ruspensi Ecclesiæ eligatur. Ille vero subridens,
Jam, inquit, ordinatus est. Nonne apparet illius
orationibus fuisse perfectum quod est visitante prædictum?
Qui ergo confirmationem noverrat necdum electi vel
ordinati, diem quoque quo in cathedra consedere poterat
ordinatus jam orando scire meruerat. Votis itaque
continuis et fideli devotione semper optamus ut
gloriæ illius factus particeps in æternum, non indignus
tanto præcessore, feliciter vivas, operisque hujus de
perfectione nobiscum Domino gratias agas, et pro his
quæ minus forte dicta sunt eloquenter ab omnibus
sapientibus lectoribus veniam petas.

(a) Ms., si vero proximat mors, etc.

PROLOGUS S. FULGENTII EPISCOPI RUSPENSIS

IN TRES LIBROS AD MONIMUM.

I Gratias ago Domino quod de bono thesauro cordis bona proferre (*Matth. XII, 35*) non desinis, Et lingua Eucharis, quæ in bono homine abundat, puritatem tui cordis insinuat. Quæ licet divinitus concessis eloquentiæ fluentis exuberet, non tamen tantum credo sermonibus exprimi, quantum scio cordis tui penetrabilibus contineri. Divino etenim igne succensus, sic nobis jugiter compateris, ut etiam illas tribulationes quæ, licet acciderint nobis, Domino tamen adjuvante fuerint superatæ, tu sic eas pro nobis pene semper pateris, ut quoties eas corde revolveris, toties eas pati quodammodo compellaris. Ecce quantum boni caritas habet, ecce quantam laudem coram Deo et hominibus possidet, ecce quam laudem accidit illi quem amat, frequentius recordando magis ipsa sustineat. Hoc ergo superest, ut quod ipsa caritas facere consuevit, pro nobis jugiter faciatis. Quid autem est aliud, nisi ut illum, in quo nos pure diligitis, ipsum semper pro nobis oretis? Semper enim caritas pro his quos diligit poscit, dum etiam illa quæ tuta sunt metuit. Metuit autem non eo timore quem ipsa foras expellit, nam perfecta caritas foras mittit timorem (*I Joan. IV, 18*), sed illo timore quem non ad timorem, sed ad amorem habere consuevit. Timet ergo non timida^a timore (al. amore), sed casto. Non enim timet formidine criminis, sed robore puritatis et firmitate virtutis. Exigis a me præsterea debitum, quod me celeriter, Domino adjuvante, spondeo redditurum. Non enim hoc debitum sic profiteor quemadmodum de quodam tuus Maro memorat, quod ipse fatebatur, sed reddere posse negabat: sed illud (al. illo) me debere fateor, in quo me reddere posse non nego, C sed spondeo. Ipse enim mihi donat unde reddam, qui donavit ut debeam. Nisi enim ab illo acciperemus, non solum reddere, sed nec ipsum debere possemus. Quid enim nobis invicem, nisi caritatem debemus? Quod utique B. Paulus hæc loquens fidelibus, evidenter ostendit: Nemini quidquam debeatis, **2** nisi ut invicem diligatis (*Rom. XIII, 8*). Quis autem fateatur debitum, si neget acceptum? In eo igitur, quod nos debere dicimus, profecto nos accepisse monstramus. Dicit quippe B. Apostolus: Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis (*Rom. V, 5*)? Nam et alio loco testatur: Quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Qui ergo nobis dedit quod reddendo debeamus, ipse nobis donabit facultatem qua

A possimus reddere quod debemus. Ille igitur auctor est debiti, qui auctor est doni. Nam et seipsum sua largitate dignatus est facere debitorem, non quia indigens ab aliquo accepit, sed quoniam abundans largiter tribuit. Seminecem quippe suo jumento impositum, stabularioque curandum tradens, duobus denariis datis, ita se debitorem proficitur, ut diceret, Si quid supererogaveris, b cum venero, reddam tibi (*Luc. X, 35*). Quid est autem, si quid supererogaveris, nisi, si quid a me magis acceperis? Nam et ipse qui supererogabat in eo quod non acceperat præceptum, sed dabat ex caritate consilium, misericordiam se profitebatur utique (al. itaque) consecutum. Ait enim: De virginibus autem præceptum Domini non habeo, sed consilium do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim B fidelis (*I Cor. VII, 25*). Misericordiam est igitur consecutus, non solum ut erogandum acciperet, verum etiam ut amplius erogaret. Ecce qualis est Dominus noster, ut donando debeat, et quanto magis donat, tanto magis eum debitorem esse non pigeat. In quantum enim gratis largitur, in tantum debitor invenitur. Nec enim potest aliquis debitorem habere, nisi in eo quod ipse dignatus fuerit gratuita largitate conferre. Ipsum igitur pro me jugiter posce, ut mihi largiatur reddendi debiti facultatem, qui donavit, ut in ipso caritatis tibi liberum debeam servitutum.

Ut enim vere tuo cordi, quod cor meum est, totum fatear, quoniam, sicut cordi meo, ita cordi tuo aliquid celare non possum, reddendi debiti tarditatem illa mihi ratio procuravit. Quoniam adversus cujusdam hæretici vaniloquia respondere compulsus sum, qui non solum meum nomen, sub Fotiniani (al. Fotiani) erroris nota, non dubitavit lacessere; quin etiam sanctorum Augustini et Hieronymi dicta, tanquam meæ professioni contraria, in me voluit retorquere. Cujus nomen nunc literis insinuare distuli, sed potes ipse procul dubio recordari. Nam ibi te nobiscum apud Carthaginem posito, mihi dicta ejus allata sunt, et si bene recolo, etiam in tuam notitiam pervenerunt; nihil enim te ibi posito legere possem, quod tibi recensendum offerre non possem. Eisdem igitur libellos, si Dominus voluerit, vestræ caritati celeriter destinabo. Et non dubito quod meam tarditatem in tuo debito digneris patienter ferre. Quoniam scio quantum delecteris, vel quantum nos semper ipse compellas, ut nos, Domino adjuvante, non D pigeat hæreticis respondere.

^a Cod. ms. Thuan., timore.

^b Hæc verba, cum venero, reddam tibi, absunt a cod. ms. Thuan.

S. FULGENTII AD MONIMUM LIBRI TRES.

LIBER PRIMUS,

DE DUPLICE PRÆDESTINATIONE DEI, UNA BONORUM AD GLORIAM, ALTERA MALORUM AD PŒNAM.

CAPUT PRIMUM. *Deus ut eum quæramus inspirat et a quærentibus invenitur.*

3 Litteræ tuæ, fili carissime Monime, quantum demonstrant delectabilem tui animi sinceritatem, laudabilemque studii spiritalis ardorem, tantum nostræ responsionis, querula benignitate, videntur arguere tarditatem. Tanquam in eo minus quam debeo te videar diligere, quod inquisitionibus tuis non curaverim celeriter respondere. Sed crede mihi sicut in caritate Christi personam tuam nequaquam in corde meo contemptam, sic responsionem ineam, non voluntate, sed occupationum varietate dilatam. Verum tamen inter ipsas occupationes quas invitus tolerare compellor tantum studio tuo congratulor, quantum tua caritate delector. Eo magis amplectens sanctum aviditatis tuæ propositum, quod sicut vere spiritalis negotiator, interioris hominis lucra consecrans, et cœlestium mercium quæstus magis ac magis amplificare desiderans, primum quod a me flagitas debitum, subinde commulas fenore quæstionum, ut scilicet tuorum commodorum militet incrementis ipsa nostræ necessitas tarditatis. Proinde confido in misericordia Dei nostri, quia si quid mihi hujus inquisitionis ac disputationis opere pro meo merito non conceditur, pro tuo mihi desiderio concedetur. Neque enim inquisitionem tuam Deus inventionis effectu fraudari ullatenus sinet, qui te ad inquirendum spiritaliter inflammavit, cum ipsius fidele promissum nulla ratione cassetur dicens: *Petite, et accipietis; querite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis (Luc. xi, 9).* Internus igitur Magister, a quo subsidium doctrinæ cœlestis accipimus, non solum inquirentibus nobis suorum aperit arcana sermonum, sed ut etiam quæramus, ipse gratis inspirat affectum. Quia nec esurire panem illum, qui de cælo descendit (Joan. vi, 33), possumus, nisi ab ipso & fastidientibus esuries detur, qui se ad satios esurientes donare dignatur. Ab ipso etiam nobis est quod ad fontem sitientes currimus, qui se nobis tribuit, ut bibamus. Ipse igitur laudandus est in utriusque ^a muneris gratia; sive cum nos ad se quærendum dormientes exsuscitat, seu cum se invenientium nobis quærentibus donat. Qui profecto nullatenus invenitur, nisi ipse nos excitet, ut quærat.

CAPUT II. *De eodem argumento.*

Revolvens igitur scripta tua, tanquam chirographa mea, ut ex his instruerer quot vel quarum tibi essem

A debitor quæstionum, duas ad præsens epistolas potui reperire. Unam continentem sancti Augustini verba, quæ in libro de Perfectione justitiæ hominis, de his qui ad interitum prædestinati sunt, inter alia posuisse cognoscitur. Cui alteram statim subjunctam quæstionem videor invenisse, hoc est, de sacrificio, quod soli Patri quidam existimant immolari. In altera vero epistola positam inquisitionem inveni: *Quid est quod Apostolus duobus denariis quos accepit, supererogare potuerit?* Cum ergo has tantummodo duas epistolas invenirem, tertiæ quoque sum protinus recordatus, quæ mihi a notario non fuit oblata, in qua memini unam contineri de sancto Spiritu quæstionem: *Cur scilicet a Patre mittendus ad consecrandum sacrificium corporis et sanguinis Domini postuletur.* Hæ sunt interim quatuor quæstiones, quarum tres ex duabus epistolis tuis, unam vero memoria suggerente recolui. ^b Quod si forte tibi aliæ (al. positæ), quas nobis misisti solvendas, nec in hoc invenis opere positas aut solutas, quæso ut non ad contemptum vel fastidium redigas, sed oblivioni patienter ignoscas; præsertim, cum illam de Spiritu sancto, quam ego, etiam epistola non inventa, recolui, silentio præterire nequivi. Sed quia tu cunctarum (si quæ forsitan sunt) sine dubio meministi, non te pigeat, ut te rescribente commemorer. Et spero quia in quantum Dominus adjuverit nostra responsio subsequetur, si præcedentis vestræ orationis adjutorio fulciatur.

CAPUT III. *Prima quæstio de prædestinatione. Verba Monimi de gemina prædestinatione.*

C Primæ igitur quæstionis intelligentiam, in illius nomine quæsiturus de quo scriptum est, quia Dominus dat sapientiam, et a facie ejus scientia et intellectus (Prov. ii, 6), hoc convenientius atque commodius arbitratus sum, ut tam verba tua quam beati Augustini, quæ in tua epistola posuisti, revolverem: ut his relectis, facilius agnoscat tam intentio quam solutio quæstionis. Legenti me, inquis, librum de Perfectione justitiæ hominis, testimonium prophetæ in ordinem relegens, auditu cauto pedetentim paululum retractavi, ubi ait: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (Psal. xiii, 3).* Et sine aliqua nebula, sine aliqua dubitatione expressit interpres ipse verissimus, genus tale esse hominum, quod non faciat bonum, illud prædestinatum utique ad interitum. Atque ut tuus sermo præfati sancti viri fulciretur eloquio, eadem verba, quæ a beato Augustino (de Per-

^a Cod. ms. Thuan., *muneris gratia.*

^b Cod. ms. Thuan., *forte.*

sect. justitiæ, cap. 13) sunt dicta, subnectens: Ait enim, inquis, idem gloriosissimus Augustinus: *De illo enim bono dictum hic debemus accipere, quod ibi ait: Deus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum (Psal. xiii, 2). Hoc ergo bonum, quod est requirere Deum, non erat qui faceret, non erat usque ad unum, sed in eo genere hominum quod prædestinatum est ad interitum.* Hic dicta sancti Augustini determinans, et ad me intentionem tuarum dirigens litterarum, dicis sentire me jam cur iterum hæc inculces, scilicet quod sæpius reluctanti te mihi, prædestinationem non tantum in bono dici, sed etiam in malo, dum in malo prædestinationem te relegiase diceres, ipse docens aiebam ad pœnam debitam, non ad malum faciendum, posse dici aliam prædestinationem. Quod etiam tu, sicut scripsisti, confirmas. Scire te tamen asseris quid et hic respondeam, ut tuear sententiam meam, hoc est *interitum* non dici, nisi mortem. Et adjungis, interim legisse te hoc, et asseverasse etiam prædestinatum populum ad *interitum*. Deinde admones ut considerem ipsius loci sermonem, et ut doctor meorum discipulorum, non ut assertor mearum propositionum, faciam vos sequenda cognoscere.

CAPUT IV. *Invocatio auctoris modesta et theologica.*

Ego quidem, carissime, quantum Domino gratiam largiente modulum possum propriæ parvitatæ agnoscere, sub illo uno Domino atque Magistro, in ejus schola positus, non fratrum meorum vocari magister aut doctor affecto, quorum in veritate condiscipulus semper esse desidero. Quapropter nec ab illo vero Domino ac Magistro nostro postulare non desino, ut ea me, sive per eloquia Scripturarum suarum, seu per sermocinationem fratrum condiscipulorumque meorum, sive etiam per inspirationis suæ internam suaviolemque doctrinam (ubi sine sonis sermonum et sine elementis litterarum eo dulcius quo secretius veritas loquitur) ea me docere dignetur, quæ sic proponam, sic asseram, ut in propositionibus atque assertionibus meis, veritati (quæ nec fallit, nec fallitur) semper inhæream, semper obediens consentiensque reperiar. Quoniam ut veritati obedire atque consentire valeam, ipsa veritas illuminat, ipsa adjuvat, ipsa confirmat, ab ipsa postulo doceri multo plura quæ nescio, a qua accepi pauca quæ scio. Ipsam rogo, ut, præveniente ac subsequente misericordia, quæcumque salubriter scienda nescio doceat me, in his quæ vera novi custodiat me, in quibus ut homo fallor corrigat me, in quibus veris (vero) titubo confirmet me, et a falsis ac noxiis eripiat me, ut in cogitationibus ac sermonibus meis quod salubriter donat, inveniat, et ea faciat de ore meo procedere, quæ sint coram ipsa principaliter grata, et sic fiant fidelibus cunctis accepta.

CAPUT V. *Responsio ad primam quæstionem quomodo sint quidam ad interitum prædestinati. Peccatorum mors non est a Deo prædestinata.*

Quantum igitur, ipsa veritate (quæ verum lumen est) illuminante tenebras meas (Psal. xvii, 29), in hujus quæstionis scrutatione, facultas mihi est hac-

tenus intelligendi concessa, nihil aliud accipiendum existimo in illo sancti Augustini sermone, quo ad interitum quosdam prædestinatos firmat, nisi ad interitum supplicii, non delicti; neque ad malum, quod injuste admittunt, sed ad cruciatum, quem justissime patientur; nec ad peccatum, quo primæ resurrectionis beneficium, aut non accipiunt, aut amittunt, sed ad tormentum, quod illis propria iniquitas male parit, et æquitas divina bene retribuit; nec ad mortem animæ primam, in qua nascuntur parvuli, vel in quam (sicut beatus Jacobus dicit) *concupiscentia sua abstracti et illecti (Jacob. i, 14)* recluduntur cruminosi, sed ad mortem secundam, quam necesse est patientur, retribuente justissimo iudice, seu qui ante perceptam gratiam baptismi discedunt de sæculo, sive qui, in vacuum gratiam Dei recipientes (II Cor. vi, 1) post acceptum baptismum, usque in finem præsentis vitæ malunt *servi esse peccati*, nec volunt, dum tempus est acceptabile, et dies salutis, converti a via sua mala, ut vivant; et ignorant, quoniam benignitas Dei ad penitentiam eos adducit, ipsi secundum duritiam suam, et impœnitens cor, thesaurizant sibi iram in die iræ et revelationis justi iudicii Dei (Rom. ii, 4, 5). De illa ergo morte, quam sibi peccatores manibus et verbis accersierunt, et æstimantes eam amicam defluerunt, dicitur: *Nolite zelare mortem in errorem vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem animarum vestrarum, quoniam Deus mortem non fecit, neque lætatur in perditione vivorum (Sap. i, 2).* Et alio loco de hac morte dicitur: *Invidiu autem diaboli mors introivit in orbem terrarum. Imitantur autem eum qui sunt ex parte illius (Sap. ii, 24).* Quam mortem, ut ab opere ac prædestinatione Dei agnosceremus alienam, Deus ipse sic loquitur per prophetam: *Convertimini, et avertite vos ab omnibus impietatibus vestris, et non erunt vobis in pœnam iniquitatis. Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, quas impie fecistis adversus me, et facite vobis cor novum et spiritum novum. Et ut quid morimini domus Israel? Quoniam nolo mortem morientis, sed (al. quomodo) ut avertatur ipse a via sua mala, et vivat anima ejus (Ezech. xviii, 30).* Hæc est mors impietatis, quam non fecit Deus, quæ per diabolum introivit in orbem terrarum. In hac eum imitantur qui sunt ex parte illius.

CAPUT VI. *Deus huic morti duplam mortem retribuit. Mors animæ in gehenna.*

Huic uni morti, quam peccator sibi per contemptum divinæ jussionis injuste concupiscendo accessit, duplam Deus mortem juste iudicando retribuit; hoc est, primam in separatione animæ et corporis, secundam in æterna cruciatione animæ et corporis. Ac per hoc primam, qua, discedente anima, caro solâ moritur; secundam vero, quando rediens in carnem anima, in eadem et eam eadem, in qua peccavit, carne torquetur; ut cum qua communicavit mortem peccati, quod Dei bonitas interdixit homini, cum ipsa commanicet mortem supplicii, quod paravit divina justitia peccatori. De hac morte Salvator noster dicit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animarum autem non possunt occidere. Magis autem eum timet*

qui potest et animam et corpus perdere in gehennam (Matth. x, 28). Quod ergo ante gehennam mali pereunt, non est divini operis, sed humani. Quod autem in gehenna perituri sunt, hoc facit Dei æquitas, cui nulla placet peccantis iniquitas. Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam (Psal. x, 6). Et dicit Joannes : Quia omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit; et peccatum est iniquitas (1 Joan. iii, 4). Et Deus per prophetam dicit : Quia anima quæ peccaverit, ipsa morietur (Ezech. xviii, 4). De Filio autem Dei Joan. dicit : Scimus quia ille apparuit, ut peccata tolleret, et peccatum in eo non est (1 Joan. iii, 5). Sicut ergo peccatum in eo non est, ita peccatum ex eo non est. Quod autem ex eo non est, opus ejus utique non est. 7 Quod autem nunquam est in opere ejus, nunquam fuit in prædestinatione ejus.

CAPUT VII. Quomodo sunt mali a Deo prædestinati, non ad culpam, sed ad penam. Deus salvandos prævenit, damnandos invenit.

Non ergo prædestinati sunt mali ad hoc quod male operantur, a concupiscentia sua abstracti et illecti, sed ad hoc quod juste patiuntur inviti. Prædestinationis enim nomine non aliqua voluntatis humanæ coactitia necessitas exprimitur, sed misericors et justa futuri operis divini sempiterna dispositio prædicatur. Deo autem misericordiam et judicium (Psal. c, 1) cantat Ecclesia, cujus hoc opus est in homine, ut occulto voluntatis suæ, non tamen injusto, consilio, aut gratuitam misericordiam præroget misero, aut debitam justitiam rependat injusto. Imo aut misericorditer debitori donet quod si vellet juste posset exigere, aut juste cum usuris quod suum est exigit (Matth. xxv, 27), et iniquo debitori quod debetur iniquitatibus reddat. Ac sic, aut istum prorsus indigni misericordia præveniat, aut illum ira dignum inveniat. Ipse enim donat gratis indigno gratiam, qua justificatus impius illuminetur munere bonæ voluntatis, et facultate bonæ operationis, ut præveniente misericordia bonum velle incipiat, et subsequente misericordia bonum quod vult facere valeat. Utrumque autem prædestinando Deus præparavit in illa incommutabili voluntate, in qua sic futurum effectum hominis renovandi disposuit, ut ejus voluntas in opere novo nova esse non possit.

CAPUT VIII. Gratia Dei hominis meritum et inicitat ad justitiam et consummat ad gloriam. Quomodo præparatur voluntas a Domino.

Donat etiam gratiam digno in retributione mercedis æternæ, ut scilicet sive cum impius pie justificat justus, quia de ipso Apostolus dicit, *Ut sit ipse justus, et justificans eum qui ex fide est Jesus* (Rom. ii, 26); seu cum justum jûste glorificat pius, quia quos justificavit, illos et glorificavit (Rom. vii, 3), eadem sit operatio gratiæ, quæ meritum hominis bonum, et inicitat ad justitiam, et consummat ad gloriam. Primo inchoans in homine voluntatem bonam, deinde eandem voluntatem adjvans inchoatam, ut eadem voluntas et divino dono bona sit, et divino adjutorio malam superare concupiscentiam possit, et Deo perficiente ta-

lis postmodum ipsa voluntas sit, ut malam concupiscentiam habere non possit. Ac sic in præsentī vita gratiæ adjutorio infirmitati non cedat, in futura autem, gratiæ beneficio, infirmitatem non habeat. E-nunc recreetur continuo juvamine medicaminis, tunc vero fruatur æterna plenitudine sanitatis. Hæc autem Deus, sicut in prædestinatione semper habuit, sic per gratiam, sicut prædestinaverat, facit. Prædestinationis itaque ipsius insinuatur agnitio, cum dicit Scriptura : *Et præparatur voluntas a Domino* (Prov. viii, 35, juxta LXX). Non autem ob aliud præparata dicitur, nisi quia danda prædicatur. A quo enim præparatur per bonitatem sempiternam, ab ipso datur per indebitam gratiam. Quod ipse Dominus Ezechielis vaticinatione testatur, dicens : *Dabo vobis cor novum,*

B *et spiritum novum dabo in vobis, et auferetur cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, et spiritum meum dabo in vobis. Et faciam, ut in justificationibus meis ambuletis et judicia mea observetis et faciatis* (Ezech. xxxvi, 26). Dat ergo Deus cor novum, ut in justificationibus ejus ambulemus, quod pertinet ad bonæ voluntatis initium. Dat etiam ut judicia ejus observemus et faciamus quod pertinet ad bonæ operationis effectum.

CAPUT IX. A Deo est et voluntas et boni operis facultas. In Deo faciemus virtutem, id est opus virtutis. Qui facit veritatem venit ad lucem. Deus omne opus bonum in nobis ipse facit.

Unde cognoscimus Dei esse, et ut bonum facera velimus, et ut bonum facere valeamus. Cui sensui **C** David omnino concordat, gratiam benevolendi sic ostendens divinæ largitatis directione donari : *A Domino gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet* (Psal. xxxvi, 25). Opus quoque bonum non nisi a Deo in nobis, et in Deo a nobis fieri protestatur, dicens : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis* (Psal. lxxvii, 29). Et alio loco : *In Deo faciemus virtutem* (Psal. lix, 14), id est opus virtutis. Sic autem hic pro opere virtutis virtutem dixit fieri, sicut Joannes pro opere justitiæ justitiam dixit fieri. Ait enim : *Qui facit justitiam, justus est, sicut ille justus est* (1 Joan. iii, 7). Paulus quoque optat a nobis Dei fieri voluntatem, dicens : *Deus autem pacis qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum, aptet vos in omni bono,* **D** *ut faciatis voluntatem ejus* (Hebr. xii, 20). Quid est autem facere voluntatem ejus, nisi facere opera quæ nobis inspirat et in nobis operatur voluntas ejus? Tale aliquid et in ipsius Redemptoris nostri sermonibus invenimus, dum veritatem fieri dicit, pro opere veritatis. Sic enim loquitur : *Omnis qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur ejus opera, quia in Deo sunt facta* (Joan. iii, 20). Hoc autem in Deo facimus, quod Deo in nobis faciente datur nobis ut faciamus. Quod evidenter in Epistola ad Hebræos ostenditur, ubi cum de Deo dictum esset : *Aptet vos in omni bono, ut fa-*

ciatis voluntatem ejus, continuo sequitur : *Faciens in vobis quod placeat corum se (Hebr. xiii, 21)*. Omne igitur opus, quod a nobis in Deo fit, Deus in nobis facit. *Ex ipso enim, et per ipsum, et in ipso sunt omnia (Rom. xi, 36)*. Ex ipso ergo est, et voluntas bona et operatio bona. Quod Doctor gentium his verbis asserit : *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate (Philipp. ii, 13)*. Propterea, sicut Salomon dicit, *quia præparatur voluntas a Domino*; sic etiam bona opera nostra Paulus a Domino asserit præparata, hoc est in prædestinatione disposita. Dicit itaque : *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est. Non ex operibus, ut ne quis gloriatur; ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu, in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus (Ephes. ii, 8)*. Sicut ergo præparata est per prædestinationem voluntas a Domino, qua bonum velimus: sic etiam opera bona præparavit Deus, ut in illis ambulemus.

CAPUT X. *Præparatur a Deo per prædestinationem non solum voluntas, sed et opus bonum et vita æterna.*

Attendamus etiam vitam æternam, regnumque cælorum divinitus a fide fidelibus præparatum. Ipse quippe Christus dicturum se dextris ostendit : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi (Math. xxv, 34)*. Sed et hoc ipsum opus est gratiæ. Ex gratia enim datur non solum justificatis vita bona, sed etiam glorificatis vita æterna. Quod Pauli tenemus prædicatione compertum, dicentis : *Stipendium enim peccati mors. Gratia autem Dei, vita æterna in Christo Jesu Domino nostro (Rom. vi, 23)*. Cur autem mors stipendium, vita vero æterna gratia dicitur, nisi quia illa redditur, hæc donatur? Sed ubi illam Deus reddit, opus malum peccatoris hominis punit, quod nullatenus fecisset homo, nisi discessisset a Deo. Cum vero Deus vitam æternam donat, opus suum quod inchoavit justificans impium, perficit glorificans justum. Hæc autem utraque gratia, id est et vita bona et vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro est. *De plenitudine quippe ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia (Joan. i, 16)*, scilicet gratiam glorificationis æternæ pro gratia justificationis indebitæ, ut gratia justificationis omne meritum malum deleat indebito beneficio: et meritum bonum jugi confirmet auxilio, cui gratia glorificationis justæ reddatur in præmio. Gratia autem etiam ipsa ideo non injuste dicitur, quia non solum donis suis Deus dona sua reddit: sed quia tantum etiam ibi gratia divinæ retributionis exuberat, ut incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quamvis bonæ et ex Deo datæ, humanæ voluntatis atque operationis, excedat. Quamvis enim non solum credendi in Christum lumen, sed etiam pro illo patiendi virtutem a Deo nobis donari B. Paulus apostolus ostendat, dicens : *Vobis enim donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini (Philip. i, 29)*, quod utrumque pertinet ad gratiam præsentis

bonæ vitæ, illam tamen futuræ vitæ gratiam omnibus præsentis temporis passionibus anteponit, dicens : *Non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis (Rom. viii, 18)*. Et alio loco : *Id enim quod in præsentem est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis (II Cor. iv, 17)*.

CAPUT XI. *Gratia præveniendo incipit et subsequendo custodit opus bonum. In prædestinatione continetur omnis gratia vocationis, justificationis et glorificationis.*

Hanc gratiam non solum in præsentis vitæ justificatione, sed etiam in futuri sæculi remuneratione, dicit gratiam permanere, et super nos, hoc est super omnia bona cujuslibet hominis merita in Dei bonitate asserit abundare, dicens : *Ut ostendat in sæculis supervenientibus abundantias divitiarum gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo Jesu (Ephes. ii, 7)*. Gratia est igitur retributio pia, qua Deus in præsentem tempore malis bona retribuit: illis videlicet quos justificat impios, ut deputetur fides ad justitiam. De qua retributione David dicit : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi (Psal. cxv, 12)?* Gratia est et illa justa retributio, qua bonis suis meliora retribuens, Deus glorificaturus est justos. Et hoc enim gratiæ opus erit. Quia ut hoc mereantur, ipsa præveniundo, misericorditer incipit; ipsa subsequendo, custodit. Ista gratia in Scripturis etiam misericordia nominatur. De qua dicit David : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me (Psal. lvm, 11)*. Et alio loco : *Misericordia tua subsequitur me per omnes dies vitæ meæ (Psal. xxii, 6)*. Prævenit igitur impium, ut fiat justus; subsequitur justum, ne fiat impius. Prævenit cæcum, ut lumen quod non invenit, donet; subsequitur videntem, ut lumen quod contulit, servet. Prævenit elisum, ut surgat; subsequitur elevatum, ne cadat. Prævenit, donans homini bonam voluntatem; subsequitur benevolentem, operando in illo boni operis facultatem. Hoc igitur ista misericordia Dei in homine subsequitur, quod præveniens ipsa largitur. Et ideo non solum errantem justificando ad viam revocat, sed etiam bene ambulantem custodit et 10 adjuvat, ut ad donum glorificationis æternæ perducat. Hæc autem omnia, id est et vocationis nostræ initia, et justificationis augmenta, et glorificationis præmia, in prædestinatione semper Deus habuit: quia et in vocatione, et in justificatione, et in glorificatione sanctorum, gratiæ suæ opera futura præscivit. Ob hoc totum Deo assignat Apostolus dicens : *Nam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii ejus, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, illos et glorificavit (Rom. viii, 29)*. Verumtamen cum simul justificatos et glorificatos audimus, non simul et justificationis et glorificationis opus præsentem tempore deputemus. Justificationis enim gratia in præsentem datur, glorificationis autem futura servatur. Ista est fidei, illa spei (al. spei). Dicit autem Paulus : *Quia nunc per*

* In codd. editis, *fide fidelibus*, sed a c. ms. Thuan. *fide* abest.

fidem ambulamus, non per speciem (II Cor. v, 7). A Quod enim nunc sancti credunt, tunc videbunt. Propter quod Ecclesiæ dicitur, *Audi, filia, et vide*; quia fides ex auditu, unde justus ex fide vivens, fiducialiter dicit: *Credo videre bona Domini, in terra viventium* (Psal. xxvi, 13). Iste igitur est in homine ordo divinæ redemptionis ac remunerationis, ut nunc justificatus credat, quod tunc glorificatus accipiat. Propter quod Paulus ait: *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim* (Philip. iii, 12).

CAPUT XI. *Deus fecisse dicitur quod faciendum prædestinavit. Promissa Dei certa sunt ex omnipotentia.*

In hac ergo justificatione sancti *euntes eunt et flent, mittentes semina sua*; in illa vero glorificatione *venientes venient in exultatione, portantes manipulos suos*. In hac operarii patrisfamilias in vinea operantur; in illa autem denarii mercede sine dubio potentiuntur. Istam Deus nunc donat, ut initium meriti boni gratis indignus accipiat; illam vero in futurum repositam servat, qua boni meriti præmium accipere dignus possit, qui boni meriti principium, cum esset indignus, accepit. Dicens igitur Paulus: *Quia quos Deus justificavit, illos et glorificavit* (Rom. viii, 30), non utrumque præsentis vitæ deputat, sed ea fide quod futurum est, velut factum firmat, qua fide propheta de Deo dicit: *Qui fecit quæ futura sunt*. In illa quippe immobilitate consilii sui, secundum bonum placitum (al. beneplacitum) ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, et quæ in terra sunt (Eph. i, 9, 10); in ipso ex æternitate dispositionis suæ, in prædestinatione jam fecit, quæcunque effectu operis sui, tempore congruo faciendæ disposuit. Sicut enim omne Creatoris opus sine initio non potuit, nec potest fieri: sic illa sempiterna voluntas ejus, nunquam mutabilitati subjacet, quia initium existendi non habet. Quod autem semper sic est, ut esse non cœperit, procul dubio sic est, ut id quod est non esse non possit. Vera igitur immutabilitas, digne vera vocatur æternitas, in qua æternitate incommutabilis voluntatis suæ Creator ille jam fecisse dicitur, quod in creatura mutabili, prout opportune faciendum disposuit, sic rite dispositum facit. Et ideo quæcunque promisit, jam facta dicimus, quia de faciendis dubitare non debemus. Abraham enim pater noster (sicut ait Apostolus) *in reprobatione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens quia quæcunque promissit, potens est et facere* (Rom. iv, 20). Ideo ergo in Dei promissis nulla est falsitas, quia in faciendis nulla omnipotenti est difficultas. Et propterea ibi nunquam deest **11** voluntatis effectus, quia voluntas ipsa non aliud invenitur esse quam virtus. Quidquid autem vult, potest, qui quantum vult, tantum potest. Propterea de solo digne dicitur: *Omnia quæcunque voluit, fecit* (Psal. cxiii, 11). Et iterum: *Subest enim tibi, cum voles posse* (Sap. xii, 18). Ideo diximus tantam ibi esse virtutem voluntatis, quanta est voluntas ipsa virtutis. Quia cui semper subest cum volet, posse non aliud est in illo velle quam posse.

CAPUT XIII. *Iusta Dei prædestinatio ad pœnam pro peccatis. Sanctis gratiam, impiis justitiam Deus ex-*

hibet. Futura Dei ira condemnatio est ad pœnam.

Quia ergo Deus nulla necessitate compellitur ut aliquid nolens promittat, nullius utique adversitatis impeditur obstaculo, quo id quod promisit, aut minus quam vult, aut tardius, faciat. Proinde potuit, sicut voluit, prædestinare quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnam. Sed quos prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad justitiam. Quos autem prædestinavit ad pœnam, non prædestinavit ad culpam. Posset enim peccatum aliquod ex prædestinatione Dei esse, si posset aliquis hominum juste peccare. Nullus autem hominum juste peccat, quamvis eum juste Deus peccare permittat. Juste enim deseritur a Deo, qui deserit Deum. Et quia homo deserens Deum peccat, deserens peccatorem Deus justitiam servat. Quid autem magis justum quam ut ille qui desiderio peccandi jam peccat, pro eo quod desiderans peccare, ipse sibi noxius efficitur, semetipsum peccato suo lædere permittatur?

In sanctis igitur coronat Deus justitiam quam eis gratis ipse tribuit, gratis servavit, gratisque perfecit. Iniquos autem condemnabit pro impietate vel injustitia, quam in eis ipse non fecit. In illis enim opera sua glorificat, in istis autem opera non sua condemnat. Hoc itaque prædestinavit Deus, quod erat ipse factururus, aut quod fuerat largiturus. Illud vero nullatenus prædestinavit, quod sive per gratiam, seu per justitiam factururus ipse non fuit. Proinde diligentissime requirendum videtur, quid in his Deus operetur, quos gratis justificat; quid etiam in illis, quos juste condemnat. Dicit enim eximius gentium Doctor: *Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus Deus, qui infert iram? Secundum hominem dico? absit* (Rom. iii, 5). Hic autem iram pro condemnatione posuit, sicut alibi Joannes Baptista dicit: *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum* (Joan. iii, 36). Hanc iram Phariseis et Sadduceis cum objurratione denuntiat dicens: *Genimina viperarum, quis vobis ostendit fugere a futura ira* (Matth. iii, 7; Luc. iii, 7)? Ab hac ira nos Dominus Christus eripuit, quod Paulus veridica prædicatione firmavit, dicens Thessalonicensibus: *Quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero, et expectare Filium ejus de cælis, quem suscitavit a mortuis Jesum, qui eripuit nos ab ira ventura* (I Thess. i, 9). Hanc iram; id est punitionem, quæ parata est malis, alio loco interitum vocat dicens: *Cum enim dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient* (I Thess. v, 3).

CAPUT XIV. *An opera damnandorum sint prædestinatu sicut opera justorum. Initium bonæ voluntatis prædestinatum a Deo. Deus facit ut faciamus bonum.*

12 Queramus itaque utrum credendus sit Deus iniquorum opera prædestinasse, pro quibus eos condemnet, sicut in sanctis prædestinasse dicitur, quod coronet? Cum vero causam condemnationis iniquorum, et glorificationis sanctorum querimus, non prædestinatos negamus, vel illos ad pœnam, vel illos ad gloriam. Sed utram, sicut creduntur prædestinata divinitus opera bona, pro quibus glorificabuntur ju-

sti, sic credenda sint prædestinata divinitus opera mala, pro quibus in æternum punientur injusti? Dicitur enim in libro Psalmorum: *Injusti punientur, et semen impiorum peribit, salus autem justorum a Domino* (Psal. xxxvi, 28). De utrisque et Salvator noster dicit: *Tunc illi ibunt in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam* (Matth. xv, 46). In utrisque ergo, id est justis et injustis, tria quædam consideranda existimo, initium voluntatis, progressum operis, finem retributionis. Ut in his quæcunque justa et bona videmus, justo et bono Deo demus; illa autem Deo indigna noverimus, in quibus nec bonitatem nec justitiam invenimus. Et considerata operum qualitate, illa credamus a Deo prædestinata, quæ misericordiæ vel æquitati divinæ condigna reperiuntur et congrua: *Misericors enim et miserator et justus Dominus* (Psal. cxi, 4). Ac primo totius bonæ voluntatis initium ab illa sempiterna Trinitate, quæ unus solus et verus est Deus, et prædestinatum consistitur et datum. Hoc enim homini gratuita justificatione tribuit præparatum, quod in æterna prædestinatione præparaverat tribuendum. Hanc voluntatis præparationem, superius sanctæ Scripturæ testimonio demonstravi, quo dictum est: *Præparatur voluntas a Domino*. Ab ipso ergo voluntas præparatur, qui in nobis et velle et perficere misericorditer operatur. Dicit enim Apostolus: *Deus est enim qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate* (Philip. ii, 13). Loquens etiam Deus per prophetam, se ipsum facere confirmat quod fidelibus donat ut faciant, secundum illud oraculum, quod est a nobis supra jam positum, quo dicit: *Et faciam ut in justificationibus meis ambuletis, et judicia mea observetis et faciatis* (Ezech. xxxvi, 27). Quid est autem, *faciam ut faciatis*, nisi, mei erit operis omne bonum quod operati fueritis? Ipse ergo facit ut faciamus, quo in nobis operante, fit omne bonum quod facimus. De quo dicitur ad Hebræos: *Aptet vos in omni bono, faciens in vobis quod placeat coram se* (Hebr. xiii, 21). Demonstrata itaque Dei gratia in bona voluntate et operatione hominis, futuræ quoque retributionis gloriam, quæ donabitur sanctis, quis divinæ gratiæ non esse contendat? cum sive credentes, sive operantes, licet nostra sit fides, et nostra sint opera, sicut ipse Dominus dicit: *Secundum fidem tuam fiat tibi*. Et beatus Joannes prædicat: *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra* (I Joan. v, 4). Paulus quoque ita scribit: *Gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo* (Ephes. i, 4). Opera quoque nostra Dominus ipse testatur dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videntes vestra bona opera, glorificent Patrem vestrum qui in cælis est* (Matth. v, 16). Tamen quia ista cum habemus non habemus ex nobis nata, sed a Deo donata, sicut Apostolus dicit: *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus* **13** *quæ a Deo donata sunt nobis* (I Cor. ii, 12); et quia quæcunque nobis facienda donat, sicut habere non possumus, nisi ipse nobis lar-

giatur, sic facere non possumus, nisi ipse nobis quæ largitus est operetur,

CAPUT XV. *Non debemus nobis aliquid boni operis tanquam nostrum ascribere. In hac vita nemo perfectus nisi spe futuræ gloriæ. Paulus perfectus et imperfectus.*

Propterea nullatenus sinimur, imo salubriter prohibemur, tam in nostra fide quam in nostro opere, tanquam nostrum nobis aliquid vindicare. Dicit enim Vas electionis: *Quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti* (I Cor. iv, 7)? Et in sancto Evangelio præcursoris dominici vox est: *Non potest homo accipere quidquam, nisi datum ei fuerit de cælo* (Joan. iii, 27). Jacobus quoque apostolus protestatur: *Quia omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est descendens a Patre luminum* (Jac. i, 17). Quod est autem magis donum perfectum, quam glorificatio futura sanctorum? Nunc enim divinorum munerum (ut ita dicam) nondum est perfecta perfectio, utpote ubi omnis perfectus perfectionis est indigus. Namque ille qui dixit: *Quotquot (al. quicumque) ergo perfecti sumus, hoc sentiamus* (Philip. iii, 15), idem dicit: *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim* (Ibid. 12). Fuit ergo perfectus spe futuræ glorificationis; fuit autem imperfectus ohre corruptionis et mortalitatis. *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (Sap. ix, 15). Fuit perfectus expectatione muneris; fuit imperfectus fatigatione certaminis. Fuit perfectus, quod mente serviebat legi Dei; fuit imperfectus, quod carne serviebat legi peccati. Fuit perfectus, *desiderium habens dissolvi et esse cum Christo* (Philip. i, 23); fuit autem imperfectus, quia quændiu fuit in corpore, peregrinabatur a Domino. Fuit perfectus, *plениssime sciens, quia Deus, quæcunque promisit, potens est et facere* (Rom. iv, 21); fuit autem imperfectus, quia Deus in sanctis suis quædam nondum fecit ex omnibus quæ promisit. Propter quod etiam omnes antiqui justii (sicut idem Apostolus dicit), *Testimonio fidei comprobati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius providente, ne sine nobis perficerentur* (Hebr. xi, 39). Sicut ergo præcedentes sancti testimonio fidei comprobati, non sunt sine subsequentium perfectione perfecti: sic subsequentes sancti non possunt sine præcedentibus perlici. Donum itaque perfectum tunc omnibus dabitur quando sanctis æterna glorificatio tribuetur. Tunc sicut Veritas dicit: *Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui* (Matth. xiii, 43). Illius est igitur etiam hæc donum perfectum, a quo est doni totius initium. Quod utique donum non diceretur, si non etiam hoc ex gratia donaretur.

CAPUT XVI. *Gratis operatur Deus salutem nostram. Vera gloria a Deo solo est.*

Unus autem Deus est, qui gratis et vocat prædestinatos, et justificat vocatos, et glorificat justificatos. Sicut autem non est aliud justificare, nisi justos facere, sic non est aliud glorificare, nisi gloriosos facere. Proinde, quia Deus suos et justificat et glorificat, sicut gratiæ ipsius opus est, cum facit justos, sic gratiæ ipsius

opus erit, cum faciet gloriosos. Quia sicut nemo potest habere veram justitiam, nisi fuerit justificatus, sic nemo potest habere veram gloriam, nisi fuerit glorificatus. Unde autem sit vera gloria, Salvator noster cum Judæos increparet ostendit, dicens: *Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis: et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis (Joan. v, 44)?* Hunc sensum habens Paulus et veraciter dicens: *Nos autem sensum Christi habemus (I Cor. ii, 16)*, sicut gloriam veram a Deo esse noverat, ita justitiam veram ex Deo esse confirmat dicens: *Ut inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est justitia in fide (Philip. iii, 9)*. Et quamvis abunde plurima documenta, quibus clareat non solum bonæ voluntatis bonæque operationis gratiam, sed etiam ipsam sanctorum glorificationem, divinitus et inchoari prorsus et perfici, tamen arbitror etiam hæc quæ a nobis posita sunt utcumque sufficere.

CAPUT XVII. Initium omnis peccati superbia. Casus et pœna Luciferi. Casus primi hominis.

Et ideo jam, ut libelli series temperetur, malorum quoque voluntatem, operationem ac retributionem considerare debemus. Ut agnoscamus utrum malos Deus justus ad hoc prædestinaverit faciendum, quod in eis punitur ad factum. An idcirco iniquos ad supplicium justè prædestinaverit, quia eorum mala opera, licet futura præsciret, non tamen ipse prædestinavit ut futura essent, quia non ipse fecit ut fierent. Itaque si initium peccati requiritur, nihil aliud nisi superbia invenitur. Dicit enim Scriptura: *Initium omnia peccati superbia (Eccli. x, 15)*. Quæ utique tunc initium sumpsit, cum angelus adversus Deum elatus, et ipsa elatione prostratus, per concupiscentiam (quæ radix est omnium malorum) volens usurpare quod illi datum a Deo non fuit, a Deo discessit et cecidit, in quo si stetisset, non cecidisset. Sed per concupiscentiam malam, quia concupivit plus extra se, minus factus est in se. Quam concupiscentiam, licet explere nequiverit opere, tamen retinuit voluntate. Sic ipse sibi jam factus est pœna, ut supplicium semper esset maior voluntas mala, tanquam cæco ipsa cæcitas sua. Et concupiscentia peccandi tormentum fieret peccatori, et rebellis, ac refuga, qui illam imperturbabilem requiem fugerat, deinceps perturbationi serviret, atque a bono domino relinqueretur justè, quem ipse reliquit injustè. Ita factum est ut perseverans inordinatus ex se, ordinaretur in se: et in eo qui in se ordinem perderet, divini ordinis ratio non periret. Hoc et in homine contigit, quem ipse diabolus serpentina calliditate dejecit. A domino quippe bono dissentiens, et servo malo consentiens, malæ voluntatis effectum plenum adipisci non potuit: quia ipsa malitia voluntatis a Deo non fuit. Hauc enim, si a Deo non discederet, non haberet.

CAPUT XVIII. Rationalis creatura beata non potest esse nisi Creatorem plus diligat quam se ipsam. Voluntas

A rationalis si se Deo subjicit, sublimatur; si se effert, deprimitur. Deus humiles facit, non invenit.

Bonus ergo Deus bonarum est conditor naturarum. Vidit enim Deus (sicut scriptum est) omnia quæ fecit, et ecce bona valde (Gen. i, 31). In quibus omnibus quæ fecit, rationalem creaturam meliorem cæteris fecit. Sic tamen potiori creaturæ majus voluit inesse bonum, ut etiam infimæ creaturæ nullum inesset substantialiter malum. Ac per hoc, superius esset infimo bono melius creatum bonum, cui summum bonum (quod creatum non est, et a quo omne mutabile bonum creatum est) justè dominaretur. Cujus etiam participatione **15** beatum esset, si summo bono humili dilectione serviret. Creaturæ quippe rationali alia beatitudo nec potuit, nec potest esse, nec poterit, nisi ut agnoscens, a quo non solum facta, sed etiam a quo rationalis est facta, majorem dilectionem exhibeat bono creatori quam sibi. Neque enim ei inesse posset ullatenus ratio, nisi ei posset creatoris inesse dilectio, quia nec est alia quæ vera sit sapientia vel intelligentia creaturæ rationalis, nisi dilectio creatoris, in qua tanto magis minusve est dilectio sui, quanto magis minusve dilectionem suo exhibet creatori. Voluntas porro creaturæ rationalis sine quacunque amore non potest esse: nec sic potest diligere, ut amorem suum non velit ad aliquid religare, quæ inter summum bonum, a quo creata est, et infimum bonum, cui prælata est, medio quodam loco posita, profecto aut in infimo bono necesse est miserabiliter jaceat, aut in summo bono veraciter feliciterque requiescat. Quodam etenim amore rapitur, seu cum obedientia sublevatur, et creatori bono bene subjicitur: sive cum superbia deprimitur, ut creaturæ bonæ male dominetur. Sicut enim fit elatione humilis, sic fit humilitate sublimis. Dicit enim Dominus et Magister noster: *Omnia qui se exaltaverit, humiliabitur: et qui se humiliaverit, exaltabitur (Luc. xiv, 11)*. Propter quod item scriptum est: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (Jacob. iv, 6; I Petr. v, 5)*. Neque vero Deus humiles, quibus dat gratiam, ante datam humiles invenit: sed dando gratiam, humiles facit. Hoc ipsum enim, Deus per gratiam donat: ut quisquis eam acceperit, humilis fiat. Propter quod ipse Unigenitus sanctæ humilitatis doctor atque largitor dicit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris (Matth. xi, 29)*. Hanc requiem perdidierunt, qui humilitate rejecta adversus vitam suam tumuerunt, et in mortem per superbiam reciderunt. De talibus enim dictum est: *Dejecisti eos, cum extollerentur (Psal. lxxii, 18)*. Talibus autem propterea Deus resistit, quia in eis superbiam ipse non fecit: per quam injusto malunt in peccatum cadere, et per quam justè merentur in peccato **b** permanere.

CAPUT XIX. Interitus non ex Deo, sed ex superbia est. Deus peccati ultor est, non auctor.

Proinde, quia initium malæ voluntatis superbia est,

^a Abest a cod. mss. ver gratiam.

^b Al. remanere, ut habent mss.

quæ ex Deo non est, perspicue claret, non ex Deo esse hominibus interitum malæ operationis, sed a justo iudice retribui malis interitum ultionis. Mala quippe voluntas non pertinet ad optimum creatorem; iusta vero ^a *injusti angeli hominisque* damnatio pertinet ad æquissimum cognitorem. Ad voluntatem igitur malam Deus hominem non prædestinavit, quia homini eam daturus ipse non fuit. Quomodo enim Deus hominem, quem ad imaginem suam fecit, prædestinaret ad malam voluntatem, quam ipse non fecit? Itaque peccare in hoc homo cœpit, in quo a Deo discessit. Scriptum est enim: *Quia initium superbiæ apostatare a Deo (Eccli. x, 14).* Et alio loco: *Ecce omnes qui se elongant a te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te (Psal. LXXII, 27).* Isti ergo qui se elongant et fornicantur a Deo, utique peccando pereunt per suam malam voluntatem, quæ non est ex Deo. Perdet autem illos Deus iuste iudicando, quod **16** competit Deo. Non enim eos Deus iudicio perderet, nisi per suas iniquitates ipsi periissent. Scriptum est enim: *Defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam (Ibidem).* Defectus ergo a summo bono ad infimum bonum, hoc est peccatoris proprium et voluntarium malum, quo malo seipsum perdit injustus. Et quia huic malo auctor non est Deus, sed homo per-versus, digne itaque homini, qui se perdidit peccato, redditur in tormentis æterna perditio: ut pereat quidem, qui perire voluit, non tamen sic pereat, quem admodum voluit. Qui enim sic perit, delectatione peccatorum illectus, ut si posset fieri, maneret in opere peccati perpetuus, iuste quidem est in perditione peccati dimissus, quo propria cecidit voluntate. Sed non ibi fuit impune dimittendus, ne Deus fidelis, in quo non est iniquitas, qui est iustus et sanctus, si peccatorem semper in peccato relinqueret impunite, putaretur illi placere peccatum. Quam sententiam in quibusdam Deus arguit per Malachiam prophetam, qui dicitur: *Omnis qui facit malum, bonus est coram Domino, et ipse in eo placuit, et ubi est Deus iustitiæ (Malach. II, 17).* Iuste igitur est subsecuta severitas iudicis, ubi præcessit iniquitas peccatoris, quia illius rei Deus ultor est, cujus auctor non est, id est iniquitatis, quam potest Deus punire, non facere. Scriptum est enim: *Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit, et peccatum est iniquitas. Et scitis, quia ille apparuit ut peccata tolleret, et peccatum in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat (I Joan. III, 4-6).* Et iterum: *Deus fidelis, in quo non est iniquitas, iustus et sanctus Dominus (Deut. xxxii, 4).* Iniquitas igitur, quia in Deo non est, utique ex Deo non est.

CAPUT XX. *Iniquitas ex inordinato amore mundi. Peccati initium inordinata dilectio.*

Quæ est autem iniquitas, nisi mala concupiscentia? quam ex Deo non esse Joannes apostolus manifestat, dicens: *Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo, quia omne quod est in mundo, concupiscentiæ carnis est, et concupiscentiæ oculorum, et superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est (I Joan.*

II, 15, 16). Hic autem mundi nomine homines significat mundi istius dilectores: qui non ideo pro dilectione mundi puniendi sunt, quia aliquam substantiam malam diligunt, cum substantia naturaliter nulla sit mala, sed quia dilectionis ordinem non tenentes, dum plus justo diligunt mundum, minus Deum diligunt quam diligere debuerunt. Non autem aliquid inordinatum Deus fecit, nec aliquid inordinatum fieri prædestinavit, qui per apostolum suum imperat, ut *omnia honeste et secundum ordinem fiant (I Cor. xiv, 40).* Propter quod et in sanctis eloquiis, ut peccatum vitetur, caritas ordinari præcipitur. Scriptum est enim: *Ordinavit in me caritatem (Cant. II, 4).* Huic ordini congratulatur Apostolus dicens: *Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum gaudens, et videns ordinem vestrum (Coloss. II, 5).* Peccati vero initium si attendatur, puto quod nihil est aliud quam ordinarum a Deo rerum inordinata rationalis creaturæ dilectio, quæ sponte perdendo dilectionis ordinem, perdidit et salutem. Ad hoc non est a Deo prædestinata rationalis creatura. Neque enim alia est ejus prædestinatio, nisi futurorum operum ejus æterna præparatio, in qua nullius causa mali poterit inveniri, quia ex voluntate Dei nunquam processit origo peccati.

CAPUT XXI. *Non prædestinat Deus hominem ad peccandum. Prædestinatio bonorum est ex gratuita Dei misericordia.*

17 Misericors etenim Dominus et iustus, de quo alio loco scriptum est: *Misericordiam et veritatem diligit Dominus Deus (Psal. LXXXIII, 12).* In omnibus ergo operibus ejus, aut iusta veritas custoditur, aut pia misericordia prærogatur. Porro autem, cum negare non possimus a Deo bono factum hominem bonum, si dixerimus eum a Deo prædestinatum ad opus aliquod malum, nos Deo misericordiam et iusto tale opus (quod absit) ascribimus, ubi nec misericors possit inveniri, nec iustus. Si enim cum a Deo fieret homo, sic erat in præsentis opere Dei bonus, ut in prædestinatione ejus esset malus, procul dubio Dei opere malus futurus erat, a quo ad peccandum prædestinatus fiebat. Ubi statim illa consequetur absurditas, ut dicatur, quia Deus, de quo propheta dicit: *Qui fecit quæ futura sunt (Isai. IX),* in se habuerit (quod absit) iniquitatis originem, si hominem a se factum ipse prædestinaverat peccatorem; prædestinatio enim ejus, præparatio est operum ejus. Et sicut competit Deo bono ut causa sit totius operis boni, sic incongruum est ut imputetur ei causa cujuslibet operis mali. Deinde attendamus quia nulla ratio redditur qua homo ad peccatum prædestinatus a Deo creditur. Si enim in his quos *Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi benedixit in omni benedictione spiritali in caelestibus in Christo Jesu, sicut elegit eos in ipso ante mundi constitutionem, ut essent sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate, qui prædestinavit eos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum (Ephes. I, 4, 5);* si ergo in his causa prædestinationis

^a Hæc verba, *injusti angeli hominisque*, absunt a cod. Thuan. et Victorino; leguntur in cod. Corbeiensi.

queratur, non utique alia, sed sola gratuita Dei misericordia reperitur. Ipse est enim de quo dicit psalmus: *Misericors et miserator Dominus, longanimis et multae misericordiae: non in finem irascetur, neque in aeternum indignabitur: non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quia secundum altitudinem caeli a terra elongavit iniquitates nostras a nobis. Sicut miseretur pater filiis, ita misertus est Dominus timentibus eum* (Psal. cu, 8). In his omnibus tot ac talibus bonis, quae Dominus retribuit malis, quid aliud quam indebita misericordia canitur? quidve aliud quam gratuita pietas praedicatur? Nam et in eo, quod non *secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis*, gratuita manifestatur justificatio impiorum. Et in eo, quod *sicut miseretur pater filiis, ita misertus est Dominus timentibus eum*, gratuita claret per eandem fidei justificationem adoptio filiorum. Neque enim sicut pater filiis miseretur, nisi nobis gratia pater factus, nos sibi filios facere dignaretur. *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (Joan. 1, 12).

CAPUT XXII. Nemo praedestinetur ad perpetranda peccata.

Haec est in sanctis causa praedestinationis divinae, praeparatio scilicet justificationis et adoptionis indebitae, quam quia non merebatur voluntas hominis mala, non est ejus causa, nisi sola Dei voluntas bona. In his autem qui putantur praedestinati, non ad luenda supplicia, sed ad perpetranda peccata, cum causa praedestinationis queritur, non invenio quid respondere posset, quisquis hanc asserere meditatur. Nonquid enim, sicut recte dicimus, ad hoc praedestinos sanctos, ut Deo in eis misericorditer operante, ex malis fierent boni, et ex impiis justi, quod cum dicimus, ad Dei gloriam dicimus, nunquid sic recte dicere poterimus, ad hoc praedestinos iniquos, ut Deo in eis, etsi non misericorditer, saltem juste operante, ex bonis fierent mali, aut ex justis fierent impii? Absit hoc a nobis atque ab omnibus Christianis, ut causam ejuslibet peccati quisquam deputare divinae audeat aequitati: cum nec malitiae, nec impietatis cujusquam causa esse possit, nisi in eo qui malus atque impius fuerit. Ut ergo ex malis fiant homines boni, et ex impiis justi, laudanda est Dei misericordia: ut autem ex bonis fiant homines mali, aut ex justis iniqui, si divinae praedestinationis asseritur causa, erit (quod absit) vituperanda justitia. Quinimo nec justitia justa dicitur, si puniendum reum non invenisse, sed fecisse dicitur. Major vero erit injustitia, si lapsa Deus retribuit poenam, quem stantem praedestinasse dicitur ad ruinam.

CAPUT XXIII. Mala hominis voluntas non est Dei plantatio. Suavis et bonus Dominus non creavit amaritudinem et malitiam voluntatis perversae. Praescivit Deus homines peccaturos, sed eos ad peccandum non praedestinavit.

Quapropter autem cur primum hominem, quem (sicut scriptum est) *fecit Dominus rectam* (Eccles. vii, 30), praedestinare potuerit ad peccandum, id est ad vo-

luntatem malam, quae est totius origo peccati, quam utique aut retribuuisse Deum nondum peccanti homini, aut retribuuisse credendum est peccatori. Hanc itaque si nondum peccanti homini tribuit, ipse (quod absit) auctor iniquitatis existit, qui malam voluntatem dedit homini bono, per quam peccans aeterno meretur puniri supplicio. Et ubi est, quia *Deus mortem non fecit* (Sap. 1, 13)? Et quia *non est iniquitas apud Deum*? Et quia *justus Dominus, et justitiam dilexit, aequitatem vidit vultus ejus* (Psal. x, 8)? Si autem male voluntatis initium peccatori homini non tribuit, sed retribuit Deus, ut ab homine credatur coepisse peccatum, a Deo autem redditum male voluntatis initium dicatur, quod peccatum homo facere potuit, in quo voluntas mala non fuit? cum nullus fructus iniquitatis exoriri possit, nisi quem radix voluntatis male protulerit. *De corde enim* (sicut Veritas ait) *exerunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae. Haec sunt quae coinquant hominem* (Matth. xv, 19). Propter quod Deus ipse per Jeremiam sic humanae malitiae voluntatis objurgat, ut eam a se alienam esse perdoceat. Dicit enim: *Ego te plantavi vineam fructiferam, quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienae* (Jer. ii, 21)? Alienam utique a se vitem dicit non vitio divinae conditionis, sed aversione propriae voluntatis, quae juste culpatur, pro eo quod amaritudinem protulit, quam in ea Deus ipse non fecit. Quoniam ipsam amaritudinem, nec ex Dei praedestinatione, nec ex Dei opere, sed ex malitia suae voluntatis habuit. Pro qua amaritudine sic eam Deus per supra memoratum prophetam denuo increpat: *Scito quam malum est tibi et amarum reliquisse Dominum Deum tuum, et non esse timorem meum apud te* (Ibid., 19). Cum ergo hoc sit homini malum et amarum reliquisse Dominum, et timorem Dei apud eum non esse, quis ita sit contrarius veritati, ut putet a bono ac suavi Deo (de quo scriptum est: *Quam bonus Deus Israel rectis corde* (Psal. lxxii, 1)? Et quia *nemo bonus nisi solus Deus* (Marc. x, 18), et de quo Apostolus dicit: *Ut ostendat in saeculis supervenientibus abundantes divitiae gratiae suae in bonitate super nos* (Ephes. ii, 7). Et de cujus suavitate canitur: *Gustate et videte quam suavis est Dominus* (Psal. xxxiii, 9). Et de cujus eloquiis denuo praedicatur: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo* (Psal. cxviii, 103). Et rursus: *Judicia Dei vera, justificata in semetipsis, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum* (Psal. xviii, 11). Quis ergo putet a bono ac suavi Deo praedestinatum hominem aut ad malitiam voluntatis, qua bonum Deum relinqueret, aut ad amaritudinem contumaciae, qua suavem Dominum non timeret? Proinde fidelibus congruit credere et fateri Deum bonum et justum praescisse quidem peccaturos homines, quia nihil eum latere potuit futurorum (neque enim vel futura essent, si in ejus praescientia non fuissent), non tamen praedestinasse quemlibet hominem ad peccatum, quia si ad peccatum aliquid hominem Deus praedestinaret, pro peccatis hominem non

posuisset. Dei enim prædeterminatione aut peccatorum præparata est pia remissio, aut peccatorum justa punitio. Nunquam igitur Deus ad hoc hominem potuit prædeterminare, quod ipse disposuerat et præcepto prohibere, et misericordiam diluere, et iustitia punire. Iniquos itaque, quos præscivit Deus hanc vitam in peccate terminaturos, prædestinavit supplicio interminabili puniendos, in quo sicut culpanda non est præscientia humanæ iniquitatis, ita prædestinatio iustissimæ laudanda est ultionis, ut agnosceret non ab eo prædestinatum hominem ad quaecumque peccatum, quem prædestinavit peccati merito puniendum.

CAPUT XXIV. Deus prædestinavit bonos misericorditer ad gloriam, malos iuste ad supplicium. Deus non omnia promisit quæ prædixit, nec omnia prædestinavit quæ præscivit.

Deus itaque omnia hominum opera, sive bona, seu mala præscivit, quia eum latere nihil potuit, sed sola bona prædestinavit, quæ se in filiis gratiæ facturum esse præscivit; mala vero futura opera illorum quos non prædestinavit ad regnum, sed ad interitum præscivit potentissima deitate, et ordinavit provida bonitate; et quia præscius fuit quod eadem mala, non solum ipse facturus non esset, sed nec homo in quantum ei humiliter adhæsisset, in eo nobis insuperabilem potentiam præscientiæ suæ magis ostendit, quia nec in malis prædestinationem iustitiæ suæ vacare permisit. Ostensus itaque Deus, quid reddendum præciverit, et quid donandum, prædestinavit illos ad supplicium, quos a se præscivit voluntatis male vitio discessuros. Et prædestinavit ad regnum, quos ad se præscivit misericordiæ prævenientis auxilio redituros et in se misericordiæ subsequentis auxilio esse mansuros. In istis misericordiam custodiens, in illis iustitiam tenens; istis quod promisit pie tribuens, illis nihilominus quod prædixit iuste retribuens. Sic autem Deus non omnia promisit quæ prædixit, quamvis prædixerit omnia quæ promisit. Sicut non omnia prædestinavit quæ præscivit, quamvis omnia prædestinata præciverit. Præscivit enim voluntates hominum bonas et malas, prædestinavit autem non malas, sed solas bonas. Et licet in ejus prædeterminatione non fuerit, ut malitiam voluntati humanæ dedisset, fuit tamen in ejus prædeterminatione, quid humanæ voluntatis malitiæ reddidisset. Propter hoc, quia sicut Psalmista testatur, **20** *Misericors est Dominus et iustus* (Psal. cxiv, 5), prædestinavit iustos ad gloriam, iniquos ad poenam. Justificandis ergo atque glorificandis prædestinatum misericordiæ suæ opus prædixit pariter et promisit. Iniquis autem prædestinatum iustitiæ suæ opus prædixit tantummodo, non promisit.

CAPUT XXV. De eodem argumento.

Quod si quis quaerat cur Deus omnia quidem prædestinata prædixerit, non tamen omnia prædestinata promissionem, respondemus promissionem dici non posse, nisi cum aliquid ad hoc prædicitur faciendum, ut possit ei cui promittitur prodesse jam factum. Et promissum semper esse doni, non semper esse iudicii, cum promissi largitas semper iustificet, iudicii

A vero severitas aliquando contristet. Quod propheta metuens huiusmodi ad Deum orationem effudit: *Ne intres in iudicio cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (Psal. cxlii, 2). Sciebat enim cunctos pari retinendos punitiois vinculo, nisi Deus, in quibus vellet misericordiam fecisse, *superexaltaret iudicium* (Jacob. ii, 13). Iustificatio (al. iudicio) igitur et glorificatio quæ non est homini ex homine, sed ex Deo, quia multum sanctis fuerat profutura, ideo prædicta est et promissa. Punitio vero, quæ in æternum fuit impiis obfutura, prædicta est tantummodo, non promissa. Quod etiam divinis testimoniis facilius ostenditur. In illo quippe prophætæ loco utrumque pariter invenitur expressum, ubi Deus per Isaiam eos qui sibi non serviunt, his arguit verbis: *Ecce qui serviunt mihi, manducabunt, vos vero esurietis. Ecce qui serviunt mihi, bibent, vos vero sitiatis. Ecce qui serviunt mihi, letabuntur, vos vero confundemini. Ecce qui servant mihi, exultabunt in lætitia, vos autem clamabitis propter dolorem* (al. præ dolore) *cordis vestri, et a contritione spiritus ululabitis* (Isaia lxxv, 13). In his omnibus, quæcumque ad iniquorum poenam pertinent prædicta sunt tantummodo, non promissa. Neque enim dicendam est bonitatis largitate promissum, quod intentas (al. intendat) iniquitatis merito severitas inferendam. Si qua vero ad personam servientium Deo pertinet, et prædicta sunt et promissa. Tale aliquid est etiam in illo Salvatoris nostri sermone, quo ait: *Tunc illi ibunt in combustionem æternam, iusti autem in vitam æternam* (Matth. xxv, 46). Prædixit et promisit premium quo fruuntur iusti, non autem promisit, sed prædixit supplicium quo puniuntur iniusti. Neque vero, sicut prædestinavit sanctos ad iustitiam accipiendam, sic prædestinavit iniquos ad eandem iustitiam amittendam, quia *misericors Dominus et iustus*, potuit gratis a pravitato liberare quem voluit; pravitatis autem operator nunquam fuit, quia pravus nunquam aliquis fuit, nisi in quantum a Deo discessit. Nec discessurum Deus prædestinavit, quamvis discessurum cognitio divina præciverit.

CAPUT XXVI. Deus de malis impiorum operibus operatur bonum. Aliter Deus bonos, aliter malos prædestinavit. Mali dicuntur vasa ira, boni vasa misericordiam. Cur potius misericordiam quam iustitiæ vasa bonos vocat Apostolus.

Deus itaque, licet auctor non sit malarum cogitationum, ordinator tamen est malarum voluntatum, et de malo opere cujuslibet mali non desinit ipse bonum operari. Nec in ipsis iniuste voluntatis operibus deserit operum suorum iustum ordinem, quia et hoc in ipso ordine habet, quod **21** malam iuste deserit voluntatem. Quam tamen sic in suis malis operibus a se discedentem deserit, ut ibi permittentem Dei operatio bona non desit, dum et in peccantis voluntate iniusta implet ipse iustitiam, et de male, quo peccantem iudicat, quibus ipse vult beneficium prænegat. In sanctis igitur perfectissimus est Dominus, quod ut essent boni, gratis dedit. Quod autem daturum se præscivit, in æterna bonitatis dispositione prædesti-

navit. Ipsa est enim prædestinatio Dei, sempiterna scilicet dispositio futuri operis Dei. Porro autem in iniquis puniturus est, quod ut essent mali, non delit, nec eos ad iniquitatem aliquam prædestinavit, quia ut inique vellent, hoc eis daturus ipse non fuit. Et quia malæ voluntatis perseverans iniquitas inulta remanere non debuit, tales ad interitum prædestinavit, quia talibus justæ punitionis supplicium præparavit. Quod utique manifesto Dominus ipse sermone perdocuit, in eo quod a se ostendit paratum, non solum regnum, ubi lætentur boni, sed et ignem æternum, ubi crucientur mali. Bonis etenim dicturus est: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi* (Matth. xxv, 34); malis autem dicturus est: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (Ibid., 46). Ecce ad quod Dominus iniquos et impios prædestinavit, id est ad supplicium justum, non ad aliquod opus injustum; ad pœnam, non ad culpam; ad punitionem, non ad transgressionem; ad interitum, quem ira justis iudicibus peccantibus reddidit, non ad interitum, quo in se iram Dei peccantium iniquitas provocavit. Quod beati Apostoli prædicatio manifestat, qui malos, quos in æternum damnaturus est Deus, vasa vocat iræ, non culpæ. Ait enim: *Quod si volens Deus ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam* (Rom. ix, 22). Quæso, Monime carissime, ut hunc Apostoli locum diligenter attendas. Notum namque est, iram Dei dici non posse nisi ubi creditur hominis iniquitas præcessisse. Neque enim Deus aut ignarus esse potuit, aut injustus, qui posset aut peccantis hominis culpam non agnoscere, aut non peccanti iudicium punitionis inferre. Nam et ipse beatus Paulus in iniquitate hominis justitiam Dei prædicat commendari, ut ostendat, non injuste iram omnipotentis inferri. Ait namque: *Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? nunquid iniquus Deus, qui infert iram? (secundum hominem dico) absit, alioquin quomodo iudicabit Deus mundum* (Rom. iii, 5)? Non itaque frustra talis est ab eo facta inter puniendos glorificandosque discretio, ut illos vocaret vasa iræ, istos autem vasa misericordiæ, nisi ut ostenderet, tam in vasis iræ quam in vasis misericordiæ iniquitatem propriam præcessisse. Talis est enim Dominus verus, cujus (at. cat) et gratuita sit misericordia, et ira non sit injusta; ac per hoc, et illos indignos præveniat bonitate quos justificat, et illos dignos inveniat punitione quos damnat; ac sic appareat, et in vasis misericordiæ, non ex ipsis, sed ex Deo esse, quod boni sunt, et in vasis iræ, non ex Deo, sed ex ipsis esse quod mali sunt. Posset enim Apostolus quos dixit *vasa misericordiæ*, potius *vasa justitiæ* nuncupare; sed si *vasa justitiæ* vocarentur, forsitan ex seipsis habere justitiam putarentur. Nunc autem cum *vasa misericordiæ* dicit, procul dubio, quid ipsi fuerint, non tacet, 22 quia quid eis a Deo collatum sit, evidenter ostendit. Si enim per seipsos essent justis,

mercedem eis Dominus pro operibus suis redderet, non misericordiam prærogaret: sicut idem Apostolus alio loco dicit: *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum* (Rom. iv, 4). Vasa itaque misericordiæ ad indebitam sunt gloriam præparata, quia gratis sunt misericordiam consecuta. De quibus etiam ipse beatus Apostolus se esse testatur, dicens: *Qui prius sui blasphemus et persecutor et contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate* (I Tim. i, 13). Hoc est opus Dei in vasis misericordiæ, ut blasphemis et persecutoribus et contumeliosis, non debitus redderetur interitus, sed misericordiæ donaretur gratuitum munus. Vasis vero iræ nunquam Deus redderet interitum, si non spontaneum inveniretur homo habere peccatum, quia nec Deus peccanti homini juste inferret iram, si homo ex prædestinatione Dei cecidisset in culpam. Sed quia causam iniquitatis suæ ex propria homo habuit voluntate, propterea B. Paulus sustinuisse asserit *Deum in multa patientia vasa iræ, aptata in interitum*. Hæc igitur ira, ideo talibus vasis interitum reddidit, quia in eis meritum voluntariæ iniquitatis invenit. Quando autem peccanti servo iram redderet Dominus intulisset, si servus ex Domini prædestinatione peccasset? In hoc itaque ista vasa Deus aptavit, in quod prædestinavit, hoc est in interitum, illum utique interitum, quem Paulus malis repente superventurum denuntiat, dicens: *Cum enim dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus* (I Thessa. v, 3). Quod si Deus tales in peccatum prædestinaret, non eos Apostolus vasa iræ mallet nominare, sed culpæ, nec in interitum talia vasa, sed in peccatum dicerentur aptata. Nunc autem ideo vasa iræ dicuntur, ut ostendatur, in talibus ex Dei prædestinatione non hoc esse, quod est male ab eis admissum, sed quod est talibus bene redditum.

CAPUT XXVII. *Quam juste Deus deserit malos et interitum eis reddit. Iniqui prædestinati sunt ad stagnum ignis et sulphuris. Prima mors animæ in peccato, secunda in stagno ignis. Vias impiorum non novit Dominus, quia eas non fecit. Prima mors animæ ab homine, secunda a Deo inferitur. Peccata prædestinavit Deus non faciendâ, sed juste puniendâ.*

Bene quippe malis interitus a Deo redditur, quamvis sit malus interitus eis qui nunc juste deseruntur, et postmodum juste torquebuntur. In talibus enim Deus iudicium suum desertione inchoat, cruciatione consummat. Nam et hoc tempore quo discordantes malos deserit Deus, non operatur in eis quod ei displicet, sed operatur per eos quod ei placet, postmodum eis redditurus quod ab ejus justitia merentur. Recipient enim non pro eo quod Deus bene usus est eorum operibus malis, sed pro eo quod ipsi male abusi sunt Dei operibus bonis. Tales itaque Deus aptavit in interitum punitionis, quem peccator, justus iudex prædestinatione justa decrevit. Non in peccatum quod homo non ex prædestinatione divina, sed ex voluntate sua, male concupiscendo cœpit, et male operando perfectit: concupiscentia enim concipiens peperit peccatum, peccatum vero con-

summatum genui. mortem (Jac. 1, 15). Non ergo A iniqui prædestinati sunt ad mortem animæ primam, sed prædestinati sunt ad secundam, id est ad stagnum ignis et sulphuris. De quo beatus Joannes dicit : *Et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris (Apoc. xx, 9). Et alio loco : Et mors et infernus missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda. Et qui 23 non est inventus in libro ritæ scriptus, missus est in stagnum ignis (Ibid., 14).* Rursus dicit : *Dubiis autem, et infidelibus, et contaminatis, et homicidis, et impudicis, et veneficis, et idolis servientibus, et omnibus mendacibus, pars eorum in stagno ardente, et sulphure, quod est mors secunda (Apoc. xxi, 8).* Illam secundam nuncupat mortem quæ sequitur ex sententia justii judicis, non illam quæ præcessit in mala concupiscentia peccatoris. Quæ B morte Salvator quosdam mortuos asserebat, dicens : *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos (Matth. viii, 22).* Et Apostolus de vidua : *Quæ autem in deliciis est vivens mortua est (I Timot. v, 6).* Ad Ephesios quoque sic loquitur : *Et vos, cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis, secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiae, in quibus et nos omnes aliquando conversati sumus, in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis et cogitationum. Et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri; Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convificavit nos Christo (Ephes. ii, 1).* De hac morte qua homo est mortuus in peccatis dicit Deus : *Nolo mortem morientis, sed ut revertatur a via sua mala, et vivat anima ejus (Ezech. xviii, 32).* Quomodo autem ad mortem peccati prædestinasse Deus hominem creditur, quam ipse se nolle testatur? Mors ergo ista morientis, via sua mala est : quæ quia mala, Deo ignota. Scriptum namque est : *Vias enim quæ a dextris sunt, novit Dominus; perversæ autem sunt, quæ a sinistris sunt (Prov. iv, 27).* Vias ergo, quas Deus fecit, novit, quas non fecit, perdit, quia eas non novit. Unde scriptum est : *Novit Dominus viam justorum, et iter impiorum peribit (Psal. i, 6).* Ille igitur, qui scit omnia antequam flant, et cujus oculi in omni loco speculantur bonos et malos, cujus etiam vultus super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum (Psal. xxxiii, 17), ideo viam malam non novit, non quia scientiam ipsius aliquid in operibus hominum fugit, sed quia mortem morientis non fecit; qui tamen mortem mortuo juste retribuit. Prima igitur mors animæ, quam sibi homo intulit, secundæ mortis est causa : et secunda mors quam Deus homini reddidit, primæ mortis est pœna. Et quia istam sibi homo injustus injuste intulit, illam a justo iudice juste percepit, ut quia in ista volens semen iniquitatis seminat peccator improvidus, in illa metat fructum punitionis invitus : *Qui enim seminat in carne sua, de carne metet corruptionem : qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam (Gal. vi, 8). Sed qui seminat in spiritu, et de spiritu metet vitam æternam.*

a Deo habet donum et messis et seminis. Quod Paulo teste cognovimus, sic enim ait : *Qui autem dat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et auget incrementa frugum justitiæ vestræ (II Cor. ix, 10).* Qui vero seminat in carne, et de carne metet corruptionem; ideo non lætabitur in messe, quia non Deum, sed seipsum habuit auctorem in semine. Peccata itaque hominum cuncta quidem Deus in peccatoribus præscivit futura; et quia ipse non ea prædestinavit faciendæ, juste prædestinavit iudicio puniendæ. Quod etiam in ipsis dictis sancti Augustini, quæ tuæ inse-ruisti epistolæ, si consideres, profecto cognosces, qui postquam dixit : *« Hoc ergo bonum, quod est requirere Deum, non erat qui faceret, non erat usque ad unum (Psal. lxi, 4); »* sed in eo genere quod prædestinatum est ad interitum, statim secutus adjunxit, dicens : *24 « Super hoc enim respexit Dei præscientia, protulitque sententiam. »* Nempe satis atque evidenter his dictis ostendit, quia Deus peccata hominum præscientia vidit, quibus sententiam prædestinatione dictavit. Quid enim aliud accipere debemus, in hac prolacione sententiæ Dei, nisi paratum supplicium peccatori? Juste autem est ad punitionem divina æquitate prædestinatus, qui peccator est divina cognitione præscitus; ut pote, qui iniquitatem, ad quam a Deo non est prædestinatus, propria esset voluntate facturus. Ut in quo præscientia Dei videbat futurum opus injustum, huic per prædestinationis sententiam pararet supplicium justum.

C CAPUT XXVIII. Confirmatur ex S. Augustino nullius humanæ culpæ causam in Deum esse referendam.

Quamvis igitur tu ipse, cæterique tui similes studio legendi, vel velocitate intelligendi, ex hoc loco dictorum sancti Augustini, quæ in tua epistola posuisti, facillime cognoscatis, quid catholicus habeat intellectus de his quos ad interitum prædestinatos audimus, tamen ne tardiores quique hunc tantum locum minus sibi putent in hac quæstione sufficere, de aliis quoque sancti Augustini libris quædam inserui, quibus docuit humanæ iniquitatis causam solam esse superbiam, nec ad peccandum homines, sed ad damnationem prædestinatos a Deo, qui ut non adjuventur a Deo, in ipsis causa est, non in Deo. In libro itaque secundo de Baptismo parvulorum ad Marcellinum scribens, inter alia sic dicit (Cap. 17) : *« Ignorantia igitur et infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ (al. qua) hominum adjuvat voluntates, qua (al. quia) ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo, sive dammandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ, sive contra ipsam superbiam iudicandi et erudiendi, si filii sint misericordiæ. »* Hic statim sanctus Augustinus testimonium prophetæ subjunxit, dicens : *« Unde Jeremias, cum dixisset, Scio, Domine, quoniam non est in homine via ejus, nec viri est ut ambulet, et dirigit gressus suos (Jerem. x, 23), continuo subjunxit,*

Corripis me, Domine, verumtamen in iudicio, et non in furore tuo. Tanquam diceret : Scio ad correptionem meam pertinere, quod minus abs te adjuvor, ut perfecte dirigantur gressus mei. Verumtamen ob hoc ipsum noli sic mecum agere, tanquam in furore quod iniquos damnare statuisti, sed tanquam in iudicio quod doces tuos non superbire. Unde alibi dicitur : *Et iudicia tua adjuvabunt me (Psal. cxviii, 175).* Supradictum itaque Marcellinum tali doctrina sanctus Augustinus informans, sequitur et dicit : « Nullius proinde culpæ humanæ in Deum referas causam, vitiorum namque omnium humanorum causa superbia est. » In istis sancti Augustini dictis attende, quæso, mi carissime. Primum quia ut non homines adjuventur a Deo, in ipsis causa esse dicitur, non in Deo. Deinde, quia propter iniquitatem superbiæ prædestinati dicuntur damnandi, quod pertinet ad iudicium, non depravandi, quod pertinet ad peccatum. Tertio etiam considera, quia nullius culpæ humanæ in Deum referendam admonet causam, qua (al. quia) si aliqua peccatoris iniquitas a Deo prædestinata creditur, ipsius iniquitatis causa in prædestinatione divina ponetur (al. constituitur). Quod 25 quam sit impium, quamque fidei Christianæ contrarium, nullum puto fugere Christianum. Alio quoque ejusdem libri loco (Cap. 19) memoratus S. Augustinus sic dicit : « Extolli quippe in superbiam propriæ voluntatis est hominum. non operis Dei. Neque enim ad hoc eos compellit aut adjuvat Deus. »

CAPUT XXIX. Prædestinatio sine Dei præscientia esse non potest, sed bene e converso. In peccatis, non Dei opus est, sed iudicium.

Et ut manifestiore dictorum ejus indicio nostra salciatur assertio, aliquid nobis ponendum est de libro quem scripsit de prædestinatione sanctorum, quo manifestius ostendit, sine prædestinatione præscientiam Dei esse posse, prædestinationem vero sine præscientia esse non posse; et quia Deus præscivit etiam quæ ipse non facit, hoc est, peccata. In supra memorato igitur libro, hæc est ejusdem beati Augustini sententia (Lib. 1, cap. 10) : « Prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse, potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus, unde dictum est : *Fecit quæ futura sunt.* Præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata. Quia etsi sunt quædam quæ ita peccata sunt, ut poenæ sint etiam peccatorum, unde dictum est : *Tradidit illos Deus in reprobum mentem, ut faciant quæ non conveniunt (Rom. 1, 24),* non ibi peccatum Dei est, sed iudicium. » Puto in his dictis beati Augustini evidenter ostensum, bona opera sua Deum præscisse et prædestinasse, hoc est, sive quæ ad misericordiam, seu quæ ad justitiam pertinent; mala vero opera, hoc est peccata, præscisse tantum, non etiam prædestinasse; quia ibi non opus Dei esse dicitur, sed iudicium. Ideo in peccato opus Dei non est, quia ut peccatum fieret, prædestinationem ab eo non est. Ideo autem iudicium est,

quia inultum non relinquitur, quod sine operante Deo malus operatur.

CAPUT XXX. Responsio Prosperi ad quartamdecimam objectionem. Responsio ad quintamdecimam. Conclusio de prædestinatione.

Non autem ignoras etiam præterito tempore illi luculentissimo sancti Augustini operi, quod scripsit de prædestinatione sanctorum, a quibusdam Gallis objectum, quod beatus Augustinus in assertione prædestinationis divinæ, peccatores, non ad solum prædestinatos diceret iudicium, sed etiam ad peccatum; cuius dicta, quia ipse celeri præventus est obitu, Prosper vir, eruditus et sanctus, recta defendit fide et (al. recte defendit fidei, et) copioso sermone. Ex quibus Gallorum capitulis, ut non multa nunc ponamus, ne libellum istum, quem prolixum facere disputandi necessitas cogit, prolixiorum voluntas facere videatur, duarum responsionum loca duximus inserenda. Quartadecima quippe Gallorum objectio sic habet : « Quod qui evangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædestinatione non credant. Et quod Deus ita definiert, ut quicumque non credunt, ex ipsius constitutione non credant. » Huic itaque pravitati quæ beati Augustini dictis, non ex veritate, sed ex livore objiciebatur, tali Prosper sermone respondit : « Infidelitas non credentium Evangelio, nequaquam ex Dei prædestinatione generatur. Bonorum enim Deus auctor est, non malorum. 26 Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, aut ad retributionem justitiæ, aut ad donationem pertinentem gratiæ. Universæ enim viæ Domini misericordia et veritas (Psal. xxiv, 10). Proinde infidelitas non credentium, non ad constitutionem Dei, sed ad præscientiam referenda est. Quæ non ideo necessitatem non credendi intulit, quia falli de ea, quæ futura erat, infidelitate non potuit. » Quintadecima etiam objectio his verbis inserta est, quod idem sit præscientia quod prædestinatio. Cui Prosper sic respondit : « Qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit. Quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur ascribere. Sed cum bona ad largitorem cooperatoremque eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda sint, dubium non est, sine ulla temporali differentia Deum et præscisse simul, et prædestinasse, quæ ipso erant auctore facienda, vel quæ malis meritis justo erant iudicio retribuenda : præscisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura. » Nos itaque, carissime, hæc interim pauca de libris sancti Augustini, et de responsionibus Prosperi, ob hoc malimus huic libello inserere, ut cuncti noverint quid debeant de prædestinatione sanctorum impiorumque sentire; simulque, ut appareat ejusdem beati Augustini dictis tenorem nostræ sententiæ convenire. Proinde quia sufficienter (ut arboror) iniquos non ad peccatum, sed ad supplicium prædestinatos ostendimus, huic volumini jam terminum debemus, ut ad aliarum quæstionum disputationem attentius recensendam, lectoris renovet studium temperies distincta librorum,

LIBER SECUNDUS.

TRES QUESTIONES COMPLECTENS: UNAM DE SACRIFICII OBLATIONE, ALTERAM DE SPIRITUS SANCTI MISSIONE, TERTIAM DE SUPEREROGATIONE B. PAULI.

CAPUT PRIMUM. *Epilogus compendiosus de prædestinatione iustorum et iniquorum.*

27 Satis, ut arbitror, Monime carissime, quaestionem de diversitate prædestinationis iustorum scilicet et iniquorum, hoc est eorum quos gratuita misericordia Dei præveniens justificando convertit, gloriificatura conversos; et eorum quos justa Dei severitas in peccatis derelinquit punitura damnatos; superior sermo (in quantum Dominus pusillitatem nostram dignatus est adjuvare) et pertractatam continet et solutam; ita ut plerique, licet in ea soleant non leviter permoveri, facile possint, et divinorum librorum testimoniis instrui et sancti Augustini libris, et Prosperi eruditissimi viri responsionibus informari, quibus agnoscant prædestinationem Dei nihil aliud esse, nisi præparationem operum ejus, quæ in æterna sua dispositione, aut misericorditer se facturum præscivit, aut iusto; et quia in peccatis nec misericordia invenitur nec justitia, ideoque omnem iniquorum malam voluntatem, qua peccant, præscitam, non tamen esse a Deo prædestinatam, cum ipsam voluntatem malam non aliter essent habituri, nisi in eo quo fuissent a Domino recessuri. Nec Deum prædestinasse discessionem hominis a se, cum causa ipsius discessionis sola voluntaria esset aversio peccatoris. Quæ quia Deum futura non lateuit, in æterna præscientia ejus præparatam sibi penam justæ retributionis invenit.

CAPUT II. *Secunda quaestio Monimi de sacrificii corporis et sanguinis Christi. Hæretici sua malitia excæcati, Trinitatem, et substantiam, et Patris venerationem dissipant. Præmittenda quaestio de fide Abraham.*

Nunc itaque ad residuas quaestiones, duce Domino, indagandâ hostiæ disputationis dirigatur intentio. Dicis a nonnullis te interrogatum de sacrificio corporis et sanguinis Christi, quod plerique soli Patri existimant immolari. Hanc etiâ assertis hæreticorum esse quasi palmarem interrogationem. Sed novum non est, ut hæretici, privati lumine veritatis, illis se propositionibus veritatem superaturos arbitrentur, quibus facillime superantur: *Gloria namque in confusionem ipsorum est qui terrena sapiunt (Philipp. iii, 19)*. Hoc ergo sectantes hæretici, ea sibi, quasi palmaria et invicta, videntur proponere, unde sibi confusionem non vident imminere. Sed etiam a veritate superantur, hoc in illis utique impletur, ut unde gloriantur inde confundantur. Non est igitur mirum, si illi, quos malitia sua (sicut scriptum est) excæcavit, veritas ipsa (quæ lux est vera) deseruit, quorumque squalentem perversi cordis obtutum tetri erroris obscuritas circumsepsit, inseparabilem Trinitatem, quam substantiali diversitate disparem prædicare non dubitant, consequenter honorificentiam quoque impari (at. impari) officio impie dissipare con-

tendant. Et quoniam in ipsam sapientiam (at. ipsa sapientia) peccare convincuntur, ipsius sapientie in eis sermo completur, ut dum in ipsam peccant, in animas suas peccatum impietatis admittant; sic namque dicit ipsa Sapientia: *Qui autem in me peccant, impie faciunt in animas suas: et qui me oderunt diligunt mortem (Prov. viii, 36)*. Quomodo enim Dei Filium non oderunt, quem unigenitum quidem verbis negare non possunt, sed eum a natura Patris, inconsiderata perversitate, discernunt? aut quomodo in animas suas impie non faciunt, qui Dei unigenitum Filium, Deum scilicet verum, nec glorificare cum Patre consentiunt, nec uno eodemque sacrificio pariter honorari permittunt? Quibus, cum Dei adjutorio (ut quantum series præsentis operis capit), breviter respondentes hanc interrogationem præmittimus, ut dicant: Utrum eam fidem Deus suæ donavit Ecclesiæ, qua pater noster Abraham Deo credens placuit, et in qua cunctas gentes terræ in suo semine benedicendas accepit: an aliam sibi religionis normam divinitus profiteantur traditam, ut patriarcharum et prophetarum fidem æstiment abdicandam? Et licet ab hac fide (sicut demonstrata est veritas) omnimodiam habeantur extranei, ipsam tamen Ecclesiæ datam dicunt, ipsamque apud se inviolatam manere contendunt.

CAPUT III. *Quaestio sacrificii ex patrum fide determinatur. Promissiones factæ Abraham et semini ejus. Abraham construxit altare non soli Patri, sed et Filio sacrificaturus. Idem est invocare in nomine Domini quod invocare nomen Domini. Abraham illi Deo construxit altare qui ei visus est. Invictum contra hæreticos argumentum ex sacrificio et fide Abraham.*

Dum ergo inter nos et illos sacrificii vertitur quaestio, ad illos nobis recurrendum est patres, quos Deus, velut luminaria in mundo, ad instructionem nostram veræ fidei clarificavit indicio, quorum fidem ita dignatus est a se inspiratam ostendere, ut eorum se Deum veniantur evidenter nominare, dicens: *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob: hoc mihi nomen est sempiternum et memoriale in generationem et generationem (Exod. iii, 15)*. Cum itaque nos dicimus sacrificium non soli Patri, sed simul unum Patri Filioque offerri, illi autem Patri soli existimant immolari, in sacrificio patriarcharum, vere ac Deo placitæ quaeramus immolationis indicium. Ab illo itaque nobis est documentorum series inchoanda, in cuius invenitur semine futura cunctarum gentium benedictio repromissa; dicens Paulo: *Abraham dictæ sunt promissiones et semini ejus: Non dicit, et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno: Et semini tuo, quod est Christus (Gal. iii, 16)*: Et iterum: *Ut in gentibus benedictio Abraham fieret, in Christo*

Jesu ut pollicitationem Spiritus accipientis per fidem (Ibid., 14). Sit igitur omnino compertum, illos esse benedictionis divins compotes et spiritualis gratie participes, quos constat fidei Abraham in sacrificio reperiri sequaces. In libro Genesis legimus *Visus est Dominus Deus Abraham, et dixit ei: Semini tuo dabo terram istam. Et edificavit ibi Abraham altare Domino, qui visus est ei, et recessit inde in montem castrorum orientem Bethel, et edificavit ibi altare Deo, et invocavit in nomine Domini Dei, qui visus est* (Gen. xii, 7). Edgant nunc hæretici quod volunt, ut aut Patrem intendant Abraham visum, aut certe consentiant ad Abraham Filio altare constructum; altare vero non ob aliud edificari, nisi ad offerendum sacrificium Deo, Veteris Testamenti lectio frequenter insinuat. Moyses quippe de Noe justo sic loquitur: *Et edificavit Noe altare Deo, et tanquam interrogaretur, ejus rei gratia vir justus illud altare construxerit, secutus adjunxit: Et accepit ad omnibus pecoribus mundis, et ab omnibus volatilibus mundis, et obtulit hostiam super altare Deo* (Gen. viii, 20). Claret igitur sanctum quoque Abraham, amicum Dei fidelem, et gentium fideliū patrem; ob hoc Deo qui ei visus est edificasse altare, ut ei posset sacrificium congruæ immolationis offerre. Ne autem, cum in nomine Domini Dei dicitur invocasse, quisquam existimet alterum Deum in nomine Dei alterius invocatum, cum non aliud sit, invocasse in nomine Domini Dei, quam invocasse nomen Domini Dei, subsequenter evidenti manifestatione hoc quoque Scriptura curavit divina monstrare; paulo post enim sic dicitur: *Abraham autem erat onustus valde pecoribus, et argento, et auro, et abiit illo (al. illuc), unde venerat, in desertum usque Bethel, ad locum ubi fuerat tabernaculum ejus prius, inter Bethel et inter Agge, in locum ubi altare fecerat Nitto, et invocaverat ibi Abraham nomen Dei* (Gen. xii, 8). Cognoscitur itaque hoc fuisse invocare in nomine Domini Dei, quod est invocare nomen Domini Dei. Quocirca dicant hæretici, utrum Patri an Filio Abraham existimet construxisse altare? quia, cui altare construxit, ipsius utique nomen invocavit. Ipse altare non nisi Deo, qui ei visus est, altare construxit; quem hæretici Filium dicere consueverunt: nitentes quippe Patris et Filii diversam obcere substantiam, omnes corporearum rerum conspicabiles formas (quas ad insinuandam se hominibus omnipotentissima deitas, creaturæ totius domina, sicut voluit, et congruere temporalibus (al. temporibus) locis ac personis noverat, coaptavit) Filio tantummodo existimant deputandas: inde hæerentes inæqualem Patri atque impari Filium, quod ejus natura capax mutabilem potuerit esse formam. Et tanquam eo naturaliter ejus divinitas visibilis fieret; quo se ad intrinsecas (al. informandas) hominum mentes visibilibus rebus demonstrare non sprevit. De qua re non est nobis hoc opere disputandum; tantum præsentis questionis hoc tantum deponat intentio: ut quia sanctos Abraham illi Deo sacrificasse cognoscitur, quem ei visum fuisse divina Scriptura testatur, aut Patrem visum Abraham dicant, aut Filio Abraham sa-

crificasse consentiant. Utroque enim tanquam bis acuto gladio, nefarie diversitatis obruncatur assertio; quia, si Deum Patrem Abraham visum dicant, ut ei soli sacrificium asserant immolatum, in eo quod visus asseritur, non erit tanquam invisibilis Pater invisibili Filio præponendus: si autem Filius visus est, et ei sacrificium sanctus patriarcha obtulit, non est Patri Filius in aliquo præponendus; neque enim illi Abraham sacrificium offerret, si potiorum illo quemquam aliam credidisset. Ac sic isti, qui fidem nostram hujus impulsu questionis existimant quantiendam, utrobique necesse est mendacium suæ credulitatis (al. incredulitatis) agnoscant. Et utinam cognoscentes abjiciant, et ad veram fidem (quam inaniter rebelles impugnant) salubriter humiles pacatique jam redeant! Abraham enim qui non alteri Deo, sed ei qui sibi visus est altare construxit, ut secundum id quod sentiunt hæretici convincantur, aut Patrem vidit, aut Filio sacrificavit.

CAPUT IV. *Isaac quoque Deo qui ei visus est construxit altare. Jacob item eidem Deo altare jussus construxit. Patriarcharum sacrificia hostiis congruunt, quæ sunt toti Trinitati.*

Hunc Deum qui visus est Abraham, cuius Abraham, non utique ad aliud, quam ad offerendum sacrificium, edificavit altare; Isaac quoque vidit, et ei, patetne fidei tenax, altare construxit. Scriptum est enim de Isaac (hoc liber Geneseos continet): *Ascendit autem inde ad pedium juramenti, et visus est ei Dominus in illa nocte, et dixit ei: Ego sum Deus Abraham patris tui; ne timeas, tecum enim sum, et benedicam te; et multiplicabo semin tuum propter Abraham patrem tuum. Et edificavit ibi Isaac altare, et invocavit in nomine Domini* (Gen. xx, 23). Procul dubio ejus Domini; qui ei visus præstetis suæ auxilium, et benedictionis donum, et multiplicandi seminis promisit augmentum. Jacob quoque non alteri Deo, sed illi qui visus est ei, altare fecisse cognoscitur. Et quod amplius est, non hæc sponte arripuit, sed divinis obediens præceptis implevit. Quod his verbis sancta Scriptura testatur: *Dixit autem Deus ad Jacob: Surgens accende in locum Bethel, et inhabita ibi, et fac ibi altare Deo, qui visus est tibi, cum fugeres a facie Esau fratris tui* (Gen. xxxv, 1). Et subsequenter dicitur: *Venit autem Jacob in Lasa, quæ est in terra Chanaan, quæ est Bethel, ipse et omnis plebs quæ erat cum eo, et edificavit ibi altare, et vocavit nomen loci illius Domus Dei; ibi enim apparuit ei Deus, cum fugeret a facie fratris sui Esau* (Ibid., 6). Ecce in ore duorum et trium testimonium verbum fidei nostræ consistit; ecce amicorum Dei sacrificio prorsus Ecclesie catholice concordat oblatio, quæ sic sacrificat Patri, ut simul omni sacrificet Trinitati; quoniam et sancti patriarche, sacrificium quod Filio jubebantur offerre, seiebant se Patri simul et Filio placitis obsequiis exhibere. Idcirco autem eis divinitus jubebatur, ut Filio altare construerent, non quia sacrificandum non esset Patri, sed ut quod immolabatur a sanctis, simul Filio immolaretur et Patri, neque ut præponendus esset Patri Filius, sed ne putaretur genitōri genitus in aliquo

postponendus. Proinde licet nulli dubium sit patriarchalis sacrificii testimonio rectitudinem nostræ fidei communiri, cui quoad obdurato corde quilibet obtinendum existimat, a fide consortioque sanctorum alienus exerrat; possemus et de prophetis testimonia non imparis firmitatis ac roboris innectere, nisi totius reddendi memores debiti, ad residuarum etiam quæstionum solutionem mallems quantocius festinare.

CAPUT V. *Aliud testimonium ex prophetis, ut Filio quoque offeratur sacrificium. Obduratio hæreticorum qui Filio non sacrificant. Catholici toti offerunt Trinitati, etiamsi solius Patris nomen expriment.*

Verumtamen, ne sub nomine abundantiae quisquam nos penuriam defensionis existimet obelasse (al. obvelasse), unum de prophetis testimonium proferemus, quo possit evidenter ostendi prophetas sanctos divinitus inspiratos, **31** certo fidelissimoque vaticinio prædixisse, Novi quoque tempore Testamenti spirituales hostias non Patri tantum, sed etiam Filio a fidelibus offerendas. * Sophonias quippe dicit: *Sustine me, dicit Dominus, in diem resurrectionis meæ in testimonium: quoniam iudicium meum in congregationem gentium erit, ut recipiam reges et effundam super eos iram furoris mei: quoniam in igne amulationis meæ consummabitur omnis terra, quia tunc transferam super populos linguam in progenies ejus, ut invocent omnes nomen Domini, et serviant ei sub iugo uno, a transfumine Æthiopiæ suscipiam observantes me, qui dispersi sunt, afferent hostias mihi in illo die (Sophon. III, 8).* Quid hac, rogo, vaticinatione lucidius? vel quod hic tenebræ obnationis latibulum hæretica potest infidelitas reperire, quo possit lumen tantæ manifestationis effagere? Cum sic in sole tabernaculum suum posuerit Dominus (Psal. xviii, 6), ut non sit qui se abscondat a calore ejus. Quoniam (forte A quo jam) si quis se glaciali frigore infidelitatis stupefactus abscondat, sibi propitiationis potest auxilium subtrahere, se autem non potest celare vindictæ. Ecce ille qui se expectandum in die resurrectionis suæ præcipit, ipse sibi hostias ab omnibus gentibus offerendas ostendit: ut agnosceretur sacrificium illud esse acceptabile Deo, quod communiter Patri et Filio supplex offert fidelium puraque devoto. His atque hujusmodi testimoniis hæretici communiti, utinam non surdis auribus audiant, sed veritate fidei, concessa sibi divinitus illuminatione cognoscant, ut recepto salutari lumine, desinant deinceps in tenebris mortiferæ infidelitatis errare. Qui cum Filio sacrificium non offerunt, et a fide patriarcharum ac prophetarum miserabili obduratione desciscunt, impie delinquentes, se ipsos a semetipsis damnatos ostendunt. Apostolica quippe omnem hæreticum tali cognoscitur pronuntiatione condemnasse sententia. Quod et hæreticus post primam et secundam correptionem sit omnimodis evitandus (Tit. III, 10), eo quod ejusmodi non solum sit subversus, verum etiam suo sit iudicio condemnatus. Si qui vero catholici fideles, hujus sacramenti nunc us-

A que videbantur ignari, deinceps scire debent omne cujuslibet honorificentiae et sacrificii salutis obsequium, et Patri et Filio et Spiritui sancto, hoc est sanctæ Trinitati, ab Ecclesia catholica pariter exhiberi. In cujus utique uno nomine manifestum est sanctum quoque baptismum celebrari. Neque enim præjudicium Filio vel sancto Spiritui comparatur, dum ad Patris personam precatio ab offerente dirigitur. Cujus consummatio, dum Filii et Spiritus sancti complectitur nomen, ostendit nullum esse in Trinitate discrimen. Quia dum ad solius Patris personam honoris sermo dirigitur, bene credentis fide tota Trinitas honoratur: et cum ad Patrem litantis destinatur intentio, sacrificii munus omni Trinitati, uno eodemque offertur litantis officio. Nos itaque dum Trinitati, quæ unus et verus est Deus, unum sacrificium offerimus, vanis hæreticorum non moveamur objectis, cum ad hoc sequendum, ac robustissime retinendum, et divinitus promulgatis instruamur oraculis, et præcedentium sanctorum firmemur exemplis.

CAPUT VI. *Tertio quæsto Monni, cur in sacrificiis solius Spiritus missio postuletur. Non ideo minor est Spiritus sanctus quod missus est a Patre et Filio, quia et Filius missus est. Missio Filii et Spiritus sancti non est localiter facta. Scriptura docet immensitatem non solum Patris, sed et Filii et Spiritus sancti.*

32 Jam nunc etiam illa nobis est de Spiritus sancti missione quæstio revolvenda: Cur scilicet si omni Trinitati sacrificium offertur, ad sanctificandum (al. sacrificandum) oblationis nostræ munus, sancti Spiritus tantum missio postuletur: quasi vero (ut ita dicam) ipse Pater Deus, a quo Spiritus sanctus procedit, sacrificium sibi oblatum sanctificare non possit; aut ipse Filius sanctificare nequeat sacrificium corporis sui, quod offerimus nos, cum corpus suum ipse sanctificaverit, quod obtulit, ut redimeret nos; aut ita Spiritus sanctus ad consecrandum Ecclesie sacrificium mittendus sit, tanquam Pater aut Filius sacrificantibus desit. Primo itaque meminisse nos convenit, in hujus vocabulo missionis nec inferiorem accipi debere sanctum Spiritum, nec minorem; quia si minor, utique inferior, et si inferior, utique minor. Hoc autem præmonuimus, scientes ab hæreticis quam maxime fidei nostræ frequenter objectum, ideo Spiritum sanctum minorem credendum Patre et Filio, quia et a Patre missus est, et a Filio. Porro autem si misso mittens potior est credendus, cognoscant in hoc suam convinci perfidiam, quia sicut a Patre et Filio missus legitur Spiritus sanctus, sic a Patre et Spiritu missus invenitur et Filius. Quod ipse Filius et per prophetam, multo antequam mitteretur, dixit, et postquam missus est, propria testificatione firmavit. Nam veniens in Nazareth, et synagogam ingressus, cum tradito sibi ad legendum libro Isaiæ prophete, illum locum revolveret ubi scriptum est: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me (Luc. IV, 18):* red-

* Huc irrepserant ex margine verba ista, *Propheta testimonium de sacrificio quod nunc in Ecclesia geritur,*

quæ ideo abrasimus, quia nec in mas. habentur, nec quidquam sensui conferunt,

dito volumine, veritatem prophetiæ illius præsentis testatus est effectu completam dicens: *Hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris (Luc. iv, 21)*. Sed et alio ejusdem prophetæ loco a Domino atque ab ejus Spiritu se missum his verbis ostendit: *Et nunc Dominus misit me, et Spiritus ejus (Isai. xlviii, 16)*. A se quoque sanctum Spiritum mitti discipulis, ante passionem suam hoc modo pronuntiat: *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me (Joan. xv, 26)*. Superius autem eundem Spiritum etiam a Patre mitti docuerat: *Paracletus autem, inquit, Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia (Joan. xiv, 26)*. A Patre ergo et a Spiritu missus est Filius, et a Patre et Filio missus est Spiritus. Verumtamen, nec Filii nec Spiritus sancti missionem localiter factam quisquam debet Christianus accipere, sed illo missionis nomine, opus intelligamus manifestationis indultæ. Sic enim non localiter missus est Filius, nec localiter mittitur Spiritus sanctus, sicut nec ipsius Patris est quoquam (al. quoque) localis adventus. Cum tamen Filius dilectoribus suis non tantum suum, sed et Patris promittat adventum; ait enim: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus (Ibid., 23)*. Sicut ergo Pater et Filius nusquam quidem desunt, et tamen ad quem volunt, veniunt (per gratiam enim veniunt, qui per potentiam nusquam desunt), sic etiam in missione vel adventu Spiritus sancti nullus localis illius accipiendus est motus, sed nostræ credendus est sanctificationis effectus. Nam si localiter secundum Deitatem missus est Filius, aut localiter mitti **33** putatur Spiritus sanctus, ergo etiam Deus Pater loco (quod absit) credetur inclusus. Et ubi est, quod immensitatem suam Deus ipse taliter nobis insinuat dicens: *Cælum et terram ego impleo (Jer. xxiii, 24)*, Filii quoque immensitatem propheticus nobis sermo commendat. De quo sanctus Jeremias sic loquitur: *Magnus est et non habet finem: excelsus et immensus (Baruch. iii, 25)*. Et quia ipse est virtus et sapientia Dei, de ipso utique dicitur: *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (Sap. viii, 1)*. Apostolica quoque tenemus prædicatione compertum, *quia in Christo condita sunt universa in cælis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant (Coloss. i, 16)*. Quid ergo est quod implere sua præsentia nequeat, in quo Apostolus universa in cælis et in terra, visibilia et invisibilia constare pronuntiat? Sancti quoque Spiritus immensitatem Scriptura sic loquitur: **1** *Spiritus Domini replevit orbem terrarum (Sap. i, 7)*. Propter quod et David sanctæ Trinitatis unam substantialiter immensitatem non solum corde credens ad justitiam, quin etiam ore confitens ad salutem, sic cecinit: *Quo ibo a spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es, et si descen-*

dero in infernum, ades. Et si assumpsero pennas meas ante lucem, et habitavero in novissimo maris, etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua (Psal. cxxxviii, 7).

CAPUT VII. *Tota Trinitas ubique est. Nomine Spiritus quandoque spiritualia dona gratiæ significantur.*

Cum ergo, sicut diximus, tota Trinitas unitate deitatis suæ naturaliter immensa infinitaque permaneat, et sic localiter nusquam sit ut tamen nusquam desit, atque ita sit ubique tota, ut nec per partes creaturæ totius particulariter dividi, nec universitate totius possit creaturæ concludi, quoties Spiritus sanctus ad consecrandum sacrificium a Patre poscitur, prima est fidei ratio, prima est cunctis Christianis salubriter retentanda cautela, ut sancti Spiritus nullatenus localis cogitetur aut existimetur adventus. Fidelibus quippe dicit Apostolus: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis (I Cor. iii, 16)*. Et alio loco: *Orantes omni tempore in spiritu, et in ipso vigilantes (Ephes. vi, 18)*. Et ipse Salvator discipulis suis dicit: *Si diligitis me, mandata mea servate, et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit (Joan. xiv, 15)*. Unde et Paulus eundem nos Spiritum adoptionis accepisse sic prædicat: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater (Rom. viii, 15)*.

C Fidelibus itaque, qui templum Dei sunt, et in quibus Spiritus Dei inhabitat, imo qui templum sunt Spiritus sancti, sicut Apostolus dicit: *Nescitis quia membra vestra templum est Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo (I Cor. iii, 16)*? quibus etiam idem apostolus mandat ut in ipso orent atque in ipso vigilent, quomodo Spiritus sanctus, tanquam ante absens mitti creditur? cum nec orare condigne ac vigilare aliquis possit, nisi se illi Spiritus sanctus infuderit. Quocirca, sicut dicit Apostolus, *Spiritualibus spiritualia comparantes (I Cor. ii, 13)*, et in Spiritu, qui utique naturaliter **34** Deus est, nihil corporale, nihil temporale, nihil locale, nihil mutabile cogitantes, considerare debemus nomine Spiritus sancti nonnunquam dona spiritualis gratiæ nuncupari. Nam legimus in libro Regum: Cum esset Elias divino munere transferendus, et discipulo, priusquam tolleretur, dedisset fiduciam postulandi quod vellet, ille spiritum, quem Elias acceperat duplicem, sibi postulavit attribui. Ubi utique intelligimus spiritus nomine donum spiritualis gratiæ designari. Neque enim substantia Spiritus sancti potest vel augeri vel minui, qui sicut est sine initio et sine termino sempiternus, sic est sine augmento detrimentoque perfectus.

CAPUT VIII. *Dona Spiritus sancti in nobis augeri vel minui possunt, non ipse Spiritus. Sicut idem sol plus minusque diversa illuminat, ita et idem Spiritus a diversis diversimode recipitur.*

Cujus tamen dona, secundum ipsius impercrutabilem atque irreprehensibilem voluntatem, sicut **Li**

hominibus posse augeri credimus, sic in eis posse minui non negamus. Nam cum dona sunt Spiritus sancti, *caritas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, continentia* (Gal. v, 22); et cum alii detur per Spiritum sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu (I Cor. xii, 8); hæc tamen omnia possunt in hominibus et augeri et minui. Unde est illud quod ipsi apostoli augmentum fidei sibi a Domino postulant condonari, dicentes: *Domine, adauge nobis fidem* (Luc. xvii, 5). In caritate quoque nos crescere, ipse beatus demonstrat Apostolus, qui ait: *Veritatem autem facientes, in caritate crescamus, in illo per omnia* (Ephes. iv, 15). Quomodo autem in caritate crescimus, nisi cum dono gratiæ spiritualis crementum accipimus caritatis? *Caritas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (Rom. v). Hoc sentitur et de cæteris spiritualibus donis, quæ pro uniuscujusque captu, vel augeri vel minui dicuntur in nobis. Quoniam talium crementa detrimentaque charismatum, secundum id dicuntur, quod quibusdam seu plus seu minus insunt, non quod in se vel augeri vel minui possunt. Nam et sol tantus est cum videtur ab oculis sanis, quantum cum videtur a sauciis, nec ipse minuitur, cum minus ab oculis turbatis percipitur, nec augetur, cum amplius oculis sanis infunditur. Quia diversitas illa visionis non ex diversitate solis evenit, sed in diversitate sanitatis infirmitatisque consistit. Et quamvis unum minus, alterum magis illuminet, ipse tamen unum atque idem in se lumen habet, quod unus minus, alter amplius videt. Sic etiam Spiritu sancto, in se sine augmento ac detrimento immutabiliter permanente, duplicem sibi Eliseus spiritum poposcit, in eo quod augmentum spiritualis gratiæ postulavit.

CAPUT IX. *Qui dicuntur locuti linguis angelorum. Qui legem docent, et non faciunt. Ubi caritas, ibi Spiritus sanctus.*

Cum ergo sancti Spiritus ad sanctificandum totius Ecclesiæ sacrificium postulatur adventus, nihil aliud postulari nihil videtur nisi ut per gratiam spiritalem in corpore Christi (quod est Ecclesia) caritatis unitas iugiter indisrupta servetur. Hæc est enim principale Spiritus sancti donum, sine qua quisquis linguis hominum angelorumque loquitur, velut *tes sonans, aut cymbalum tintiens*, sonum dare potest, vitam habere non potest. *Etsi habeat omnem prophetiam, et noverit mysterium omnia et omnem scientiam, etsi habeat omnem fidem, ita ut montes transferat, caritatem autem non habeat, nihil est. Etsi distribuerit in cibos pauperum vitæ facultates suas, et tradiderit corpus suum ut ardeat, caritatem autem non habeat, nihil ei prodest* (I Cor. xiii, 1, 2, 3). Nam quia legem dicit Apostolus, ordinatam per angelos in manu mediatoris (Gal. iii, 19), linguis hæc sunt angelorum, qui in ore; quæ legis sunt (al. legebant), docebant, et adversus legem pravis operibus militabant. De quibus ipse Salvator dicit: *Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim et non faciunt* (Matth. xxiii, 3).

Saul quoque prophetiam habuit, et Simon Magus credit, et baptismi sacramentum accepit, nam et dæmones, dum credunt et contremiscunt, videntur habere fidem, sed nihil eis prodest, quia non habent caritatem. Multi etiam facultates suas pauperibus erogantes, quia non curaverunt acquirendæ caritatis studium impendere, res quidem suas donaverunt, quod ideo nihil eis profuit, quia seipsos perdidit, non acquirendo caritatem, quam acquirere debuerunt. His igitur demonstratur indicis ibi esse Spiritum sanctum ubi est finis præcepti, hoc est, *caritas de puro corde, et conscientia bona, et fide non ficta* (I Tim. i, 5). Ubi autem cum fide caritas non est, quæcumque dona Spiritus sancti esse posse, ipsum vero Spiritum sanctum esse non posse; ac per hoc, nihil prodesse illorum donorum largitatem, ubi sit aliquod donum Spiritus habetur, ut ipse Spiritus non habeatur. Proinde tales, etsi videntur quorumlibet paternorum donorum participes, non tamen sunt hæreditatis paternæ consortes, quoniam *Spiritus sanctus est pignus hæreditatis nostræ* (Ephes. i, 14). Et in hoc *videtur Deus et pater Domini nostri Jesu Christi benedixisse in omni benedictione spiritali, in celestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ipsius in caritate.*

CAPUT X. *Recte igitur in sacrificio poscit Ecclesia adventum Spiritus sancti. Christi incarnatione nobis pax et unitas cum Deo est. Per Spiritum sanctum et Christus natus est et Ecclesia renata. Christus et Ecclesia. Per Spiritum sanctum unitas est Christi et Ecclesiæ. Per Spiritum sanctum nos edificamur in Christo templum sanctum in Domino.*

Dum itaque Ecclesia Spiritum sanctum sibi coelitus postulat mitti, donum sibi caritatis et unanimiatis postulat a Deo conferri. Quando autem congregationis quam ad consecrandum sacrificium corporis Christi sancta Ecclesia (quæ corpus est Christi) Spiritus sancti deposcat adventum? quæ ipsum caput suum secundum carnem de Spiritu sancto noverit natum. Sic enim angelico Maria informatur eloquio: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei* (Luc. i, 35). Evangelista quoque Matthæus eodem Spiritu sancto repletus affirmat, quia cum desponsata esset mater ejus *Maria Joseph, priusquam convenirent, inventi est in utero habens de Spiritu sancto* (Matth. i, 18). Et ad Joseph sic memorat angelum in somnis dixisse: *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Quid vero est illius incarnationis dominicæ mysterio factum, nisi ut divisa unirentur, et discordantia pacarentur? Testis est enim Paulus de Christo: Quia ipse est pax nostra qui fecit utraque unum et medium parietem maceriæ, solvens inimicitias in carne sua: legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso (al. semetipsam) in unum novum hominem, 36 faciens pacem, ut reconciliet ambos in uno corpore Deo; per crucem interficiens inimicitias in semetipso: et veniens evangelizavit pacem,*

his qui longe, et pacem his qui prope, quia in ipso habemus ambo accessum in uno Spiritu ad Patrem (Ephes. II, 14). Hoc ergo factum est caritate divina; ut ex ipso Spiritu corpus illius capitis esset formatum, de quo ipsum caput est natum. Et ob hoc necessarium nobis est; ut sicut ex Spiritu sancto natus est Christus, quando Deus unigenitus in utero Virginis; unicus homini tanquam sponsus processit de thalamo suo: sic Ecclesia dono Spiritus sancti adhæreat Christo, tanquam mulier viro suo, et tanquam corpus capiti suo. Dicit enim Apostolus: Quia Christus caput est Ecclesie; ipse salvator corporis. Et iterum: Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus, propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam; et adheret uxori suæ, et erunt duo in carne una (id est carnem unam) (Ephes. v, 29): Quod exponens adjicit: sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia. Huc testimonium Veteris Testamenti, cum Dominus adversus Pharisæorum testamenta proferret, secutus adjunxit: Igitur jam non sunt duo; sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet (Matth. xii, 6). Ut ergo in illo sancto connubio, quod factum est in thalamo uteri virginalis, jam non essent duo, sed una caro, spiritali gratia factum est. Hoc etiam ut indistinctum jugiter teneatur, spiritalis gratia operatur; quia ut capiti suo inhæreat hæc unitas corporis, et ut solens quis omnes qui se elongant ab ipso peribunt, et quis perdet omnes qui fornicantur ab eo, possit ipsa caste ac suaviter dicere: Mihi autem adherere Deo bonum est (Psal. lxxii, 27). Et rursus: Adhæsit anima mea post te (Psal. lxxii, 9). Illa caritas Dei facit, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum; qui datus est nobis (Rom. v, 5). Per hunc Spiritum sanctum tanta est unitas Christi et Ecclesie, ut cum electionis Vas dicat: Quia Christus caput est corporis Ecclesie (Coloss. I, 18), ipsum tamen corpus Christi non dubitet Christum veraciter appellare. Denique sic ait ad Corinthios scribens: Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa; omnia autem membra corporis cum sint multa, unum est corpus, ita et Christus (I Cor. xii, 12). Et ut ostenderet quia hoc corpus quod sic est Christi, ut Christus sit, cum multa membra hæbeat, non nisi gratia sancti Spiritus unum permaneat atque consistat, sequitur statim dicens: Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentes, sive servi, sive liberi: et omnes unum spiritum potavimus. (Ib., 13) Ipsa ergo gratia spiritalis per unitatem pacis et caritatem corpus Christi per dies singulos edificare non desinit, quæ in utero Mariæ virginis donum sapientiæ, quod est caput hujus corporis, fabricavit. Unde nos quoque in ipso edificari beatus Apostolus his verbis ostendit: Ergo jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superedificati supra fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu; in quo omnis edificatio constructa erexit in templum sanctum in Domino, in quo et vos edificamini in habitaculum Dei; in spiritu (Ephes. ii, 19). Hæc edificatio, qua in spiritu edifica-

mur, alio loco non ad aliud fieri testatur Apostolus, nisi ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in edificationem corporis Christi. Ubi unitatem ejusdem edificationis spiritalis, quæ in caritate consistat, insinuans ait: Donec occurrantur omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in vitam perfectam, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non sintus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitiâ hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in caritate crescimus in illo per omnia; qui est caput Christi, ex quo totum corpus compactum et connectum per omnem juncturam administrationis secundam operationem in mensuram unitatisque membri augmentum corporis facit in edificationem sui in caritatem (Ephes. iv, 13).

CAPUT XI. Hæc edificatio spiritalis rectissime petitur quando panis et calix consecratur. Sanctissimum nomen nostra a tota sit Trinitate. Qui ab unitate Ecclesie recedunt, Spiritum sanctum amittunt.

Hæc itaque spiritalis edificatio corporis Christi, quæ sit in caritate (cum scilicet secundum beati Petri sermonem, lapides vivi edificentur in domum spiritalem, in sacerdotium sanctum offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum [I Petri ii, 5]); hæc, inquam, edificatio spiritalis, nunquam opportunius petitur quam cum ab ipso Christi corpore (quod est Ecclesia) in sacramento panis et calicis ipsum Christi corpus et sanguis offertur: Calix enim quem bibimus, communicatio sanguinis Christi est, et panis quem frangimus, participatio corporis Domini est: quoniam unus panis, unum corpus multi sumus; omnesque de uno pane participamus (I Cor. x, 16). Et propterea petimus ut scilicet ea gratia qua factum est ut Ecclesia Christi corpus fieret, eadem gratia fiat ut omnia membra caritatis, manente compage, in unitate corporis perseverent. Hoc autem digne petimus illius in nobis dono Spiritus fieri, qui est unus Spiritus et Patris et Filii: quia sancta naturalis unitas et æqualitas et caritas Trinitatis; quæ unus solus et verus est Deus, unanimitate sanctificat, quod adoptat. In illa quippe una substantia Trinitatis, unitas est in origine, æqualitas in prole; in caritate autem unitatis æqualitatisque communio; nulla est divisio illius unitatis; nulla diversitas illius æqualitatis; nullum fastidium illius caritatis: ibi enim nihil discrepat, quia æqualitas caræ et una, et divitas æqualis et cara; et caritas æqualis atque una, naturaliter et incommutabiliter perseverat. Quia igitur ex ipsa (si dicendum est) communione Spiritus sancti; caritas una demonstratur Patris et Filii, quam commendat hem beatus Apostolus tali sermone commendat: Gratia Domini Jesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis (II Cor. ult., 13); et alio loco: Si quod solatium caritatis, et qua communicatio Spiritus (Philipp. ii, 1), propter hoc dicitur: Quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (Rom. v, 5): Spiritus quippe sanctus; qui unus est Pater et Filii, hoc operatur in his quibus gratiam tribuit

adoptionis divinæ, quod operatus est etiam in illis A qui in libro Actuum apostolorum inveniuntur eundem Spiritum accepisse. De quibus dicitur: *Multitudinis autem credentium erat cor et anima una (Act. iv, 32)*: unum enim cor et animam fecerat multitudinis credentium in Deo qui Patris et Filii unus est Spiritus, et cum Patre ac Filio unus est Deus. Unde et Apostolus hanc spiritalem unitatem in vinculo pacis sollicitè dicit esse servandam, sic Ephesios monens: *Obsecro itaque vos ego vinculus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, unum corpus et unus spiritus (Ephes. iv, 1)*. Hunc Spiritum discedendo amittunt, si qui aut perfidia depravati, **33** aut superbia inflati, ab unitate corporis Ecclesiæ segregantur. Quos Judas apostolus sine hoc Spiritu esse evidenter ostendit, dicens: *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes (Jud. 19)*. Hi enim quia animales sunt, ideo Spiritum non habent. Propter quod Paulus apostolus dicit: *Animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei (I Cor. ii, 14)*. Tales itaque faciles sunt ad divisionem, quia Spiritum non habent, in quo uno membra Christi caram servant spiritaliter unitatem. Unde manifestum est apud omnes hæreticos Spiritus sancti gratiam non esse, nec eorum sacrificia, quandiu hæretici sunt, posse Deo placere, neque spiritalis gratiæ sanctificationem sacrificiis eorum tribui qui offerunt ab ecclesiastici corporis unitate disjuncti: solius enim Ecclesiæ Deus delectatur sacrificiis, quæ sacrificia (al. quam sacrificium) Deo facit unitas spiritalis: unde (ubi) et fidei veritas nullam credit in Trinitate distantiam, et pacis tenacitas fraternam servat in caritate concordiam.

CAPUT XII. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Qui ad unitatem Ecclesiæ redeunt, exhibent se hostiam vivam Deo placentem.*

Ne quis autem nos putet, dum Ecclesia in sacrificii præce Spiritus sancti deprecatur adventum, incongrue sancti Spiritus vocabulo caritatem intelligere, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, commodum duximus paternis definitionem nostram præmunire sententiis. Sanctus enim Augustinus in libris de Baptismo (*lib. iii, cap. 16*), cum quæstionem de hæreticorum receptione sine baptismatis iteratione versaret, in tertio ejusdem operis libro, inter alia sic dicit: « Spiritus autem sanctus, quod in sola catholica Ecclesia, per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi majores nostri voluerunt, quod Apostolus ait: *Quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (Rom. v, 5)*. Ipsa est enim caritas, quam non habent qui ab Ecclesiæ catholicæ communionem præcisi sunt. » Attende, quæso, beatissimum Augustinum in sanctis Scripturis divinitus eruditum, quomodo uno in loco non solum sancti apostoli Pauli, sed etiam sancti Judæ apostoli sensum, in sancti Spiritus nomine, mirabiliter aperuit. Ait enim superius: « Spiritus autem sanctus, quod

in sola catholica Ecclesia per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi majores nostri voluerunt quod Apostolus ait: *Quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* » Subsequenter autem etiam, quod Judas apostolus in Epistola sua posuit, remoto dubitationis ambiguo, sanctus Augustinus exposuit. Judas enim apostolus dicit: *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes.* Et beatus Augustinus de caritate Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, dicit: « Ipsa est enim caritas quam non habent qui ab Ecclesiæ catholicæ communionem præcisi sunt. » An quisquam dicturus est, aliud esse Spiritum sanctum per manus impositionem redeuntibus hæreticis dari, quam spiritali sacrificio divinitus tribui? Hoc autem qui sentit, aut dicit, profecto nondum intelligit, qualiter semetipsos exhibeant hostiam vivam sanctam, Deo placentem, si qui schismaticorum et hæreticorum, mortiferum relinquentes errorem, ad catholicæ veritatis redeunt unitatem, ubi offerentes sacrificium Deo spiritum contribulatum ipsi sunt hostia viva, sancta, placens **39** Deo. Quia per contritionem humiliati cordis in unitatem membrorum redeunt illius sacerdotis qui dilexit nos, sicut dicit Apostolus: *Et obtuli semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis (Ephes. v, 2)*. Ut autem redeant et spiritale sacrificium fiant, caritas Dei facit quæ diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Solius itaque catholicæ veritatis et communionis sacrificium Deus libenter accipit: quia dum caritatem suam per Spiritum sanctum diffusam in ea custodit, ipsam Ecclesiam sibi gratum sacrificium facit, quæ ipsam semper postulat gratiam spiritalis caritatis accipere per quam se postulat hostiam vivam, sanctam, Deo placentem jugiter exhibere.

CAPUT XIII. *Quarta quæstio Monimi de supererogatione Apostoli. Expositio beati Ambrosii, libro vii in iv Luc. Expositio B. Optati ante medium libri sexti.*

Scribis præterea de illo Apostoli loco, ubi ait: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Quod consilium in epistola quam ad te nuper scripsi ad illud pertinere memoraui quod, duobus denariis a Domino acceptis, fidelis stabularius supererogavit (*Luc. x, 35*). Cujus loci sensum, licet non ita a sancto Augustino positum asseras, alios tamen illustres viros taliter hoc posuisse confirmas. Est quidem verum: quia sanctus Augustinus hoc dixit ab Apostolo supererogatum, quod cum secundum præceptum posset, si vellet, de Evangelio vivere, maluit tamen non solum sibi, sed et his qui cum illo erant, propriis manibus laborare, sicut Ephesios veraciter dixit: *Ipsi scitis, quoniam (al. quomodo) ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Et omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos (Act. xx, 34)*. Nam et Thessalonicensibus scribens, *Memores enim estis, inquit, fratres, laboris (al. laborem, etc.) nostri et fationis, noctis et dis*

operantes, ne quem vestrum gravaremus (I Thess. iii, 8), nam et ad Corinthios hanc dicit mercedem suam, ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponat Evangelium ut non abutatur potestate sua in Evangelio (I Cor. ix, 18). Cum ergo hoc sanctus Augustinus competenter et congrue posuisset, non tamen incompetens videri aut incongruum debet, quod sanctus Ambrosius beati Pauli supererogationem vel in sermonibus atque epistolis ejus, vel in nimio labore mentis et corporis collocavit. Sanctus autem Optatus Milevitanus, in sexto adversus Parmenianum libro, consilium de Virginibus Paulum supererogasse testatur his verbis: Virginitas enim voluntatis res est, non necessitatis. Denique stabularius ille apostolus Paulus, cui confossus peccatorum vulneribus populus commendatus est, duos denarios quos erogasset (al. erogaret) acceperat, duo scilicet Testamenta. Hæc per doctrinam, quasi sumptus impendit. Docuit quomodo conjugales Christiani debeant vivere, de (al. a) quo cum quæreretur quid de virginibus præciperet, respondit, sibi de virginibus nihil esse mandatum (I Cor. vii, 25). Confessus est, se duo Testamenta, hoc est duos denarios erogasse. Expliciti erant quodammodo sumptus, sed qui saucium commendaverat, promiserat se redditurum quidquid in cura amplius erogasset post impensos duos denarios. Non præcepta, sed consilium erogat Paulus ad virginitatem. Nec impedimento est volentibus, nec nolentes impellit aut cogit.

CAPUT XIV. Ecce unus locus Apostoli a tribus sanctis tripliciter est expositus. Quin etiam idem locus ab uno doctore diversimode reperitur expositus. Varia Augustini expositio de arca Noe. Utile est diversos circa unum sensus allegare, sed non diversa fide.

40 Cum itaque hic beati Apostoli locus tripartitus sit modo a tribus quos nominavimus viris sanctis expositus, quisquis unum modum ex his tribus posuerit, a veritate utique non dissentit, neque enim necesse est ut quod multipliciter intelligitur, in omnibus scriptis multipliciter inseratur. Nam et ipsi sancti, quorum ministerio Deus Scripturarum suarum dignatus est aperire secreta, dixerunt pleraque non uno modo tantum, sed multipliciter, sine offensione duntaxat veræ fidei non indecenter intelligi. Sicut ipse beatus Augustinus in mysterio arcæ Noe fecisse cognoscitur adversus Faustum: namque Manichæo asserente, in libris Veteris Testamenti nihil de Christi in carne vera futuro adventu propheticæ contineri, ostendens idem beatissimus Augustinus nostram veterem Scripturam prophetis de Christo significationibus plenam, et ob hoc divinitus inspiratam, sic inter cætera illud exponit, quod memoratam arcam bicameratam et tricameratam Deus imperat construendam, ut in libro de Civitate Dei quintodecimo, duobus aliis modis ejusdem loci mysticam explanationem, non doctis humanæ sapientiæ verbis, sed vere (sicut Apostolus dicit) in doctrina spiritus, non minus dulciter quam mirabiliter explicarit. Quod ut facilius agnoscat, utriusque operis, sicut ab eo posita sunt, verba subnectam. Igitur adversus Faustum

A posuit hæc: « Quod inferiora arcæ bicamerata et tricamerata construuntur, sicut ex omnibus gentibus vel bipartitam multitudinem congregat Ecclesia, propter circumcisionem et præputium, vel tripartitam propter tres filios Noe, quorum progenie repletus est orbis. » In quintodecimo autem libro de Civitate Dei, memoratæ arcæ pro loci opportunitate aggressus exponere sacramentum, post aliqua, in hoc quod dicitur bicameratam et tricameratam arcam Noe debere construi, illius expositionis quæ in libris adversus Faustum Manichæum continetur, indidit mentionem, hæc subsequenter adjiciens: « Et fieri quidem potest, ut et nobis quispiam et alius alio exponat hæc aptius. Dum tamen ea quæ dicuntur ad hanc, de qua loquimur, Dei civitatem in hoc sæculo maligno, tanquam in diluvio peregrinantem, omnia referantur, si ab ejus sensu qui ista conscripsit, non vult longe aberrare qui exponit: exempli gratia, velut si quispiam quod hic scriptum est, inferiora bicameratam et tricameratam (al. bicamerata et tricamerata) facies eam, non quod ego in illo opere dixi velit intelligi, quia ex omnibus gentibus Ecclesia congregatur, bicameratam dictam, propter duo genera hominum, circumcisionem scilicet et præputium, quos Apostolus et alio modo dicit, *Judeos et Græcos* (Galat. iii); tricameratam vero, eo quod omnes gentes de tribus filiis Noe post diluvium reparatæ sunt. Sed aliud dicat aliquis, quod a fidei regula non sit alienum. Nam quoniam non solas (al. solum) in inferioribus mansiones habere arcam voluit, verum etiam in superioribus, et hæc dixit bicamerata, et in superioribus superioribus, et hæc appellavit tricamerata, ut ab imo sursum versus tertia consurgeret habitatio, possunt hic intelligi et tria illa quæ commendat Apostolus, *fides, spes, caritas* (I Cor. xiii, 13). Possunt etiam multo convenientius tres illæ ubertates evangelicæ, tricena, sexagena, centena, ut in infimo habitet 41 pudicitia conjugalis, supra vidualis, atque hac superior virginalis, et si quid aliud secundum fidem civitatis hujus intelligi et dici potest. Hoc etiam de cæteris quæ hic exponenda sunt dixerim, quia etsi non uno disseruntur modo, ad unam tamen catholicæ fidei concordiam revocanda sunt. »

Rursus idem beatus Augustinus in libro primo (Cap. 3) de Trinitate asserit utile esse plures libros a pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic. Si ergo illa, quæ de arca Noe beatus Augustinus uno loco duobus posuit modis, a duobus hominibus singula assumpta singulis ponantur in locis, nonne uterque digne tenax pronuntiabitur veritatis; si tamen sic uterque unum horum suis inditum dictis videatur astruere, ut illud quod aliter in suis dictis æque veritatis congruum ponit, magis pacatus approbet quam contentiosus impugnet.

CAPUT XV. Responsio ad quæstionem Monimi de supererogatione Pauli.

Quocirca, carissime, licet ille sensus, qui a me po

situs est, forsitan in sancti Augustini dictis non inveniatur, in sancti Optati tamen libris (sicut ipse mecum postea) apertissime positus invenitur. Nec tuam prudentiam latet eorum quæ a sanctis Patribus, qui fidei catholicæ rectam in doctrinâ sancti Spiritus regulam defecerunt diversis modis, vel in expositionibus, vel in defensionibus suis, inveniuntur posita, quidquid a nobis ponatur, ita nos illius loci astruere veritati congruum sensum, ut aliis Patrum sententiis æque veritati congruis non denegemus assensum. Neque enim a veritate receditur, si in hac superero-

gatione Apostoli, sive quod sanctus Ambrosius, seu quod sanctus Augustinus, sive quod sanctus Optatus senserunt, a nobis quoque salva veritate fidei sentiantur. Quoniam si digne creditur, duobus denariis acceptis, aliquid supererogasse Paulum, in eo quod proprii laboris sumptu Evangelium prædicans, stipendium sibi debitum a fidelibus non exegit; digne etiam supererogasse aliquid creditur, in eo quod de Virginibus præceptum Domini non habuit, sed consilium dedit. Utrumque sine dubio illo habens largiente, a quo nisi accepisset, supererogare non posset.

LIBER TERTIUS.

DE VERA EXPOSITIONE ILLIUS DICTI EVANGELICI: ET VERBUM ERAT APUD DEUM.

CAPUT PRIMUM. *Laus caritatis. Argumentum tertii libri contra Arianos, super illo dicto: Et Verbum erat apud Deum. Ariani putant aliud esse, apud Deum quam in Deo.*

Quoties, dilectissime Monime, a Christi famulis virtus consideratur ac perpenditur caritatis, non minus invenitur mirabilis quam suavis. Quis enim eam non miretur, aut quis ea non admodum delectetur, cujus sarcina cum portatur, non fatigatione animi debilitat, sed alacritate confortat? Ipsa enim cum onerat, sublevat, et miro modo, quem onerat, non permittit comprimi, quem sublevat, non sinit extolli. Hæc me tibi præteritum debitum, cum Domini adiutorio, persolventem, rursus efficit debitorem. Jam enim de quatuor questionibus quas mihi miseræ pertractandas, illo adjuvante qui sapientiam præstat parvulis, duos libros absolute veram cupiens tibi reddere quod debebam. Sic repente ejusdem assertionis Ariane meas aures perstrinxit opinio, quæ tanto magis inutili est admiratione gonata, quanto magis reperitur ab omni intellectu, non solum divinarum Scripturarum, sed etiam ipsius humanitatis externa. Comperi quippe quandam eos de initio Evangelii secundum Joannem, insolitam nunc serere (al. inserere, al. querere) questionem; ut illud quod dictum est, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (Joan. 1, 1), ita intelligendum atque exponendum putent, ut id ipsam Verbum apud Patrem esse, non in Patre esse, sed extra Patrem esse accipiendum existant: ita ut quidam eorum (quantum auditu comperi) dum de his duabus præpositionibus, hoc est *in* et *apud*, inter eos oriretur quædam die confictus, accepto cujusdam birre, et in manibus retento, interrogasset an in illo esset cum apud illum esset birrus ille, quam ipse retineret. Atque hanc (hinc) ipsam quasi sententiam firmaturum hæc sermonem suam definitione clausisse, cum aliquid in nobis esse dicitur, intra nos intelligendum, dum vero apud nos esse dicitur, extra nos accipiendum. Et quia birrus ille, quam ipse retinebat, sic apud illum esset, ut in illo non esset, ac per hoc, ex eo quod apud illum esset, non tamen in illo esset, extra illum, non intra illum esset: eodem modo Verbum quoque

Dei (quod Deus est) credendum quidem apud Patrem esse, non in Patre esse, et ob hoc nec unum esse cum Patre substantiæ: quoniam quidquid sic apud aliquem est, ut in illo non sit, profecto sic apud illum est, ut unum cum eo substantiæ esse non possit. Hæc est eorum ratiocinatio, rationi contraria. Hæc legalis disputatio legi Dei intolerabiliter inimica.

CAPUT II. *Absurdum est de Deo secundum corporalia disputare. Aptius fuisset exemplum de statu narium, quos de birro in manibus.*

Hinc donante Christo aliquid scribere, meum exultans est animus, ne virulentis sermonibus parvulorum perturbetur auditus, pertinet enim ad nostrum servitutis officium, adversus nascentem pestilentiam cujuslibet opinionis mortiferæ salubria divinatorum eloquiorum remedia præparare. Itaque cum sanctus Apostolus sollicite fideles præmoneat, dicens: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum: quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (Coloss. 2, 8), isti e contrario, non solum præterito tempore philosophiæ mundialis sectantes errorem secundum elementa mundi, de Deo existimaverunt disputandum, sed ita sunt totius nunc religionis oblitii, ut cum de Deo disputant, nec ipsa elementa mundi istius corporalis attendant: ac sic, dum oculos intelligentiæ etiam contra ea quæ videntur pertinaciter claudunt, nunquam invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciunt. Quid enim potest absurdius dici quam ut cum de Deo quis disputat, non nisi de crassioribus tantum corporibus documenta disputationis assumat? Magnum enim quiddam sibi ille visus est invenire, cum accepto birro et manibus retento interrogasset usum, sicut apud illum esset, ita in illo esset. Exinde docere velens quemadmodum birrum apud hominem, sic esse Filium apud Patrem, ut quia birrus apud hominem esse possit, in homine autem esse non possit, ita Filius sit quidem apud Patrem, sed non sit in Patre. Roge si de corporibus istis contractabilibus aliquid in exemplum disputans delectabatur assumere, fiet illi adversus veritatem disputanti, elementa quæ

* Et Christi famule. Sic cod. mss. Thuan. Vict.: sed Corbeiense ms. habet, a Christi famulis.

veritate facta sunt, non possent ullatenus suffragari, tamen ut tolerabile aliquid dicere videretur, ut de ceteris taceam, cur birrum, quem manibus tenebat, ostendit, et non saltem flatum, quem naribus carpebat, attendit? Quia si birrus ille posset dici apud illum esse, et non in illo esse, flatum iste tamen, quem ex aere carpinus, cum eum spirando percipimus, et apud nos est, et in nobis est: et quidquid ejus respirando reddimus, cum reddiderimus, nec apud nos, nec in nobis habemus. An forte dicturus est, aeris istius elementum, cum spirando accipimus, in nobis tantum esse, non etiam apud nos esse? Dicat ergo, quando apud nos possit esse, an cum eum reddimus, et cum in nobis non habemus? Sed hoc puto, quia nec de birro illo dicere audebit, si tamen eum illi a quo acceperat reddidit. Videt enim quia eum tunc apud se habuit, cum accepit; postquam autem reddidit, apud se habere jam destitit. Sicut enim acceptione factum est, ut quod non habuit, apud se haberet, ita redditione factum est, ut quod apud se habuit, non haberet. Proinde si birrum dixit, non in se esse, sed apud se esse, hunc tamen flatum, quem de circumfuso aere vicissim sumimus et reddimus, mihi videtur quia non dicet, non esse apud hominem, cum est in homine, quia tunc eum homo apud se et in se habet, cum eum accipit spirando. Cum vero respirando reddit, sic eum apud se non habet, sicut nec in se habet.

CAPUT III. *Falsum est igitur, Verbum quod apud Deum est, extra Deum esse, non in Deo. Summa absurditas nos esse interius Deo, Verbum autem exterius. Alia absurditas ut factura proponatur factori. Major item absurditas sequitur ut creatura unius sit naturæ cum creatore.*

Frustra igitur in illa disputatione, de hoc quod dictum est: *Verbum erat apud Deum*, asserere voluit quod in aliquo est esse semper interius, quod apud aliquem est esse semper exterius, cum status receptus in corpus, sic in homine sit, ut apud hominem sit. Et rursus e corpore redditus, ita non sit apud hominem, quemadmodum non est in homine. Minus enim attendit in hoc, quod absurdo nitebatur asserere documento, quam gravior eum subsequenter absurditas teneret innexum. Etenim cum dicitur: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*. Si exterius est omne quod apud Deum est, et interius est omne quod in Deo est; quid illi disputatori peritissimo restat, nisi ut nos potiores Filio Dei esse contendat? Dicit quippe Apostolus de Deo: *Quia in ipso vivimus, et movemur, et sumus* (Act. xvii, 28). Et alio loco: *Unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso* (1 Cor. viii, 6). Nunc jam quisquis ille est qui sub Christiano nomine non metuit adversus Christum tam temere disputare, cum audit *Verbum esse apud Deum, et nos esse in Deo*, si audet, dicat Verbum esse exterius, et nos interius. Quod si dicendum existimat, ipse de suis dictis iudicium ferat; neque enim in tali sermone iudex querendus est alius, quando ipse qui hoc dicit a seipso sit profecto culpandus. Quid iterum respondit adversus illam ejusdem beati Pauli sententiam,

quæ dicit de Deo: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, nisi gloria in æquale, æmen* (Rom. xi, 13)? Ecce omnia Paulus ex Deo, et per Deum, et in Deo esse testatur, *Verbum vere apud Deum esse*, Joannis evangelistæ prædicationis dignoscitur; si autem secundum Arianorum sensum, omnia quod in Deo est, interius est, et omnia quod apud Deum est, exterius est, quoniam Arianus *Verbum, quod apud Deum est, non in Deo esse, sed exterius esse credit*. Hoc reliquum est ut omnibus quæ in Deo sunt, illud quod apud Deum est, interiori prædicetur: hæc autem recepto (quia de Verbo scriptum est: *Omnia per ipsum facta sunt*), ipsa enim secundum Arianos constituta fidei, ut præponenda sit factura factori. Quæ jam non cernit in quod præcipitum improbiti hominibus caduæ, qui vere fidei resistentes, perfidiam defendere cogitandus? Quid enim aliud talibus verbis agitur, nisi ut hujus defensionis septentia, conditionis suæ ac redemptionis obliata, somnolentiam Filio Dei, non solum æquare, sed et præferre audeat creatura? Miror autem, quomodo non considerant, a quibus illud asseritur, quam deterior ex eo factus nefandæ blasphemie nascatur. Aium enim: *Quod in Deo est, interius esse credendum, quod autem apud Deum est, exterius æstimandum*. Quocirca si illud quod apud Deum est, et exterius est, non est credendum minus cum Deo nature, consequens est ut illud quod in Deo est, et interius est, unius credatur cum Deo substantiæ. Ad hæc igitur conclusionem ratiocinatio ista perducitur, ut sicut Verbum, pro eo quod apud Deum est, ab ejus nature separatur: ita creatura, pro eo quod est in Deo, unius credatur nature cum Deo. Unde conyocantur illa sententia, quibus nos et Filio audeant præferre, et Patri contentur æquare. Sic totum confundunt, qui a veritate dissentiunt. Ecce quibus sententiis error infidelis asseritur. Ecce quibus adinventionibus fidei veritas impugnatur.

CAPUT IV. *Dixerunt apud se cogitantes non recte. Apud se dicere, est idem quod intra se dicere. Similiter idem est dicere intra se, et cogitare apud se. Ideo denique est apud se cogitare et cogitare in corde suo.*

Sed quibuslibet arietibus Ecclesiæ sanctam hæretici quatere nitantur, certi sumus de Domino Deo nostro, quoniam civitatem supra montem constitutam subvertere non valebunt. Imo seipsum prorsus subvertunt et exterminant, qui Deum verum Dei unicum Filium contumeliosis assertionibus exacerbant. Nec ab injuria temperant etiam Patris, dum ingrati- ficientiam reddunt gratiæ Salvatoris. Quapropter congruum videtur ut ex aliis Scripturarum locis verbi hujus intelligentia requiratur, ut appareat, utrum quidquid apud aliquem esse dicitur, debeamus, secundum illorum sententiam, semper exterius æstimare. In libro Sapientiæ legimus dictum de quibusdam: *Dixerunt apud se cogitantes non recte* (Sap. ii, 1); hujus loci ab Arianis exigimus rationem, utrum qui apud se cogitat, intra se an extra se cogitet? cum hominis cogitatio non solum extra corpus hominis non sit, sed nec corporis actio sit. Enim vero quia id

ipsum quod cogitatio dicitur non solum non extra aominem, sed nec in ipso corpore hominis invenitur, quis non videat cogitationem solius esse animæ, cui per rationalem virtutem divinitus datum est cogitare? In homine quippe cogitando dominatur animus, operando autem servitium exhibet corpus. Ibi est enim homini data cogitatio, ubi est inserta boni malique discretio. Interior igitur homo cogitationis officium gerit, qui etiam intelligendi virtutem ad imaginem Dei creatus accepit. Cum ergo apud se homo cogitat, non extra se, sed intra se cogitat, qui non extra se cogitaret, etiamsi ad exteriorem hominem cogitatio pertineret. Quanto magis ergo intra se cogitat, quandoquidem non exterior homo, sed interior cogitat. Qui tamen secundum Scripturæ testimonium apud se cogitare dicitur, quod utique non in exterioris, sed interioris hominis officio reperitur. Ait enim Scriptura, sicut supra jam positum est: *Dixerunt apud se cogitantes non recte*. Quid est autem apud se dicere, nisi in corde suo dicere? Propter quod alibi dicitur: *Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini* (Psal. iv, 5).

Hoc est ergo apud se dicere, quod est intra se dicere. Unde et Phariseus ille qui Dominum poposcerat ad vescendum, cum ingressa mulier peccatrix lacrymis rigaret, et capillis pedes tergeret Salvatoris, qui intra se cogitabat, intra se utique dicebat quod cogitando dicebat. Ait enim evangelista: *Videns autem Phariseus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens* (Luc. vii, 39). Quid est enim, ait intra se, nisi cogitavit intra se? Verumtamen Scriptura docente cognoscimus quia qui cogitat intra se, cogitat apud se. Ideo utique dicitur: *Dixerunt apud se cogitantes non recte*. Attamen ne hoc quod dictum est apud se, non præcedenti sermoni, sed subsequenti velint Ariani conjungere, ut non dicatur, dixerunt apud se, sed dicatur, dixerunt, et postmodum inferatur, apud se cogitantes; audiant etiam hinc divinarum **46** testimonia Scripturarum, et cognoscant officium cogitationis humane, non ad exteriorem, sed ad interiorem hominem pertinere. Evangelista dicit; quia cum Domino paralyticus offerretur, *Videns Dominus fidem illorum, qui eum per tegulas submiserant, dixit: Confide, fili, remittuntur peccata tua; et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphematur. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris* (Matth. ix, 2, 3; Marc. ii, 4, 5; Luc. v, 18, 19)? Quos dixit evangelista intra se dixisse, ipsos Dominus dicit in cordibus mala cogitasse. Quid est autem mala in cordibus cogitare, nisi cogitare apud se non recte? Quomodo libet ergo hujus loci sensum Ariani distinguant, ibi necesse est, confusionem suæ pravitatis inveniant. Et utinam sic de errore confundantur, ut ad veritatem convertantur. Si enim dixerint, sic istum Scripturæ versiculum divideudum, quod scriptum est, *Dixerunt apud se, cogitantes non recte, ut ipsum apud se, præcedenti sermoni jungentes, sic distinguant: Dixerunt apud se, ut postea inferant, cogitantes non recte*. Davidico statim convincuntur eloquio, non

A aliud esse, apud se dicere, nisi in corde dicere. Ait enim: *Quæ dicitis in cordibus vestris* (Psal. iv, 5). Quod si aliter distinguere voluerint, ut ipsum apud se, non præcedenti sermoni, sed subsequenti conjungant, ut præmittentes dixerunt, interjecto silentio, postmodum inferant illud quod dictum est, *Apud se cogitantes non recte* (Sap. ii, 1), etiam hinc increpationem Salvatoris audiant, et cordis esse cogitationes agnoscant; ait enim: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris* (Luc. v, 22)? Alio quoque loco idem Dominus docet: *Quia de corde exeunt cogitationes malæ* (Matth. xv, 19). Et denuo dicit: *Quia bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona: et malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala* (Matth. xii, 35). Jamne cognoscunt in quanto errore versentur qui **B** Verbum apud Deum, non interius, sed exterius asserere moliantur?

CAPUT V. *Apud Deum notum est et apud homines memoria ejus. Introibo ad eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus. Sic Verbum et apud Deum et in Deo est. Sic idem est in Deo, et apud Deum non est iniquitas. Unus et idem spiritus in Moyse, David et Paulo.*

Rursus in eodem libro scriptum de sapientia legimus: *Immortalis enim est memoria illius, quoniam et apud Deum nota est, et apud homines* (Sap. iv, 1). Quomodo autem apud homines nota est, si non intra homines, sed extra homines est? Cum nisi in animam hominis intraverit, nota homini esse non possit. De ipsa quippe sic dicitur, *et permanens in se omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert* **C** (Sap. vii, 27). Et ut non aliud agnoscat, in animas se transferre, quam in animas intrare: rursus de illa textus Scripturæ sanctæ sic memorat: *Hæc populum justum et semen sine querela liberavit a nationibus quæ illum comprimebant. Intravit in animam servi Domini, et stetit contra reges horrendos in portentis et signis* (Sap. x, 15). Hunc introitum suum, quo in animas intrat, etiam in Apocalypsi Joannis insinuat, dicens: *Ecce sto ad januam et pulso: si quis audierit vocem meam et aperuerit januam, introibo ad eum, et cænabo cum illo, et ipse mecum* (Apoc. iii, 20). Hoc introitu Pater et Filius ad dilectorem suum veniunt, et mansionem apud eum faciunt: sicut ipse Filius loquitur: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (Joan. xiv, 23). Quod si venientes Pater et Filius ad eum, apud quem mansionem faciunt, non interius, sed exterius sunt, dicatur nobis, ubi ad eum veniant et mansionem apud eum faciant? **47** Interim quod interius in suis fidelibus inhabitet Christus, Paulo prædicante cognovimus, qui ait: *In interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris* (Ephes. iii, 17). An forsitan dicturi sunt, aliter in interiore homine nostro habitare Christum per fidem, et aliter eum cum Patre venientem apud dilectorem suum facere mansionem, ut Christus interim solus in interiore homine nostro inhabitare possit, Pater autem exterius remanens, apud quem mansionem facit, non solum ipse interius manere nequeat, sed etiam Filium communionem adventus sui

ne in interiore homine habitare possit impediatur. Spiritum quoque sanctum sic Filium Dei promisit fidelibus suis, ut apud eos maneat, et in ipsis sit. Dicit enim: *Si diligitis me, mandata mea servate, et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non vidit eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit* (Joan. xiv, 15). Ecce apud quos manet, in eis est Spiritus sanctus. Dicatur ergo quæ hic potest esse diversitas in eo quod apud eos manet, et in eis est? Etenim in uno loco utraque præpositio ponitur, et Spiritui sancto utriusque rei possibilitas assignatur, ut apud quos manet, in eis sit. Itane vero Spiritus sanctus sic apud fideles manet ut in ipsis fidelibus esse possit: Verbum autem Deus sic apud Deum est, ut in Deo esse non possit? Quid dicam his qui de Scripturis sic disputare desiderant, ut intelligentiæ spiritualis viam nullatenus querant, et avertentes oculos a vero lumine, jugiter in tenebris delocentur errare? Hoc idem quippe esse apud Deum, quod est esse in Deo, sancta Scriptura aliis quoque locis ostendit. Dicit enim Moyses: *Deus fidelis, in quo non est iniquitas, justus et sanctus Dominus* (Deut. xxxii, 4). David etiam canit: *Quoniam justus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo* (Psal. xci, 16). Paulus autem apostolus apud Deum non esse iniquitatem dicit. Sic enim ait: *Nanquid iniquitas apud Deum? absit* (Rom. ix, 14). Eligant in hoc loco quod voluerint Ariani, et, ut suam sapientiam evidenter ostendant, de legalibus et propheticis atque apostolicis dictis iudicium ferant. Moyses dicit: *Deus fidelis, in quo non est iniquitas*. David quoque dicit: *Justus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo*. Paulus vero dicit: *Nanquid iniquitas apud Deum? absit*. Aut igitur fateantur apostolicum sensum legali prophéticoque sensui convenire, aut dicant apostolum Paulum a legali et prophética intelligentia discrepare. Paulus equidem apostolus eundem se spiritum fidei habere dicit, quem David beatus habuit, quem etiam Moyses sanctus accepit, sicut ipse testatur, dicens: *Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum: et nos credimus, propter quod loquimur* (II Cor. iv, 13). Quomodo autem unum spiritum fidei habuerunt, si de fidei Deo diversa senserunt? Magna est autem sentiendi diversitas, si diversum est quod dicit Paulus, *Non esse iniquitatem apud Deum*, ab eo quod Moyses et David dicunt, *Non esse iniquitatem in Deo*. Et si dicente Paulo, eundem se habere spiritum fidei, quem et prophætæ habuerunt, in eorum fide diversus est sensus, mendax (quod absit) Apostolus pronuntietur, qui in se Christum loqui testatur? An experimentum, inquit, queritis ejus qui in me loquitur Christi (II Cor. xiii, 3)? Sed quoniam vere Christus in Paulo locutus est, Paulus utique mendax non est. Et quia cum eundem spiritum fidei se habere dicit, non mentitur; uterque sensus consonans invenitur: ut quod Moyses et David dixerunt iniquitatem in Deo non esse, hoc sit, quod etiam Paulus

A dicit: *Iniquitatem apud Deum non esse*. Quod si eis forsitan videtur ut ex adverso aliud dicant, hoc eis reliquum est, ut aut prophetis aut Apostolo contradicant.

CAPUT VI. *Apud quem non est transmutatio. Multa exempla, ubi apud pro in ponitur.*

Et licet tot tantisque testimoniis consulata hæreticorum sententia cognoscatur nulla veritate subnixâ, respondeant tamen quid de illo apostoli Jacobi loco sentiunt, ubi dicit: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (Jacob. i, 17). Apud quem autem transmutatio non est, profecto mutabilitas non est: et apud quem mutabilitas non est, immutabilitas est. Hæc igitur immutabilitas, quæ apud Deum est, dicant, utrum exterius an interius est; si enim interius est, ecce hoc est in Deo esse, quod apud Deum esse. Desinant igitur perversa sentire, et festinent catholicæ rectitudini consentire. Si autem hæc immutabilitas, quæ apud Deum est, non interius esse, sed exterius creditur, profecto in Deo esse non creditur. Et si in Deo immutabilitas esse non creditur, consequenter Deus ipse mutabilis prædicatur. Et ne hoc in Filio assignare audeant (al. velint), audiant in eodem loco Patrem luminum nominatum. Proinde cum audimus quia apud Deum non est transmutatio, hoc sentiamus secundum catholicæ fidei veritatem, quia nulla est in Deo mutatio. Et cum dicitur, *Verbum erat apud Deum*, non aliud sentiamus quam *Verbum erat in Deo*; et cum Sapientia in Proverbiis dicit: *Eram apud illum componens* (Prov. viii, 30), non aliud sentiamus quam eram in illo componens. Et cum Deo dicitur: *Apud te est fons vitæ* (Psal. lxxv, 5), non aliud intelligamus quam in te est fons vitæ. Et cum Joannes dicit: *Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et palam facta est nobis* (I Joan. i, 2): non aliud intelligamus quam vitam æternam quæ erat in Patre: vere enim apud Deum est Deus Verbum, quia in Deo est Deus Verbum. Et vere apud Deum sapientem est sapientia, quia in sapiente Deo est sapientia. Et vere apud Deum vivum est vita, quia in Deo vivo est Deus vita. Et vere apud Deum verum est Deus veritas, quia in Deo vero est Deus veritas. Et vere apud Deum fortem est Deus virtus, quia in Deo forti est Deus virtus. Sed quid mirum, si hoc est Filio esse apud Patrem, quod est illi esse in Patre, quia scilicet naturaliter natus de Patre permanet semper in Patre: cum etiam de hominibus legamus (quantum ad substantiam attinet, qua naturaliter homines sunt) non aliud esse, cum dicitur aliquid apud illos esse, quam in illis esse? Unde testimonia manifestissima proferemus. In libro Isaïæ continetur Ezechïæ regis oratio, quam post adjectos sibi ad vitam annos quindecim, ad Deum effudit, ubi inter cætera sic dicit: *Spiritus meus apud me factus est, sicut lanifica proximans demere telam* (Isai. xxxviii, 12). Quid autem hic aliud intelligitur: Spiritus meus apud me, nisi, Spiritus meus in me? An et hic dicitur spiritum hominis apud hominem esse, in ho-

mine autem non esse? Cum evidenter Apostolus dicat: *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est (I Cor. ii, 11)?* Sed et illud quod supra posuimus scriptum: *Dixerunt apud se, cogitantes non recte (Sap. ii, 1),* 49 quid est aliud quam, dixerunt intra se? Rursus in libro Sapientie dicitur: *Hæc cogitans apud me, et commemorans in corde meo, quoniam immortalitas est in cogitatione sapientie (Sap. viii, 17).* Quod apud se cogitat, hoc in corde suo commemorat, quod utrumque dum dicit, illam utique cogitationem et illam commemorationem, non exterius, sed interius sibi inesse monstravit. Dicitur etiam in Proverbiis: *Fili, non te comprehendat cogitatio mala, quæ derelinquit doctrinam adolescentiæ, et testamenti divini oblitæ est; posuit eam apud mortem domum suam, et apud inferos eam terribilis axes suos (Prov. ii, 16).* Si ergo cogitatio mala, quæ apud mortem posuit domum suam, extra mortem est, non in morte, profecto vivit. Et si apud inferos posita non est in inferno, superest ut illa quæ nec in morte est, nec in inferno, vitam habere dicatur in cælo. Ideo enim Deo dicitur: *Quia eripuisti animam meam de morte (Psal. cxiv, 8),* quia animam per fidem vitam donavit dicens: *Iustus autem meus ex fide vivit (Rom. i, 17).* Et rursus idcirco ipsi dicitur: *Eripuisti animam meam ex inferno inferiori (Psal. lxxxv, 13),* quia ideoque animæ ab inferna gratia Dei eripiuntur, ut in cælis conversentur. Unde dicit Apostolus: *Nostra autem conversatio in cælis est (Philip. iii, 20).* Porro animæ, quæ per cogitationem malam apud mortem fuit, quomodo de morte liberata est, si in morte non fuit? et quomodo ex inferno erepta est, si apud inferos constituta, in inferno non fuit? Cum utique si in morte non esset, mortua non fuisset. Per malam autem voluntatem, hoc est, per peccatum, quis nascitur animam mori? cum Deus dicat: *Animæ quæ peccaverit, ipsa morietur (Ezech. xviii, 20).* Certum est igitur, animam male cogitantem, cum apud mortem est, in morte esse, et cum apud inferos est, in inferno esse. Quid quod etiam Salvator dicit: *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum (Matth. xix, 26; Luc. xviii, 27)?* Ergone sic dicemus, omnia Deo possibilia esse, ut hoc ipsum quidem possibile esse, sic dicamus apud Deum esse, ut dicamus in Deo non esse? Quid autem posse apud se Deus habet, si ipsum posse in se non habet?

CAPUT VII. *Nō credis quia ego in Patre, et Pater in me est. Verbum est apud Deum, sicut in mens verbum.*

His atque hujusmodi testimoniis claret, cum dicitur, *Verbum erat apud Deum,* non aliud intelligi debere quam Verbum erat in Deo. Nam et ipse Filius, qui est Verbum Deus, non solum Patrem in se, sed etiam se in Patre esse testatur, dicens: *Nō credis quia ego in Patre, et Pater in me est (Joan. xiv, 10).* Hoc autem Filii esse apud Patrem, et esse in Patre, non videatur tale quale si quis homo sit apud aliquem hominem, sive jure hospitali (al. hospitalitatis), sive caritatis affectu. Nam et apostolus Paulus dicit, et

apud Apostolum Petrum quindecim diebus mansisse (Gal. i, 18), jure scilicet hospitalitatis, et puritate dilectionis, quorum licet per unitatem fidei et caritatis fuerit anima una, et cor unum, non tamen sic mansit Paulus apud Petrum, sicut Verbum manet apud Deum, quia nec sic potest esse homo apud hominem, sicut Verbum Deus est apud Deum Patrem: homo enim apud hominem sic est, ut non solum apud eum non esse possit, sed etiam, cum apud eam est, in ipso substantialiter esse non possit. Vere enim qui sic apud alium est, extra illum est, quia cum est apud illum, sinceritate dilectionis, loco discernitur, quantolibet affectu invicem sibi uterque jungatur. Sed sic est Verbum 50 apud Deum, sicut est in mente verbum, sicut in corde concilium: cum enim

mens apud se verbum habet, utique cogitando habet, quia nihil aliud est apud se dicere quam apud se cogitare. Cum ergo mens cogitat, et cogitando verbum intra se generat, de sua substantia generat verbum, et sic illud verbum generat de se, ut genitum habeat apud se. Nec minus aliquid habet verbum quod ex mente nascitur, quam est mens de qua nascitur, quia quanta est mens quæ generat verbum, tantum est etiam ipsam verbum. Sicut enim de tota mente nascitur verbum, sic intra totam permanet natum. Et quia cogitante mente, non est aliquid, ubi in ea verbum non sit, ideo verbum tantum est, quanta est mens ipsa de qua est, et cum apud illam est, in illa est et quod ipsa mens est, hoc est verbum quod de illa est in illa est; et quanta illa est, tantum etiam verbum est, quia de tota et in tota est. Tantumque est ipsum verbum, quanta simul est et mens ipsa cum verbo, neque enim sic de illa verbum nascitur, ut ab ea localiter discernatur. Nativitas quippe illa, quæ ostendit quid sit et de qua sit, ipsa ostendit quod extra eam de qua natum est esse non possit, nec in aliquo minus sit, sed sic de ipsa sit, ut apud ipsam et in ipsa sit, tantumque sit de illa, quantum in illa, et tantum in illa, quantum cum illa.

CAPUT VIII. *Nō sumus nos in Deo sicut in Deo est Verbum Deus. Alii nos Deus genuit, aliter Verbum. Blasphemie hæreticorum in Filium Dei.*

Et quidem et nos quodammodo dicit Scriptura, et in Deo esse et apud Deum esse, sed non quomodo apud Deum est et in Deo est Verbum Deus, qui est unigenitus Filius: dicitur enim de nobis, quia *in Deo vivimus et movemur, et sumus.* Et dicitur ipsi Deo, *si non peccaverimus, scimus quia apud te sumus deputati.* Verumtamen cum hoc de nobis dicitur, non naturalis unitas nostra cum Deo ostenditur, sed aut potentia creatoris intelligitur, aut pietas redemptoris. Sic enim qui credimus, in Deo est apud Deum sumus, sicut de Deo geniti, illi Dei sumus (I Joan. iii, 2). Et iterum: *Voluntarie genuit nos Verbo veritatis (Jac. i, 18).* Nos ergo Deus Verbo veritatis genuit, illud autem Verbum veritatem genuit. Nobis potestatem dedit filios Dei fieri; ille autem non ex potestate filius Dei factus, sed de Deo naturaliter est Dei Filius natus. Nos Deus voluntarie genuit, quia voluntas gene-

rationem peccavit; in Unigeniti autem generatione, nulla generantis præcessit voluntas, ubi sine initio naturali (scilicet naturali) permanet æterna nativitas. Sicut ergo geniti sumus, sed non sicut unigenitus Deus; et filii Dei sumus, sed non sicut unicus et verus Filius; et dii sumus, sed non sicut Verbum, qui verus est Deus: ita in Deo sumus, et apud Deum sumus, sed non sicut apud Deum est et in Deo est Verbum Deus, qui de Deo naturaliter natus est: quamvis enim ille Filius dicatur et nos filii dicamur, et ille Deus et nos dii, et ille genitus et nos geniti, multum tamen distat in re quod unum sonare videtur in nomine, quoniam ille, quod Deus, quod Filius, quod Unigenitus est, naturaliter est, quia de natura Patris natus est; nos autem, quod dii, quod filii, quod geniti sumus, non natura, sed gratia sumus, quia cum in natura non haberemus ut hoc esse possemus, gratis nobis datum est ut hoc facti essemus. Hanc discretionem si hæretici, misericorditer Deo donante, § 51 percipiant, lumen verum videbunt et

ab unigeniti Filii contumelias temperabunt: cui non solum in eo quod apud Deum est detrahunt, sed etiam et animam humanam in illo negare contendunt. Quos ipse Filius Dei uno psalmsi versiculo designavit, dicens: *Hoc opus eorum qui detrahunt michi apud Deum, et qui loquuntur mala adversus animam meam* (Psalm. cviii, 20). Quis enim deterius Christo apud Deum detrahit quam qui audiens Verbum Deum apud Deum esse, dicit idem Verbum in Deo non esse? Aut quis amplius mala adversus Christi animam loquitur, quam qui in Christo humanam animam diffidet? cum illud Verbum, quod Deus est, sic apud Deum sit, de quo est, ut per unitatem naturæ in Deo sit, et per eandem unitatem naturæ unus cum illo Deus sit, et illa anima simul cum carne suscepta fuerit ab unigenito Deo, ut simul in Christo et anima nostra salvaretur et caro. A quo procul dubio ille sempiternam consequetur salutem, qui in eo divinæ humanæque naturæ plenam cognoverit veritatem.

S. FULGENTII CONTRA ARIANOS LIBER UNUS,

AD DECEM OBJECTIONES DECEM RESPONSIONES CONTINENS.

Dicitur est Patrem de seipso, hoc est de hoc quod ipse est, ineffabiliter Filium genuisse. Adactum est quod non extrinsecus, sed ex Deo natum esse. Hæc responsione non indigent, quia fidei nostræ concordant.

Obiectio prima. Quid ad hoc dicitur. Si ex Deo natus est, est de intra Deum, sed si non est de intra, nec ex ipso est; si modo vocabula diversa ponantur, quid prodest, si ipsa veritas non proficiatur?

Responsio. Equidem dum nominantur Pater et Filius, in his duobus nominibus vocabulorum diversitas agnoscitur; quin potius per hæc duo diversa vocabula significatur una utriusque natura: quoniam istorum nominum diversitas non naturas dividit, sed veritatem generationis ostendit, ut ex uno vero Patre unum verum agnoscamus Filium exstitisse; ac sic, dum vera Patris generatio et vera Filii nativitas prædicatur, in uno genitore § 52 et uno genito non solum unitas substantiæ, verum etiam in uno quoque proprietates possit agnosci personæ, ne aut ipse putetur natus esse qui genuit, aut aliud putetur esse qui natus est quam est ille qui genuit. Non enim ipse est Pater qui Filius, quoniam in utroque personarum proprietates reservatur. Sed quod Pater est, hoc est et Filius, quia de Deo Deus, de perfecto perfectus, de immenso immensus, de omnipotente omnipotens, de æterno Patre natus est Filius cœternus, eadem veritate dicente: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt* (Joan. xvii, 10). Pater ergo et filius relativa sunt nomina, quæ naturam gignentis geminique non separant, sed unam sine dubitatione

significent. Relativum vero illud dicimus, quod ad alium agnoscendum referimus, ut dum unum nominamus, alium demonstramus: sicut inter homines hæc relativa sæpius nominantur pater et filius, filius et pater, socer et gener, gener et socer; nam ideo pater dicitur, ut filium genuisse noscatur, et filius ideo dicitur, ut de patre genitus demonstretur. Nec in hac diversitate nominum invenitur diversitas naturarum, quoniam uterque similiter homo dicitur, quamvis unus pater et alius filius nuncupetur. Non ergo patris et filii posset una cognosci natura, si hæc non essent diversa vocabula, quoniam si ambo vocarentur patres, essent profecto natura dissimiles: unusquisque enim ex semetipso constaret et communem substantiam cum altero non haberet, nec deitas una esset, quibus una natura non esset; consequens autem fuit ut duo patres duos filios gignerent, quoniam nisi vera de singulis proles existeret, paterni nominis in nullo veritas appareret. Jam vero in duobus filiis de diversis patribus natis, licet posset non esse diversitas relativi nominis, attendatur, si posset esse natura communis. Quis non videat, in utroque filii nomen unum esse, sed utriusque naturam unam non esse? Magis autem unumquemque filium non cum altero filio, cum quo unum relationis habuit nomen, sed cum patre, de quo exstiterat, naturam habere communem. Sed quid ulterius de duobus patribus, duobusque filiis disputetur? cum istius assertionis veritas personarum diversitate non egeat, sed ad documentum sui facilius possit unius hominis consideratione fulciri, qua cognoscatur, relativa nomina diversitate sui non naturarum diversi-

tatem ostendere, sed ad personarum significationem maxime pertinere, ut scilicet dum unus ostenditur, alterius quoque persona noscatur; illud autem nomen patri semper esse filioque commune, non quo relatio personalis ostenditur, sed quo substantialis proprietates demonstratur: nempe Seth de Adam patre natus, et de non genito genitus, Adam patris dictus est filius? Iste ergo donec ad virilem perveniret ætatem, ut filium gigneret, pater dici non potuit; et priusquam generaret, filius tantum fuit: quando autem genuit, etiam pater esse jam cœpit. Accedente igitur diversitate paterni nominis, nulla in eo facta est diversitas naturalis; et cum unus homo hæc duo cœpisset habere vocabula, non est in eo mutata, aut divisa, vel duplicata natura: fuit enim filius, quia de patre exstitit; fuit pater, quia filium genuit; nec tamen ita naturam filii, in qua natus est, habuit, ut in ea permanens pater esse non posset; nec aliam cum nomine patris essentiam acquisivit, ut filii substantiam, in qua natus fuerat, perdidisset; sed quod verum est, sicut homo fuit, quando filius exstitit nascendo, sic permansit homo, quando pater factus est generando; **53** nec aliud fuit quam homo, quod erat Adam, de quo ipse est natus, et quod erat Enos, qui de ipso est genitus. In Patre ergo Deo et Filio Deo, personarum proprietate servata impossibile non dicitur, quod documento etiam cujuslibet hominis comprobatur, sed discernamus quid ad relationem, quid ad substantiam pertinere noscatur. Relationis enim sunt nomina, Pater et Filius; substantiæ vero nomen unum est, quod dicitur Deus. Relationis ergo nomina singula retinent; substantiæ vero nomen unum communiter possident, quia licet unus dicatur Pater, et alter Filius, sic tamen est Filius Deus, sicut Pater est Deus: illis namque duobus nominibus generatio vera cognoscitur, isto autem uno communi nomine substantialis unitas demonstratur.

Objectio 2. Ista nunquam nos legisse recolimus, quæ superius proposita sunt, quia scriptum est de eo: *Generationem ejus quis enarrabit (Isai. LIII)?* Et quam (al. quasi) nemo, dixit Scriptura, qui enarraret? Advertendi sunt hi homines, ut dicant se posse nosse, quia inenarrabilis est generatio ejus, non autem ignorabilis.

Responsio. Scriptum est: *Credidi propter quod locutus sum: et nos credimus, propter quod loquimur (II Cor. IV, 13),* et fiducialiter profitemur, quia Filii generatio inenarrabilis est, ignorabilis non est; neque enim consequens est ut quod non potest enarrari non possit sciri, cum ipsum Deum nullus valeat enarrare, nec impune tamen alicui liceat ignorare. Intantum vero cognoscibilis Deus est, cum sit inenarrabilis, ut quosdam ob hoc inexcusabiles pronuntiet beatus Apostolus, quia *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt (Rom. I, 21).* Nam si a nobis Dominus nollet agnosci, non dixisset: *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis (Joan. XIV, 17).* Nec Philippum dicentem: *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* hac increpatione corripere; dicens:

A *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me: Philippe, qui me vidit, vidit et Patrem;* hoc enim verbo Dominus voluit demonstrare totum in se inveniri quod quærebatur; nec enim fieri potest ut sempiterno et immenso Patre minus aliquid Filius habeat, in quo corporaliter omnis plenitudo divinitatis inhabitat (*Coloss. II, 9*). Non est ergo ignorabilis Deus, cum sit inenarrabilis; sed a fidelibus cognoscitur, ut ametur, quamvis nec humanis linguis, nec angelicis, enarretur. Nam ignorationem Dei non aliud esse quam dæmonum servitutum Paulus demonstrat apostolus, dicens: *Sed tunc quidem ignorantem Deum his qui natura non sunt dii, serviebatis (Gal. IV, 9).* Sicut ergo Christi divinitatem ignorare non debemus, licet enarrare non possimus, ita nativitalis ejus quamvis nulli suppetat enarratio, non est tamen fidelibus adempta cognitio. Quis enim natum prædicet, cujus nativitalitatem ignoraret? Quis Filium dicat, et genitum nesciat? Quis Patrem valeat credere quem non consideret genuisse? Genuit vere Pater, et vere natus est Filius. Veram ergo Filii nativitalitatem datum nobis est agnoscere, licet datum non sit qualiter natus fuerit enarrare. Quoniam et propheta non dixit: *Generationem autem ejus quis agnovit, sed quis enarravit (Isai. LIII, 8)?* Quocirca divinam generationem, quantum homini fas est, in eo digne cognoscimus, cum et veram generationem dicimus, et ipsam generationem, quæ vera est, inenarrabilem prædicamus. Filius ergo vere de Patris substantia natus agnoscitur, dum nativitas **54** ejus, quæ de inenarrabili Deo est, inenarrabilis prædicatur: inenarrabilis enim procul dubio est Filii nativitas vera, quia una est illi cum inenarrabili genitore substantia.

Objectio 3. Generationem ejus ita est recte profiteri, ut dicit ipse Dominus per Scripturas: *Dominus creavit me initium viarum suarum, ante sæcula fundavit me (Prov. VIII, 22).* Et sequitur: *Et ante omnes colles genuit me.* Et iterum: *Ego a Patre prodii et veni in hunc mundum (Joan. XVI, 29).* Et iterum: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te (Psal. II, 7).* Et postquam cognitus est in carne, profitetur de eo evangelista dicens: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam tanquam Unigeniti a Patre plenum gratia et veritate (Joan. I, 14).* Et Apostolus ait: *Qui est Primogenitus totius creaturæ (Coloss. I, 15).* Ecce creatum, fundatum et genitum profitemur, sine aliqua ambiguitate irrationabili.

Responsio. In utraque Christi nativitate non fallitur, qui in Christo Dei, et hominis Filio, et plenam ex Patre divinitatem, et plenum ex matre hominem profitetur: atque ita in illo utramque substantiam veram esse cognoscit, dum quid æternitati, vel quid temporalitati congruat, fideli pietate distinxit. Neque enim ignorare debemus, ipsum in sæculo, secundum carnem creatum ex homine, qui sine initio secundum divinitatem creator, est generatus ex Patre: in illa namque nativitate, quæ initium non habet, sempiternæ divinitatis majestas agnoscitur; in hac vero sempiternæ divinitatis pietas invenitur: qui enim non creatus, sed creator de creatore pro-

genitus, bonitate sua creaverat hominem, ipse postmodum est pietate sua creatus ex homine. Nec suum opus ipse dedignatus est fieri, quo posset per eum status sui operis reparari. Hujus igitur creationis volens sapientia prænuntiare mysterium, ut Incarnationis suæ futurum ostenderet sacramentum, propheticum more, quo solent sub enuntiatione præteriti temporis futura narrari, dixit: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua* (Prov. viii, 22). Causam creationis ostendit dum se initium viarum Dei, in opera ejus creatum esse non tacuit: nam ut ostenderet, non illius æternæ nativitatis esse, quod creata dicitur, sed hujus temporis, quo carnem suscepisse Dei Filius invenitur, quid præmiserit attendatur: *Si nuntiavero* (inquit) *vobis, quæ quotidie fiunt; commemorabo, quæ a sæculo sunt, enuntiare* (Ibid. 24). Ergo cum quotidie ista fierent, a sæculo facta præmonet nuntiari, ostendit quæ dictura est nobis, non æternitatis esse, sed temporis. Ob hoc statim addidit: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*. Quod ergo sapientia creata est, non ante sæcula, sed a sæculo est; quod autem initium viarum Domini creatus est Filius, quid aliud est nisi quod ipse via nobis est factus, ut eo duce atque rectore per adoptionis quam accepimus gratiam divino munere ad virtutum nobis profectum patere ingressus? Quod ut evidentius appareat, debemus attendere ad hoc Filium creaturæ initium factum, non ut novam rursus creaturam conderet, sed ut vetustate (al. vetustatem; al. vetustam) jam pridem perditam renovaret. Invenitur enim apostolos quoque hujus fecisse creationis initium, quorum officio reparavit quod fuerat ante collapsum, beato Jacobo dicente de Deo Patre: *Voluntarie genuit nos Verbo veritatis, ut simus initium aliquid creaturæ ejus* (Jacob. 1, 18). Evidentissimis igitur demonstratur indicibus, hoc 55 loco creationem, non ad conditionem omnium creaturarum, sed ad reparationem hominum referendam: sicut et David sanctus oravit, dum gemini fuisset criminis recordatione perterritus, non solum temerati connubii, sed mariti etiam insontis occisi. Dum igitur tanti facinoris nævum lacrymarum flumine meditaretur abluere, hoc inter gemitus, quos testes habuit doloris, effudit: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* (Psal. 1, 12). Hoc esse significans cor mundum in se creari, quod erat spiritum rectum in ejus visceribus innovari. Ad hoc ergo Christus voluit creari, et hujus creationis apostolos suos initium fieri, ut per eum posset homo, qui vetustate perierat, innovari. Ante sæculum autem sapientia fundatam se dixit, ut nativitatem suam, qua de Patre nata est, immutabilem demonstraret: quod enim fundatum dicitur, nulla ratione convellitur, quod autem non convellitur, non mutatur. Ut autem nativitas divinitatis ejus sine initio cognoscatur, debet attendi quod sequitur: *Priusquam terram faceret, priusquam abyssos constitueret, priusquam procederent fontes aquarum, priusquam montes stabilirentur, ante omnes autem colles genuit me* (Prov. viii, 23-26.) Istud ante, cum dicitur, omne proorsus

A initium prævenitur. Quod considerandum est, quia ubicunque illa divina et æterna demonstratur Filii nativitas, non dicitur quando natus sit, sed ante semper ponitur, ut quidquid homo infinitatis æternitatisque cogitare voluerit, ante omne quod cogitatione concipitur, Filii semper nativitas cogitetur: ac sic, nativitas Filii Dei sine initio cognoscatur, in qua non aliud quam ante positum jugiter invenitur. Vellemus autem nobis responderi, utrum hoc sit genitum, quod creatum? quod si unum putatur utrumque, dicatur ergo a Deo genitus mundus, a quo generari non potest, et creatus. Dicantur etiam increduli homines filii Dei, qui de potestate tenebrarum non fuerint liberati: dicantur hæredes futuræ beatitudinis, qui fidem non recipiunt Salvatoris. Si autem, B quod verum est, aliud est creari, aliud generari, discernatur, in qua Christus substantia creatus a Deo dicatur, et in qua ex Patre genitus prædicetur: nam et ipse Scripturæ locus perfacile quærentibus monstrat, in qua creatus natura dicendus est Christus. In ea scilicet in qua Dominum nominat, ut veritatem in se formæ servilis ostendat, sicut et in psalmo loquitur, dicens: *O Domine, ego servus tuus; ego servus tuus et filius ancillæ tuæ* (Psal. cxv, 16). Ex ancilla ergo natus est servus, qui ex Patre generatus est Dominus. Propter formam igitur servi dixit: *Dominus creavit me*, non se a Patre dicit creatum, sed a Domino. Nam ubi secundum divinitatem genitus dicitur, Pater continuo nominatur, sicut vere ipse dixit: *Ego a Patre prodii, et veni* (Joan. viii, 42); et B. evangelista de eo: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quam Unigeniti a Patre* (Joan. 1, 14). Vides, quia non dixit hic, a Domino, sed a Patre. Quod autem eum *Primo-genitum totius creaturæ* (Coloss. 1, 15) dicit Apostolus, creatura utique intelligitur reparata, non condita: creatura filiorum Dei, qua ex servis ejus facti sunt fratres ejus qui nos, secundum Apostoli dictum, *non confunditur fratres vocare, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Et iterum: Ego ero fidens in eum. Et iterum: Ecce ego et pueri, quos mihi dedit Deus: quoniam ergo et pueri communicaverunt sanguini et carni, similiter et ipse participavit eisdem; ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, 56 id est diabolus; ut liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. Nutquam enim angelos apprehendit, sed semen Abraham apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, quod passus est ipse et tentatus, potens est his qui tentantur auxiliari* (Hebr. ii, 11-18). Audimus Christum habentem fratres, audimus semen Abraham; audimus per mortem eum qui habebat mortis imperium destruentem; audimus tentatum; audimus passum, et dubitamus Christum Primogenitum totius creaturæ secundum Incarnationis profiteri mysterium? Cum denuo beatus Apostolus, in quo eum Primogenitum debemus accipere testimonio suæ prædicationis ostendat: *Scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui*

secundum propositam vocati sunt sancti. Nam quos præciti et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii ejus, ut sit ipse Primogenitus in multis fratribus (Rom. viii, 28; 29). Qui ergo secundum deitatem semper Unigenitus fuit sine fratribus, factus est secundum hominem Primogenitus in multis fratribus. Quod evidentiis illi rursus Apostoli testimonio perdocetur: ubi Primogenitus ex mortuis nominatur (Coloss. i, 18). Quis enim est Primogenitus ex mortuis, nisi primus ex peccatoribus hominum homo Christus Jesus in Dei Filium exaltatus? Natus autem est, non nisi ex peccatoribus peccator, sicut ex hominibus homo, sed factus est homo, susceptus a Deo sine ullo peccato, ut peccatores homines reconciliaret Deo, liberatos ab omni peccato. Talem quippe hominem oportuit a Deo suscipi; per quem possent homines Deo gratia justificatione conjungi. Primogenitus igitur est totius creaturæ (Coloss. i, 15); illius profecto de qua beatus apostolus Jacobum audivimus patello ante dixisse: Voluntarie genuit nos verbo veritatis; ut simus similibus illi quod creavit e jus (Jac. i, 18). De hac creatura dicit etiam Paulus apostolus: Si quid ergo in Christo novum creaturæ (II Cor. v, 17). De qua etiam David prædixerat: Emitte Spiritum tuum et creabuntur, et venoribus faciem terræ (Psal. ciii, 30). Alloquin, si secundum divinitatem nativitatem Christus Primogenitus creatus totius accipitur, quibus testimonio aliè omnem creaturam Primogenitus ex mortuis ostenditur? cum dici non possent mortui, qui necdum fuerant vel creati: Unigenitum ergo Christum cognoscimus ex Patre, Primogenitum proleceant (al. prostemur) ex virgine: in illa quippe nativitate vere est Unigenitus, in qua sine initio de solo Deo solus natus est Deus: in hac autem nativitate Primogenitus est totius creaturæ (Coloss. i, 18), id est eorum quos illi fratres sibi per fidem dignatus est adoptare. Quoique autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus (Joan. i, 12). Hæc generalis in secundo quoque psalmo cognoscitur prædicata, ubi Christus ex persona suscepti hominis dicit: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu; ego hodie genui te (Psal. ii, 7). Quod ut secundum incarnationis futuræ mysterium, dictum esse monstraret, adjunxit: Possidit a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ. Quomodo enim secundum formam Dei terminos terræ possidendos peteret, cum regnum coelorum, quod majus est, suis fidelibus promissit et donet? Ille ergo qui permanens in forma Dei pro salute servorum factus est servus, secundum servientem formam, ut acciperet gentes hereditatem et possessionem, terræ terminos postulavit, qui secundum divinitatem naturam sicut universa, quæ in 37 cælo sunt et in terrâ, visibilia et invisibilia eam Patre fecit, ita cum Patre semper universa possedit. Hanc generationem quam psalmus secundus insinuat ad incarnationis mysterium pertinere, liber Actuus apostolorum, Paulo in synagoga loquente, testatur; cujus vox ad Judæos hujuscemodî reperitur: Et nos vobis annuntiamus eam quæ ad patres nostræ repromissio

facta est; quoniam hæc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jeannem; sicut et in psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te (Act. xiii, 32). Hoc igitur quod psalmus dixit, secundum id Apostolus ostendit ad Filium dictum; secundum quod a mortuis prædicat suscitatum. Attendatur ergo quæ a mortuis in Christo natura surrexit, et intelligatur secundum quid Christus hoste gentes terræ possidendos accepit. Agnoscatur itaque in Christo proprietas utriusque naturæ; ut sine errore possit intelligi, et creatus; et fundatus, et genitus: genius quippe est et fundatus secundum quod de Domino ineffabiliter natus est Dominus; creatus autem secundum humanam generationem qua de ancilla natus est servus, ut quem ante omnia solum Pater genuit ex natura, pro nostra salute generaret ex gratia. Quocirca utramque debemus in Christo Domino naturam agnoscere, ut nec adversus creatorem videamur superbi, nec benefici nostri Salvatoris existamus (al. existimemus) ingrati, ne apud Salvatorem ipse sibi denegat quam quaerit salutem, qui Creatoris de Deo Patre veram denegat deitatem.

Objectio 4. Sed qui præsumunt irrationabiliter dicere de Patris substantia natum esse Filium; doceant per Scripturas tamen quomodo non sit erroris falsa confessio, qui cum dicit inenarrabilem esse generationem ejus, asserat eum de Patris esse natum substantiam.

Responsio. Assertionis defectus agnoscitur, quando quis ita fidei alterius destruere nititur regulam, et credulitatis suæ firmam nolit proferre sententiam. Nos idcirco Filium Dei de Patris substantia natum; hoc est, de eo quod Pater est, credimus et fatemur. Quoniam quidquid substantia Dei non est; non possumus ut Deum vel adorare, vel colere, præceptum legis sollicitius observantes quo dicitur: Audi, Israel, Dominus Deus tuus Dominus unus est. Et, Dominum Deum tuum adorabis; et illi soli servies (Deut. vi, 4, 13). Quem Deum, non Patrem solum credimus, sed Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Fides enim nostra, qua unum Deum colimus, et timemus, nec unione personarum contrahitur, nec substantiali diversitate disjungitur: ne aut deos gentiliter colamus diversas colendo substantias, aut Filium et Spiritum cum Sabello denegemus, non servantes in Trinitate personas. Hujus fidei rectam credulitatem, non solum prophetica, sed et apostolica nobis insinuat in veritate doctrina. Nam Isaiæ (al. Isaias); cum Dei visione dignus efficitur, hujus fidei credulitas intimatur, duobus seraphin tertio clamantibus: Sanctus; sanctus, sanctus (Isai. vi, 3); et semel inferentibus: Dominus Deus Sabaoth. Quid est quod tertio Sanctus dicitur, si non trina est in Divinitate persona? Cui semel Dominus Deus dicitur, si non una est in Divinitate substantia? Dominus quoque per Moysen volens benedicere populum, hoc benedicendum verbo mandavit: Sic (inquiens) benedicet populum meum; et ego benedicam eos. Benedicat te Dominus; et custodiat te; illuminet Dominus faciem tuam super te; et miseretur tui. Attollat Dominus faciem tuam super

te, et det tibi pacem (Num. vi, 23-26). Ter Dominus dicitur, et unus semper Dominus nominatur, ut in Trinitate, quæ verus est Deus, nec confundatur proprietas personarum, nec substantialis unitas denegetur. David quoque Deo per omnia placitus, sub hac credulitate populo fidei divinæ benedictionis gratiam his verbis exoptat Iufundi: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ (Psal. LXVI, 8)*. Cui sententiæ beatus concordat Apostolus, qui cum quodam loco dixisset: *Unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum (I Cor. vii, 6)*, de Spiritu sancto quoque diceret: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis (Ephes. iv, 30)*. Cum se dixisse meminisset ex Patre per Filium in Spiritu sancto, ut hanc Trinitatem unum Deum esse monstraret, alio loco ait: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Et quod singulariter intulit: ipsi gloria in sæcula sæculorum (Rom. xi, 36)*. Ex substantia Patris natum Filium, et fides Christiana recte prædicat, et sancta Scriptura commemorat. Paulus apostolus de Filio Dei dicit, *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus (Hebr. i, 3)*. Dominus denuo dicit ad Jeremiam: *Super montes accipe planctum, et homines non audierunt vocem substantiæ meæ, a volatilibus cæli usque ad pecora (Jerem. ix, 10)*. Filium autem Patris esse substantiam, Sapientia liber evidenter ostendit, dicens: *Esca angelorum nutriti populum tuum, præparatum panem de celo præstitisti eis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnem suavitatis saporem: substantiam enim tuam et dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas (Sap. xvi, 20, 21)*. Panem de cælo datum substantiam et dulcedinem Dei esse Scriptura testatur: panem vero de cælo datum Filium Dei esse, ipsius Filii verbis ostenditur, qui ait: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi (Joan. vi, 41)*. De quo David ait: *Panem angelorum manducavit homo (Psal. lxxvii, 25)*. Ecce de substantia Patris engiisse Filium, non solum rationabiliter credimus, verum etiam testimonia apprehendimus, Scriptura dicente: *Qui diligit generatorem, diligit eum qui natus est ex eo (I Joan. v, 1)*; quoniam fides vera quod credit, non nescit, etiamsi nondum potest videre quod sperat et credit. Hi vero qui Filium de Patris substantia natum denegant, debent utique dicere, unde arbitrentur Dei Filium existisse: utrum de nihilo, an ex aliquo? Si de nihilo existit, creatura dicendum est, non creator. Si autem de aliquo dicatur, sic etiam id ipsum Deus fecit, unde Filium genuit. An forte cœternum dicitur aliquid habuisse unde posset Filium generare? Si cœternum aliquid æstimatur unde generis Filius creditur, Manichæorum error hæc assertione firmatur. Si autem non fuit aliquid unde generaretur Filius, nec tamen de substantia Patris dicitur natus, hoc superest, ut evidenter ex nihilo Dei Filium existisse fateantur qui eum in divinitate minorem prædicare contendunt.

^a Abest. per a ms. Corb.

^b Et super semitas deserti luctum, quia desererunt æz

A Sed forsitan dicitur ex voluntate Patris natum esse Filium: dicatur ergo utrum ex se an aliunde Pater Filium genuit? Si enim ex se ipso genuit, non potuit voluntas generationem præcedere, quia nefas est credere in Deum aliquid quod non semper fuit noviter accidisse. Unde cognoscitur quoniam Deus omnem quidem creaturam de nihilo condidit voluntate sua, Filium vero substantia genuit vel natura. Si autem aliunde Filius dicitur natus, aut ex nihilo ejus origo asseritur, aut (sicut superius dictum est) excepto Deo, semper aliquid fuisse contra regulam veræ fidei prædicatur. Beatus quippe Apostolus sciens Filium ex Patris essentia verum Deum genitum, et ob hoc cum Patre unum Dominum Deum, nec immemor præcepti dominici, quo prohibemur duobus dominis deservire, Domino Christo sicut vero Deo præcepit serviendum, quem æqualiter cum Patre noverat honorandum, ipso Domino dicente: *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem (Joan. v, 23)*. Quem verum Deum Joannes apostolus, ipso in se Domino loquente, testatur dicens: *Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo; hic est verus Deus et vita æterna (I Joan. v, 20)*. Quocirca veræ fidei tenenda est regula, qua Dei Filius de Patris substantia, hoc est, de eo quod ipse est, ineffabiliter sine initio natus creditur, et verus Deus cum Patre colitur, et tenetur (al. timetur). Quia nec Christianis licitum est, ei qui natura non est Deus, sicut vero Deo servire; nec cuiquam fas est, Christo unigenito Dei Filio, non sicut vero Deo servire. Nam eum qui servit Christo, placere Deo beatus Paulus, qui diis (al. his), qui natura non sunt dii, serviendum interdixerat, evidentissime manifestat, dicens: *Non est Dei regnum esca, et potus, sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu sancto; Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo (Rom. xiv, 17)*. Quocirca cognoscentes Christum verum Deum esse, non audeamus eum ab æqualitate paternæ substantiæ separare: verus enim Deus est qui natura Deus est; natura autem Deus est qui deitatem ex æternitate veræ nativitatis habuit, non ex gratia donationis possedit. Quod enim nascitur, conexum est generi; quod vero adoptatur, sola provehitur largitate.

Objectio 5. Perturbationes mentium, quæ sine ratione dicuntur, cum hortantur adverti, veritas non videtur ab eis comprehendendi, nec profiteri; ob hoc quod absurdum ait dicere vel credere Patrem et Filium ingenitos esse. Qui sibi suadet ista excogitare, ipse se vult fraude decipere, quæ quidem exigit illis hoc dici qui Patrem et Filium æquales asserunt esse.

Responsio. Perturbant quidem mentes, aut ignavas, aut inscias, qui voluerint Patrem et Filium ingenitos dicere; sed non hoc faciunt qui cognoscuntur æquales Patrem et Filium prædicare. In ductus enim ingenitis diversa Divinitas invenitur. In uno autem genito (al. unigenito), ex uno ingenito, naturalis unitas demonstratur. Duo quippe ingeniti non possunt unam habere naturam, ubi nec unus in uno veram ex se eo quod non sunt. Hæc verba adduntur in ms. Corb.

^c Ms. Corb., ex gratiæ donatione.

generationem inventi, nec unus ex uno vere in se substantiam nativitatis agnoscit. Nos autem Patrem et Filium, nec duos ingenitos dicimus, nec duos genitos appellamus, nec personaliter confundimus, nec substantialiter separamus. Et ideo æquales sine ambiguitate dicimus, quia diversos a se nullatenus invenimus: unus unum genuit, unus de uno natus **60** est. Et quia de incommutabili Patre incommutabilis Filius exstitit, et Pater æternus et perfectus coæternum perfectumque Filium genuit, propterea Filius veram quam habet ex vero Patre substantiam, nec minorem habere potuit, nec diversam. Contumelia est quippe divinæ naturæ, si Pater Filium generans non potuit esse in Filio quantus permanet in æipso, et genitori (quod nefas est) potentia naturalis adimitur, si Filio paternæ substantiæ æqualitas abnegetur, cum hanc apostolica doctrina non taceat, evangelista Joanne dicente: *Propterea volebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo* (Joan. v, 18). Quam æqualitatem non malevola Judæorum adversitas (sicut quibusdam videtur) objecit, sed evangelistæ veridica prorsus auctoritas declaravit. Qui sicut vere dixit Jesum solvisse sabbatum, vere etiam Patrem suum dixisse Deum, ita vere dixit per professionem paterni nominis æqualem se fecisse divinitati et omnipotentæ genitoris. Hanc æqualitatem in se ipse verus Filius prædicans et demonstrans ait: *Ego et Pater unum sumus* (Joan. x, 30). Et alio loco, *Omnia quæ Pater facit, eadem et Filius facit similiter* (Joan. v, 19). Idem ipse dicit: *Pater, clarifica Filium tuum, ut et Filius clarificet te* (Joan. xvii, 1). Et alio loco: *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* (Joan. v, 23). Et alia multa, quæ prolixitatem vitantes omisimus. Æqualem se itaque Deo per professionem paterni nominis facere, unum cum Patre esse, omnia quæ Pater facit, eadem similiter facere, clarificatus, et ipse clarificare, æqualitatem sibi paterni honoris exigere, sicut minori non competunt, sic æqualem, remoto scrupulo dubitationis, ostendunt.

Objectio 6. Interea dum de lumine dicitur, non intelligunt quod scriptum est, quia alius dicit Pater luminis, et alius est qui lumen est appellatus, et lucet in tenebris, et tenebræ eum non comprehenderunt. Idcirco debet adverti quid lex mandat vel instruit mentes hominum, quia inter illum auctorem luminis et istud lumen in tenebris lucens, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per quod vita factus est Filius, et lux est ostensus hominum, illo quod ostenditur factus, non est Pater, et æqualis esse non potest.

Responsio. Hoc semper Patris et Filii demonstrat æqualitas, ut quidquid fuerit derogationis vel honorificentiae simul sit utrique commune. Quo fit ut, dum contra fidei normam Filius a Patris æqualitate discernitur, magis Patri quam Filio detrahatur. Quod hujus loci manifestius demonstrat assertio, qua dum

^a Ms. Corb., caritatis.

A Filius solus lumen appellari creditur, ipsi Patri, qui lumen genuit, nomen luminis abnegatur. Qui autem non substantialiter possidet nomen luminis, non potest habere substantialiter vocabulum Deitatis. Beatus quippe Joannes apostolus dicit: *Quoniam Deus lux est* (1 Joan. i, 5). Si ergo qui Deus est lux est, qui lux non est Deus non est; quare lumen ex lumine credendus est Filius, quia de Deo natus est Deus, ne dum Filius lumen dicitur, Deus Pater intolerabiliter blasphemetur. Ac ne putemus Patrem conjectura magis quam veritate lucem dicere, necesse habemus hoc quoque testimonio approbare. In sanctis eloquiis de Sapientia dicitur: *Omnium mobilitantium* (al. omnibus mobilibus, vel omnium mobilitatum) *mobiliior est Sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam; vapor est* **61** *autem virtutis Dei, et manatio quædam^a claritatis omnipotentis Dei sincera. Et ideo nihil inquinamenti in illam incurrit, candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.* Candor lucis æternæ Sapientia dicitur, quam lucem æternam Patrem esse universa Christianitas profitetur. Quod si forte aliqui putant istam lucem æternam, cujus Sapientia candor est, Patrem accipi non debere, necesse est ut, dum Deum Patrem lucem æternam denegant, aliam lucem æternam quærant, cujus esse candorem Sapientiam evidenter ostendant. Sed ipsi noverint quomodo possint, aut lucem quæ Deus non sit, aut alteram lucem, præter Sapientiam, quæ Deo coæterna sit, invenire. Cognoscatur ergo lux esse Pater luminis, ut saltem sic Filius Patri non dubitetur vel negetur æqualis. Uno jam testimonio Deum Patrem lucem esse docuimus, melius est si id ipsum apostolica quoque prædicatione monstremus. Beatus Paulus filios Dei nos testatur, dicens: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei: non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod simus filii Dei* (Rom. viii, 14, 15, 16). Joannes etiam evangelista dicit: *Quotquot autem^b crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (Joan. i, 12). Ut igitur Paulus Deum, cujus filii sumus, lucem esse monstraret, eosdem filios lucis quoque filios appellavit, ita dicens: *Vos autem fratres non estis in tenebris, ut vos dies ille, tanquam fur, comprehendat; omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei* (1 Thess. v, 45). Et Filius ad discipulos: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est* (Matth. v, 45). Ipsum vero Filium lucem esse nullus poterit abnegare, de quo evangelista dicit: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. i, 9). Et rursus: *Et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt* (Ibid., 5). Ipse quoque Filius lucem se esse propria voce testatur: *Ego sum* (inquiens) *lux mundi* (Joan. viii, 12). Ut autem agnoscatur Pater in Filio, lumen in lumine esse, in Joannis testimonio perdocetur, qui ait: *Deus lux est, et tenebræ in eo*

^b Ms. Corb., receperunt eum.

non sunt ullæ : atque subjunxit : *Si in lumine ambulemus, sicut et ipse est in lumine, societatem habemus ad invicem (I Joan. 1, 5, 7).* Quod ut se de Patre dixisse monstraret, adjunxit : *Et sanguis Jesu Filii ejus mandat nos ab omni peccato (Ibid., 7).* Patrem, quem lucem dixit, in lumine esse asseruit : Quod ergo istud est lumen, nisi lumen verum, *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (Joan. 1, 9)?* Ostensum est igitur Patrem esse lumen, sicut est Filius lumen ; demonstratur etiam Filius dies sicut et Pater est dies, propheta dicente : *Evangelizate de die in diem salutem ejus (Psal. xciv, 2).* Quapropter agnoscat Pater esse in Filio lumine, et Filius in Patre lumine, ipso de se lumine protestante : *Ego in Patre, et Pater in me (Joan. xiv, 12)* ; tanquam diceret : *Ego in lumine, et lumen in me.* Et ubi non invenitur diversitas luminis, non negetur æqualitas deitatis : ne dum Deus lux esse apostolica prædicatione dicitur, ille qui lumen esse non dicitur Deus etiam esse (quod nefas est) abnegetur.

Objectio 7. Omisimus (*al. Admisimus, vel amissimus*) superfluas rationes, quæ fastidium non facerent auditoribus, et ad hoc responsum est, ad quod sententia inquirebat expositionem. Et quia inter Patrem et Filium distantia est, et quod dicitur non est, eo quod inter illos differentia non sit, ipse Salvator dicit, qui credendus est : *Alius est qui testimonium perhibet de me (Joan. v, 32).* Item ipse Filius dicit de Spiritu sancto : *Et alium Paracletum mittam vobis (Joan. xiv, 16).* Alium dixit Patrem, et alium dixit esse Paracletum, et cum non advertuntur divina jura et sacramenta, efficiuntur homines paganismus professores, cum asserunt Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse Deum.

Responsio. Vera fides nunquam superflua, sed rectas semper habet et habuit rationes, nec ex his aliquod fastidium nascitur, si modo absque contentione studio veritas audiatur, quæ ob hoc alium dixit Patrem, ut personas discerneret, non ut substantialem distantiam demonstraret : nam cum *alium* dixit, ostendit se propriam habere personam ; Patrem vero nominans, demonstravit se unam cum eo habere substantiam, hoc modo : si enim Pater, qui testimonium perhibet Filio vere alius est, ut utriusque persona discernatur, vere et Pater est, ut substantialis unitas demonstraretur. Quod si vera est paternitas Patris, vera est etiam nativitas prolis ; et si est Filii vera nativitas, inter Patrem Filiumque substantialis non potest esse diversitas. Vera enim et æterna substantia, de qua vera nativitas exstitit, sicut generando minui dividique non potuit, ita in se tota permanens totam se coæternæ veritati nativitatis indulsit, ut scilicet gignentis genitique non solum æqualitas absque diversitate consisteret, sed etiam sine confusione detrimentoque naturalis unitas permaneret. Divinæ quippe nativitatis, et nomen, et veritas sicut

A discretam monstrat gignentis genitique personam, sic diversam non sinit putari substantiam. Alius ergo propterea dicitur est Pater, ut generationis veritas monstraretur, non ut putaretur aut prior aut potior : nam si potiozem accipere debemus quem audimus alium dici, compellimur etiam Paracletum Spiritum, pro eo quod alius dicitur est, potiozem Filio confiteri : sicut enim Patrem alium Filius dixit, ita Paracletum alium nuncupavit. Si placet igitur, et hoc fidei veritas exigit, ut melior putetur qui alius dicitur, quoniam Pater alius est dicitur, et alius Paracletus, ex hoc jam Filius subjiciatur ambobus, ut saltem sic Paracletus coæquetur Patri, qui pro eo quod alius nuncupatus est, Filio dicitur anteponi ; et hujus communione pronominis, in Patre et Paracletum demonstraretur communio deitatis ; si autem Paracletus, licet alius dicatur, tamen Filio non præfertur, nec Pater ideo præferendus est Filio, quia alius dicitur : hoc enim pronomine, personarum ostenditur discretio, non naturæ. Denique ne fidei ambiguitate veritatis regulam deserentes, per devios circumferamur errores, ipse Dominus nobis, et unam se cum Patre retinere substantiam, et alteram se demonstravit habere personam, dicens in Evangelio : *Ego et Pater unum sumus (Joan. x, 30).* Quod dictum, hi qui divinæ unitatis in Patre et Filio significationem tenuare contendunt, non ad substantialem unitatem, sed ad voluntatis studium referre concordiam. Quod si sic Dominus vellet intelligi, posset dicere : *Ego et Pater unum volumus ; non, Ego et Pater unum sumus.* Sed nunc eligat quisque quod velit ; utrum in Deo aliud putet esse et aliud velle ; an hoc credat esse quod velle, ut ei possit hujus dicti dominici manifestius veritas apparere. Si enim aliam dixerit in Deo voluntatem, quæ velle dicitur, et aliam essentiam, quæ esse cognoscitur, ad voluntatem referri non potest, quod secundum essentiam dictum est : *Ego et Pater unum sumus.* Esse enim ab essentia dicitur ; si autem hoc in Deo (sicut certum est) putatur esse quod velle, dum voluntatis unitas asseritur, substantialis etiam unitas non negetur, ut et in eo quod dixit *unum* agnoscat non aliud esse quam Pater est, et in eo quod dixit *sumus* agnoscat non ipse Filius esse qui Pater est. Hanc Patres nostri per omnia Christi sectati doctrinam, unius esse substantiæ Patrem Filiumque dixerunt. Quod Græce Homousion dictum est, illa scilicet ratione quoniam in Græcia nova tunc emerserat hæresis, quæ unigenitum separare nitebatur a substantia genitoris ; ad hoc ut quisquis illam doctrinam reciperet, non creatoris cultor, sed creaturæ potius appareret. Mirum autem est quod in hoc nomine sonus tantum a quibusdam attenditur, nec dicti intelligentia investigatur, cum pleraque non sint antiquitus dicta, et pro temporum causarumque opportunitatibus professioni fidei repertantur inserta. Sicut *ingenitus* Pater, nusquam in Scripturis canonicis legitur, et tamen secundum fidei veritatem ingenitus prædicatur : adversus Sabellium scilicet qui Patrem Filiumque non communione substantiæ unum intelligit, sed personali singularitate

confundit. Quod si sensus, non sensus consideratur in verbo, non censetur Ecclesia nomine catholico, quod nec in Veteri nec in Novo reperitur positum Testamento. Si vera hæc omnia; cum in nullo sint canonico volumine, dignè tamen tenentur in fide, cur nobis in Homession putetur prohibendum, non sensum dicti considerare, sed sensum; nec attendere novitàatem verbi, sed virtutem intelligere sacramenti? Mirum est autem eos qui pro unius substantiæ credulitate voluit nos homousianos dici, quomodo se nolunt Trusianos pro tribus et diversis substantiis appellari; quamvis etsi tali nomine censeri fugiant, hoc eos tamen esse qualitas suæ credulitatis ostendat. Digne itaque Patrem et Filium, et Spiritum sanctum, personarum proprietate servata, unum confitemur Deum; quoniam fides vera, nec tres deos recipit; quod faciunt pagani multoties, nec Deum suum creatum asserit, quod cultores prædicant creaturæ.

Obiectio 8. Scelus et valde esse blasphemum advertunt homines, qui saltatoria præcepta capiunt secuti: nam falsitas professionis nunquam prodesse eis poterit, qui querunt * injuriando Deum per blasphemiam colere vel venerari. Et ab hominibus non toleratur injuria, ab ipso Domino ductore qualiter poterit tolerari? Ostendit enim circa infideles suam objurcationem, dicendo: *Populus hic labiis meis honorat, cor autem eorum longe est a me (Isai. xlii, 15).*

Responsio. Apostolica fides Deum non injuriat, sed honorat, quæ divinam substantiam nec minorari potuisse asserit nec mutari; et ideo Filium æqualem Patri prædicat, quoniam una utriusque substantia perfectionis suæ plenitudinem in utroque conservat. Tunc ergo Deo infertur injuria, quando per diversitatem divinitatis cum creatore collitur creatura; cum creationis nomen in eo sit tantum accipiendum in Filio, quod pro redemptione hominum ex hominibus factus est homo. Spiritum quoque sanctum, si creaturam Dominus vellet intelligi, nunquam præciperet tibi et Patri in sacramento baptismatis copulari, dicens: *Ita, docete omnes gentes, baptizantes (al. baptizate) eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti (Math. ixviii, 19).*

Obiectio 9. De generatione autem ejus quod dictum est: *Ex utero ante luciferum genui te (Psal. cix, 3),* quis dubitet de carnali nativitate fuisse dictum? cum ipsa ante scripto ostendat tibi ad intelligendum quod dicit propheta, quod in *splendoribus sanctorum ante luciferum* genitus sit. Et *splendor sanctorum (Ibid.)* præconium ostendit esse prophetarum, et eorum vaticinatio de eo fuisse adimpleta ut manifestaret ipsam esse et propheta dicendo: *Ex utero ante luciferum genui te, et splendidum contigit, quod per virginem nasci eum es propheticum ante dixit. Quid dubites hanc nativitatem ita contigisse ut Scriptura memorat?*

Responsio. Multum fallitur qui hujus Scripturæ locum divinæ nativitati non credit convenire, et audiens

Deum dixisse: *Ex utero ante luciferum genui te*, quia in Deo carnalis uterus non potest credi, æstimet hujus loci sensum ei tantummodo generationi quæ secundum carnem est coaptandum, cum præcedens versus divinæ magis intellectum generationis inveniunt, quæ Pater dicit ad Filium: *Tecum principium (Ibid.)*, ut agnoscat Patrem et Filium unum esse principium. Nomen vero *uteri* translato vocabulo dictum est, quæ ipsa divina significaretur natura; sicut corporalibus nominibus incorporealis substantia Dei assolet nominari, ut sensus hominum^b consuetis naturæ suæ vocabulis ad intelligentiam divinitatis possit adduci. Dicantur enim oculi Dei omnia videre, sicut scriptum est, *In omni loco oculi Dei spectantur bonos et malos (Prov. xv, 3).* Quis autem dubitet ita Deum per naturam suam totum videre, sicut eam per naturæ infirmitatem omnia fatemur implere? Sed et diversa corporalium membrorum vocabula ob hoc in Deo invenimus (ut dictum est) nominari, ut per harum rerum efficientiæ substantiis ipsius incorporealis proprietas possit intelligi. Sic ergo et hic se dixit *ex utero* Filium genuisse, ut quem audimus ex utero genitum, a natura Patris nullus æstimet alienum. Quod autem *ante luciferum* dixit, ostendit Filii nativitatem perpetuam initio temporali non esse subjectam: Lucifer enim stellæ vocabulum est, et in initio mundi, cum Deus luminaria et sidera condidisset, jussit ea esse *in dies, et menses, et tempora, et annos (Gen. 1, 4)*, quibus nominum circula tempus omne revolvitur. In *splendoribus* autem sanctorum, non recte intellecta sunt vaticinia prophetarum: splendor enim sanctorum non in officio prædicationis, sed in resurrectionis claritate consistit; de quo splendore Dominus dicit: *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui (Math. xiii, 43).* Hunc splendorem futuræ resurrectionis his verbis etiam Daniel propheta commemorat: *Et multi dormientium in terrâ fossura, in operatione exsurgent, hi in vitam æternam, et hi in opprobrium et confusionem perpetuam: et intelligentes splendebunt, ut splendor firmamenti, et ex justis multi, sicut stellæ in sæcula (Dan. xii, 2)*; hic autem splendor tunc sanctorum a Domino tribuetur, quando secundum Apostoli dictum, *reformabit corpus humilitatis nostræ, conforme corpori claritatis suæ (Philip. iii, 21).* In hoc ergo splendore tunc integre sancti intelligent Patrem et Filium unum principium esse; nec a se invicem, vel substantia, vel majestate distare. Licet ergo confiteamur Filium secundum carnem ex utero Virginis procreatum, non tamen ambigimus de utero Patris, sed est de Patris substantia genitum, imo sic confitemur Filium de^c utero Dei verum Deum natum esse, sicut de Virginis utero verum non dubitamus hominem processisse, ne (quod absit) si de matris substantia verus homo natus credatur, et verus Deus de Patris substantia denegetur, potior æstimetur humana natura quæ id quod est procreare potuit quam divina substantia, quæ verum Deum generare non valuit.

^a Ms. Corb., ad injuriandum Deum.

^b Ms. Corb., consuetudinis.

^c Ms. Corb., de vero Deo.

Objectio 10. Non est nihilum (al. nimium) dede-
tus, ut fraudibus propriis decipiatur male intelligens
animus, ut aliquando duo dicantur esse unus, ali-
quando tres unus. Nunquid non occurrit beneficii
inunus, quando unus non est cum duobus designatus?
Ludibrium est credere ex tribus partibus Deum
unum constare, cum adhuc (quod peius est) dicitur
de eis quod sic credendum est unus Deus, cum non
sit ipse Pater qui Filius, non ipse Filius qui Spiritus
sanctus; de quibus prolixius differunt inter se
habere, honorem vero utriusque suum non posse
habere, nisi malignum peccus eos in uno Deo inve-
niatur copulare.

Responsio. Nullis fraudibus, aut propriis aut alie-
nis, decipitur qui Deum unum sic collit, ut in Trini-
tate noverit, nec personas confundere, nec substan-
tiam separare. Et illam unam naturam unum Deum
intelligit, in qua æternitatis veræ divinitatis agno-
scit; dicitur enim nobis: *Audi, Israel, Dominus Deus
tuus, Dominus unus est* (Deut. vi, 4). Item: *Dominum
Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (Ibid., 13).
Quod si Dominum Deum solum Patrem accipere de-
bemus, Filio ergo nec ut Deo serviamus, nec eum
adoremus, quidquid saltem ad naturam Domini Dei
solutus non pertinet ut Deus a nobis adorari non de-
bet. Quid autem dicitur sumus de Filio, quem in coe-
lis angelis omnesque virtutes adorant semper et lau-
dant, tantum ut etiam in forma servi positum, et
propter passionem mortis paulo minus ab angelis
minoratum, adorare angeli jubeantur, Moyse dicente:
*Lætamini, cæli, simul cum eo, et adorent eum omnes
angeli Dei* (Psal. xcvi, 8). Homines quibus huic
adorationi David divinitus inspiratus, adjungens, ait:
*Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ser-
viant* (al. servient) *ei* (Psal. lxxi, 11). Quomodo
ergo et ab hominibus et ab angelis adoratur, si
ab unius Dei substantia separatur? Quomodo illi ser-
vitutem quæ Deo tantum debetur audemus exhibe-
re, si una non est illi natura cum Patre? Nam quia
unus est Deus, ita nobis **66** dicitur per prophetam:
*Ego Deus, et non est alius præter me: justus et sal-
vatus, et non est alius præter me: convertimini ad me,
et salvi eritis, quia ab extremo terræ ego sum Deus, et
non est alius. Per memetipsum juro; quoniam exiit*
(al. exivit) *ex ore meo justitia, et verba mea non aver-
tentur: mihi enim inclinabit* (al. inclinavit) *universi-
tas genu, et jurabit* (al. juravit) *omnis lingua per
Deum* (Isai. xlv, 21, et seq.). Ecce Deus, qui in hoc
loco se tantum dicens Deum, præter se alium non
esse testatur. Quod si quisquam omnem hic noluerit
Trinitatem accipere, cogetur hanc vocem soli Filio
deputare. Quis enim Deus præter quem alius non
est nisi ille cui Isaias dicit: *Laboremur Ægyptus, et
mercatus Æthiopum et Sabaim* (al. Saba) *viri excelsi
ad te transibunt, tui erunt servi, et post te sequentur
alligati vinculis, et adorabunt te, et in te deprecabun-
tur, quoniam in te est Deus, et non est Deus præter te;
tu enim es Deus, et noscebamus, Deus Israel Salva-*

^a Ita ms. At ed. habent *Hominum* quoque adorati-
onem.

A *tor. Erubescet et pudebunt omnes qui adversantur ei,
et ibunt cum confusione* (Ibid., 14, et seq.). Ecce in
ipso est Deus, et præter ipsum non est Deus, et ipse
est Deus Israel Salvator. Superius autem is qui
dixit: *Ego Deus, et non est alius præter me*, adjunxit:
Justus et salvans, non est alius præter me. Quis autem
justus est, nisi cui David dicit: *Dilexisti justitiam, et
odisti iniquitatem* (Psal. xlv, 8)? Quis vero est sal-
vans, nisi de quo angelus in somnis ad Joseph locu-
tus est, dicens: *Joseph Fili David, noli timere acci-
pere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum
est, de Spiritu sancto est: pariet autem filium, et vo-
cabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet po-
pulum suum a peccatis eorum* (Math. i, 20)? Cui vero
convenit dicere: *Convertimini ad me, et salvi eritis,*
B *quia ab extremo terræ ego sum Deus, et non est alius*
(Isai. xlv, 22), nisi Filio? de quo David dicit, *Remi-
niscuntur et convertentur ad Dominum universi fines
terræ, et adorabunt in conspectu ejus omnes patriæ
gentium* (Psal. xxi, 38). Quod ergo sequitur: *Per
memetipsum* (al. meipsum) *juro*, quis hoc credendus
est dicere, nisi qui hoc modo invenitur Abraham ante
jurasse? Hunc autem non Patrem, sed Filium asse-
runt, qui Filium a Patre secundum divinam naturam,
minorem prædicare contendunt. Isie autem Deus,
qui per semetipsum jurat, utrum majorem se ha-
beat, Paulus nobis beatus ostendit, qui ad Hæbræos
scribens, ait: *Abrahæ namque promittens Deus, quo-
niam neminem habuit per quem juraret majorem, ju-
ravit per semetipsum, dicens: Nisi benedicens bene-
dicam te, et multiplicans multiplicabo te* (Hebr. vi, 13).
Iste ergo Deus, qui per semetipsum jurat quoniam
neminem habet per quem juraret majorem: quid
sequitur videamus: *Quoniam exiit, inquit, ex ore
meo justitia, et verba mea non avertentur: mihi enim
inclinabit* (al. inclinavit) *universitas genu, et jurabit*
(al. juravit) *omnis lingua per Deum* (Isai. xlv, 23).
De cujus ore ergo exiit justitia, nisi ejus de quo
dixit Isaias: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos
de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiri-
tus Domini* (Isai. xi, 1). Et post paululum: *Judicabit
in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro man-
suetis terram* (al. terræ) (Ibid., 4). Sequitur deinde:
*Iste Deus, præter quem non est alius, et dicit: Verba
mea non avertentur*. Cujus autem hæc **67** vox est,
nisi illius qui in Evangelio dicit: *Cælam et terra trans-
ibunt, verba autem mea non transibunt* (Math. xxiv,
35)? Item adjungit, Deus iste præter quem non est
alius; et dicit: *Mihi enim inclinabit* (al. inclinavit)
universitas genu, et jurabit (al. juravit) *omnis lingua
per Deum*. Hoc autem de quo intelligi debeat, Pau-
lus nobis, magister Christi doctus, ostendit, qui
scribens ad Romanos sic ait: *Nemo enim nostrum
sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus,
Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur.*
Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus (Rom.
xiv, 7, 8). Et, ut se de Christo dixisse monstraret,
adjunxit: *In hoc omnis Christus, et mortuus est, et re-*

^b Ms. Cofb., accipe.

surrexit, ut mortuorum et vivorum dominetur. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Dei (Rom. xiv, 9, 10)? Statimque hoc propheticum subjicit testimonium, dicens: Scriptum est enim: Vivo ego, sicut Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo (Isai. xlv, 24). Ante tribunal vero Christi nos astaturos (al. asituros) ipse denuo testatur, dicens: Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum (II Cor. v, 10). Ipsi quoque omne genu flectendum idem docet apostolus, dicens: Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum: et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (Philip. ii, 10, 11). Jam nunc omnia quae superius dicta sunt denuo consideremus. Dicit Deus: Ego Deus, et non est alius praeter me. Et in persona Filii dicit Isaias: Quoniam in te est Deus, et praeter te non est Deus; tu enim es Deus, et nesciebamus. Deus Israel Salvator (Isai. xlv, 15). Deus autem Israel Deus unus est. Sequuntur autem caetera quae testimoniis supradictis ad Filium ostendimus pertinere: ipse enim per semetipsum jurat, neminem habens majorem; ipse populum suum salvat; ipse juste iudicat; ipsi flectitur omne genu, caelestium, terrestrium, et infernorum; ipsi omnis lingua confitetur, a quo est retributio reddenda factorum. Ipse ergo, de quo haec omnia dicuntur, per prophetam dicit: Ego Deus, et non est alius praeter me. Nunquidnam Deum istum, praeter quem alius non est, ita solum Filium accipimus, ut ab eo Patrem et Spiritum sanctum separemus? Absit: hoc enim impossibile est. Nam praeter Deum Patrem Deus Filius non est, quia de Patre est, et in Patre est. Praeter Patrem et Filium Spiritus sanctus non est, quia Patris et Filii Spiritus est, et in Patre et in Filio est. Unde cognoscitur quoniam ista Trinitas unus Dominus Deus est, de quo dicitur: Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Dominus (al. Deus) unus est (Deut. vi, 4). Et: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli

*A servies. Huic Domino etiam Isaias propheta dicit: Domine, praeter te alium non novimus, nomen tuum nominamus. Hoc autem nomen Salvator noster ostendit, dicens discipulis suis: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (Matth. xxviii, 19). Istud est nomen Domini, praeter quem alium non novimus, et cuius nomine nominato, a morte liberamur, de potestate tenebrarum **68** eruiamur, ut in regnum Filii transferamur. In Patre ergo et Filio et Spiritu sancto unitatem substantiae accipimus, personas confundere non audeamus. Beatus enim Joannes apostolus testatur, dicens: Tres sunt qui testimonium perhibent in caelo, Pater, Verbum, et Spiritus; et tres unum sunt (I Joan. v, 7). Quod etiam beatissimus martyr Cyprianus, in epistola de Unitate Ecclesiae constituit, dicens: Qui pacem Christi et concordiam rumpit, adversus Christum facit; qui alibi praeter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit. Atque ut unam Ecclesiam unius Dei esse monstraret, haec confestim testimonia de Scripturis inseruit. Dicit Dominus: Ego et Pater unum sumus. Et iterum: De Patre et Filio et Spiritu sancto scriptum est: Et tres unum sunt. Nam et in libro de Oratione dominica, ut ostenderet Trinitatem unius deitatis, esse nec inter se aliquam diversitatem habere, Danielem et tres pueros, ternarum horarum circulis revolutis, orationem fundere solitos memoravit. Ubi et in trium horarum curriculo, et in unius orationis officio, unum Deum esse Trinitatem evidenter ostendit. Non ergo ex tribus partibus unum colimus Deum, sed apostolicae fidei regulam retinentes, perfectum et consempiternum Filium, de perfecto et sempiterno Patre, sine initio genitum, et potestate non impari, et natura fatemur aequalem. Sanctum quoque Spiritum non aliud fatemur esse quam Deum, nec a Filio nec a Patre diversum, nec in Filio nec in Patre confusum. Unus est enim atque idem Patris et Filii Spiritus, totus de Patre procedens, totus in utroque consistens, nec est divisus in singulis, quia inseparabiliter est utrisque communis.*

S. FULGENTII

AD TRASIMUNDUM REGEM VANDALORUM

LIBRI TRES.

LIBER PRIMUS.

DE MYSTERIO MEDIATORIS CHRISTI DUAS NATURAS IN UNA PERSONA RETINENTIS.

CAPUT PRIMUM. *Liber a rege destinatus Fulgentio. Responsio Fulgentii ex jussu regis. Fidem nolle asserere, est fidem negare. Respondeendi necessitas est ex precepto divino.*

69 *Triumphalibus tuis sensibus, piissime rex, nequaquam crediderim oblivione (al. oblivioni) sub-*

tractum, quod nuper mihi quoddam volumen, bajulo Felice, praeeperis destinari, jubens me illico respondere. Cujus, quia tanta fuit prolixitas, ut egeret aliquanto diutius recenseri, et diurni finis aderat, nocte propinquante, curriculi, vix ejusdem voluminis pria-

cupia citatæ delibans .ectionis excursu, poposceram, ut ad cuncta plenæ recensionis (al. recensionis) ordine perlegenda noctis unius nobis spatium fuisset indultum; quod vestræ mansuetudinis voluntas omnino statuit abnegandum, ita ut nec saltem ad residua perlegenda Scripturæ nobis præcepisses attribui. Ego vero, cum spatio quorundam dierum ordinationem tui culminis præstolarer, ac deinceps, interrogationis illius tenore subtracto, sola fuisset a nobis flagitata responsio, pauca, quibus, Domino adjuvante, nostri parvitas sufficit ingenii, de eadem interrogatione, quam ex principio tenuiter cognovi, vestræ recensendam mansuetudini destinavi, ne forsitan aut fastidio putarer tumidus, aut taciturnitatis culpa iudicaretur obstrictus, quem vestra celsitudo suspicaretur, aut superbia responsionem non reddere, aut veræ fidei diffidentia tacuisse. Nam studio vestro, clementissime rex, compertum esse non ambigo apud eos qui Christianæ gratiæ participatione redempti sunt, pene id esse, fidem nolle asserere, quod negare. Quippe cum ipse unigenitus Deus humani generis conditor et redemptor, sicut se confessurum confitentem, ita se negaturum negantem, certa prorsus denuntiatione testatur, dicens: *Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in cælis: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui est in cælis* (Matth. x, 32, 33). Ita denuo erubescens se suosque sermones ipse 70 quoque in sua majestate veniens erubescet. Cujus dicti normam tali Lucas sententia cognoscitur posuisse, ubi hujus confusionis sic exitiale firmat tacituro silentium, ut erubescens perditioni non sileat mancipandum; inter alia Dominum hæc dixisse commemorans: *Quid enim proficit homini (al. homo), si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat et detrimentum sui faciat* (Luc. ix, 21)? Causamque hujus perditionis insinuans adjecit: *Nam qui me erubuerit (al. erubescit), et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum angelorum.* Nec immerito talis servus et abjicitur et punitur, quoniam uno eodemque silentio firmat errorem, qui, terrore seu torpore (al. tepore) possessus, silendo non astruit veritatem. Dominicam quoque gloriam qui non firmavit, evacuat, et divinam contumeliam qui non refutarit, accumulatur. Plerumque miles ignavus regia castra, somnolento torpore depressus, oppugnantibus tradit, dum competentibus excubiis non defendit. Hæc idcirco curavi quam maxime præmittenda, ne superbiæ responsionis aliquatenus notare tua pietas velit, cui ipsa respondendi necessitas officium liberæ responsionis imponit: nam cum de Deo res agitur, non levis reatus est, si quod ad salutem pertinet taceatur. Ita namque nos oportet corde ad salutem credere, ut oris confessio fiat pariter ad salutem (Rom. x, 10); quoniam verbum Dei non est vincitum (II Tim. ii, 9). Huc accedit quod illud divinæ præceptionis oraculum omnis ecclesiastici prædicatoris personam, non tantum fidei, sed

A etiam servitii quadam communiōe perstringit (al. pertingit), dicente Domino: *Clanna, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* (Isai. lviii, 1). Quod Isaïæ cum dicitur in uno, pluribus imperatur; ipso unigenito Deo discipulis loquente: *Quod uni vestrum dico, omnibus dico* (Marc. xiii, 37). Propterea nos etiam beatus Petrus ad respondendum paratos esse debere paternæ jubet dilectionis instinctu: *Parati, inquit, semper ad respondendum omni poscenti vos rationem de fide et spe quæ in vobis est* (I Petr. iii, 15). Cum omni poscenti rationem fidei speique nostræ præcipimur reddere, cessat prorsus universæ tam dignitatis exceptio quam personæ. Cui enim veritatis insinatio deneganda putabitur, cum se locutum sine confusione coram regibus propheta testatur, dicens: *B Loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebam* (Psal. cxviii, 46)?

CAPUT II. *In respondendo habenda est ratio regum dignitatis. Deus plus timendus et honorandus quam rex temporalis. Laus barbari regis propter studium sapientiæ.*

Quocirca, cum pro nostra fide, in quantum facultatem divinitus accepimus, libere respondemus, nulla contumaciæ seu contumeliæ debemus suspitione notari, cum nec nostræ humilitatis, nec regis simus dignitatis immemores, sciamusque Deo timorem, honorem regibus exhibendum, apostolica ita non præmonente doctrina: *Reddite omnibus debita, et paulo post: Cui timorem, timorem; cui honorem, honorem* (Rom. xiii, 7). Hujus timoris honorisque manifesta nobis beatus Petrus aperuit discretionem notitiam, dicens: *Sicut servi Dei omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum time, regem autem honorificate* (I Petr. ii, 17). Non autem parum clementiæ tuæ dilectionis exhibet 71 et honoris, quiaquis interroganti tibi hoc respondet quod ad fidem pertinet veritatis. Competens igitur mansuetudini tuæ deferimus honoris obsequium, cui regalis apicem culminis divina cernimus largitate collatum. Nec tamen quemquam sapientem fugit quanto sempiternus ille Rex regum et Dominus dominantium timore debeat suspici, qui temporales etiam reges præcipit honorari. Hunc si quis parum metuit, valde contemnit; hujus qui minorat (al. non memorat) honorificentiam, augeat injuriam; nec ingrati refugit culpam, qui creatoris immensitatem perpetuam et perpetuitatem immensam creaturarum (al. creaturæ) putaverit qualitibus æstimandam. Hoc benigna mansuetudo tua procul dubio perspicit, hoc ingenii studii que tui sagacitas recognoscit; quam vere mirandam quisquis novit considerare pronuntiat, non quod insolitum sit hominem Scripturarum studiis insistere, sed quod rarum hactenus habeatur barbari regis animum numerosis regni curis jugiter occupatum tam ferventi cognoscendæ sapientiæ delectatione flammari, cum hujusmodi (al. hujusmodi) semper infatigabiles nusus non nisi vel otiosus quis habere soleat, vel Romanus. Per te, clementissime rex, per te, inquam, disciplinæ studia moliantur jura barbaricæ gentis invadere, quæ sibi velut vernacula proprietate sole

inscitiam vindicare. Inventus es qui te ipso potior existisses, dum sic Africano præsidens moderando regimini, ut magis desideres animæ spatia dilatare quam regni. Nosti, venerabilis rex, et (ut non ambigo) firma tenes sententiâ comprobatum quanto melioribus inhæreat commodis qui veritatem desiderat nosse, quam qui, subactis gentibus, temporalis fines regni cupit latius propagare.

CAPUT III. *Studium regis erroneum in Ariano perfidia.*

Magnum bonum confert inquisitio veritatis, quæ tamen tunc desiderato non frustratur effectu, si rectis ad veri cognitionem lineis animus inipitatur. Tunc etiam veloci prederit ingenio cucurrisse, si tendentis ad veritatem gressus nullo pravitatis teneatur (al. teneantur) errore. Qualiter autem salubris est credulitas æstimanda, quæ putat in eo cultum religionis divinæ consistere, ut vel naturali veritate sit privanda divinitas, dum negatur in ea (al. in re) quod non negatur in homine (al. in nomine), vel cum redemptionis nostræ pervertitur (al. prævenitur) incerta confusione mysterium, ut Dominum Christum, Dei et hominis Filium, vel Deum de Patre naturaliter verum, vel hominem quis audeat negare perfectum; aut si subjacuisse divinitas æstimetur passionibus hominis, vel non totus homo fuisse credatur in virtutibus deitatis? Ac sic non dissimili veritas evacuat error, si, vel in una persona veri Dei verique hominis Christi quod diversum substantialiter constat esse confanditur, vel in divinitate Patris et Filii et Spiritus sancti, substantiali diversitate credita, quod unum atque indivisibile Trinitatis est separatur: cum nec divina simplicitas particularem sibi diversitatem ascribi permittat, 72 unde non immerito compositioni subjaceat; nec rationalis intelligentia cæca diversitatis ultatenus egeat, quæ unius tantum simplicis sempiternæque nature fidem ad salutis sue plenitudinem esse esse cognoscat, ut pote quæ non ignoret ipsum Deum sibi cœlestibus oraculis intonare: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Dominus* (al. *Deus*) *unus est* (Deut. vi, 4). *Et Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Et Non erunt tibi dii absque me.* Sed nec illud est humanis mentibus ignorandum, quanto salutis multetor (al. mutetur) æternæ dispensatio, quisquis veri Dei proprio unigenitoque Filio, quantum ad divinitatis attinet immensam sempiternamque substantiam, vel localis motionis, vel cujusquam mutabilitatis non metuat impiis mortiferisque contumeliâ cogitationibus vel sermonibus irrogare; unde non immerito Davidicæ carminis illo^a sit condemnandus eloquio: *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus* (Psalm. xiii, 1). Quia revera, si localis, non immensus; si mutabilis, non est Deus.

CAPUT IV. *Errores hæreticorum ex malo intellectu circa mysterium Incarnationis. Inde etiam cæcitas Judæorum.*

Certum est autem pene omnes (al. omnis) hære-

tica pravitatis errores hinc quibusdam multipliciter subrepsisse, dum *magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria* (I Tim. iii, 16), nonnulli, aut^b non sicut est credant, aut omnino non credunt; et ille lapis, qui ab ædificantibus reprobatus in caput factus est anguli, quibusdam præve credulitatis cæcitate possessis, *lapis offensionis et petra scandali* (I Petr. ii, 8) efficitur. Unde non immerito, cum Simeon infantem Christum templi Dominum, ad templum suum præcepto suæ legis allatum (al. illatum), gaudens ulnis meruisset gestare senilibus (Luc. ii, 28), et figuram gerens præsentis ævi, carnali senio jam defessi, novum vetulus hominem sumeret, eum scilicet qui solus posset ex peccatoribus (longævo dicenti: *Tu es Deus salvator meus, et te exspectavi tota* (al. *toto*) *die* [Psalm. xxiv, 5]) non solum inofitum vetustatem demere, quin etiam juventutem, *sicut aquilæ, renovare* (iut pote cui etiam apostolica tuba foret veraciter canitura: *Sicut est veritas in Jesu deponere vos secundum* (al. *sicut*) *pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris; renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, cum* (al. *novum eum*) *qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* (Ephes. iv, 22); ille igitur Simeon, mundanæ cernens adese salvationis ac renovationis effectum (non enim misit Deus Filium suum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum [Joan. iii, 17]), cum primum se vitæ præsentis angoribus precaretur absolvi, dicens: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salvatorem tuum, quod reparasti^c ante faciem omnium populorum; tamen ad relationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel* (Luc. ii, 29-34); patio post hoc de ipso testatur: *Ecco positus 73 est hic in ruinam et resurrectionem multorum* (Ibid., 34). Ibi ergo male credentibus ruinam perfidia generat, ubi recta credentibus fides exaltat. In uno eodenuque Christo, vero Dei veroque hominis filio, minus perspicientium tenebratur hæcæque lippitudo, in quo illuminatis veri luminis clarè manifesta cognitio. Inde est quod Judæus hominem Christum cæcus vidit, et cecidit, cui jam pridem Isaias non destitit prædicare: *Aure audietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non videbitis* (Isai. ix, 6). Quid vero essent non visuri videntes, subsecutus ostendit, dum Deum ex Virgine nasciturum evidenti vaticinatione testatur: *Eccæ, inquit, virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (Isai. vii, 14), quod interpretatur evangelista, dicens: *Nobiscum Deus* (Math. i, 25). Audiens ergo Judæus, remansit surdus, et videns, magis factus est cæcus; a quo nec veri Patris sempiternus atque unigenitus Filius creditur, et incorruptæ virginitatis fecunditas abrogatur.

^a Ita ms. Corb.; at editi habent, *illos ita condemnat equum.*

^b Ms. Corb., *aut sicut est credunt, aut, etc.*

^c Abest a ms. Corb. *ante faciem.*

CAPUT V. Error Manichæi circa carnem Christi. Ex libro Sapientiæ refutatur, Convincitur ex epistola Joannis.

Hinc etiam Manichæus in Deo veram carnem formidat credere, cum humanam carnem non vitæ culpæ, sed naturali credens proprietate pollutam, naturæ mali, quam sibi mendaciter fingit, tantam virtutem cæcis attribuit, ut, si crediderit verum Deum veram carnem assumpsisse naturam, divinitatem (quam fallaci professione dicitur ^b incoquinabilem) carnis non credat pollutionis expertem; et ideo in Christo carnis phantasiam credere maluit quam naturam, et cum infirmitatem humanam ab illa (al. ab illo) susceptam medicinali virtute non vidit, semetipsum miser a remedio salutis exclusit. Sed hæc impura dementia falsitatis, sancti Spiritus præscientia resistente, prius est extincta quam genita, incoquinabilem sapientiæ statum his verbis Instrumenti Veteris serie commendante; *Omnium mobilitatum mobilior est sapientia; attingit autem ubique propter suam munditiam. Vagor est enim virtutis Dei, et emanatio quondam claritatis omnipotentis Dei sincera; et ideo nihil inquinamenti in illam incurrit. Splendor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago humilitatis illius. Et cum sit una, omnia potest; et permanens in se, omnia innovat* (Sap. vii, 24, 27). De qua sapientiæ incoquinabilitate atque incarnationis veritate securus ille qui de pectore ipsius sapientiæ mysteriorum celestium meruit intelligentiam illuminatus haurire, fiducialiter dicit: *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Omnis spiritus qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo non est, et hic est Antichristus* (1 Jo. iii, 2, 3): *foetulentæ quippe carnis inquinamenti non sensit, qui ad suscipiendam veram substantiam carnis et eandem mundandam carnis foetulentiam venit. Quoniam ideo carnem immaculatam dignatus est sumere, ut carnem salvans omnem posset carnis maculam subtrahere, memorato rursus Joanne tentante: Scimus quia ille apparuit, ut peccata tolleret, et peccatum in eo non est* (1 Jo. iii, 5). Uerum: *In hoc apparuit Filius Dei, ut solvat opera diaboli* (Ibid., 8). **¶** Nam quia Dei opus vinculo tenebatur diabolici operis, apparuit Filius Dei ut illud solveret, hoc salvaret.

CAPUT VI. Photini hæresis. Ex initio Joannis multi consultantur errores. Deus erat Verbum naturaliter, non nuncupative solum.

Ignorat etiam Photinus *magnum pietatis*, quod Apostolus memorat, *sacramentum* (1 Tim. iii, 16), qui Christi ex Virgine factetur exordium: igeorans in uno Christo sic esse credendam veritatem carnis ex tempore, ut neganda non sit naturalis veritas sempiternæ divinitatis ex Patre, Et propterea non credit sine initio substantialiter Deum natum ex Deo Patre, in quo carnis veritatem colligitur ex Virgine, non

A intelligens de Patre Deo substantialiter natum illud Verbum quod, in plenitudine temporum caro factum, habitat (al. habitavit) in nobis, quod secundum divinitatem quam habet ex Patre substantiam in principio erat, et apud Deum erat, et Deus erat (Joan. i, 1). Quibus tribus evangelistæ sententiis, et sempiterna Verbi nativitas, et personalis inconfusa proprietas, et indiscreta substantialis unitas Patris Filiique monstratur, ut in Verbo caro (al. carne) facta, et habitante in nobis, quod in principio erat sempiternitatis agnitio suspicionem cœptæ nativitatis auferret; quod apud Deum erat personæ utriusque inconfusa proprietas unionem Sabelliani erroris excluderet; quod autem Deus erat essentialis nominis veritas unitatem substantiæ genitoris genitricis monstraret.

B Non enim dixit Joannes, Deus dictus est Verbum, sed Deus erat Verbum: ut dum in Deo Verbo essentis diviniæ veritas naturalis agnoscitur, consequenter non nuncupativi, sed naturalis nominis veritas probaretur. Veritas enim naturæ nunquam privatur nominis veritate. Ac sic illa (al. illius) Verbi, non prolativi, sed substantialis veræ (al. verissimæ) incarnatio tunc salubriter creditur, si æternum Verbum, quod carnem (al. nostram) suscepit ex tempore, non initio existendi subditum, non personam cum Patre confusam, non aliud (al. alium) natura credamus esse quam Deum.

CAPUT VII. Error alius negantium veram in Christo deitatem simul et humanitatem. Error alius eorum qui humanitatis opera in deitatem referunt.

Sunt etiam quidam in eo quamplurimum gratiæ Salvatoris ingrati, quod in Christo, Deo scilicet vero homineque perfecto, sic seasserunt accipere Dei hominisque naturam, ut unam falsam, alteram semiplenam non dubitent in Dei Filio prædicare substantiam. Nam veram Christi deitatem nolent credere, cujus ex Deo Patre veram nativitatem negant substantialiter existisse, volentes Deo Filio naturam veri nominis adimere, cui nequeunt nomen naturalis veritatis auferre. Dicunt enim in unigeniti Dei nomine non naturalem ex Patris generatione substantiam, sed nuncupationem solius esse vocabuli donatione concessam. Humanam quoque naturam sic in Christo credunt, ut quod est melius hominis adimant; quod est inferius, hoc reſiſquant: et minus considerantes *magnum pietatis*, quod Apostolus memorat, *sacramentum*, ab illa Mediatoris mirabili susceptione rationalem nituntur animam separare, quam in Mediatore Dei et hominum penitus asserunt **¶** non fuisse. Aliud quoque ab istis adjicitur memorato errori piculum, quo confusionis admittunt teterrimæ caspenatum. Nam in unitate personæ (in qua Deus et homo unus Christus, inconfusibilem atque inseparabilem utriusque veritatem naturæ commendans, verum se Deum divinis operibus verumque hominem humanis passionibus demonstravit, impassibile habens per quod homo creatus est sanus, passibile sus-

^a Ita ms. Corb. et ms. Victor. habet, naturam aliquam sibi, etc. Editi Colon. et Antwerp., naturæ malignam. Basil. vero, naturam malignam sibi mendaciter fingit, eique.

^b Ita ms. Corb. et Victor.; et editi habent, *nquabilem*.

^c Abest vero ab ed. Ant. et Basil.; legitur in ms. Corb. et ed. Colon.

cupiens per quod sanaretur infirmus) sic isti nescio qua deceptione falluntur, ut quidquid Dominus, veram formæ servilis susceptionem monstrans, humiliter gessit aut dixit, totum ad contumeliam divinitatis derivare non metuant, quam passioni mutabilitatis (al. mutabilitatque) subjiunt, dum utriusque naturæ veritatem tam dictorum quam operum manifestatione clarissima resplendentem nulla consideratione distinguunt: non attendentes ubi demonstratur infirmitas ab invicta et impassibili virtute suscepta, ubi per infirmitatem resplendeant invictæ virtutis insignia: atque ita divini mysterii frustrare conantur effectum, quia revera homo salvari non potuit, si vel susceptor hominis naturaliter verus Deus non fuit, vel in Dei veri susceptione aliquid hominis defuit.

CAPUT VIII. Mediatoris duplex natura ex Scripturis demonstranda. Ex verbis Isaïæ tria in Christo probantur, caro, anima, et divinitas.

Et ut omne submoveatur dubitationis ambiguum, in una Mediatoris Dei et hominum hominis Christi persona perfectio divinæ humanæque substantiæ prophetis est apostolicisque testimoniis demonstranda. Isaïas, sicut supra memoravimus, dicit: *Ecce Virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabitur (al. vocabitis vel vocabis) nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel manducabit, priusquam sciat aut proferat maligna, mutabit bonum; quoniam priusquam sciat puer bonum aut malum, non credit malitiæ, ut eligat quod bonum est, et relinquetur terra desolata; quoniam priusquam sciat puer vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci, et spolia Sâmaris (Isaï. vii, 14-16).* In hoc testimonio tota continetur salutis mysterii plenitudo: nam veritas carnis in virginali conceptu cognoscitur, et in electione boni anima intellectualis ostenditur, et in Emmanuel nomine vera deitatis natura monstratur; ac sic in vero Deo, nec falsa fuit hominis, nec semiplena susceptio. Dignum etenim fuit ut in sacramento redemptionis humanæ, nec veritas defuisset perfectioni, nec perfectio veritati. Nam si vera caro in Christo non fuit, quid in utero Virgo concepit? et si anima vel intellectus naturæ in Christo defuisse credatur humanæ, quid in infante bonum malumque dicitur ignorasse? An illam divinam Filii Dei naturam ignorantia boni malique subjicimus, ut humanam in Christo animam denegemus? Itane credendus est homo susceptus a Deo quæ Dei sunt aliquatenus potuisse sapere, in quo ipsa sapientia cognitione boni malique dicitur caruisse? Anima igitur humana, quæ rationis capax naturaliter facta est, bonum malumque in infante Christo nescisse dicitur, quæ secundum evangelicam veritatem in puero Jesu sapientia et gratia profecisse narratur: sicut Lucas ponit et dicit: *Puer autem crecebat, et confortabatur, plenus sapientiæ, et gratia Dei erat in illo (Luc. ii, 40).* Et paulo post: *Jesus proficiebat 76 sapientia, ætate, et gratia apud Deum et homines (Ibid., 52).* Nam sicut carnis est ætate proficere, sic est animæ sapientia et gratia profecisse,

A quæ tamen in sapientia nullatenus proficeret, si naturalem intelligentiam (quæ hominibus rationis causa concessa est) non haberet, non quia hoc susceptor Deus eguit, sed quia hoc pro remedio nostræ salutis effectus piæ susceptionis exegit, ut dum caro et anima rationalis a Deo suscipitur, utraque pariter salvaretur: nam nec caro ipsa fuit a Dei Filio suscipienda, nisi divina fuisset susceptione salvanda. Quod si Deus carne non eguit, sed ut eam salvaret accepit, ita nec anima rationali Deus eguit, sed eam salvandam cum carne suscepit: cujus animæ humanæ susceptionem prophetico more David sanctus intimat dicens: *Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ (Psal. lxxviii, 6).* Adjuvit utique quam suscepit, quam procul dubio, nisi susciperet, non juvisset.

CAPUT IX. Ovis errans peccator est a Deo aberrans. Viæ Domini fides, justitia, misericordia, et veritas.

Necessarium autem reor perfectam hominis in Christo susceptionem evangelicæ quoque parabolæ recensione monstrandam, ovis scilicet erraticæ, quam propriis humeris subvectam Dominus reportavit ad domum; cujus quærendæ David jam pridem flagitabat lacrymabili postulatione subsidium, dicens: *Erravi sicut ovis quæ perierat, require servum tuum (Psal. cxviii, 176).* Cum ergo murmurarent Pharisei et Scribæ dicentes: *Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis (Luc. xv, 2),* refert evangelista quod hanc eis Dominus parabolam dixerit: *Quis est vobis homo qui habet centum oves, et si perdidit unam ex illis, nonne dimittit (al. dimittet) nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat illam? Et cum invenerit eam, imponit (al. imponet) in humeros suos gaudens; et veniens domum, convocat amicos et vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat (Ibid., 40 seq.).* Hanc ovem, in qua peccatoris hominis natura signatur, quali errore dicemus errasse? cordis an corporis? errore pedum an errore morum? Non opinor quemquam sic humanæ cogitationis exortem, qui putet hominem quomodolibet (al. quemlibet) a Deo longinquitate habitationis et non perversitate cogitationis errare. In via Dei non gressu corporis, sed mentis ambulatur incessu. Via Dei fides est recta, quæ in tantam via prorsus ostenditur, ut in ea non Apostolus ambulare testetur: *Per fidem (inquiens) ambulamus, non per speciem (II Cor. v, 7).* Via Domini justitia est, per quam se beatus David deductum esse commemorat, dicens: *Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit: deduxit me super semitas justitiæ propter nomen suum (Psal. xxii, 2).* Viæ etiam Domini misericordia et veritas (Psal. xxiv, 10), per quas utique non corporis gressu, sed animæ magis ambulatur affectu. Hanc nobis ambulandi doctrinam beatus Joannes intimat dicens: *Quis dicit se in Christo manere, debet quemadmodum ille ambulavit, et ipse ambulare (I Joan. ii, 6).* Qua via

* Ms. addit sic

se præcipit Christus ipse sequendum, dicens : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ 77 habes, et da pauperibus; et habebis thesaurum in celo; et veni, sequere me (Matth. xix, 21)*. Non ergo corporali gressu solo quisquam sequitur Christum, aut errat a Christo. ^a Equidem erroris hujus qualitate Dominus ipse Salvatorque noster, dum Sadducæos increparet, ostendit, dicens : *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei (Matth. xxii, 29)*. Propterea utique miserabiliter errabant, quia illum, qui Dei virtus est, nesciebant. Sicut ergo virtutis Dei scientia tenax est celestis itineris, sic est inscitia mater erroris. Quod etiam beatus David ostendit, dicens de quibusdam : *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulavit (Psal. lxxxiii, 1)*. His atque hujusmodi testimoniis evidentissime demonstratur ovis illius errorem, non B solum corpori, sed etiam animæ deputandum; illa scilicet ratione, quoniam etsi ab hominibus corporaliter videatur aliquod admitti peccatum, ex corde sumit exordium, nec extrinsecus quidquam perficitur, nisi hoc intrinsecus cogitationis iudicio porrigatur. Cujus rei veritatem Veritas nobis ipsa monstravit, ita discipulis loquens : *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia. Hæc sunt quæ coinquinant hominem (Matth. xv, 19)*. In hoc igitur unusquisque errat, in quo semetipsum malæ cogitationis assensione commaculat.

CAPUT X. *Ex parabola ovis reportata probatur totus homo a Christo susceptus. Christus per animam suam Ecclesiam in conjugium recepit. Christus caput, Ecclesia corpus recte dicitur.*

Quapropter, cum error iste animæ simul intelligatur et corporis, si Dei Filius absque anima rationali ^b solam accepit hominis carnem, inferiore partem illius ovis domum retulit, meliorem vero (quod absit) errori perpetuo dereliquit : nam manifestum est quoniam hoc revocavit, quod propriis humeris reportavit. Si autem ipse totam se profiteretur ovem propriis humeris impositam ^c reportasse, totus homo cognoscatur in Christo. Quoniam tunc est hominis credenda redemptio si in Filio Dei susceptionis humanæ, id est ovis illius reportata, non defuit plenitudo. Hoc enim Deus in nobis salvavit, quod pro nobis accepit; et illum Deus Dei Filius naturam fecit participem salutis æternæ, quam sibi conjunxit in unitate personæ : illum in cæleste palatium introduxit, cum qua sponsus de thalamo uteri virginis exivit : *ipse enim, tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam (Psal. xviii, 6, 7)*. Quis autem molliatur dicere Verbi Dei sponsam carnem fuisse, non animam? cui animæ jam pridem dictum est ab ipso Domino per prophetam : *Et desponsabo te mihi in æternum; et sponsabo te mihi ad justitiam (al. in justitia), et in iudicio, et in misericordia, et pietate (Osea ii, 19)*. Cujus mysterii hanc quoque testis fidelis existit, qui ex persona

A Christi loquentis hæc dicit : *Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo (al. Deo meo) qui (al. quia) induit me vestimentum salutis, et indumentum justitiæ circumdedit me, quasi sponsam decoratam coronam, et quasi sponsam decoratam monilibus suis (Isai. lxi, 10)*. Ecce unus est sponsus, ^d est et sponsa, qui se etiam animam habere testatur : quam ut ostenderet non sine intellectu susceptam, cor (quod proprium est animæ humanæ) **78** simul cum carne in Deo exultasse ex persona hominis suscepti monstravit dicens : *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum (Psal. lxxxiii, 2)*. Quia vero naturæ primitias suscipiens Dominus, sicut in suo corpore cunctorum fidelium corpus, sic in sua anima universorum fidelium animas per naturæ unitatem et gratiam justificationis accepit : per hanc omnem Ecclesiam in conjugium sibi perpetuæ incorruptibilitatis ascivit, cujus desponsionis mirabile sacramentum sic fidelis sponsi servus ipsi sponsæ commendat, ut mentis intelligatur magis esse quam corporis, dicens : *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quæ est in Christo (II Cor. xi, 2, 3)*. Ibi ergo spiritualis adulter corrumpere quærit castitatem virginis matrimonii, ubi cernit cælesti sponso fidem concubii debere servari. Inaniter autem animæ castitatem custodiri mandat Apostolus, si hujus primitias conjunctionis in se non habuit homo a Deo susceptus; præsertim cum caput et corpus Christum Ecclesiamque doctor idem gentium prædicare non cesset, dicens : *Secundum operationem potentiæ virtutis ejus quam operatus est in Christo Jesu, suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in cælestibus supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro : et omnia subiecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, plenitudo ejus, ^e qui omnia in omnibus adimplet (Ephes. i, 20-22)*. Alio quoque loco dicitur (al. dicit) : *Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse Salvator corporis (Ephes. v, 23)*. Quomodo ergo anima Ecclesiæ poterit salvari, si defuit anima Salvatori? vel D qualis effectus liberationis credetur (al. crederetur) secuturus in corpore, qui non præcessit in capite? Nam sicut suis fidelibus dicit : *Si vos Filii liberaverit, tunc vere liberi eritis (Joan. viii, 36)*, ita de se quoque pronuntiat : *Quia factus est sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber (Psal. lxxxvii, 5)*. Quod ergo caput liberum fecit in se, hoc etiam liberavit in corpore, quia intrans in domum fortis, atque alligans fortem (Matth. xii, 29), hoc ibi a servitio liberavit, quod primitus in se pro servo suscepit; nec aliud est in corpore ^f regnaturum, quam quod in capite præcessit (al. processit) ad cælum. Cujus rei

^a Ms. Corb., *Et quidem*.

^b Ms. Corb., *solum*.

^c Abest a ms. Corb. hæc vox impositam.

^d In ms. Corb. *deest est*.

^e Ms. Corb., *quia omnia in omnibus adimpletur*.

^f Ita ms. Corb. At editi habent *regnantium*.

credulitatem fideliter ac fiducialiter gerens Paulus A
exsultat, et dicit : *Nostra autem conversatio in caelis*
est (Philip. III, 20). Ibi itaque (al. utique) suam ani-
mam conversari non ambigit, ubi humanam animam
in Christo regnare confidit : propter quod etiam Col-
lossenses hujusmodi (al. hujusmodi) predicationis
hortatur eloquio dicens : *Si consurrexistis (al. con-*
surrexistis) cum Christo, quæ sursum sunt querite,
ubi Christus est in dextera Dei sedens.

CAPUT XI. *Alia ratio ex Petro.*

Nec illud est aliquatenus omittendum, quod cum
magno predicationis miraculo Petrus commendat in
Christo, quia peccatum non 79 fecit, nec inventus est
dolus in ore ejus. Sic enim dicit : *Christus pro nobis*
(al. vobis) mortuus est, vobis relinquens exemplum, ut
sequamini vestigia ejus; qui peccatum non fecit, nec
inventus est dolus in ore ejus (I Petr. II, 22). Nam si
Dei Filius animam humanam in carnis susceptione
non habuit, et hoc beatus Petrus de ejus creditur di-
vinitate dixisse, quid est quod pro magno in laudem
dicitur Christi, quia divinitas ejus immunis esse po-
tuit a labe peccati, cum Dei sit propria, non solum
non peccare, sed etiam a peccato salvare : qui pro-
pterea solus potest donare indulgentiam, quia solus
admittere non potest culpam ; ideo solus est vulne-
ratorum medicus, quia divina natura nunquam in se
recipit vulnus ? Si autem hoc ad Christi carnem cre-
ditur referendum, quomodo ab animabus nostris ser-
vari justitia poterit, quibus exemplum apostolice
memoratum susceptio Christi non dedit ? Sed ut osten-
deret beatus Petrus et in anima simul et in carne C
Christi processisse justitiam, quam nobis sperat
imitandam, secutus adjunxit : *Qui cum malediceretur,*
non remaledicebat (al. maledicebat) ; quod proprio ad
animæ patientiam pertinet ; propter quod et alio loco
dicit : Non reddentes malum pro malo, vel maledi-
ctum pro maledicto, sed e contrario benedicentes :
quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hereditatis
possideatis (I Petr. III, 9). Cujus benedictionis Salva-
tor noster ex corde predire commendat exordium
dicens : *Homo bonus de bono thesauro cordis sui pro-*
ferit (al. proferet) bona (Matth. XII, 35). Constat ergo
in anima benevolentiam esse, nude benedictionem
possimus maledicentibus reddere. Ut autem beatus
Petrus, et anima nobis, et carnis in Christo deman-
straret exemplum, cum dixisset : *Qui cum maledi-*
ceretur, non remaledicebat (al. maledicebat), secutus
adjunxit : Cum pateretur, non comminabatur. Com-
mendabat autem judicanti a jure ; qui peccata nostra
portavit in corpore suo super lignum, ut a peccatis no-
stris separati, cum justitia vivamus, cujus livore sa-
nati estis (al. sumus). *Qui sicut ovis errabatis ; sed*
nunc convertimini ad pastorem, et visitatorem anima-
rum vestrarum (I Petr. II, 23-25).

CAPUT XII. *Christus recte et pastor, et ovis ac agnus*
dicitur. Alia ratio ex Levitico, quia Christus cum es-

^a Ita editi. At miss. Corbeïense et Victor. habent
judicanti se injuste. Verum in rus. Corb. addita est
(eadem forte mano) particula *se* et prior syllaba vocis

set pontifex, integer ut esset homo, ex lege tene-
batur.

Est igitur Dei Filii animarum nostrarum visitator
et pastor, quia fieri dignatus est animæ humanæ sus-
ceptor, cui ex persona futura susceptionis humanæ
dicitur in psalmo : *Suscipe me secundum verbum*
tuum, et vitam (Psal. CXVIII, 116). Christus ergo pa-
stor noster est, cujus nos oves esse apostolica testa-
tur auctoritas ; qui tamen, ut plene susceptorem ac
nostre nature dignaretur ostendere, non solum pa-
storem, sed et ovem se non dedignatus est appel-
lare (al. appellari), ut pote de quo, sancto Spiritu
actus (al. tactus), propheta testatur : *Sicut ovis ad*
victimam adductus est, et sicut agnus seram tendente
sine voce, sic non aperuit os suum (Isai. LIII, 7) ; et
ipse per (al. denno per) Jeremiam : Ego sicut agnus
innocens adductus sum ut immolerer, et nasci : in
me cogitaverunt cogitationem malam dicentes : Venite,
mittamus lignum in penam ejus (Jer. XI, 19) ; de quo
etiam Joannes Baptista proclamavit : Ecce Agnus Dei,
ecce qui tollit peccata (al. peccatum) mundi (Joan. I,
29). Non dissimilia de Christo (al. de quo) Petrus
quoque ponit apostolus dicens : *Sciatis quod non*
corruptibilibus 80 argento, vel auro redempti estis de
vana vestra conversatione patrum traditionis, sed pre-
tioso sanguine, quasi ovis incontaminati et immacu-
lati Jesu Christi (I Petr. I, 18, 19). Unus igitur
idemque mediator Dei et hominum, homo Christus
Jesus, ipse pastor et ovis, ipse sponsus et sponsa,
ipse sacerdos et victima, unus idemque et oblator
muneris et munus factus est oblatoris, ut nec oblator
a muneris qualitate desciceret, nec munus ab obla-
toris merito discreparet. Qui si minus aliquid ha-
buit humanæ nature, nec personam sumere ponti-
ficis, nec offerri potuit pro peccatis : in lege enim
sacerdotio fungi non poterat, si quis homo (al. ho-
minum) minus aliquid habuisset in se, nec vitulosum,
vel imperfectum pecus ad sacrificium cuiquam fice-
bat offerre : pontificem vero nostrum Jesum Chri-
stum esse quis ambigat, quem sub hac Paulus evi-
denter appellatione commendat : *Habentes autem*
(inquiens) Pontificem magnum, qui penetravit caelos,
Jesum Filium Dei, teneamus confessionem. Non enim
habemus pontificem qui non possit compati infirmi-
tatibus nostris ; tentatum autem per omnia pro similitu-
tudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad
thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et
gratiam inveniamus in auxilio opportuno (Hebr. IV,
14, 15, 16). Ut autem humanæ nature hoc pontifi-
catus officium demonstraret, adjecit : *Omnis namque*
pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus con-
stituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et
sacrificia pro peccatis ; qui condolere possit his qui
ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est
infirmis. Et propterea debet quemadmodum pro
populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis.
Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a

injuste. Ms. Port., *commendabat autem se judicanti*
injuste.

Deo, tanquam Aaren. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex foret, sed qui locutus est ad eum: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (Hebr. v, 4-5). Quem tamen pontificem dicit per omnia pro similitudine absque peccato tentatum. Per quem autem omnia tentatus fuerit, superius evidenter ostendit dicens: *Nasquam enim angelos apprehendit, sed solum Atrahar apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus simulari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim quo (al. quod) peccatus est ipse et tentatus, peccatus est his qui tentantur auxiliari* (Hebr. ii, 16-18).

CAPUT XIII. *Alia ratio ex Paulo, quia Christus et in carne et in anima tentatus est.*

Si ergo in eo quo (al. quod) tentatus est tentatis auxilium donat, profecto in quo tentatus non est tentatis auxilium non ministrat. Quo conficitur ut hi qui Christo solam carnem humanam assignant, et animam denegant, in sola carne quaerant auxilium Christi, in anima vero remaneant destituti: Filius Dei namque hoc adjuvat in homine, quod suscepit pro homine. Quod si et in anima et in carne promereri Christi delectantur auxilium, fateantur necesse est (sicut veritas habet) et in anima pariter et in carne tentatum. Et anima igitur humana, et caro simul est in Christo tentata. Quod si simul est in Christo et anima et caro tentata, simul est ab eo utraque suscepta; et si utramque dignatus est suscipere, utramque dignatus est sine dubitatione salvare. Dignum namque fuit, nostraeque saluti conveniens, ut Deus verus ex vero Patre solus substantialiter natus veram hominis quam ipse fecit animam carnemque susciperet, in utraque cum tentatore pugnaret, in utraque vinceret, ac deinceps in utraque tentatis ministraret auxilium, cum in utraque infirmis ac morituris victoriae praeretur exemplum. Illa quoque sententia sacramentum Mediatoris manifesto demonstrat indicio, quam ipsa veritas protulit, dicens: *Venit enim Filius hominis salvum facere et quaerere quod perierat* (Luc. xix, 10). Attendamus igitur quid perierit terreni hominis lapsu, et agnoscamus quid quaesitum fuerit hominis caelestis adventu. Consideremus quid in se peccando (al. peccato) vendiderit servus, et apparebit quid suscipiendo redemerit Dominus. Attendamus quid latro in hominis seductione vulneraverit, ut clareat quid medicus in hominis susceptione sanaverit. Nonne ex carne simul animaque compositum praecceptum Dei homo primus accepit? Quod si in utraque praecceptum Dei cognoscitur accepisse, in utraque debuit obedientiam praeccepti servare. Si autem in utraque fuit parendum praeccepto, ab utraque admissa est transgressio: quoniam sicut est inchoatum animae cupiditate peccatum, sic est carnali comestione perfectum: et ideo, quod totus homo reatum transgressionis admisit, totum sibi diabolus captivavit. Quod si totus tenebatur captivitatis vinculo, totus

aequivit liberatoris auxilio. Si autem totum debuit liberare pietas, totum debuit suscipere divina majestas. Totius ergo fuit hominis a Deo suscipienda natura, quoniam in toto fuit captivitas captivanda, ut a toto simul acquireretur de captivata captivitate victoria: et (al. ut), secundum praedicationis apostolicae contentiam, captivam duceas captivitatem (Ephes. iv, 8), principatus et potestates arguere confidenter, palam triumphans illos in semetipso (Coloss. ii, 15).

CAPUT XIV. *Alia ratio a divisione per quatuor membra.*

Ad extremum dicatur cur ab illa ineffabili divinitate non fuerit animae natura suscepta cum carne? utrum a Deo non fuerit facta? An peccato non fuerit vitata? an carne viliozem universalis medicina despexit (al. despexit)? An peccati vulnere sauciatam omnipotens curare nequivit (al. nequiverit)? Sed horum primum postremumque qui sentiunt, et adversus virtutem creatoris, et contra potentiam Salvatoris rebelles existunt, si vel aliquam creaturam putant a Deo non factam, vel ad salutem animae conferendam potestatem dicunt omnipotentis invalidam. Duobus vero mediis, nec peccatum considerant rationalis creaturae, nec meritum; non intelligentes carne sua viliozem esse non posse quae vitam tribuit carni, et illam gravius vulneratam, quae per intelligentiam magis potuit resistere tentatori. Illa igitur omnipotens virtus, et pia sapientia, nec despexit velut extraneam quam a se noverat factam, nec sprevit sanandam quam sciobat gravius vulneratam, nec eam quam carne potiozem fecit a remedio salutis exclusit: sed sicut totum hominem diabolus decipiendo percussit, ita Deus totum suscipiendo salvavit: **S2** ut agnosceretur idem creaturae totius conditor et Redemptor, qui potuit et quod non erat facere, et quod dilapsum fuerat reparare.

CAPUT XV. *Alia ratio, ex nomine Mediatoris, ut habeat in se totam naturam.*

Cunctos praeterea qui salutis esse capiunt aeternae participes oportet agnoscere pariter et tenere non incassum hominem Jesum Christum Mediatorem Dei et hominum nuncupatum, nisi quia idem Deus totam in se naturam suscepit hominis, et idem homo totam in se habet substantiam deitatis (al. divinitatis). Nam quia per peccatum homo fuit separatus a Deo, inter Deum irascentem hominemque peccantem talis utique Mediatoris debuit intervenire persona, quae ad propitiandum Deum homini totum verumque in se Deum de Deo natum haberet, et ad reconciandum hominem Deo totum verumque in se de homine natum hominem contineret, atque ita ex utroque in utroque unus Christus esset, ut plenitudo deitatis susceptum non consumeret, sed proveleret hominem, et plenitudo humanitatis nec minoraret inmensam, nec mutaret impassibilem deitatem: ac sic hominis natura, quae mutata fuerat in deterius, per illum tota redintegretur, quo nihil est melius.

ret; caeteri, debuit.

^c Editi habent *immensum*. Ms. Corb., *immemam*.

^a Ms. Corb., *toto*, forte pro *toti*. Supple *homini*.

^b Ed. cod. Basil. habet, *necesse erat ut interveni-*

Propterea se Mediator Dei et hominum plenum A Deum plenumque dignatus est hominem demonstrare.

CAPUT XVI. *Aliæ quoque rationes ex diversis Scripturæ locis.*

Quod si quis ambigit aut omnino non credit, eligat utrum sibi nomine an opere velit quod asserimus demonstrari: neque enim Scriptura sancta in uno eodemque Christo, aut Dei vocabulum prætermisit, aut hominis, evangelista dicente: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (Joan. 1, 1, 2). Et paulo post: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Ibid., 14). Illud utique Verbum carnem factum asserit, quod Deum esse superius memoravit, ut ostenderet eundem verum Deum ex Patre, qui est homo verus ex homine. Ostendit præterea in quo naturaliter sempiternum credamus ex Deo Patre, et in quo temporaliter ex homine factum hominem debeamus accipere, aliud in exordio, aliud in subsequentibus monstrans. Æternitas igitur Filii Dei asseritur, dum Verbum Deus in principio prædicatur. Ibi Verbum non dicit factum, quod ex Patre noverat genitum; ibi non est temporis nomen, ubi sempiternitas, nec initium potest habere, nec finem. Cum autem venit ad carnis vocabulum, tunc Verbum caro dicitur factum, ut agnoscamus eum qui factus non erat, sed natus de Patre semper erat, tunc fieri voluisse, quando quod fecerat, factus opus suum, dignatus est reparare. In hoc facto beatus quoque Paulus, sicut veritatem hominis, sic veritatem curavit temporis proflteri, dicens: *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus* (Gal. iv, 4, 5). Hoc ipsum, ubique prophetis (al. prophetis) congruens, apostolica servat auctoritas, ut factum prædicans Christum, et quid factus sit, et unde factus sit evidenter ostendat: ut agnoscatur rerum omnium Dominum sic formam suscepisse servilem, ut non aliunde, sed ex homine veram suscepit carnem. Dicit igitur David: *Mater Sion dicit: Homo, et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* (Psal. LXXXVI, 5). Ecce in uno Christo, sicut una persona indubitanter asseritur, sic veritas Dei atque hominis inconfusa monstratur: qui enim *homo factus est in ea, ipse fundavit eam Altissimus*. Huic dicto illud apostolicum prorsus est comparandum: *Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (Rom. ix, 5). Quod David dicit: *Et homo factus est in ea*, hoc Paulus firmat dicens: *Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem; quod autem David asserit: Ipse fundavit eam Altissimus*, hoc Paulus sequitur, dicens: *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Testamentum Vetus concinit Novo; David Joanni concordat et Paulo. Quem verum hominem dicit David,

quæ *Mater Sion dicit: Homo, et homo factus est in ea, eundem verum Deum credit et prædicat, quia ipse fundavit eam Altissimus. Quem verum hominem novit Joannes, audiens eum dicentem: Quæritis me occidere, hominem, qui veritatem locutus sum vobis* (Joan. viii, 40), eundem verum Deum monstrat, dicens: *Hic est verus Deus, et vita æterna*. Verum hominem Christum recognoscit, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, eundemque a verum Deum ostendit, quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*. Quem verum sciebat hominem Paulus, quia voluntaria pietate factus est ex muliere Dominus hominis, et factus est sub lege Dominus legis (Galat. iv, 4) (sicut ipse testatur: *Quia misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege; et quia factus est ex semine David secundum carnem; et Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem*), eundem verum Deum confiteri non cessat, dicens: *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*.

CAPUT XVII. *Objectio, quod Christus est caro factus, ergo anima caruit. Caro pro toto homine. Anima pro toto homine.*

Neque vero illud ex adverso nescimus opponi. Quod cum *Verbum caro factum dicitur, et Factus est ex semine David secundum carnem, et Quorum patres ex quibus Christus secundum carnem*, in supradictis locis ita quorundam carnalis sensus carnis nomine teneatur, ut, suscepta carne, non credatur Christus etiam rationalem animam suscepisse. Sed qui sic sentiunt minus attendunt id esse locutionis humanæ, qua nonnunquam totum significatur a parte. Noverint igitur in Scripturis sanctis aliquando carnis tantummodo nomine, nonnunquam animæ solius vocabulo, totum hominem demonstrari; cujus rei veritatem, non solum ex Vetere Testamento, verum etiam ex Novo facile perdocebo. David carnis nomine totum significat hominem, dicens: *Exaudi, Deus, orationem meam, ad te omnis caro venit* (Psal. Lxiv, 5). Quid est autem omnis caro, nisi omnis homo? Similiter ab eodem in alio psalmo dicitur: *In Deo sperabo, non timebo quid faciat mihi caro* (Psal. lv, 5). Et ut ostenderet quod carnis nomine totum hominem designaret, paulo post identidem dicit: *In Deo laudabo verbum, in Deo* (al. Domino) *laudabo sermonem, in Deo sperabo, non timebo quid faciat mihi homo* (Ibid., 11). His dictis Isaïæ quoque dicta concordant, cum Salvatoris nostri adventum in carne pronuntians, dicit: *Erunt prava in directa, et aspera in vias planas, et videbit omnis caro salutem Dei* (Isai. xl, 4, 5). Quid est autem omnis caro, nisi omnis homo? An forsitan exanimem sic elevabimus carnem, ut illi non dubitemus divinam tribuere visionem? In Novo quoque Testamento ipse humani generis creator et Dominus carnis nomine totum reperitur hominem nuncupasse, dum tribulationis extremæ prænuntians qualitatem, hæc discipulis loquitur: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo*,

* Editi habent Verbum. Ms. Corb., verum.

aeque fiet : et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret A *gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur : ut dei vobis secundum divitias gloriae suae, virtute corroborari per spiritum ejus in interiore homine^d habitare Christum per fidem in cordibus vestris (Ephes. iii, 14, 15). Ecce et animam nominat, et cor appellat, ubi Christum habitare confirmat. Unde liquido cognoscitur Verbum Deum totum hominem suscepisse, cum probetur habitationem Filii Dei in anima magis quam in carne monstrari. Hujus inseparabilis veritas sacramenti, quo totum hominem suscipere dignatus est Deus, et totus in Deo monstratur homo manere susceptus, et id quod de homine naturaliter est Filium Dei, et id quod de Deo Patre naturaliter est Filium fecit hominis appellari, dicente angelo ad Mariam : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : ideo quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei (Luc. i, 35). Marci quoque non discordat assertio, tale scilicet Evangelio suo ponentis exordium : Evangelium Jesu Christi Filii Dei (Marc. i, 1). Nathanael quoque de quo dixerat : A Nazareth potest aliquid boni esse (Joan. i, 46)? non cunctatur Dei Filium appellare : Rabbi, inquit, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel (Ibid., 49). Ubi Jesus, ut plenum pietatis mysterium demonstraret, non solum id quod de Patre naturaliter semper est libenter audit, sed etiam quod ex muliere misericorditer factus est evidentissime praedicavit, dicens : Amen, amen dico vobis, videbitis caelum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis (Ibid., 51). Propter hanc in Christo unitatem personae, et inconfusam veritatem divinae humanaeque substantiae, unus idemque Christus, et Puer ab Isaia dicitur, et Filius ac Deus pariter praedicatur, sicut inquit : Puer natus est nobis, filius datus est nobis; cujus principium super humeros ejus, et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis (Isai. ix, 6). In uno Christo non sunt duae personae, ut alius puer, et alius Deus fuerit nuncupatus; sed in una persona est Deus plenus, et homo perfectus, quia substantialiter aliud puer, et aliud Deus, cum tamen personaliter non sit alius puer, et alius Deus. Unus enim Filius et puer, et Deus, quia puer, qui natus est nobis, et idem filius qui datus est nobis, vocatur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis. Hic tamen puer, sicut veram carnem, sic et veram habuit animam, ut illa vera divinitas totam hominis et renovandam susceperet, et susceptam posset renovare naturam, sicut superius est, Luca testante, monstratum : Quia puer, id est Jesus, proficiebat aetate et sapientia et gratia apud Deum et homines (Luc. ii, 54). Propterea in se nec carnis nomen, nec animae, Dominus ipse praetermisit ostendere, carnem quidem se habere verissimam monstrans, cum dicit : Quod nascitur de carne, caro est (Joan. iii, 6). Cujus plena veritas operum*

Caput XVIII. Mediator igitur Christus totum hominem suscepit. Propter duas in Christo naturas et homo Filius Dei et Deus Filius hominis appellatur. In Christo vera caro et vera anima.

85 Propterea utique Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus ab Apostolo praedicatur; nam quia Deus erat Verbum, in eo quod Deus totum hominem suscepit pro nobis Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Verbum utique caro factum est in eo quod est una in Christo Dei hominisque persona : Habitavit autem in nobis, quia in Christo vera totaque permanet divina humanaeque substantia. Verbum enim habitans in homine, non est mutatum in hominem. Ubi autem maxime Verbum potuit habitare, quam in illa substantia quam ad suam imaginem fecit, hoc est, in anima illius hominis quem (al. quam) suscepit? Quod propheticè (al. propheticè) per Salomonem spiritali gratia cernimus intimatum, cum dicitur : Anima justus^c sedes est sapientiae (Sap. vii, 27). Nam, ut ostendatur Christus in animae substantia specialiter habitare, Paulus nobis porrigat suae attestationis in veritate subsidium, qui dicit : Hujus rei

Ms. Corb., sedes sapientiae.

^d Basil., et habitare.

^e Ant. et ms. Corb., Deus, Fortis. Colon. et Basil., Deus fortis.

^a Ita editi, at ms. Corb. habet demonstratur serie.
^b Aberant ab editis haec verba usque ad finem capituli; sed restituta sunt ex ms. Corbeiensi.

^c Antwerp. et Colon., sedes esse. Basil., sedes est.

quoque manifestatione resplenduit, cum infans natus non solum cunis involvitur et angusto præsepi concluditur, sed etiam, circumcisionem suscipiens, carnem veram habere monstratur. Præterea etiam post resurrectionem discipulos cunctantes informat, dicens: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (Luc. xxiv, 39). Animam quoque se suscepisse cum carne, nec nomine cessavit intimare, nec opere, dum dicit: *Animam meam pono pro ovibus meis* (Joan. x, 15); et *Anima mea turbata est* (Joan. xii, 27); et cætera, quæ inferius ostendentur. Hanc animam non sine intellectu rationali susceptam a Christo per Isaiam sic divinum demonstrat oraculum: *Ecce intelliget Puer meus et exaltabitur, et magnificabitur vehementer.*

CAPUT XIX. *Ultima ratio ex Actibus apostolorum ac vera carne et anima Christi.*

Et quamquam multa supersint quibus nostra firmiter assertio, tamen, quoniam ad finem libelli serie orationis nostræ festinat, de Actibus quoque apostolorum evidentissimum hujus sacramenti indicem beati pontificis apostoli Petri sermonem, quem de illa mirabili nostri spiritus christitate ructavit. Hic (et. Hinc) cœcinit, cum, ex auctoritate divina Judæos informans, *Davidicam posuisset eloquentiam, quod divinitas edocuit ex Christi persona cocinerat, dicens: ^a Providetam Dominum verum me tempore, quoniam de dextere est mihi, ne commoveat: Propterea jecundatum est cor meum, et exultavi lingua mea; in super et caro mea reliquidit (et. raptiendi) in spe: Quoniam non dereliquis animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem: Nota mihi facta via vite, adimplebis me jecunditate cum factis tuis (Psal. xv, 8-10). Quod testimonium psalmi cum beatus Petrus commemoraret, ut hoc de Christo manifeste dictum ostenderet, secutus adjecit: *Viri fratres, liceat invidenter dicere ut vos de patriarcha David, quoniam et defunctus est, et sepultus est, et sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum ^b diem. Propheta igitur cum esset, et etiret quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lambi ejus sedere super eadem ejus, ^c providens lotum est de resurrectione Christi, quia neque derelicta est anima ejus in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem (Act. ii, 20-31). Hoc equidem testimonium propterea præsentis loci duximus inserendum, ut evidens nominum rerumque distinctio carnem ^d et animam deberet in Christo. Cæterum opportunè ei suis exhibebitur locus, cum de mysterio loquemur dominionis passionis (Infra, lib. iii, cap. 22, 23 et 24); ubi etiam illud quod dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem; et Nunc anima mea turbata est; et Majorem hac dilectionem nemo habet***

^a Ita ms. Corb.; at editi, *Davidis tamen posuisset.*

^b Ms. Corb., *Previdetam.*

^c Ms. Corb., *providens.*

^d Ita ms. Victor et Corb.; at editi habent con-

amquam ut animam suam ponat quis pro amicis suis; speramus ita, Domino adjuvante, tractanda, ut appareat veram in Christo carnis animæque substantiam, non solum vocabulis, verum etiam manifestis naturalium officiorum indicibus demonstratam.

CAPUT XX. *Epilogus primi libri, de divina et humana natura Mediatoris, in una persona. Argumentum subsequantium duorum librorum.*

Proinde, si veritas nostræ salutis in Salvatore creditur, consequenter in uno eodemque Mediatore Dei et hominum homine Christo Jesu divine humanæque substantiæ indivisa et inconfusa perfectie non negetur; quoniam Dei Filium, de Patris substantia genitum, nec sempiternitatem divine nature perdidit, dum hoc quod erat temporale pro temporalium æterna salutis suscepit; nec dominio naturalis ac

veræ divinitatis caruit, qui veritatem formæ servilis acceptas interminabilis et inamissibilis dominio sublimavit; nec vera virtus, cum nostram infirmitatem susceperet, infirmari potuit, quæ vitium infirmitatis ab infirmo submovit; nec imperfectus esse potuit, qui perfectionem imperfecto concessit; nec localiter ad infernam divinitas Christi descendit, quæ sine note sic ubique tota consistit, ut licet ea carere nullus locus possit, localiter tamen eam locus ullus continere non possit. Est enim illa Dei vera infinitaque substantia ineffabiliter in singulis creaturis tota, et in omnibus tota; non minoratur in istis, nec augetur in magnis; non concluditur tempore, non circumscriptitur quantitate, non initio coepta, non termino finienda: a qua totus homo, et creatus est ad

justitiam, et sine peccato susceptus est post ruinam. Nunc igitur, quoniam de sacramento Mediatoris (quantum ipse, qui Verbum Patris est, gratiæ suis dono (et. dona) concessit) disputationis veritas nihil dereliquit ambiguum, quo unus idemque Christus totam naturaliter habere deitatem ex Patre et totam hominis naturam habere monstraretur in homine, illud est deinceps providendum, quod nonnullos carnaliter quæ divina sunt cogitantes, eo gravius concepte salutis error^d offandit, quod divinitatem Christi, aut localiter de cælo venisse, aut ad infernam descendisse localiter fateantur; quique etiam Christum in carne passum firmare non dubitant, etiam divinitate compassum. Harum ergo rerum demonstrandæ (quantum sat erit) veritati singulos ^e deputavi curare libellos, ut alter immensam Filii Dei ^f divinitatem ostendat; tertius vero mysterium dominicæ passionis manifestissima rerum claritate contineat. Hanc itaque primum libellum, servata disputandi temperies claudat, ut ad ea quæ sunt deinceps disputanda Deus nobis ostium sermonis aperiat.

fundit.

^e Forte legendum curare deputare, vel potius deestant libellos.

LIBER SECUNDUS.

DE IMMENSITATE DIVINITATES FILII DEI.

CAPUT PRIMUM. *Incomprehensibilitas Trinitatis divinae. A* *Essentia infinita. Homo, cum plene quod in se est non cognoscat, Deum super se multo minus cognoscere potest.*

Quoties humanae conditionis infirmitas semetipsam protinus cognitura fines molitur aliquatenus suae parvitalis excedere, atque, caelestis illuminationis praegnata conceptu, Conditoris sui ac Redemptoris inquisitionem ceperit parturire, sola (al. solo), quantum arbitror, immutabilis illa sempiternitas Trinitatis reperitur incomprehensibilitas digna miraculo, quae sic excedit omne quod cogitare vel sapere possumus, sicut superat omne quod sumus. Hec nobis divinarum series voluminum veridica protestatur, Isaias dicente: *Non enim cogitationes meae cogitationes vestrae, neque vis mea vis vestra, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur caeli a terra, sic exaltatae sunt vis meae a vis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris (Isai. LV, 9, 9).* Quae ergo humanae disciplinae peritia? quae vivacitas animi? quae cordis sagacitas, illius essentiae (id est Trinitatis, quae unus verus et solus est Deus) contingeret arcanam? quae nec cepit esse, nec desinit; in ejus substantia nihil est quod non fuit, nihil potest non esse quod fuit; cujus nihili loco concluditur, quia totum immensum; nihil initio praevinitur, quia totum est sempiternum; quae se hoc praesertim indicio sempiternam, increatam, immutabilemque monstravit, cum ex nihilo, id est ex eo quod non esset creari potuit quod fuisset; quaeque rationalem creaturam suam partem hoc praeter ceteris gratiae privilegio sublimavit, ut manere sibi aeternitatis et rationis indulto, hinc liquido sui creatoris ac reparatoris essentiae sine initio prorsus esse non ambigeret, cum se, quamvis non sine initio factam, nunquam tamen omnimoda consumendam abolitione deinceps cognovisset. Hinc etiam protinus moneretur quanto infinitatis atque incomprehensibilitatis culmine creatrix omnium virtus et sapientia modum creaturae intellectualis excederet, cum ipsam rationalem creaturam suam suae comprehensibilitatis agnitio, creatori quidem comprehensibilis et finita, sibi tamen incomprehensibilis atque infinita, lassaret: ut cum naturae suae investigationem, quae extra se non est, et intimam sibi cerneret et occultam, ita ut cum supra se non sit, atque in se sit, totam se sicut est, vestigare non possit, eo magis pavescens admiransque superae infinitatis magnitudinem, omnes intelligentiae termines excedentem, cujus pax (sicut Paulus dicit) superat omnem intellectum (Phil. IV, 7), cujus etiam iudicia abyssus multa (Psal. XXXV, 7), solo se ad cognitionem Altissimi humilitatis ascensu respiceret proventi, a quo superbae cogitationis casu quondam meruit segregari.

CAPUT II. *Non potuisset angelica natura hominem reparare, quia et ipsa cecidit.*

Sed hoc nunquam prorsus aggredi posset, si vel

• Ms. Victor., propria stabilitate.

A exemplo vel auxilio caruisset. Inquirendus ergo fuit unus cujus esset reformanda manere, informanda lumine, confirmanda virtute, ut (al. aut) aequalitas aeterna justificaret impiam, instrueret insciam veritas, virtus firmaret invalidam. Sed hoc nunquid posset homo per solum hominem, aut in solo quolibet homine reperire? Nullo modo. Quis enim homo posset existere medicus humani vulneris, cum omnes in radice vitata communio circumplecteretur vitii naturalis? vel qualiter posset per se solum medelam vulneratis afforre, cujus ortus teneretur in vulnere? quove modo beneficentiae largitor universalis existeret, quem alienae opis indigna natura monstraret? Verè igitur salutis exhaustus homo divitiis, et peregrini honorum possessione privatus, forsitan angelico fuit juvamine sublevandus; ut ille qui domus lutae faeculentus ergastulo ad facultatem purioris vitae nequivisset aliquatenus aspirare, gratia juvenetur opitulationis angelicae, qua pristinae offensionis deposuisset illuviem, et amissae dudum puritatis resumeret dignitatem. Veruntamen nec angelico poterat hoc reparationis munus adipisci subsidio. Angelica quippe natura tunc homini reparando aliquatenus esset idonea, si cadendi mobilitate nunquam naturaliter fuisset obstricta: cum vero se juveniendi egenam consubstantialis ruinae documento testetur, profecto cognoscitur multo minus ad humanam posse reintegrationis efficaciam redandare, quae a propria nequeat stabilitati sufficere. Suis autem ad custodiam sibi sat esse viribus non incongrue crederetur, si nulla pars ejus in deterius laboretur. Unitas enim naturalis, universitatem circumplexa naturae angelicae, tota procul dubio maneret impassibilitatis firmamento subnixae, si passioni non esse posset obnoxia, nec unquam pateretur in reliquo quod perpeti non posset in toto. Cum vero quondam poru ejus de caelesti beatitudinis culmine in inem perpetuamque cernitur devoluta miseriam, beate Petro dicente: quia *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferni tradidit, in iudicio puniendos reservari (II Petr. II, 4)*, profecto cognoscitur uniformi capite oppressi potuisse ruinam consortio, nisi quos vellet a casu pravitalis virtus illa defenderet (al. defendere), quae sola naturaliter mutari depravarive non posset.

CAPUT III. *Sola virtus divina et hominem reparavit, et angelum custodivit. Christus virtus et sapientia Patris. Christus est naturaliter Deus, immensus, ultimus, sempiternus. Sic Pater est in Filio sicut Filius in Patre.*

Ipsa igitur etiam homini reparando fuit necessaria, quia non alia stantem angelum a ruina potuit custodire, nisi illa quae lapsam hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata; in hoc ut surgeret, in illo ne caderet; in illo ne vulneraretur, in isto ut sanaretur. Ab hoc infirmi-

tatem repulit, illum infirmari non sivit; illius esca, A istius medicina. Hunc autem quisquis sanum sapit, Filium Dei esse non ambigit, qui est *virtus et sapientia Patris*: sapientia quæ cuncta disposuit, virtus quæ omnia creavit; sapientia quæ illuminat, virtus quæ adjutorium præstat; sapientia, quia immutabilis; virtus, quia insuperabilis. Qui omni creaturæ suæ per infinitam potentiam naturalem semper adest, et immensus nunquam deest; qui hoc naturaliter in se habet esse quod Pater est, et ideo potuit et angelum in superioribus stabilire, et pro reparatione lapsi hominis ad inferiora descendere, sicut ipse testatur, dicens: *Descendi de cælis, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit a Patris* (Joan. vi, 38). Hunc quidam (ad. quidem), cum audiunt descendisse, descensionem ejus affirmare nituntur localem, quia nesciunt Dei, sicut oportet, considerare virtutem, nec valent agnoscere sic pro homine Deum hominem factum, ut accepta hominis forma maneret immutabilis divina substantia; nec sic intelligunt temporaliter natum, ut semper fuisse teneant sempiternum. Hi sunt qui etiam considerare contemnunt qualiter descenderit, cum perseveraret immensus, vel qualiter humiliatus sit, qui maneret altissimus. Si enim ejus natura quæretur, est essentialiter Deus, quia *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*. Est etiam sempiternus, quia *sempiterna Dei virtus est, atque divinitas* (Rom. i, 20). Est immensus, quia de ipso Jeremias dicit: *Magnus est, et non habet finem, excelsus et immensus* (Bar. iii, 25). Et paulo post, ut hæc de Filio se dixisse demonstraret, adjecit: *Hic Deus noster, et non æstimabitur alius ad eum. Advenit omnem viam disciplinæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo.* Post hæc in terris vivus est, et cum hominibus conversatus est (Ibid., 36, 37, 38). Altissimus vero quis audeat Dei Filium denegare? de quo David dicit: *Mater Sion c dicit: Homo, et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* (Psal. lxxxvi, 5). De quo etiam Zacharias, nascente Joanne, sic prædicat: *Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, præbis enim ante faciem Domini, a parare vias ejus* (Luc. i, 76). Si ergo docetur esse naturaliter Deus, si immensus, **S** i altissimus, si est etiam sempiternus, dicatur quid melius Deo, quid majus immenso, quid superius altissimo, quid antierius sempiterno? Deus igitur non discrepat a Patre, immensus non caret Patris æqualitate, nec celsitudine privatur altissimus, nec est origine posterior sempiternus. Nam quia in Deo Patre nihil potest esse mutabile, ex Deo natus est Deus; quia nihil locale, ex immenso processit immensus; quia in Deo humile aliquid non est, altissimum generavit altissimus; et quia initiatum nihil in Deo poterit reperiri, sempiternum protulit sempiternus. Generatio illa non aliquam (ad. nullam) separationem Patris Filiique monstravit, sed errorem confusionis

exclusit, ne eum, quem cum Patre unum audiremus, natum minime crederemus. De Deo Deus potuit nasci, sed immensus ab immenso non potuit segregari. Natus enim exstitit, non abscessit: talis est enim illa divina inenarrabilisque nativitas, ut quem Pater genuit ex se, haberet in se. Hanc fidei regulam per Isaiam nobis unitas ipsius veræ divinitatis ostendit, memorato propheta dicente: *Quoniam in te est Deus, et non est Deus præter te. Tu enim es Deus, et nesciebamus, Deus Israel Salvator. Erubescant et pudebunt omnes qui adversantur ei, et ibunt cum confusione* (Isai. xlv, 16, 17). Qui autem Filio Dei adversantur, nisi qui Patrem in ipso, et ipsum in Patre, per unitatem naturalem donegant esse, atque Patrem et Filium per naturalem diversitatem audent perfidæ infidelitatis vitio separare? Sic est enim Pater in Filio sicut est Filius in Patre; unitas ibi naturalis sic æqualem demonstrat utramque, ut immensus immensum gigneret, et immensus ex immenso genitus immensitatis paternæ nihil minus haberet.

CAPUT IV. Pater per Filium omnia fecit.

Quæso, regnator incliye, ne ista quæ de Deo loquimur corporaliter existimes cogitanda. Superat, qui fecit, cuncta quæ fecit. Cujus est substantialiter sine initio esse, solius est substantialiter sine initio genuisse; cujus est per ineffabilem immensitatem totum implere quod fecit, ejus est per unitatem naturæ totum Filio inesse, et totum Filium in se semper habere, quem genuit. Si non omnia Filius cum Patre disposuit, non est sapientia, quæ dicit: *Cum pararet cælum, aderam illi, et cum segregabat sedem suam super ventos: quando sortes faciebat sursum nubes, et cum stabiles ponebat fontes sub cælo* (Prov. viii, 28, 29); et inferius: *Quando fortia faciebat fundamenta terræ, eram apud eum disponens*. Quod si sapientia Patri cœterna non creditur, necesse est ut etiam Deus in dispositione cœpta mutabilis prædicetur. Si non cuncta fecit Filius, nec virtus debeat appellari, nec manus. Et ubi est quod per prophetam dicitur: *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum: quam domum ædificabitis mihi dicit Dominus? aut quis est locus requietionis meæ? Nonne manus mea fecit hæc omnia* (Isai. lxxvi, 1, 2)? Nam et evangelista dicit: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (Joan. i, 3). Si **S** i alicubi deest Filius, immensus non est; si non eum **S** i Pater corde ructavit, Verbum non debet dici; si de utero Patris, hoc est de substantia Patris, non est genitus, falso (quod absit) nomine verus Deus dicitur, de quo testatur Joannes quia *hic est verus Deus, et vita æterna* (I Joan. v, 20). In principio quoque erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hic sempiternitas ostenditur, hic immensitas invenitur, hic essentialis natura monstratur. Nam quod *in principio erat*, nunquam non erat, quia semper erat; quod vero *apud Deum erat*, locale non erat, sed immensum erat,

^a Ms. Corb., Pater.

^b Editi, Colon. et Ant., Posthac.

^c Colon. et Basil., dicit.

^d Ms. Corb., præparare.

^e Editi alicui.

quia cum Deus localis non sit, Verbum, quod *apud Deum erat*, in loco non erat; quod autem Verbum Deus erat in unitate naturæ et nominis veritate, hoc utique erat quod ille Deus erat apud quem *Verbum Deus erat*.

CAPUT V. Objectio de eo quod dicitur, In principio, et non ante principium erat Verbum. Christus principium et finis. Vita æterna Christus. Quomodo veritas catholica Christum principium et finem intelligit.

An forte, quia *in principio erat* audivimus dictum, aliquod Filio existendi audebimus (*al. audemus*) assignare principium, et ideo sine initio natus esse non creditur, quia Joannes non eum *ante principium*, sed *in principio* fuisse testatur? Absit ut hæc insulsa cogitatio cujusquam mentem sapientis attingat (*al. contingat*)! absit ut hæc in quolibet lethalis perfidiæ contagio puritatem Christianæ religionis inficiat! Quis enim non consideret illud digne principium dici quod nullo potuit principio præveniri? Nam quidquid ante quodlibet principium cogitare volueris, hoc necesse est verum principium fatearis. Et quoniam semper cogitando principium, nullus invenit terminum, propterea illud est dicendum vere principium, quod est essentialiter sempiternum. Hinc est profecto quod ipse Filius volens Judæis immensitatem sempiternitatis suæ certa prorsus manifestatione monstrare, interrogantibus quis esset respondit: *Principium, quod et loquor vobis* (*Joan. viii, 25*). Sed forsitan eo quod est principium dictus, magis putabitur initio existendi subjectus. Quod si ex hoc vocabulo quisquam molitur præjudicium struere veritati, ut quem principii cognoscit vocari nomine, quoddam principium nativitatis existimet habuisse, dabit profecto etiam Patri (quod nefas est) aliquod existendi principium, quem cum Filio principium cognoscimus nominatum, sicut ipse dicit: *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te*. Quid autem respondebit, qui de a principii nomine asserit Filium nativitatis habere principium?

Quod si quis, pro eo quod principium dicitur, nativitatem Filii habere credit initium, consequens est ut ipsum Filium, pro eo quod finis dicitur, finem quoque asserat habiturum: nam ipse Dominus, interrogantibus Judæis, principium se esse firmavit, dicens: *Principium, quod et loquor vobis*. Paulus vero Christum finem nominat, dicens: *Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom. x, 4*). Ipse quoque de se Dominus: *Ego sum alpha et omega, initium et finis* (*Apoc. i, 8*). Quod si pro eo quod principium dicitur, asseritur cæptus, etiam pro eo quod finis dicitur, putetur etiam finiendus. Et ubi erit Joannis illa ructatio, quam **93** de pectore vivi fontis **b** bibebat? *Scimus quia Filius Dei venit, et dedit nobis intellectum, ut cognoscamus verum, et simus in vero Filio ejus Jesu Christo: hic est verus Deus, et vita æterna* (*I Joan. v, 21*). Quam vitam necesse est ne-

get æternam, quisquis asserit defuturam. At ipse qui est verus Deus et vita æterna, justos dicit ituros in vitam æternam. Quomodo ergo justorum vita æterna erit, si vita ipsa æterna quandoque non erit? aut, ut quid hic labor sanctæ conversationis et continui adversus tentamenta certaminis toleratur, si præmium victoribus quandoque tolletur? Hæccine est laudabilis in sanctis totius cursus intentio? propterea corpus suum castigant, et servituti subjiciunt? ob hoc se non in incertum præsumunt currere, et pugnales sciunt se non aereum verberare (*I Cor. ix, 26*)? ideo sibi noverunt non esse collectationem *adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in cælestibus* (*Ephes. vi, 12*)? Idcirco leoni rugienti, **B** et indefesso circuitu quærenti quem devoret (*I Petr. v, 8*), resistunt fortiter in fide; ut postquam hic in tribulatione patientes vixerint, consumpta quandoque divinæ promissionis seductoria magis retributione quam vera, au misere vivant, aut omnino non vivant? Vita namque Christus dicitur, sicut ait: *Ego sum via, d veritas et vita* (*Joan. xiv, 6*). *Initium et finis* Christus dicitur, quia similiter ipse dixit: *Ego sum alpha et omega, initium et finis* (*Apoc. i, 8*); hæc autem vita, si, eo quod initium dicitur, initio nativitatis putatur subdita, consequens est ut eo quod finis dicitur quandoque putetur finaliter abolenda. Qualiter vero sine fine victuri sunt quibus vita æterna dabitur, si vitæ ipsius æternitas finietur? Quod si hæc omnino absurda sunt, consequenter veritas est catholice atque apostolice fidei retinenda, quæ sicut Christum propterea finem nominat, quia non solum **M** substantia qua natus est naturaliter sempiternus ex Patre, sed etiam in ea quam in tempore sumpsit ex matre credit sine fine perpetuum, sic eum ideo juste prædicat veraciterque principium, quoniam in divina quam habet substantia genitori semper asserit cœternum. Non autem ambigitur vero principio nihil anterius, vero fine nihil posterius inveniri. Principium igitur Christus, quia sempiternus omnia præcedit; finis Christus, quia perpetuus universa concludit; principium Christus, quia ipse inchoavit perficienda; finis Christus, quia ipse perficit inchoata; principium Christus, quoniam ab ipso habent quæ non fuerunt ut sint; finis Christus, **D** quoniam ab ipso habent quædam quæ esse cœperunt ut semper sint.

CAPUT VI. Objectio de Melchisedech quod dicitur sine patre et sine matre. Christus rex justitiae et pacis. Christus sine matre, ut Deus; sine patre ut homo. In una Christi persona gemina nativitas.

Quid autem hinc dubitationis creditur derelictum, cum in Melchisedech (qua [*al. qui vel quia*] Christi futuri pontificis typum gessit) unius ejusdemque Dei et hominis Christi personam significatam demonstraret Apostolus, ostendens eam, et secundum divinam substantiam sine initio **94** sempiternam, et secun-

^a Ms. Corb., principio.

^b Basil., biberat.

^c Editi, Hæc inest.

^d Ms. Corb., et veritas

^e Ms. Corb. et Victor., ostendens eum... sempiternum... perpetuum.

dum servilem formam, quam in tempore accepit, sine fine perpetuam. Sic idem igitur gentium doctor loquitur ad Hebræos: *Hic etenim Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abraham regresso a cæde regum, et benedixit ei, cui decimas omnium divisit Abraham. Primum quidem, qui interpretatur rex iustitiæ, deinde autem et rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum* (Hebr. vii, 1, 2, 3). Posset utcumque in hoc forsitan testimonio quidquam contradictio renitentium, super huius Melchisedech persona, tanto luminis veritatis opponere, si esset credendum quamlibet creaturam sine initio naturaliter existitisse. At cum clareat omnem omnimodis creaturam, ut potest prorsus ex nihilo factam, initio non carere, cuius origo sola Creatoris voluntate et potestate, quando faciendam iudicavit, qui mutabilium operum dispositionem semper immutabilem habuit, substituta cognoscatur ex nihilo, quæ tamen nunquam fuerit priusquam initio creationis existerit, nullatenus accipitur quod Melchisedech, aut ex patre fuerit matremque non genitus (quod est hominis primi) aut initio existendi naturaliter careat, quod solius est Dei. Ille itaque figuræ huius retinet naturaliter veritatem, qui in utraque nativitate mirabilis, nec uspiam veritate naturalis caruit originis, et in utroque mirabiliter natus est singularis. Quis est enim rex iustitiæ, nisi rex noster Christus, qui factus est pro nobis peccatum, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso? Quis est etiam rex pacis? Nonne ille qui ait: *Pacem meam do vobis, pacem meam dimitto vobis* (Joan. xiv, 27)? *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum* (Ephes. ii, 14). Ad ipsum propheta clamat: *Domine Deus noster, pacem tuam da nobis. Omnia enim dediisti nobis, Domine Deus noster, posside nos: Domine, præter te alium non novimus, nomen tuum nominamus* (Isai. xxvi, 12). Matrem quoque non habuit Christus Dei Filius in Dei substantia, quam semper habet ex Patre. Rursus idem patrem in hominis natura non habuit, quam ex sola matre suscepit. In veritate namque utriusque nativitatis singularitatem servavit, et parentis, et prolis: ut quamvis prius de solo Patre, postmodum de sola Virgine nasceretur, unus tamen idemque fuerit qui et prius de Patre, et postmodum sit natus ex Virgine: ut in unius veri Dei verique hominis Christi miro atque ineffabili sacramento nec naturalis genito defuisset ex gignente substantia, nec geminaretur in gignente genitive persona, licet in uno Christo veritatem Dei et hominis naturæ a veritas inconfusa servaret, unam tamen in Christo personam utriusque naturæ indivisa veritas exhiberet, ut nec gemina nativitas unius Christi videretur geminare personam, nec per-

sonæ unitas, aut Dei in nomine, aut hominis in Deo, veram posset abolere substantiam. Et licet utraque vera in uno Christo substantia naturalis in se testetur, et originis nativitatem, et nativitatis originem, mysterii tamen pietas mirabilis permanens, quamdam divinæ illius et ineffabilis generationis, quæ initium non habet, in hac quoque humana generatione certam nobis intelligentiæ lineam demonstravit: nam qui semper Deus ex Deo, 95 idem temporaliter ex homine Deus et homo; et in quo naturalem paternæ substantiæ plenitudinem nativitas sempiterna possedit, in eodem plenam hominis naturam veritas naturalis exhibuit. Filius enim Dei, ut nostrum ex visibilibus ad invisibilia proveheret intellectum, veritatem in se demonstravit humanæ naturæ, ut consequenter crederetur ex veri Dei natura Deus verus naturaliter existitisse, quem verum hominem naturaliter natum constaret ex homine.

CAPUT VII. *Temporalis Christi nativitas ducit in cognitionem æternæ. Immensa Christi majestas, quia sempiterna nativitas. Non fuit locus ante Filium Dei in quo nasceretur. Nec fuit ullus locus Verbo coæquatus.*

Initium quoque nativitatis in natura hominis Christus habuit, in qua sine initio non potuit mater esse quem genuit; ut agnosceretur, naturæ veritate recognita, nullum divinæ nativitatis initium habuisse, ubi sempiterno Patri, sicut initium existendi nullum fuit, sic nulla nativitas initiate generationis accessit. Ita namque utriusque in se Christus Jesus demonstravit substantiæ veritatem, ut sicut in hominis Christi substantia, salva prærogativa singularis illius dignitatis, hoc substantialiter invenitur, quod naturaliter constat in homine; sic in eodem Deo Christo hoc substantialiter esse credatur, quod naturaliter subsistit in Patre: ut cum in homine Christo videtur veritas hominis, in eodem Deo Christo cognoscatur paternæ veritas deitatis; et cum ista nativitas invenitur initio subdita, quæ ex temporali homine substantialis temporaliter existit, illa quoque sine initio credatur esse nativitas, quæ de sempiterno Deo d substantialis ac sempiterna subsistit. Ipse igitur sine matre in divina substantia, e quæ est ex solo Patre naturaliter genitus; ipse sine Patre, fructus inviolatæ Virginis, quam complexus non contigit maritalis; ipse sine genealogia, de quo scriptum est: *Generationem ejus quis enarrabit* (Isai. liii, 8)? ut cum in generatione vera Filii Dei fides nobis cognitionem præstat, sermonem vero sempiternitas superat, in eo quod fidei constantia credulitatis firmamento nutritur (al. nititur), sermonis vero audacia fidei timore comprimitur, divinæ generationis vera naturalisque sempiternitas agnoscatur. Nam quia divina utique naturaliter vera est, quia in Deo vero nihil est falsum; quia vero nec coepta est, nec creata, sicut omnem coeptæ createque naturæ superat cogitationis

^a Ita ms. Corb. et Victor.; et editi habent *naturæ* *ritus*.

^b Colon. et Ant.; in hoc.

^c Aberrat ab editis *initium*, restitutum est ex mss. Corb. et Victor.

^d Ms. Corb., *substantiali sempiterna*.

^e Ms. Victor., *qua*.

^f Colon. et Basil., *enarravit*.

^g Basil., *fundamento*.

Indaginem, sic omnem supergreditur eloquii facultatem. An forsitan quod de Dei pace apostolicæ auctoritatis veritate percipimus, de ejus generatione prorsus accipere dubitamus? cum nobis Paulus beaticissimus dicat: *Pax Dei, quæ exsuperat omnem intellectum, custodias corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu (Philip. iv, 7)*. Ejus ergo pax, hec omnem superet intellectum, verè tamen, sempiterna materisquæ creditur; cur ejus generationi, quæ superat omne prorsus eloquium, naturalis veritas et infinita sempiternitas abnegetur? Ubi ergo sempiterna pax est, credatur etiam sempiterna natiuitas; et ejus est credenda æterniterna natiuitas, **96** non negetur immensa majestas, nullo quippe naturali sine concluditur, quod natiuitatis initio non tenetur; et ideo immensa prorsus agnoscitur ista substantia, cuius est natiuitas non cœpta, sed vera. Nam quod aliq. circumscribitur sine, necesse est ut loco teneatur aut tempore. Quomodo autem fecisse tempus et locum creditur, si loco ipse temporivæ subdatur? Nam per ipsum omnis factus est locus, quia omnia per ipsam facta sunt, et sine ipso factum est nihil (Joan. 1, 3). Per ipsum quoque factum tempus agnoscitur, de quo Paulus dicit: *Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et sæcula (Hebr. 1, 1, 2)*. Non est ergo localis per quem factus est locus, nec temporalis per quem factum est tempus: nam si localis ipse locum fecit, et certum est omne locale in loco esse; consequenter intelligitur quod prius in loco fuerit, et sic locum creare potuerit. Sed hic locus, in quo fuisse Dei Filius dicitur, querero utrum Filio anterior, æquævovæ credatur? Sed si aliqui anteriorem Filio existimant locum, videant in quod barathrum nefariæ assertionis incurrant, eam rerum omnium operatori materiam cujuslibet operis anteponunt. Cumque Joannes omnia per ipsum facta commemoraret, nullam (quod absit) in se habuisse dicendus est veritatem, si quodlibet opus præcessit opificem. Quomodo enim locum facere potuit, ante quem esse, vel sine quo esse, si ita est factus, ipse non potuit? Tunc deinde sollicita consideratione perpendant quoniam sempiternitatis infinitatem loco videntur dare, quam Filio Dei conantur adimere. Nam si propterea Filium Dei non sine initio matum asserunt, quia dicit evangelista: *In principio erat Verbum, et non dicit, ante principium erat Verbum*; isti qui locum ante Verbum fuisse asserunt, ante principium quoque fuisse necesse est fateantur; quoniam id quod fuisse putant ante Verbum, hoc existimant non habuisse principium. Si autem principium non habuit locus, ipse est sempiterno Patri s. ne dubio cœternus. Et quoniam sempiternum distare non potest sempiterno, talis hanc impietatem profecto consequitur absurditas, ut aut localis putetur Deus, aut locus hoc credatur esse quod Deus, aut

A ipsum locum aliquid existiment esse sine Deo principium, quod sempiternitate sui naturaliter perseveret infectum. Sed quoniam hæc non sine impietate creduntur, idcirco non solum Filio anterior, sed nec æquævovæ dicendus est locus. Per quem enim omnia facta sunt (Psal. cXLVIII, 5), huic facta quælibet anteferri conferri non possunt. Quoniam qui omnia in numero, et pondere, et mensura disposuit, sicut tempore numerari, sic loco mensurari non potuit. Proinde psalmus veraciter canit: *Magnus Dominus Deus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus*. Atque ut hujus admirabilis sempiternitatis infinita monstraretur immensitas, alio loco dicitur: *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis (Psal. cXLIV, 3)*. Quia revera necesse est ut naturaliter pronuntietur immensum, quod **97** est naturaliter sempiternum, quia quod semper est non capitur numero, et quod ubique totum est non concluditur loco, idcirco denique affo Scripturæ testimonio de Sapientia dicitur: *Attingit autem ubique propter suam mundiciam (Sap. VII, 24)*. Et paulo post: *Attingit autem a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (Ibid., VIII, 1)*. Hic utique cum a fine usque ad finem sapientiam audimus attingere, intelligendum est quia cum a fine usque ad finem attingit, utrumque finem immensitate suæ infinitatis excedit. Hic enim omnem potest creaturam attingere, quem omnis non potest creatura concludere: nam sicut implens cœlum perseverat immensus, sic a fine usque ad finem attingens permanet infinitus. Tale namque est: *Attingit a fine usque ad finem fortiter, quale est et illud quod per Jeremiam dicitur: Ego Deus proximans, et non Deus de longinquo. Si absconditus fuerit homo in occulto, ego ergo non video eum? Nonne cœlum et terram ego impleo (Jerem. xxiii, 23)?* Qui implet omnia, videt omnia. Et in eo demonstravit quid sit, *videbo eum*, quod adjuvavit dicens: *Cœlum et terram ego impleo*; neque enim more corporali videre credendus est Deus, tanquam sibi sit ipse cum videt, et sibi quod videt. Quidquid enim videt, non extra se videt, quia ipse implet universa quæ videt. Nam scriptum est: *Quoniam in omni loco oculi Dei spectantur bonos et malos (Prov. xv, 3)*. Et alio loco: *Oculi Domini super justos, et aures ejus ad preces eorum, vultus autem Domini super facientes mala (Psal. cXXIII, 16)*.

D CAPUT VIII. Quomodo intelligenda sit divinæ naturæ ubiquitas.

Ubi non prætereundæ locus nascitur questionis, in eo quod Salomon dicit: *In omni loco oculi Dei spectantur bonos et malos*. Et rursus propheta dicit ad Dominum: *Mundus est oculus tuus, ne videat malum (Habac. 1, 13)*. Metuendum est enim ne hic qui dicitur ea videre quæ dicitur implere, putetur alicubi non esse, cum dicitur aliquid non videre; quoniam non ubique substantialiter est, si vel in malis non est. Sed in divinis sermonibus, si teneatur humilitas

^a Basil., et propheta.

^b Basil., non potuerit.

^c Ms. Corb., Quid si.

^d Ms. Corb. et Vict., commemoret.

^e Ms. Corb., consequetur.

cordis, nulla reperietur repugnancia veritatis. Quodammodo ergo videt omnia Deus, et quodammodo quædam non videt Deus, sicut quodammodo ubique totus est, et quodammodo alicubi non est: non quia substantialiter alicubi deest [de quo scriptum est, *Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant* (Coloss. 1, 16); quique secundum propheticum dictum, *Mensus est manu aquam, et cælum palmo, et universam terram clausa manu* (Isai. xl, 12)], sed quia non omnibus æqualiter adest: ubique enim adest per potentiam, non ubique per gratiam: per potentiam, qua cuncta Deus implet et continet, per ipsam videt omnia; per gratiam vero illud videre dicitur quod ipse largitur, et quod in suis fidelibus operatur: *Vidit enim Deus omnia quæ fecit, et ecce bona valde* (Gen. 1, 31). Ac per hoc, et ubi quædam non videt, ut tribuat, videt ut retribuat; sic etiam videt malum, et non videt malum, quia quod non videt ut probet, videt ut iudicet, et quod non videt per gratiam suam donatum, videt a peccante per justitiam ☩ exigendum: quoniam, et ubi non adest iustificandi largitas, non deest iudicandi severitas, beato Paulo dicente: *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem, si permaneris in bonitate* (Rom. xi, 22). Quæ cum ita sint, quomodo potest substantialiter alicubi deesse, cum lux etiam in tenebris luceat, licet tenebræ eam non comprehendant (Joan. 1, 5)? aut quomodo potest aliquid substantialiter non videre, de quo beatus Paulus evidentissime protestatur, dicens: *Vivus est enim Dei sermo, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti; et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus* (Hebr. iv, 12)? Nec hic, sicut superius diximus, ulla debet corporeæ visionis subintrare suspicio, tanquam Dei Filius in cælo sit, et exinde cuncta videat, ubi non sit; hoc est enim Deo videre quod esse, et quantam insinuat visionem suam, tantam vult credi substantiam suam, ut cum ^b audimus omnia nuda et aperta esse oculis ejus, nullum terminum putemus substantiæ ejus.

CAPUT IX. *Quod infinitas Filio æque ac Patri conveniat.*

Ut autem unius infinitatis cum Patre Filius monstraretur, sancta Scriptura curavit de Sapiencia dicere: *Splendor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius* (Sap. vii, 26). In hoc testimonio et naturalis unitas, et personarum proprietas, et æqualitatis immensitas Patris Filiique monstratur. Patrem namque lucem, Filium vero splendorem hoc in loco nullus ambigit appellari. De quo etiam apostolica dicit auctoritas: *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, ge-*

^a Hæc verba ad quem nobis sermo leguntur hic in unico cod. edito; absunt autem a mss. Corb. et Vict. et editi: Colon., Antwerp. et Basil.

^b Basil., audiamus.

^c Ita ms. Corb. et Victor. et antiquiores editi Colon..

rens quoque omnia verbo virtutis suæ (Hebr. 1, 3). Ecce et splendor esse Filius, et omnia gerere perhibetur. Si quis ergo Patrem putat immensum, Filium vero quantitate credit aliqua terminatum, demonstrat nobis qualiter lux et splendor diversæ possint esse substantiæ, cum nec confundantur nomine, nec segregentur genere, nec alterum ab altero differat quantitate. Nam lucis et splendoris non sunt confusa nomina, sed lucis et splendoris non est discreta natura. Rursus licet splendor sic individuus unitur, ut ab ea nullatenus separetur, tantumque lux in se habet splendorem, quantam in se splendor continet lucem; nec lux ut luceat, splendore potest privari, nec splendor ut splendeat, luce potest aliquando destitui; sed quæcunque lux complet, æqualis in splendore permanens, eadem et splendor complet, in luce pariter æqualis existens. Quocirca si etiam lux illa æterna nec sine suo potuit splendore esse, nec eodem potest carere: consequenter aut Patri Filioque unus dabitur qualitatis quantitatisque terminus, aut æqualiter uterque necesse est prædicetur immensus: quantus est enim splendor illius lucis, tantam necesse est lucem splendoris ☩ illius fatearis; quoniam lucem sic æquat suis in omnibus splendor, ut nec major ibi possit esse, nec minor.

CAPUT X. *Non descendit Filius de cælo localiter. Pater quoque in Scripturis descendere et venire dicitur, sed non localiter.*

Multum vero miramur istos qui in contumeliam Filii Dei conspirant, æstimantes eum secundum deitatis substantiam, aut ad locum de loco motu locali transire, aut non posse simul omnia deitatis suæ immensitate complere; intantum, ut cum eum audiunt ad terram descendere, credant eum in cælo vel apud inferos non fuisse, et ad infernum secundum deitatis substantiam ita descendisse confirmant, ut eum cælo defuisse tunc et terris existiment. Quomodo non considerant secundum Scripturarum morem, quo parvulorum intellectui celestia solent eloquia coaptari, nonnunquam in persona quoque Patris similia reperiri? Ut enim illa legalium voluminum loca præteream, quibus dicitur: *Et descendit Dominus videre civitatem et turrim* (Genes. xi, 5), tanquam si non descenderet, non videret; cum superius demonstraverimus Scripturam dixisse: *In omni loco oculi Dei speculantur bonos et malos*. Et ipse Dominus ad prophetam: *Ego sum Dominus Deus universæ carnis; nunquid a me absconditur aliquid?* Sed et illud, quod paulo post dicitur: *Venite, descendamus, et confundamus in illis linguas eorum* (Ibid., 7). Ut ergo hæc silentio nunc interim deputentur, quoniam solent hæc ^d aliquanti non ^e totius Trinitatis, sed solius Filii deputare personæ, quid de illo loco Evangelii dicturi sunt, in quo Filius ipse discipulos, priusquam pateretur, informans, ait: *Qui habet mandata mea,*

Antwerp. et Basil.; at posteriores duo habent, *ut nec major ibi possit esse ullatenus, nec minor dici possit.*

^d Basil., aliqui.

^e Forte melius, non toti Trinitati, sed, etc.

et servat ea, ille est qui diligit me; qui autem diligit me, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum (Joan. xiv, 21). Cumque Judas discipulus (non traditor) respondisset dicens: Domine, quid factum est, quia nobis manifestaturus es teipsum, et non mundo? ut ostenderet manifestationis gratiam adventus nomine demonstrari, respondit Jesus, et dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget (al. diligit) eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (Ibid., 23). Simul diligunt, simul veniunt, et apud suum dilectorem simul unam faciunt mansionem, simul se manifestant, quia uno adventus sui lumine cor dilectoris illuminant. Et quoniam revelando se manifestant, non se sine sancto Spiritu revelant, quia non se sine sancto Spiritu manifestant. Sic enim sine sancto (al. suo) Spiritu cognosci non possunt, sicut sine suo (al. sancto) Spiritu esse non possunt; et ob hoc, sicut una est manifestatio, sic una est revelatio Trinitatis, et ubi unum est divinæ revelationis manus, ibi unus est individuae Trinitatis adventus: nam sicut Pater revelare monstratur, ipso Filio dicente: Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cælis (Matth. xvi, 17); ita Filius Patrem revelare suo sermone monstratur; dicit enim: Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Pater, et qui voluerit Filius revelare (Matth. xi, 27). Non est etiam sancti Spiritus dissimilis æstimanda revelatio, in quo est ipsius Dei naturalis agnitio, dicente Apostolo: Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei (I Cor. ii, 11). De ipso dicit idem gentium Doctor: Nobis enim revelavit Deus per Spiritum suum (Ibid.). De hoc denuo ad Ephesios ita scribit: Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis (Ephes. i, 17). Et ut ostenderet agnitionem Dei in nobis revelationem Spiritus operari, cum dixisset: Det vobis Spiritum sapientiæ et revelationis, adjecit: In agnitione ejus. Sola vero se potest Trinitas revelare, quia sola se plene potest ipsa Trinitas nosse, et quantum se dederit agnoscendam, tantum se condonat revelandam; ibi autem est plena sui cognitio, ubi non est naturalis ulla discretio: a immensus namque ab immenso plene cognoscitur, et scientiæ infinitas manet ubi substantia finem b non habet, nec scientiæ terminus ab aliqua creatura contingitur, ubi quod immensum est nullatenus terminatur.

CAPUT XI. Deus advenit hominibus, non mobilitate, sed pietate.

Sola est ergo una Trinitas, quæ cum se manifestat, ineffabiliter venit, et cum se indignis occultat, ineffabiliter omnino discedit. Veniunt atque abeunt proprio et incomprehensibili modo Pater et Filius, et Spiritus sanctus: nec tamen localiter, aut Pater, aut

Filius movetur, aut Spiritus. Noverunt sic venire atque abire, ut nec ad locum localiter veniant, nec localiter de loco discedant. Hic adventus Patris, et Filii, et Spiritus sancti, non mobilitatem, sed pietatem Dei venientis ostendit: una enim deitas c Trinitatis, quæ omnia implet, omnia continet, illi venire dicitur, cui se manifestare dignatur; et ab illo discedit, a quo lumen suæ dilectionis abscondit, nec tamen localiter absens efficitur, cum juste relinquit indignum, nec loco præsens efficitur, cum misericorditer visitat quem fecerit dignum. Propterea, licet Deus dicat: Cælum et terram ego impleo (Jerem. xxiii, 24), tamen de quodam dicitur: Non est Deus in conspectu ejus (Psal. ix, 5); et licet totum impleat Pater, dicitur tamen in libro Sapientiæ: Perversæ enim cogitationes separant a Deo d (Sap. i, 3). Et cum de Filio, id est de sapientia Dei, dicitur: Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (Sap. viii, 1), eadem tamen de se dicit: Quærunt me mali, et non inveniunt. Et rursus dicitur: In malevolam animam non introibit sapientia, nec inhabitabit (al. inhabitat) in corpore subdito peccatis. Spiritus quoque sanctus, cum immensus omnimodis prædicetur, quia Spiritus Domini, replevit orbem terrarum, de eodem tamen dicitur: Sanctus enim Spiritus effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Quantum ergo ad substantiam et 101 potentiam suam, ubique est Trinitas, unus Deus totus, totum complens virtute, non mole, totus in singulis, totus simul in omnibus creaturis. C Quantum vero ad cogitationes attinet nostras, descendere ad nos Deus dicitur, cum sermonem suum ita nobis divinitus (al. divinitas) temperat, ut, humano nobiscum more loquens, agnitionem et dilectionem suam nobis intimare dignetur; ascendit autem in nobis quando nos ascendimus per caritatem et scientiam deitatis, ut discamus, nec in immenso quiddam locale sapere, nec de altissimo humile aliquid æstimare, nec aliquid in Deo credere mutabile, nec in sempiterno temporale aliquid cogitare.

CAPUT XII. Requievit et operatus est Deus voluntate, non labore.

Talis est Patris, et Filii, et Spiritus sancti credendus adventus; quoniam sicut mundana operatione primordialiter consummata, requievisse dicitur Deus, qui tamen non laboravit in opere, quia cuncta sola operatus est voluntate; huic enim dicitur: Subest enim tibi cum voles posse (Sap. xii, 18), sicut et in psalmo audimus: Omnia quæcumque voluit, fecit, in cælo, et in terra, et in mari, et in omnibus abyssis (Psal. cxxxiv, 6). Cujus voluntatis omnipotentiam evangelicus ille leprosus divina illuminatione cognoscens, hanc ad suæ mundationis sufficere testatur effectum dicens: Domine, si vis, potes me mundare (Matth. viii, 2); cum dicit, si vis, potes, ostendit divinam voluntatem ipsam esse plenissimam potesta-

a Ms. Corb., immensum.

b Ita ms. Corb. et editi antiquiores. Colon., Antwerp. et Basil.; editi vero duo recentiores ferunt: ullum omnino non habet nec... contingi ullo modo potest.

c Ms. Corb., Trinitasque, omnia, etc.

d Ita ms. Corb., et Antwerp.; at Basil., Perversæ enim cogitantes separant se a Deo.

tom. Denique etiam Dominus hoc misericorditer effectu curationis ostendit, quod crediderat fideliter qui poposcit; ait enim: *Volo, mundare; et confestim mundata est lepra ejus*. Sicut faciens ergo mundum, non cujusquam sensit laboris incommodum, ut vires labore operationis exhaustas, quietis posset instaurare successu; sed cum se requiescisse dicit, nos post bona opera requietures ostendit: ita cum venisse, vel descendisse dicitur, divinæ revelationis erga nos gratia commendatur; et cum non descendere, sed ascendere dicitur, profectus nostræ illuminationis agnitionisque monstratur.

CAPUT XIM. *De sensu dicti: Noli me tangere, etc. Dissolutio contrarietatis quæ videtur inter Evangelia.*

Talem Dominus Jesus ascensum significavit, quando tangendi se facultatem Mariæ Magdalene prohibuit. Post resurrectionem namque cum flenti misericorditer appareret, Joannes eum dixisse commemorat: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum* (Joun. xx, 17). Hic tactus, de quo Dominus loquitur, credulitatis probatur esse, non corporis; alioquin repugnans evangelistarum reperietur assertio; nam cum Joannes tangendi Dominum Mariæ facultatem præreptam ipsius Domini testetur imperio, dicentis: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum* (Act. 1, 3), et Dominum in cælum, secundum hominem, ascendisse quadragesimo resurrectionis die Scriptura confirmet (quod non solum Ecclesiæ sanctæ catholicæ fides intemerata retinet, sed etiam variarum hæresum, earum dentatæ que **102** veræ carnis in Dei Filio non abant sacramentum, diversa multiformisque credulitas, univoce prorsus concelebrat assensu), si priusquam Dominus ascendisset ad Patrem, noluit corporali accessu Mariæ contingi, quomodo Mathæus ipse resurrectionis die, Mariam Magdalenam, et aliam Mariam, pedes Jesu memorat tenuisse? Quod ut manifestius agnoscat, totum ejusdem loci capitulum, sicut Mathæus posuit, huic operi duximus inserendum. Ait igitur: *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria, videre sepulcrum. Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus autem Domini descendit de cælo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum: erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et vestimentum ejus sicut nix. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut (al. sicut) mortui. Respondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis; non est hic: surrexit enim, sicut dixit; venite, videte locum ubi positus erat Dominus. Et cito euntes, dicite discipulis ejus quia surrexit; et ecce præcedit (al. præcedet) vos in Galilæam: ibi eum videbitis. Ecce dixi vobis. Et exierunt cito de monumento eum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: Averte. Illæ autem accer-*

serunt et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum (Matth. xxviii, 1-9). Quomodo ergo se, eo quod nondum ascendisset ad Patrem, a Mariæ Magdalene tangi vetuit, a qua sibi eodem die pedes teneri permisit? An ita quisquam perverso sensu raptatur, ut momentaneis putet Christi sententias motibus variatas, tanquam qui postmodum, melius recogitans, Mariæ tribuerit, quod antea denegarit? Sed tali cogitationi protinus Vas electionis obsistit, qui in Dei ffitio, secundum immutabilitatem divinitatis æternæ, nulla nos mutabilitatis suspitione permittit errare, Corinthiis ita scribens: *Dei enim Filius Jesus Christus qui in vobis per nos prædicatus est, per me, et Silvanum, et Timotheum, non fuit in illo est et non, sed est in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo sunt est: ideo, et per ipsum dicimus: Amen Deo ad gloriam vestram* (II Cor. 1, 19, 20). Non ergo hic evangelistarum discrepat intellectus; nec Christus aut inaniter se tangi, nondum ascendens ad Patrem, prohibuit, aut incassum sibi pedes teneri permisit. In uno enim demonstravit veritatem carnis, in altero insinuavit gloriam deitatis; illic permisit manum, hic amovit intellectum; ut in homine Christo resuscitate carnis tangeretur veritas, et in eodem Deo Christo paternæ divinitatis crederetur æqualitas. Ideo igitur dicit: *Noli me tangere, quia nondum ascendi ad Patrem meum*, quia Maria Magdalene nondum Patri æqualem credebat, quem velut extinctum feminea pietate plangebat. Quid est enim: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*, nisi, *Noli hoc in me tantum credere quod putas, noli hoc in corde firmare quod æstimas? quia quando in me illa tantum quæ sunt carnis attendis, æqualitatem meam cum Patre non sentis. Et revera nondum illis Christus **103** ascendit ad Patrem, qui Patri Filium non confitentur æqualem. Festinandum hæque est, ut unusquisque perfectionem et veritatem humanæ naturæ in Dei Filio credens, tanquam pedes Christi teneat, ejusdemque Filii de Patre natam substantiam fateatur, ut illi Christus ad Patrem, per æqualitatem naturalis divinitatis, ascendat. Quid est enim: *Nondum ascendi ad Patrem meum*, nisi, *infra Patrem existimas, quem mortuum ploras? Et quid est: *Noli me tangere, Nisi, noli in eo fidei tuæ motum statuere? Quotiescunque enim volumus quolibet membro aliquid tangere, nisi ejusdem membri finierimus motum, non dicimus tactum: tandiu autem membrum illud necesse est moveamus, donec ad rem, quam volumus tangere, veniamus, et ulterius autem motum membri non porrigimus, postquam ad tactum integrum venerimus. Sic et animi nostri motum illic statuimus, quod in corde nostro credulitate firmamus. Proinde, si quæ digna et congrua sunt, credamus de Christo, tunc tangimus Christum. Quisquis autem Dei Filium, secundum divinam naturam, æqualem Patri non credit, nondum illi ad Pa-***

^a Ita editi; at ms. Corb., non fuit est et non, juxta textum Græcum οὐκ ἔγνωτο val vel οὐ.

^b Ita Basil.; at ms. Corb. nec non Colon. et Ant., in illo est.

^c Ita editi; at ms. Corb. eutextus Græcus, ideo, et per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram.

^d Ms. Victor., admonuit.

^e Ms. Corb., alterius.

trum Christus ascendit; et cui Filius non ascendit ad Patrem, tangendi Christum non accipit facultatem: illi autem vere Filius ascendit ad Patrem, qui Filium Patri æqualem, sempiternitatis et immensitatis paritate non ambigit, ut Filium Deum, de Deo Patre naturaliter genitum, nec posteriorem æstimet, nec minorem: quia non æqualis, si minor immenso, nec coæternus, si posterior sempiternæ; uterque ætem sensus a Christi tactu separaret, quia non exæquat Patri Filium, sed minorat. Hujusmodi autem digne audit a Christo: *Nali me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Quinquis enim tangere Christum non sinitur, ab ejus utique corpore separatur; quod est autem corpus Christi, nisi Ecclesia Christi? Unde intelligitur quia, donec aliquis Filium Dei secundum divinam substantiam æqualem non credit Patri, membris Christi per tactum fidei non potest copulari; ille autem dominici corporis tenet profecto compagem, cui Filius ascendit ad Patrem; isti autem Filius ascendit ad Patrem, qui deitatem Filii Deo Patri fateatur æqualem. Manifeste itaque claret per illum ad Patrem ascensum Filii, nostræ potius profectum fidei demonstrari, nos enim eum quodammodo in nostris cordibus exaltamus, quando sic in ejus intelligentia crescimus, ut de illo, tanquam de Deo vero, quæ divinæ celsitudini (al. divina celsitudine) digna sunt cogitamus.

CAPUT XIV. Quid sit Deum exaltare. Quid sit sanctificare.

Ad hanc nos Dei exaltationem David sanctus hortatur, dicens: *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorare scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* (Psal. xcvm, 5). Et paulo post: *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorare in monte sancto ejus, quoniam sanctus Dominus Deus noster* (Ibid., 9). Quid est autem exaltare Dominum, nisi quæ altissima sunt, de altissimo credere? Hoc est utique in monte adorare, ut cum de Deo cogitamus, nihil de illo humile sapiamus: sic in nobis vero **104** exaltatur, quando eum exaltamus, cum sit ipse semper altissimus; sicut in nobis sanctificatur, quando eum sanctificamus, cum semper ipse maneat sanctus. Nam beatus Petrus admonet nos, dicens: *Dominum vero Christum sanctificate in cordibus vestris* (I Petr. iii, 15); quid est autem Christum sanctificare, nisi de Christo quæ sancta sunt cogitare? Quæ cogitatio non illum, sed nos sanctificat, et sanctificando conservat, sicut Salomon dicit: *Cogitatio sancta servabit te.* Ipse quoque Dominus jubet ut in oratione dicamus: *Sanctificatur nomen tuum*; et tamen hunc orationis locum sic beatus intellexisse cognoscitur Cyprianus, ut in hac divini nominis sanctificatione, non Deum diceret sanctificari, sed nobis donum sanctificationis divinæ conferri. In epistola namque de dominica oratione, quibusdam præmissis, ita loquitur: *Post hæc (al. post hæc) dicimus: Sancti-*

fietur nomen tuum, non quod optemus Deo ut sanctificetur orationibus nostris, sed quod petimus ab eo ut nomen ejus sanctificetur in nobis. ^a *Cæterum a quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? sed quia ipse dixit: Sancti estote, quia et ego sanctus sum* (Levit. xi, 44), *id petimus, et rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseveremus, et hoc quotidie deprecamur. Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione, ut qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua* ^b *repurgemus. Si (al. si-eut) ergo sanctificantes Christum, nos sanctificamur, et nomen Dei sanctificari poscentes, nos donum sanctificationis accipimus, cur exaltantes Deum, non potius nos per intelligentiæ profectum exaltari* ^c *credamus? Quod si Deum exaltantes, nos potius exaltamur* (al. exaltamus), *similiter cum nobis venire dicitur, nostrum profectum debemus credere, in eo quod se divina majestas nostris dignatur cordibus revelare.*

CAPUT XV. Quomodo a Christo virtus exiit, mulierem sibi tangente. Quomodo Christus nobis venire dicitur, aut in propria. Spiritus sanctus quoque immensus est. Tota Trinitas immensa.

Nam si Filius Dei ad nos locali motu descendit, localiter de illo virtus exiit: cum enim quædam mulier, in profluvio sanguinis constituta (Luc. viii, 43 et seq.), facultatibus viribusque consumptis, omnia quæ habuit propter infirmitatem finiret, et solam infirmitatem, quam habere nollet, finire non posset, ^d atque a cœlesti medico gratis curari desiderans, occulte sibi tangens, fidei raptu sanitatis sibi furaretur effectum, ille credulitatis conscius et salutis, ait: *Tetigit me aliquis: nam ego novi virtutem de me exisse.* Quid igitur hæc virtus quæ de Domino exiit? nunquid exendo discessit? an ad sanandam sic exiens potuit pervenire, ut a Salvatore localiter non posset exire? Quod si localiter ab eo, qui virtus dicitur, virtus exiit, dicatur qualiter virtus a virtute discessit? Si vero talis credulitas fidei Christianæ videtur incongrua, non aliam putemus illum de Christo virtutis exitum, **105** nisi divinæ curationis effectum: tunc enim ad mulierem virtus Salvatoris exiit, quando in se virtutem divinæ curationis agnovit. Sic ergo Dei Filius, qui est virtus et sapientia Dei, locorum creator et temporum, quemadmodum tempus omne sempiternus præcedit, sic omnem locum immensus excedit; qui nobis tunc venire dicitur, cum nos illuminare dignatur. De ipso namque dicit evangelista: *In mundo erat, et mundus per ipsum* (al. eum) *factus est, et mundus eum non cognovit: in propria venit, et sui eum non receperunt.* Quomodo igitur et in mundo fuisse dicitur, et in mundum venisse firmatur? an illud est potentie, istud gratiæ deputandum? Ita plane: secundum divinitatem namque suam nec cœlo unquam defuit, nec inferno, nec mundo: *Omnia enim per ipsam et in ipso creata*

^a Ita ms. Corb. et editi; et ms. Victor., non quod Deus sanctificatur, etc.

^b Ms. Victor., purgemus.

^c Ms. Corb., credamur.

^d Hæc verba, atque a cœlesti medico gratis curari desiderans, absunt a cod. ms. Victor.; habentur in cæteris codd., edd. et ms. Corb.

sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant (Coloss. 1, 16, 17); secundum gratiam vero tunc in mundum venit, quando pereunti mundo mira pietate subvenit, quod etiam ipse testatur, dicens: *Non enim misit Deus Filium suum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* (Joan. 3, 17). Est igitur immensus Dei Filius, sicut Pater et Spiritus, quoniam de ipso dictum est: *Magnus est, et non habet finem, excelsus et immensus* (Baruch 3, 25); de quo paulo post dicitur: *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (Ibid., 38). Immensus est etiam Spiritus sanctus: quod sciens propheta, dicebat ad Deum: *Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam* (Psal. cxxxviii, 7)? Quem Spiritum Dei, ut ipsum sanctum Spiritum propheta memoratus ostenderet, dicit Deo: *Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (Psal. 1, 13). Quem Spiritum Dei ipsum esse Spiritum sanctum Apostolus quoque hac attestazione significat: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis* (Ephes. 4, 30). Et alio loco: *Qui autem hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum sanctum suum in nobis* (1 Thess. 4, 8). Hunc Spiritum Dei sanctum sic immensus David pronuntiat, ut Deo (sicut superius memoravimus) dicat: *Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in caelum, tu illic es; et si descendero in infernum, ades; et si assumpsero pennas meas in directione, sive* (sicut alia translatio habet) *ante lucem, et habitavero in novissimo maris: etenim illuc manus tua deducet me, et continebit me dextera tua*. Manum Patris Filium nullus ambigit nominari, de quo ipse Deus dicit: *Nonne manus mea fecit hæc omnia? Attamen propheta, ut Trinitatem æqualiter prædicaret immensam, et Patrem significavit, cui dixit: Quo ibo a Spiritu tuo? et ipsum Spiritum, a quo se ire vel fugere nullo modo posse testatur; et Filium demonstravit, ubi se a Dei manu etiam in novissimo maris prædicat deducendum; ut agnoscat Patris et Filii et Spiritus sancti una esse immensitas, et una præsentia in omnibus creaturis. Hæc est Trinitas unus Deus, qui sicut potuit solus universa condere, sic potest omnia solus implere, nec localis in loco, nec temporalis in tempore, nec terminabilis termino creature.*

CAPUT XVI. *Deus est ubique, imo et in secreto preces audit.*

106 Nam immensitatem divinitatis Filii Dei manifesta prædicatione, et eloquiorum divinatorum attestazione, beatus martyr Cyprianus affirmat in epistola de Oratione Dominica, dicens: *Denique magisterio suo Dominus secreto nos orare præcepit, in abditis et secretis locis, in cubiculis ipsis, quod magis convenit fidei; ut sciamus Deum ubique esse præsentem, audire omnes et videre, et majestatis suæ plenitudine in abdita quoque et occulta penetrare, sicut scriptum est: Ego Deus approximans, et non Deus de longinquo.*

^a Basil., in diem, juxta Græcum sic ἠπάραυ.

^b Ms. Corb., sumpsero.... tenebit.

^c Ms. Corb., Et tamen.

A Si absconditus fuerit homo in absconditis, ego ergo non videbo eum? nonne caelum et terram ego impleo (Jer. xxiii, 23, 24)? *Et iterum: In omni loco oculi Dei speculantur bonos et malos* (Prov. xv, 3). *Et quando in unum cum fratribus convenimus, et sacrificia divina cum Dei sacerdote celebramus, verecundia et disciplinæ memores esse debemus: non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeste Deo tumultuosa loquacitate jactare, quia Deus non vocis, sed cordis auditor est, nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes videt, probante Domino et dicente: Quid cogitatis nequam in cordibus vestris* (Math. ix, 4)? *Et alio loco: Scient omnes Ecclesie quia ego sum scrutator renis et cordis* (Apoc. ii, 23). **B** Beatus certe Cyprianus Deum, quem dixit ubique esse præsentem, audire omnes et videre, et majestatis suæ plenitudine in abdita quoque et occulta penetrare, ipsum quoque non vocis, sed cordis asserit auditorem, nec admonendam clamoribus, qui cogitationes videt; ipsum quoque ponit dicentem: *Quid cogitatis nequam in cordibus vestris? Et alio loco: Scient omnes Ecclesie quia ego sum scrutator renis et cordis*. Hæc autem quis nesciat a Filio Dei dicta, sicut Apocalypsis Evangeliumque testatur? Filius igitur (sicut sanctus asserit Cyprianus) ubique præsens est, idem omnes audit et videt, et majestatis suæ plenitudine in abdita quoque et occulta penetrat, nec clamoribus admonendus est qui cogitationes videt. Huic sensui Joannis evangelistæ dicta concordant, qui dicit de quibusdam: *Quia Jesus non credebat semetipsum illis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine* (Joan. ii, 24).

CAPUT XVII. *Christus nunquam suos derelinquit solos, quia eis ubique adest. Deo omnia manifesta.*

Simile quiddam beatus Cyprianus etiam ad Tybarritanos scribens de Filii Dei immensitate, testatur his verbis: *Solus non est, cui Christus in fuga comes est; solus non est, qui templum Dei servans, ubicunque fuerit, sine Domino non est, et si fugientem in solitudine ac montibus latro oppresserit, fera invaserit, fames, aut sitis, aut frigus affixerit, vel per maria præcipiti navigatione properantem, tempestas aut procella submerserit, spectat militem suum Christus ubicunque pugnantem*. **107** In epistola quoque de Lapsis, quisquis volet, hæc inserta reperiet: *Videt ille corda et pectora singulorum et judicatorius non tantum de factis, sed et verbis et cogitationibus nostris, omnium mentes voluntatesque conceptas intra ipsas adhuc clausi pectoris latebras intuetur*. Filing ergo Dei, tam auctoritate divina quam sanctorum Patrum fideli veracique sententia, secundum divinam naturam infinitus immensusque probatur, ubique præsens, omnia replens, testis nunc cogitationum et operum, futurus judex retributorque cunctorum. Quia vero idem Filius Dei, verus Deus, natus de Deo Patre, verus ho-

^d Ms. Victor., renum.

^e Ed. Colon. et Basil. non habent in.

mo factus est pro nobis ex homine (*factus est enim ex semine David secundum carnem* [Rom. 1, 3]), divinx humanæque natu æ in se continens veritatem, quæ fuerunt veræ divinitatis non amisit, et quæ sunt veræ humanitatis accepit : unus idemque secundum carnem de matre temporaliter natus, qui secundum divinitatem de Patre permanet sempiternus ; unus idemque homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex Patre ; unus idemque secundum humanam substantiam, absens cælo cum esset in terra, et derelinquens terram cum ascendisset in cælum ; secundum divinam vero immensamque substantiam, nec cælum dimittens cum de cælo descendit, nec terram deserens cum ad cælum ascendit. Quod ipsius Domini certissimo potest cognosci sermone, qui ut localem ostenderet humanitatem suam, dicit discipulis suis : *Ascendo ad Patrem meum et ad Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (Joan. xx, 17). De Lazaro quoque cum dixisset : *Lazarus mortuus est, adjunxit dicens : Et gaudeo propter vos, ut credatis quoniã non eram ibi* (Joan. xi, 14, 15). Immensitatem vero suæ divinitatis ostendens discipulis dicit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* (Matth. xxviii, 20). Quomodo autem ascendit in cælum, nisi quia localis et verus est homo ? Aut quomodo adest fidelibus suis, nisi quia idem immensus et verus est Deus ? De ipso rursus dicit Scriptura : *Quia vere habitavit Deus cum hominibus in terra* (II Paral. vi, 18), de quo evangelista dicit : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*. Quod Verbum, ut agnosceretur, etiam cum caro factum est et habitavit in nobis, nunquam discessisse de cælo, propterea David dicit : *In æternum, Domine, permanet Verbum tuum in cælo* (Psal. cxviii, 93). De ipso uno eodemque Dei sempiterno Filio, et futuro tunc hominis Filio, in quo permansisset vera et immensa divinitas, et a quo suscipienda esset vera localisque humanitas, prophetice inspirationis agnitione repletus, dixerat Jeremias : *Hic Deus noster, et non æstimabitur alius ad eum. Advenit omnem viam disciplinæ, et dedit eam Jacob puero suo et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (Baruch iii, 36, 37, 38). Et quoniam de ipso superius dixerat : *Magnus est, et non habet finem, excelsus et immensus*, ne ista Dei in terra visio et cum hominibus conversatio Deum immensum putaretur alienasse de cælo, propter hoc ipse Filius, ut immensitatem divinitatis suæ in terra positus demonstraret, et non secundum hominem, quem susceperat in terra positus, sed secundum **108** Deum, quod semper erat, præsentem se etiam cælo doceret, ait : *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis qui est in cælo* (Joan. iii, 13) ; non quia humana Christi substantia fuisset ubique diffusa, sed quoniam unus idemque Dei filius atque hominis filius verus Deus ex Patre, sicut homo verus ex homine, licet secundum veram humanitatem

A suam localiter tunc esset in terra, secundum divinitatem tamen (quæ loco nullatenus continetur) cælum totus impletet et terram.

CAPUT XVIII. *Ex verbis Apostoli Christus et immensus et localis probatur. Corporalis Christi ascensus. Habitat in nobis Christus. Habitat in nobis Deus Pater. Habitat in nobis Spiritus sanctus.*

Istam Christi veram humanitatem, quæ localis est, et veram divinitatem, quæ immensa semper est, apostolica quoque nobis doctrina cernimus intimari. Nam ut Christi veri hominis corpus localiter contineri Paulus monstraret apostolus, ait ad Thessalonicenses : *Quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo viro et vero, et expectare Filium ejus de cælis, quem suscitavit a mortuis Jesum* (I Thess. 1, 9, 10) : ipsum utique monstrans corporaliter de cælo venturum, quem corporaliter a mortuis noverat suscitatum. Propterea rursus ait : *Nostra autem conversatio in cælis est. Unde etiam Salvatorem expectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit* (al. reformavit) *corpus humilitatis nostræ conformæ corpori claritatis suæ, secundum operationem qua potest etiam subjicere sibi omnia* (Philip. iii, 20). Interim quoniam loci opportunitas non est prætereunda silentio, attendatur hic locus in quo^d Apostolus Filium dicit omnia sibi posse subjicere, ne (al. et ne) Pater existimetur cuncta tanquam invalido subjecisse, dicit etiam corpus humilitatis nostræ reformaturum conformæ corpori claritatis suæ. Quod si verum est corpus Christi, loco potest utique contineri. Hanc veritatem corporis Christi de cælo venturi, Joannes quoque confirmat, dicens : *Ecce veniet cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum compunxerunt* (Apoc. 1, 7). In libro quoque Actuum apostolorum sic ejus corporalis intimatur ascensus : *Et cum hæc dixisset, videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta eos in vestibus albis, qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum ? Hic Jesus, quem vidistis euntem in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum* (Act. 1, 9 et seq.). Cum ergo caro Christi localis absque dubitatione monstretur (al. monstraretur), divinitas tamen ejus ubique semper esse, Paulo testante, cognoscitur, qui fidelibus dicit : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur, Christus* (al. Christi) (II Cor. xiii, 3) ? Quomodo autem in eo loqui potuit, si in illo non fuit ? Vel quomodo corporaliter ascendit in cælum, et in suis fidelibus esse prædicatur in terra, si non est in illo divinitatis immensitas quæ cælum implere possit et terram ? Nam Corinthiis Paulus dicit : *An non cognoscitis vos ipsos, quia Jesus Christus in vobis est* (Ibid., 5) ? Et ad Ephesios ait : *In interiori homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris* (Ephes. iii, 16). Est itaque Filius in cælo, et habitat in nobis in terra, scilicet illa suæ immensitatis præsentia, qua in nobis Pater Spiritusque **109** sanctus habitat :

^a Editi codd. Colon. et Antwerp. et ms. Corb. sic habent, et secundum hominem quem susceperat... et secundum Deum.

^b Ed. Basil., qui.

^c Ed. Basil., hujus loci opportunitas nullo est, etc.

^d Ed. Basil., beatus Paulus apostolus.

nam Deus Pater suam in nobis habitationem sic, A propheta loquente, monstravit : *Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo* (al. *ambulabo*), *et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus : et immun- dum ne tetigeritis, et ego recipiam vos ; et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Do- minus omnipotens* (II Cor. vi, 15-17). Spiritum quoque sanctum in nobis pariter habitare Paulus ostendit, ita Corinthiis scribens : *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (I Cor. iii, 16). Ac ne quis eorum qui Spiritum sanctum minorem Patre Filioque constituunt, hic ubi dictum est, *Spiritus Dei habitat in vobis*, ad personam sancti Spiritus denegat pertinere, quid in illo replicaturus est loco ubi Apostolus Timotheum sollicitudine paterni amo- ris informat ? *Bonum depositum, inquit, custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis* (II Tim. i, 14).

CAPUT XIX. *Ejusmodi habitatio non localis est, sed immensa. Cor nostrum dilatatur Deo inhabitante.*

Hæc utique Patris et Filii et Spiritus sancti in nobis habitatio non localis est, sed immensa ; non comprehensibilis cogitatione, sed venerabilis fide : inhabitat enim Trinitas in suis fidelibus, sicut tota in singulis, sic tota in cunctis, quæ nec cæli terræque spatio distenditur, nec universæ creaturæ termino terminatur, nec per separatos homines vel (al. et) separata loca, particulariter separatur, nec inferno deest, cum terræ non desit et cælo. Qui enim potuit omnia facere, solus potest univ.ersa replere. Quisquis autem localem Filii et Spiritus sancti adventum habitationemve considerat, prius est ut Patrem in nobis localiter, non solum habitare, verum etiam ambulare confirmet ; quem beatus Paulus dixisse assertit per prophetam : *Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo* (II Cor. vi, 15). Explicetur ergo qualiter in nobis Filii vel Spiritus sanctus inhabitet (al. inhabitat). Nam si hæc humano more credimus metienda, majoris est quantitatis qui habitare tantummodo dicitur, quam ille qui etiam in nobis ambulare monstratur : potest enim qui habitat totum implere quod habitat ; qui autem inambulare dicitur, minor utique spatio in quo ambulat, absque dubitatione monstratur. Sed hæc cogitationis ineptiam deterior consequetur absurditas. Procul dubio enim cordis nostri spatia videbuntur ipsa Trinitate majora, in quibus sit locus quem Filii atque Spiritus sanctus inhabitando implere possint, et locus quem inambulando Pater implere non possit. Quod si hæc non conveniunt veritati, credamus habitationem Trinitatis secundum

immensitatis illius incomprehensibilem majestatem ineffabiliter designari, et cum Deum in nobis habitare atque inambulare audimus, ita spiritaliter cognoscamus, ut non credamus quod Deus localiter moveatur in corde nostro, sed quod eor nostrum dilatetur in Deo. De qua cordis latitudine Apostolus loquebatur, dicens : *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii : cor nostrum dilatatum est. Eandem autem habentes remunerationem, tanquam filiis dico, dilatamini et vos* (II Cor. vi, 11). Ubi paulo post testimonium prophetæ posuit superius memoratum, dicens : *Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis et inambulabo* (Ibid., 15).

CAPUT XX. *Immensitas Trinitatis ex forma baptismi ostenditur. Conclusio secundi libri de immensitate divinitatis Filii Dei.*

B 110 Sed nec illud est aliquatenus omittendum, quo manifestissima Trinitatis immensitas, et per omnia non localis, sed divina mirabilisque præsentia demonstratur, dum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, secundum ipsius Domini præceptum credentes, ubique a cognoscimus baptizari. Si enim omnis Trinitas in baptisate sanctificare creditur, omnis utique Trinitas adesse monstratur ; cum autem ubique uno tempore per totum orbem baptisma celebratur (al. celebretur) in nomine Trinitatis, si tota Trinitas adest ad sanctificandum (al. significandum), ecce ubique mirabiliter exhibet præsentiam majestatis immensæ : quoniam solius est Dei, simul universa complere. Si autem non tota Trinitas ubique pariter adest, si Filius aut Spiritus sanctus putatur deesse, nominandus utique in baptisate non est, qui ad sanctificandum adesse non potest. Quisquis ergo putat æqualitatem immensitatis paternæ denegandam Filio vel Spiritui sancto, nomen eorum prius auferat de baptismatis sacramento. In hoc igitur quam maxime fidei catholicæ veritas agnoscitur, quæ recte in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizare consuevit, quoniam omnem Trinitatem ubique pariter a Jesse confidit. Posset adhuc immensitas divinitatis Filii Dei testimoniis innumerabilibus demonstrari ; sed nos maluimus pauca de pluribus ponere, volentes etiam secundum librum celerius terminare ; quam maxime prospicientes, ut in his quæ vestræ clementiæ destinamus, animum regalibus curis b feliciter occupatum, non lectionis prolixitas oneret, sed manifestatio veritatis informet. Proinde quæ de immensitate c divinitatis Filii Dei disputata sunt, isto concludamus termino, ut ea quæ de sacramento dicenda sunt dominicæ passionis, alio rursus iucipiamus exordio.

a Abest ubique ab edd. ; legitur in ms. Corb.

b Ms. Corb., fideliter.

c In Basil. deest divinitatis.

LIBER TERTIUS.

DE SACRAMENTO DOMINICÆ PASSIONIS.

CAPUT PRIMUM. *Difficultas tertii libri de Passione Domini. Error Theophaschitarum. Verbum crucis pe- reuntibus stultitia est.*

111 Quamquam secundo libro, superni muneris

opitulatione subnixi, divinitatem Filii Dei probaverimus immensam, nec tempore scilicet, nec loco conclu- sam, ut pote quæ omnia replet, omnia continet, om-

nia sempiternitate præcedit, omnia pariter immensitate concludit; quod idcirco quam maxime curavimus demonstrandum, ut si qui nunc usque spiritualiter de Deo nequeunt cogitare, localis in Dei Filio suspitionis absolventur errore: non minor nobis est sollicitudo residua tertii quoque hujus voluminis absolvendi, quo de sacramento dominicæ passionis, quod ipse, qui pro nobis passus est, donaverit, sumus utique tractaturi. Ubi non minimo timore concutimur, nec levi formidine perurgemur: sumus enim prorsus (quantum ad nos attinet) explicationi tantæ profunditatis invalidi. Sed ille qui aperuit^a os mutorum, et linguas infantium fecit (al. facit) disertas (Sap. x, 21), ipse (sicut confidimus) dabit sermonem directum et bene sonantem in os nostrum, b tantamque huic operi, quod per nos dignatur misericorditer operari, demonstrandæ veritatis gratiam largietur, ut manifestis Scripturarum clareat documentis, et rectitudo catholici dogmatis, et tortuosus error ac multiplex hæreticæ pravitatis. Sunt enim quidam qui de sacramento dominicæ passionis aliter quam se pietas habet, cogitantes, dum salutem quærunt, dispendium salutis incurrunt, et dum in Deo id accipiunt, quod in hominibus cernunt, quadam velut lancea perversæ locutionis latus percipiunt Salvatoris; et cum increduli milites detrahere ausi non fuerint morienti, quidam nunc, sub Christiani nominis furo, non metuunt derogare regnanti. Hi sunt qui cum in uno Christo Deo vero homineque perfecto humanam divinamque forsitan 112 nequeunt, aut certe negligunt, secundum naturalem veritatem considerare substantiam, ia id erroris incurrunt, ut non humanam in Dei Filio naturam, manente divinæ virtutis immutabilitate, considerent, sed ut divinam substantiam, divinæ infirmitatis passibilitate dedecorent. Quod utique divino Spiritu prævidens, dicebat Apostolus: *Verbum enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salvi sunt, virtus Dei est* (I Cor. 1, 8). Pereunt in verbo crucis non solum qui putant Dei Filium quæ humana sunt in carne pati non potuisse, verum etiam qui credunt divinitatem Filii Dei dolores vel passionem substantialiter in cruce sensisse. Quomodo autem verbum crucis virtus est Dei, si in cruce divina substantia potuit infirmari? vel qualiter nos ad immutabilitatis atque incorruptionis gratiam perducturus (al. reducturus) est Christus, si ipse secundum divinam naturam probatur in deterius commutatus, cum divinæ naturæ sit proprium, nec defectum capere, nec profectum?

CAPUT II. *Cave de Christo tractandum propter duas naturas in una persona.*

Igitur quid in Christo semper impassibile, quidve ante mortem carnis passibile fuerit, tractaturi, primitus libello huic inserenda duximus, quæ de uno Christo Deo homineque credimus et tenemus: ne quis, cum in uno Christo cœperimus ea quæ ad pro-

^a Mss. codd. Thuan. et Vict. habent *os mutorum*; at editi et ms. Corb., *os mutum*.

^b Ms. Corb., *tantamque*.

^c Absert vera a ms. *Factor*; legitur in edd. et ms. Corb.

prietatem divinæ humanæque naturæ pertinent, demonstrare, aut duos Christos nos existimet credere, secundum utramque naturam, aut quartam a nobis inseri putet Trinitati personam. Nos enim fidem retinentes evangelicæ veritatis, sic in Mediatore Dei et hominum homine Christo Jesu propria uniuscujusque naturæ cognoscimus, ut unitatem personæ nullatenus dividamus, scientes quod sic utriusque in Christo substantiæ manserit unita proprietas, ut in carne patiens impassibilis Deus, et veram passionem (quia voluit) in^c vera carne sentiret, et in divinitate prorsus impassibiliter permaneret, nec alius in carne passus fuerit nisi ille qui in vera carnis passione impassibilis omnino permansit, nec alius semetipsum morti dignatus sit tradere, quam ille qui sic potuit moriendo mortem vincere, ut mortem non posset in morte sentire. Sed hæc qualiter in unitate personæ, substantiarum in Christo proprietate servata, dicamus, professionis nostræ series subjecta monstrabit.

CAPUT III. *Recta fides de divinitate Filii Dei. Alia persona Patris, alia Filii in una natura. Christus unigenitus Dei, plenus gratiæ et veritatis.*

Credimus igitur Dei Filium, ante omne prorsus initium, hoc est, sine aliquo suæ nativitatis initio, de Patris substantia genitum, Deum de Deo, Dominum de Domino; non ex nihilo, quia de Patre; non nuncupativum, quia nomen habet ex veritate nature; non ex^d alia natura, quia non aliquid fuit cœternum Deo, unde origo Filio præstaretur. Nec posteriorem Filium eo qui genuit, nec minorem, sed 113 (sicut etiam in secundo libello diximus) Patri prorsus et sempiternitate immensitatis et immensitate sempiternitatis æqualem, immutabilem mutabilium conditorem, intemporalem temporalium factorem et temporum; quem nullus continet locus, quo nullus caret locus, quia cuncta replet Creator immensus; qui non propterea non est Deus, quia dicitur genitus; sed ideo^e verus digne creditur, quia de Patre substantialiter genitus prædicatur: quod enim dicitur genitus, non hoc est nomen divinitatis in Filio, sed nomen est nativitatis in Deo; ut quem constat de Patre naturaliter genitum, constet non aliud esse quam Deum. Hic itaque de Patre sempiternus existens, unam tenuit cum Deo Patre naturam, sed propriam sumpsit ex genitore personam, quia divina nativitas non divisionem naturalis unitatis habuit, sed personam Filii subsistentis a Patre distinxit; et ex vocabulo Patris alium qui natus est monstrat, ut errorem Sabellianæ confusionis excludat, sicut ipse Filius protestatur dicens: *Alius est qui testimonium perhibet de me, et scio quia verum est testimonium quod perhibet de me* (Joan. v, 32). Et ut ostenderet quem alium diceret, post pauca subjecit: *Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me* (Ibid., 37). Alio loco similiter suam personam Patrisque discernens: *Non sum* (inquit) *solus, quia Pater mecum est*

^d Ita jns. Thuan. et Vict.; at legitur in ms. Corb. et ed. Basil., *ex aliqua materia*. In edd. Colon. et Antwerp., *ex aliqua natura*.

^e In ms. Thuan., *verus Deus*.

(Joan. viii, 16). Ad hanc distinctionem geminæ personæ, et professionem unius substantiæ in Patre et Filio perdocendam, ipse Filius dicit: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me: et qui videt me, videt eum qui me misit* (Joan. xii, 44). Unus est igitur Filius ex Patris natura genitus, qui ideo Unigenitus dicitur, ut ex proprietate paternæ naturæ, unus et genitus demonstratur. Sed hic qui Unigenitus ex Patre naturaliter dicitur, sicut inseparabilis est unitate naturæ, sic inconfusibilis permanet proprietate personæ. Ob hoc se tantummodo Dei Filius Unigenitum nominat dicens: *Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam* (Joan. iii, 16). Et paulo post: *Qui credit in eum, non judicabitur; qui autem non credit, jam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei*. De solo quippe Filio Joannes protestatur et dicit: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (Joan. i, 14). Verbum caro factum, plenum est gratiæ susceptionis humanæ, quia Christus nihil in se minus hominis habet; idemque Unigenitus a Patre plenus est veritatis paternæ substantiæ, quia omnem in se divinitatis paternæ plenitudinem naturaliter habet. *Plenum igitur gratiæ et veritatis evangelista cognovit, quem unum eundemque verum hominem gratia veræ incarnationis ostenderet, et verum Deum Unigenitum a Patre nativitatis æternæ veritas declararet. Quid autem Filio prodest ut nuncupetur Unigeniti nomine, si privatur vocabuli veritate? Frustra namque Unigenitus dicitur, si in ejus generatione non naturalis de Deo generante veritas, sed creationis ex donante largitas prædicatur. Et aliis enim, Quotquot receperunt* **114** *eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (Ibid., 12). Quod si etiam unigenitus Filius factus dicitur ex gratia, non vere genitus ex natura, procul dubio nomen et veritatem Unigeniti perdidit, postquam fratres habere jam cœpit: privatur enim hujus veritate nominis, si in Unigenito non est de Patre veritas naturalis.

CAPUT IV. Filii Dei adoptivi differunt non nominibus, sed muneribus, non vita, sed gloria.

Etenim in filiis Dei qui non de Dei Patris natura subsistunt, adoptivæ communio dignitatis diversitatem munerum potest habere, non nominum; et adoptantibus gratia, cunctis ex Deo nascentibus, quamvis diversæ retributionis munus pro laboris merito re-promittat, unum tamen cunctis filiorum nomen accommodat; et una per fidem veram renatis vita cœlestis regni promittitur, quamvis differens regnaturis gloria tribuatur, Paulo beato dicente: *Alia claritas solis, et alia claritas lunæ, et alia claritas stella-*

* Ms. Corb., *credidit*, juxta Græcum textum.

^b Ita mss. Vict. et Thuan.; at edd. habent, *De solo Joannes quoque*.

^c Ita ms. Corb. nec non Colon. et Antwerp.; at Basil. sic habet, *qui non de Patris*.

^d Abest *ibunt* a ms. Gorb.; reperitur in editis.

* Ita ms. Corb.; at editi Colon. et Ant. non ha-

rum: stella enim ab stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum (I Cor. xv, 41); et his tamen omnibus, pro illa potestate quam eis dedit filios Dei fieri, simul dicetur dextris: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod paratum est vobis ab origine mundi* (Matth. xxv, 34): simul etiam de omnibus dicitur: *Justi autem ibunt in vitam æternam* (Ibid., 46). Æqualiter igitur tenebit cunctos Dei filios unitas adoptivi nominis, licet meritorum qualitatem monstratura sit differentia claritatis; nec in eo, quod spiritalis (*al. spiritales*) esse cœpimus nativitatis exortu, discernimur nomine, quamvis ex profectu simul discernendi mercede. In eo namque quod voluntarie genuit nos verbo veritatis pariter filios nuncupavit gratia genitoris. Quod si divina illa Filii sempiternaque nativitas, non de natura Dei Patris, sed ex gratia creditur substituisse, non debet Unigenitus vocari, sed tantummodo genitus. Quoniam sicut ei nomen geniti largitas adoptionis paternæ contribuit, sic eum ab Unigeniti nomine nobis quoque tributa communio paternæ adoptionis exclusit. Unigenitus enim non vocatur in multis, quamvis genitus possit vocari cum genitis. Quod si ita est, deleatur quod Joannes ausus est nomen Unigeniti scribere, ut probetur falsum, quod meruit de pectore veritatis haurire. Si vero proprietas Unigeniti manifestæ demonstranda est significationis indicio, sic multi filii Dei dicantur ex gratia, ut cognoscatur unus genitus ex natura. Quis enim natus est Deus verus de Deo vero, nisi *unigenitus Filius, qui est in sinu Patris? Quem ideo solum a cæteris Dei filiis exceptio segregat incommunicabilis nominis, quia in solo permanet de Patre veritas naturalis.*

CAPUT V. Christus exinanivit seipsum, et tamen plenus gratiæ veritatisque permansit.

115 Hic verus Deus et vita æterna, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens (Philip. ii, 6): æqualitatem enim Dei veri Deus verus non rapuit, quam unitate naturali sempiternus cum genitore possedit. Idcirco unigenitus Dei Filius, etiam quando formam servi accipiens semetipsum exinanivit, plenus gratiæ veritatisque permansit. Vidimus, inquit Joannes, *gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (Joan. i, 14). Hoc est utique, quod in uno eodemque semetipsum exinaniente, et pleno gratiæ et veritatis, accepta servi forma veritatem voluntariæ prorsus exinanitionis ostendit, in quo æterna permanens Dei forma plenitudinem gratiæ veritatisque monstravit. Quæ est igitur illa Unigeniti exinanitio, nisi accepta passibilis et mortalis humanitas Christi? Quæ autem est Unigeniti plenitudo, nisi permanens impassibilis atque immortalis divinitas Christi? in quo perfectus homo plenus

habent has voces *in multis*. In Basil. vero sic legitur: *Unigenitus enim non vocatur (quamvis genitus possit vocari) cum genitis*.

^f Ms. Corb., *non rapinam arbitratus est ... sed se-metipsum*. Basil., *esse æqualem*.

* Ms. Corb., *gratiæ veritatis*.

est gratiæ, et in quo perfectus Deus plenus est veritatis : quod (al. quo) procul dubio plenitudinis nomen, ut divinitatis esse monstratur, Apostolum de Christo loquentem pariter audiamus : *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et estis in illo (al. illa) repleti (Coloss. II, 9, 10)*. Quæ autem sit quæ in Christo inhabitat plenitudo divinitatis Joannes ostendat (al. ostendit) : *Verbum, inquit, caro factum est, et habitavit in nobis (Joan. I, 14)*. De ista plenitudine Baptista Joannes nos asserit accepisse, dicens : *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia*.

CAPUT VI. *In uno Christo duæ naturæ, non confusæ, sed unitæ.*

Unus igitur idemque Christus Dei et hominis Filius, qui et semetipsum exinanivit, et plenus gratiæ veritatisque permansit; vere mutabilis factus, immutabilis manens, vere passus, passioni non subjacens; vere mortuus, mortem non sentiens, sed exstinguens. Hæc autem cuncta unus Christus et gessit et pertulit, quia in uno eodemque Christo vera divinitatis, veraque humanitatis natura permansit, dum Deus non confusus homini, sed unitus, sic in una persona utriusque naturæ permanentis indicia demonstravit, ut verus Deus et plenus, veris divinisque virtutibus in homine clareret assumpto, et veritas infirmitatis humanæ verum plenumque hominem monstraret in Deo. Propter quod beatus Apostolus unum eundemque Christum, et crucifixum prædicat, et Dei virtutem sapientiamque pronuntiat dicens : *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam (I Cor. I, 23, 24)*, et ut ^a in infirmitate susceptionis humanæ magnitudinem divinæ virtutis monstraret adjecit : *Quod enim **116** stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (Ibid., 25)*. Ille igitur Dei Filius, Dei virtus, et Dei sapientia, in exordio redemptionis nostræ, diversum quiddam (al. quidem) peregit in homine, quam quod semper habebat in Patre, quia videlicet aliud ibi majestatis ^b nativitas habuit, aliud hic pietas redemptionis exegit (al. exigit) : in illo enim sempiternæ nativitas ^c aeterno sempiternus atque incommutabilis (al. immutabilis) Pater alterum genuit non diversum; et quantum generando protulit, tantus ipse permansit; et personaliter distinxit a se, quem naturaliter totum habet in se. Hoc ipsius Filii nobis manifestatur eloquio dicentis : *Ego in Patre, et Pater in me (Joan. XIV, 10)*. Inconfusibiliter ergo unit ^c utrumque natura, quamvis inseparabiliter discernat utrumque persona; ideo Filii ipse testatur : *Ego et Pater unum sumus (Joan. X, 30)*. Per hoc quod unum dicit, non separatur a Deo divinitas; per hoc quod dicit sumus, non confunditur in genitore nativitas.

^a Edd. Colon. et Ant., et ut infirmitate.

^b Ms. Corb., una nativitas.

^c Ita editi; at ms. Corb., unit utramque naturam. utramque personam.

A CAPUT VII. *Mediatorem decebat duas habere naturas. Deus homo factus est, absque sui mutatione.*

Hic autem, dum nostræ redemptionis commercium gereretur, pleno veroque homini plenum verumque Deum decebat uniri : sic tamen, ut in unitate personæ, nec in homine Deus, nec homo posset in Deo confundi : nunquam enim quisquam hominum ad vincendum humani generis inimicum fuisset idoneus, si in Mediatore Dei et hominum, homine Christo Jesu, aut aliquid fuisset hominis minus, aut homo a Deo susceptus, divina fuisset susceptione consumptus; non autem humana natura poterat in reparatione consumi, cujus pars damnata non consumetur æternitate supplicii. Cum autem pœnæ sit consumere, gratiæ reparare, Redemptor humani generis, plenus (al. plenius) confitendus est Deus, plenum suscipiens hominem, plenus gratiæ qua homo fieri dignatus est Deus, et plenus veritatis, qua Deus ipse qui homo factus ^d est permanet immutatus, sicut per prophetam ante jam dixerat : *Videte quia ego sum et non sum mutatus (Malach. III, 6)*. De quo etiam Paulus beatum David cecinisse commemorat : *Mutabis eos, et mutabuntur, tu autem idem ipse es (Hebr. I, 12; Psal. I, 28)*. Unus ergo idemque Christus, in eo quod plenus gratiæ, nihil minus habens humanæ naturæ, plenus homo natus est ex homine; et in eo quod plenus veritatis, nihil minus paternæ divinitatis habens, Deus plenus generatur ex Patre. Nam non erat plenus gratiæ Unigenitus a Patre, si in Dei Filio minus fuit aliquid hominis; nec erat plenus veritatis, si in eodem hominis filio minus fuit aliquid deitatis. Ille igitur ineffabilis Deus, de Patre naturaliter sine initio genitus, postquam venit plenitudo temporis, ut missus a Patre, ^e fieret ex muliere, fieret sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus (Galat. IV, 5), totus ^f est regnans in sinu Patris, totus semetipsum formans in utero Virginis.

CAPUT VIII. *Christus totus in Patre et totus in utero matris. Christus in se dives, propter nos egenus factus est.*

117 Neque enim pars ejus remansit in Patre, et pars ejus descendit in Virginem, cum totus in Patre maneret quod erat, et totus in Virgine fieret quod non erat : totus cum Patre totum implens et continens mundum, totus sibi in utero Virginis ædificans domum (scriptum est enim : *Sapientia ædificavit sibi domum [Prov. IX, 1]*), totus in Patre sempiterno, totus in homine suscepto, totus in cælo, totus in mundo, totus etiam in inferno : sic in se totum hominem verus Deus et summus accepit, et sic plenitudo divinitatis, veritate divinæ humanæque substantiæ inconcusibiliter permanente, semetipsum pleno coadjunxit homini, ut unitate deinceps in æternum manente personæ, nec homo Christus a sua divinitate, nec idem Deus Christus a sua posset humanitate disjungi. Hoc enim infirmitatis nostræ medela poscebat, ut

^d Abest est ab editis; legitur in ms. Corb.

^e Ms. Thuan., ut fieret.

^f Abest est a ms. Corb. et editis; legitur in ms. Thuan.

sicut naturalis unitas in Patre manet et Filio, sic personalis unitas maneret in Christo; et sicut personalis distinctio duas non facit in Patre et Filio substantias, sic naturalis discretio duas non faceret in Christo personas; ac rursus sicut unitas naturalis Patrem non confandit et Filium, sic unitas personalis hominem non confunderet et Verbum; et quemadmodum a genitore Deo per unitatem naturæ nunquam segregari potest unigenitus Filius, sic a susceptore Deo per unitatem personæ nunquam posset homo separari susceptus; sic tamen ut quamvis Christus nec confundi posset aliquando nec dividi, unus tamen atque idem Christus, et ex veritate passionis humanæ, quæ nostra fuerant redderet, et ex veritate impassibilitatis divinæ, quæ sua fuerant tribueret: ut dum ille pauper efficeretur in suis divitiis manens, nos ex pauperibus divites faceret, quibus suæ paupertatis infinitas divitias contulisset. Quod Vas electionis manifeste videtur denuntiare sermone dicens: Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quia propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius paupertate vos divites essetis (II Cor. viii, 9). Hoc igitur personæ inseparabilis unitas, in qua Deus et homo unus est Christus, fecit ut et homo Christus per gratiam nasceretur ex Deo, salva veritate ac plenitudine humanæ naturæ, et idem Deus Christus voluntarie pateretur in carne, salva impassibili plenitudine divinæ substantiæ. Quoniam sicut unus est de quo Apostolus dicit: Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula (Rom. ix, 5); sic unus est de quo idem dicit Apostolus: Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei (II Cor. xiii, 4). Unus est igitur Christus, in quo crucifixus vera fuit infirmitas carnis, et in quo vivente virtus veræ claruit deitatis; quod humanum est, habens Deus in veritate humanæ naturæ, et quod divinum est, habens homo in veritate divinæ substantiæ. Hinc incomprehensibilis in cruce, inviolabilis in vulnere, impassibilis in passione, immortalis prædicatur in morte.

CAPUT IX. *Christo passo, non est Deus compassus.*

118 Hæc dum quidam minus attendunt, divinitatem Christi non dubitant subicere passioni, et audientes Christum in carne passum, putant Deum carni fuisse compassum, minus attendentes divinam illam atque immutabilem Filii Dei substantiam, et in carne passibili passionem suscepisse, et cum carne passionem sentire non potuisse. Quod utique beatus Petrus in veritate divinæ inspirationis confirmat, et dicit: Christo igitur in carne passo, et vos eadem scientia armamini (I Petr. iv, 1). Qui, si sciret Christi divinitatem fuisse passibilem, suffecisset ut diceret: Christo igitur passo, nec addidisset, in carne. Sed quoniam noverat, in uno eodemque Christo, et passibilem ante mortem fuisse humanam naturam, et impassibilem semper divinam manere substantiam, propterea Christum passum fatetur in carne, cujus divinitatem noverat prorsus impassibilem permanere.

A CAPUT X. *Divinitas Christi, etsi passibilem carnem suscepit, impassibilis tamen permansit, quia est immutabilis.*

Sed forsitan dicetur Christum ideo in carne passum prædicari, quia divinitas, quæ ante carnem pati non potuit, passibilem suscipiens carnem, passionem quoque cum carne persensit, quia pro susceptione passibilis carnis, ipsa impassibilis in passione permanere non potuit. Quod si ita est, primum mutabilis asseritur divinitas Christi, et Apostolo contradicitur, qui Filium Dei Jesum Christum immutabilem prædicans, evidenter Corinthiis dicit: Dei enim Filius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, et Sylvanum et Timotheum, non fuit Est et Non, sed Est in illo fuit (II Cor. i, 19). Quod ut ipsum Est prorsus immutabile demonstraret, denuo sic ad Hebræos loquitur, ubi evidenter de Filio memorat dictum: Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permunes: et omnes sicut vestimentum veterascent; et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem es (Hebr. i, 10, 11). Quid autem est idem esse, nisi immutabilem esse? Sicut de se ipse testatur, dicens: Ego sum qui sum; et dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos (Exod. iii, 14). Quod si quis inter Patrem Filiumque divinitatis cupiens differentiam demonstrare, locum istum quo dictum est: Ego sum qui sum, personæ solius Patris asserat convenire, primum meminerit, quia Patrem Moysi apparuisse fatebitur; deinde, quia si ibi in propria substantia Pater apparuit, ergo Pater visibilis fuit. Quod si etiam nunc visibilis permanet, jam non est corporeis oculis invisibilis Deus; si autem tunc quidem substantialiter visus, postmodum invisibilis putatur effectus: ergo Deus ante mutabilitati subjacens, imperfectus utique fuit, et postmodum per perfectum immutabilis factus, statum plenæ perfectionis accepit. Quod si ex imperfecto perfectus est factus, querendus est alius qui semper fuisse perfectus credatur, a quo iste qui imperfectus fuit donum perfectionis accepit (al. acceperit).

CAPUT XI. *Deus invisibilis in se, per subjectam creaturam visibiliter apparuit. Sicut Pater est immutabilis, ita et Filius.*

119 Si vero hæc Christianæ mentes auresque non tolerant, credatur Deus nunquam per propriam visibiliter hominibus apparuisse substantiam, sed per subjectam (sicut ipse voluit) creaturam; et pariter invisibilis, sicut Pater, credatur et Filius, qui, sicut in temporalis permanens, potuit temporalia condere, sic invisibilis permanens, potuit in his quæ visibilia condidit visibiliter apparere. Tametsi personæ Patris a quolibet assignetur hic locus quo dicitur: Ego sum qui sum, nec sic Filius ab æqualitate immutabilitatis paternæ creditur discernendus. Quoniam, sicut Pater dicit: Ego sum qui sum, sic de Filio dicit Apostolus, sicut supra posuimus: Non fuit, Est et Non, sed Est in illo fuit. Et rursus: Tu autem idem es. Cum ita

* Ita ms. Corb.; at editi, et postmodum, perfectum, immutabilis factus, statum, etc.

que illud singulare est, sicut invenitur in Patre, sic A reperiatur in Filio, aut uterque immutabilis creditur, aut uterque mutabilitati subditur. Sed quoniam valde impium est ut Patrem mutabilem dicamus, hoc sine dubio pium est ut, sicut immutabilem Patrem, sic immutabilem Filium prædicemus; et si immutabilis est divinitas Filii, nihil ei utique accessit aut decessit in tempore, quoniam nihil mutabilitatis recipit, quod immutabile naturali veritate subsistit. Restat igitur ut divinitatem Christi, quam immutabilem sancta Scriptura commendat, sic passam fateamur in carne, ut eam tamen credamus compassam non fuisse cum carne. Ideo enim Deus in carne passus est, quia passibilem carnem Deus accepit; ideo autem carni compassus non est, quia in carne patiens, impassibilis natura divina permansit. Communem passionem divinitatis et carnis unitas personæ fecit in Christo, non divinx humanæque naturæ confusio.

CAPUT XII. *Propter unitatem personæ Dominus gloriæ dicitur crucifixus et auctor vitæ interemptus.*

Per hanc unitatem personæ Dominus gloriæ asseritur crucifixus, dicente beato Paulo: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (1 Cor. II, 8).* Propter hanc unitatem personæ auctor vitæ dicitur interemptus, sicut in Actibus apostolorum Petrus Judæos increpat dicens: *Et petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitæ interemistis (Act. III, 14, 15).* Quis autem quemlibet hominem vitæ auctorem diceret, nisi pro nobis Deus hominem suscepisset? Ex quo igitur Deus vitæ auctor hominem in unitatem personæ suscepit, ex eo ille homo nomen vitæ auctoris obtinuit; sicut ex eo, quod Dei Filius hominem suscepit in utero virginali, ex eo simul Deus, et homo unus cœpit Dei Filius nominari, angelo dicente ad Mariam: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (Luc. I, 35).* De quo etiam paulo superius eidem (al. idem) Virgini dicit: *Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur (Ibid., 31).* Non solum vero Filius Dei, secundum id quod natus est de homine, dictus est Christus, verum etiam homo ille Deus dicitur, **120** pro eo quod est a Deo susceptus, quod nobis indubitanter Psalmorum liber ostendit, in quo dicitur: *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis, præ participibus tuis (Psal. XLIV, 7, 8).*

CAPUT XIII. *Unctio quoque ad hominem referenda, potius quam ad Deum.*

Hanc autem unctionem ad hominem potius referendam, beatus Petrus ostendit dicens: *Jesum a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto et virtute (Act. X, 38).* Quæ igitur a Nazareth, nisi humana in Christo natura potuit prædicari? Nam intantum a Nazareth, non divinitas Christi, sed humanitas præ-

dicatur, ut etiam Philippus, quem a Nazareth dicit, Joseph filium æstimaret: sicut ad Nathanael loquens, *Quem scripsit Moyses (inquit) et prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth (Joan. I, 46).* Hic igitur qui Spiritu sancto unctus dicitur, Deus Davidico carmine nominatur; qualiter autem homo ille habere potuit Dei nomen, nisi quoniam a Deo susceptus unam cum eo possedit nominis dignitatem? Sed si in eo quod dicitur: *Unxit te Deus, Deus tuus (Psal. XLIV, 8),* divina creditur accipienda natura, in qua putatur Filius a Deo unctus, eguit profecto Deus verus sanctificationis munere, priusquam homo verus idem nasceretur in carne.

CAPUT XIV. *Nihil medium inter Patrem et Filium, per quod Filius ungeretur. Christum secundum carnem unxit Deus.*

B Dicatur ergo quid potuit esse Dei Filio sanctus, cujus unctione sanctificatio illi, aut daretur ante non habita, aut perficeretur, quæ inerat imperfecta? Et si aliquid dicitur Dei Filio melius (cui solum præferendum existimant Patrem), sine dubio, quidquid illud est, Patri fatebuntur æquale. Sed sive coæquetur, sive etiam postponatur Patri, Filio interim, quidquid aliud est, præferatur. Injuste ergo in baptisate Patri et Filio Spiritus sanctus jungitur, cum potius illud debuerit Patri Filioque conjungi, quod potioris merito sanctificationis Filio debuit anteponi. Qualis vero virtus illa credetur, quæ divinitatem Filii Dei unctione sanctificavit, et ejus carnem sanctificare non potuit? Nam utique si posset Christum hominem plene sanctificare, non opus erat ut ungeretur sancto Spiritu et virtute. Attendatur ergo ne forsitan, et ipso Dei Filio, et illa qua unctus virtute dicitur, potior atque sanctior credendus sit Spiritus sanctus: *Jesum enim a Nazareth, hoc est, Filium Dei secundum carnem, sicut beati Petri manifestat assertio, unxit Deus Spiritu sancto et virtute.* Quod si homo Christus sine sancti Spiritus gratia plene sanctificari non potuit, superflua diceretur collatio illius unctionis. Si autem sine sancto Spiritu plene sanctificari potuit, et plenam sanctificationis gratiam sine Spiritu sancto **121** Christus homo non habuit, ut pote, quem Pater sanctificavit, et misit in mundum (Joan. X, 36), et qui de seipso dixit: *Et ego sanctifico meipsum (Joan. XVII, 19);* et in quo sancti Spiritus sanctificatio similiter agnoscitur, quoniam unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute, quomodo quis Spiritum sanctum minorem Patre vel Filio audeat dicere, sine quo sanctificationis perfectionem videt constare non posse? Quid autem dubitatur olei nomine Spiritum sanctum demonstratum, cum David et Petrus, tam olei quam Spiritus sancti vocabulo, unum prædicent unctionis Dominicæ sacramentum? David enim dicit: *Unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis, præ participibus tuis,* et utique hominem significat, cum participes nominat: nam illa divinitas Filii Dei nullius creaturæ habet participium, quia cum creatura non habet naturale con-

gendum, ut mss. Victor. et Thuan., potuit.

^a Mss. Corb. et Thuan., quidquid illud est.

^b Legebatur in editis et Corb., non potuit; sed le-

sortium : Deus ergo in carne unctus est, ut in illo A homine Christo, quem sine peccato mater et concepit et peperit, plena divinæ sanctificationis agnosceretur gratia, quæ nomine Trinitatis esset fidelibus conferenda. Propterea beatus Petrus dicit : *Jesum a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto et virtute* (Act. x, 38). Et tamen ille Jesus a Nazareth a Deus in psalmo dicitur : unde, quæso, nisi quoniam Deus et homo unus est Christus? Et ideo manente in unitate personæ naturali hominis et Dei inconfusa et inseparabili veritate, sicut Deus Christus in homine nomen hominis sumpsit, sic idem homo Christus in Deo vocabulum deitatis accepit.

CAPUT XV. *Christus non cæleste, sed humanum corpus assumpsit. Unus idemque Christus et Filius hominis est et Filius Dei.*

Nam si non ex conjunctione naturali nomen Dei et hominis unitas personalis habet in Christo, consequenter secundus homo, quem de cælo cælestem prædicat Paulus, nihil habere naturaliter putetur ex Virgine, et secundum cælestem naturam, cælestis carnis dicatur habere substantiam, præsertim quoniam ipse quoque de se Dominus profitetur : *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis qui est in cælo* (Joan. iii, 13). Quod si cæleste corpus, et non humanum suscepisse credendus est Christus, quomodo veritate Davidici psalmi vaticinatio fulcietur, ubi scriptum est : *Ut inhabitet gloria in terra nostra, veritas de terra orta est* (Psal. LXXXIV, 10, 12)? Christum autem quis negare audeat veritatem, cum ipse se hoc nomine nuncupavit, dicens : *Ego sum via, veritas et vita* (Joan. i, 6)? Si veritas igitur de terra orta est, quomodo secundus homo de cælo cælestis, nisi quoniam a Dei Filio suscepta materies terreni corporis, in cæleste nomen transiit per consortium deitatis? Et quomodo rursus Filius hominis descendit de cælo, nisi quia Filius Dei non locali motu, sed pietatis descendit affectu? qui sicut in carne suscepta ex homine dignatus est nasci, sic pro una Dei suscipientis, et hominis suscepti persona, qui Dei Filius erat, dignatus est hominis Filius nuncupari. Ad hanc unitatem personæ, sine ulla confusione utriusque substantiæ cognoscendam Christus discipulos interrogat, dicens : *Quem 122^b me dicunt homines esse filium hominis* (Matth. xvi, 13)? Cumque illi opinionem vulgi protinus indicarent, tunc proprie ab eis qualitas veræ fidei expetitur, ut erroris humani falsitas auferatur : hæc igitur est Domini interrogatio consecuta : *Vos autem quem me esse dicitis? me utique filium hominis?* Ibi jam Petrus apostolus, revelationis divinæ firmamento subnixus, generalis salutis confessus est sacramentum : *Tu es, inquit, Christus Filius Dei vivi.* Quid est hoc? Quantum ad ignaros, congruit interrogationi responsio? Petrus enim de Filio hominis interrogatur, et ipse Dei Filium confitetur. Nunquid interrogantem Jesum minus audivit, aut ipse veritatem in confessione non tenuit? Absit : quomodo enim error

Christus fuit, hoc interrogans dixit, et quod vere Christus fuit, hoc ex ore Petri contentis audivit. Filius enim hominis Christus, Dei vivi Filius fuit, nec immerito divina voce promeruit beatitudinem, qui propria voce fidei protulit veritatem; propter hoc audit : *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cælis.* Etiam ipse Christus Dei se utique jam confessus est Filium, cum a Patre suo, qui est in cælis, Petro asseruit revelatum. Nec hoc tamen otiose prætereundum existimo, quod Christo primum se Filium hominis nuncupanti Petrus dicit : *Tu es Christus Filius Dei vivi* : etenim Dei Filius, carnis humilitate suscepta, debuit in se sacramentum magnæ pietatis ostendere; homo vero redemptus debuit in hominis Filio veram divinæ nativitatis substantiam prædicare, ut dum a Redemptore beneficium gratitiæ miserationis ostenditur, a redempto divinæ confessionis obsequium redderetur; et nemo verum Deum de natura Patris ambigeret, quem ex hominis natura verum hominem cognovisset, ac per hoc, quem hominem verum constaret esse passionibus hominis, eundem verum Deum crederemus operibus deitatis, ipso Filio dicente : *Si mihi non cultis credere, vel operibus credite* (Joan. x, 38). Unus ergo atque idem Christus, qui infirmitate humana passionem pertulit, et miracula beneficiorum omnipotentia virtutis divinæ perfecit.

CAPUT XVI. *In Christo duæ naturæ, sine confusione et mutatione. In Christo totus homo ex vera anima et carne. Ex restitutione Lazari probatur in Christo anima, caro et divinitas. Divinitas nec ab anima perturbata, nec a carne moriente discessit.*

Ab ipso namque conceptionis virginalis exordio, sic in Christo personalis unitas mansit, et utriusque naturæ inconfusa veritas perduravit, ut nec homo a Deo divelli, nec Deus a suscepto posset homine separari; nec tamen Deus hominem consumeret, nec homo Deum in aliquo permicaret; et licet in Christi morte carnem morientem fuisset anima desertura, divinitas tamen Christi, nec ab anima nec a carne posset separari suscepta. Igitur quia totum hominem Deus ille suscepit, ideo totius hominis in se passionem in veritate monstravit, et animam quidem rationalem habens, quidquid fuit infirmitatis animæ sine peccato et suscepit et pertulit, ut dum humanæ animæ passiones in anima quam accepit vinceret, nostras quoque animas ab infirmitatibus 123 liberaret. Carnem quoque humanam accipiens, in ejusdem veritate carnis veritatem voluntariæ habuit passionis; ut in carne mortuus, totam in se hominis occideret mortem, et in æternam vitam immortalis resurgens, æternæ nobis vitæ gratiam condonaret. Verus ergo in anima humana Christus Lazarum suscitaturus (sicut evangelista dicit) *fremuit spiritu, et turbavit seipsum*; idemque verus in carne humana Christus cum dixisset : *Ubi posuistis eum?*

^a M-s. Corb. et Victor. addunt hic qui unctus est.

^b Ita mas. Corb. et Vict., nec non Antwerp. et

B-sil., juxta textum Græci lectionem; at Colon., *Quem me dicunt homines esse? Filium hominis?*

Dicunt ei : Domine, veni, et ride, et lacrymatus est Jesus (Joan. xi, 33-35). Idem quoque verus in divina natura Christus, nec animam suam, cum semetipsum turbaret, deseruit, quia ipse semetipsum turbavit; nec a carne sua, cum fleret, abscessit, quia Jesus lacrymas fudit, et tamen ipsa in anima carneque divinitas, immutabilis atque impassibilis manens secundum divinam naturam, nec lacrymas proferre, nec turbationem potuit^a in amici morte sentire. Sic etiam passione propinquante, Christus secundum animam turbatur, ipso dicente : *Nunc anima mea turbata est* (Joan. xii, 27). Item in cruce Christus secundum carnem moritur, Apostolo dicente : *Tradidi enim vobis imprimis quod et accepi, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas* (I Cor. xv, 3, 4). Cum igitur evidenti fuerit manifestatione discretum, quid in Christo proprium fuerit animæ, quid carnis, quid etiam deitatis, cum unus idemque Christus fuerit et turbatus et mortuus, sic tamen est utrobique veritas Dei hominisque servata, ut licet Christus secundum animam turbaretur propinquante passione, et idem Christus secundum corpus moreretur in cruce, imperturbabilis manens immortalis que Christi divinitas, nec ab anima perturbata, nec a corpore moriente discederet, non tamen aut turbaretur in animæ turbatione, aut moreretur in corporis morte : unus namque Christus, qui *traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (Rom. iv, 25), sicut vere mortuus mori non potuit, sic in vera passione impassibilis mansit.

CAPUT XVII. *Christus demonstrat in se utriusque naturæ veritatem. Una est Christi persona, licet non sit unica natura.*

Qui ad demonstrandam in se et veram mortalitatem hominis, et veram immortalitatem deitatis, Judæis dicebatibus : *Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Respondit Jesus, et dixit eis : Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (Joan. ii, 18, 19). Quod autem fuerit illud templum, sanctus evangelista monstravit, dicens : *Ipsæ autem dicebat de templo corporis sui* (Ibid., 21). Ostensa est igitur et veritas humanæ substantiæ, quam Judæi possent in Christo, ipso volente, solvere; et veritas divinæ naturæ, qua (al. quia) Christus templum sui corporis poterat suscitare : quando enim mortuo Christo anima deseruit carnem, tunc solum est illud templum, quod fuit ex anima carneque constructum; et cum anima reverteretur ad carnem, tunc est illud templum die tertia suscitatum : et tamen propter unam Christi Dei hominisque personam, idem mortuus est in corpore suo, qui suscitavit templum corporis sui. Sic **124** etiam cum secundum Isaïæ vaticinantis oraculum, *dorsum suum posuit ad flagella, maxillas suas ad palmas, faciem autem suam non avertit a confusione sputorum* (Isai. l, 6), hæc omnia Deus in

A carne passus, non est carni compassus, quia Deus passionem in carne sensit, cum carne non sensit. Una enim persona est Dei et hominis Christi, quam etiam Paulus commendat, dicens : *Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi* (II Cor. n, 10); et quamvis una sit in Christo persona, non una tamen in Christo substantia : quia sic verus Deus verum suscepit hominem, ut in veritate humanæ susceptionis veritatem non amitteret deitatis; et sic dignatus est fieri quod ante non erat, ut non desisteret esse quod semper erat, sic etiam voluit unam cum homine personam Deus habere, ut licet non alius esset Christus Deus, et alius Christus homo, verus tamen Deus permaneret in homine, et verus homo permaneret in Deo; atque ita in uno B Christo divinæ humanæque naturæ esset inconfusa pariter et indivisa perfectio. *

CAPUT XVIII. *In Christo quæ carnis erant aut animæ, non sunt deitati uscribenda. Non est divinitas ullatenus compassa vel contristata. Probatur Scripturæ testimoniis.*

Non autem tunc nata est Christi divinitas in se, cum nata est pro nobis in carne. Fuit infans Verbum secundum carnem, et fandi non habuit facultatem; sed idem Verbum Deus nullo unquam potuit coerceri silentio, quia ipse est Patris sempiterna locutio. Crescebat puer ætatis accessu, sed quia in Deo nulla est ætas, in puero crescente non crescebat divina majestas. Sapientia quoque novimus Christum secundum animam profecisse; sed sapientia C Christus non potuit cum anima proficiente proficere. Ac per hoc idem Christus, et in carne sua crevit, et in anima sua profecit; qui tamen et in carne sua crescens, et in anima sua proficiens, nec cum anima sua proficere, nec cum carne sua potuit ætatis incrementa sentire. Idem (al. item) etiam secundum susceptam animam Deus tristis fuit; sed qui in anima tristitiam sensit, cum anima tristitiam sentire non potuit. In sua Deus anima suam voluit esse tristitiam, et in sua carne suam Deus esse voluit passionem, quia totus in toto homine permanens inseparabilis Deus, nec animæ tristanti defuit, nec carnem suam in passione deseruit; sed in Christo tristi et passo, licet a deitate separari non posset patiens et tristis humanitas, in toto tamen homine tristi non est divinitas contristata (al. tristata), et in homine toto patiente non est divina natura compassa; sicut moriente carne, non solum deitas, sed nec anima Christi potest ostendi commortua: aliud est enim in carne passum Deum dicere, aliud carni prædicare compassum; aliud in anima contristatum, et aliud cum anima tristatum (al. contristatum). Passus est Deus in homine, quia una est Dei hominisque persona; non est compassus Deus homini, quia in uno Christo non est confusa Dei hominisque substantia. Quod evidentibus Scripturarum potest testimoniis comprobari, ut cognoscatur ita tristitiam passionem-

^a Ba:il., in animi morore. Colou. et Ant., in animi morte.

que a toto deputandam Christo, b ut, officiorum naturalium veritate monstrata, non sit aliqua Dei hominiaeque confusio. Matthæus narrat Dominum, propinquante tempore passionis, dixisse 125 discipulis: *Sedete hic, donec vadam illuc, et orem; et assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi, cepit contristari et mæstus esse* (Matth. xxvi, 36). Marcus vero sic posuisse cognoscitur: *Et veniant in prædium, cui nomen Gethsemani, et ait discipulis suis: Sedete hic, donec orem: et assumpsit Petrum, et Jacobum, et Joannem secum, et cepit parere et tædere* (Marc. xiv, 32).

CAPUT XIX. *In retributione erunt iusti sicut angeli Dei.*

Non ignoro, quam maxime nunc nostræ c congruere sponsonis (al. responsonis) officio, ut non solum vocabulis, sed etiam d effectibus, sit in Dei Filio carnis animæque monstranda proprietates: tunc enim divinæ impassibilitatis natura splendebit, cum quid animæ, quidve carnis sit proprium, non solum ratione, sed etiam divinarum Scripturarum auctoritate claruerit. Matthæus itaque dicit *Jesum contristari et mæstum esse*; Marcus, *parere, tædereque commemorat*. Dicant igitur quibus in Christo displicet animæ humanæ susceptio, utrum tristitiam, mœrorem, tædium et pavorem, divinitati an carni existiment deputanda? Et si quidem carnis hæc fuisse responderint, ab omnibus passionum generibus erit excepta divinitas, quæ particeps passionum carnis non fuit, licet susceptæ carni nec in passione defuerit; si autem deitatem Christi asserunt tristitia, mœrore, tædio et pavore concussam, passibilem dicentes deitatem, animabus nostris fatebuntur æqualem. Restat autem ut angelorum imparem dicant, quam (al. quem) passioni subjacere pronuntiant: hoc enim nostris sunt animabus angeli quam maxime potiores, quia sicut a peccatis, ita sunt a passionibus alieni. Quod etiam recte se colentibus et sancte conversantibus in retributionem Dominus repromittit, dicens: *Erunt sicut angeli Dei in cælo* (Matth. xxii, 30). Tunc utique, cum secundum beati Pauli testimonium corruptibile e hoc et mortale ita induetur incorruptione et immortalitate, ut corruptio incorruptionem possidere non possit, quæ non solum in peccato consistit, sed etiam in infirmitate, quæ prevaricatori ex pœna cognoscitur accidisse peccati. Nam peccato nos et infirmitate tunc omnimodis carituros Apostolus testatur et dicit: *Tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, contentio tua? Ubi est, mors, stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est* (I Cor. xv, 54, 55, 56). Absorpta ergo morte in victoria, nulla erit animæ carnisve corruptio, quoniam cum a nobis amota fuerit omnis iniquitas, nulla remanebit infirmitas. De talibus utique dicit Isaias: *Gaudium et lætitiâ obtinebunt, et fugiet*

A *ab eis dolor et gemitus* (Isai. xxxv, 10). De his etiam Joannes in Apocalypsi loquitur: *Non esurient, neque sicient, neque cadet super eos sol, neque ullus æstus* (Apoc. vii, 16); et ut ostendat hanc eos Christi dono gratiam adepturos, secutus adjunxit: *Quia Agnus qui in medio throni est reges eos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum, et absterget Dominus omnem lacrymam ab oculis eorum*. Cum ergo talis hodie sit angelorum beata securitas et lætitia, passionum prorsus ignara, 126 ut f nullo peccati casu, nullo infirmitatis quantiantur incurso; tandem respiciant (al. respiscant) in quod blasphemix barathrum devolvuntur, qui divinitatem Christi passionibus subjicientes humanis, Dominum angelorum conantur, in substantia quam habet ex Patre, inferiorem angelis demonstrare. Falsum igitur est quod ipse dicit: *Non est servus major domino suo* (Joan. xiii, 16)?

CAPUT XX. *Occurritur objectioni de eo quod David dicit: Minorasti eum paulo minus ab angelis.*

An illud e obijciendum putant, quod David dicit de Filio hominis: *Domine, quid est homo, b nisi quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minorasti eum paulo minus ab angelis* (Psal. viii, 5, 6). Sed advertant Paulum apostolum hunc locum ad mortis humanæ intelligentiam referentem, ita ut istam minorationem non solum naturæ humanitatis assignet, quin etiam divinitatem Christi a consortio passionis et mortis exceptet. Ita nanque ad Hebræos loquitur: *Eum autem, qui modico quam angeli minoratus est, i videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum, ut sine Deo pro omnibus gustaret mortem* (Hebr. ii, 9); non autem hic Christum divisit Apostolus, sed ostendit in uno Christo quæ substantia passibilis et mortalis fuerit, quæ autem impassibilis et immortalis permanserit. *Sine Deo* igitur homo ille gustavit mortem, quantum ad conditionem attinet carnis, non autem *sine Deo*, quantum ad susceptionem pertinet deitatis; quia impassibilis atque immortalis illa divinitas, cum in veritate formæ servilis, et pati voluntarie pro nobis dignaretur et mori, sicut in morte solius carnis immortalis fuit, sic in passionibus totius hominis impassibilis omnino permansit.

CAPUT XXI. *Tristitia et similes affectus ad animam pertinent.*

D Sed nunc ostendendum a nobis est passionem tristitiæ, mœroris, tædii et timoris ad animæ substantiam proprie pertinere: ut in eo quod ingrati gratiæ Christi, divinitatem ejus cupiunt subdere passioni, appareat quid cujusque naturæ sit proprium, et in eo magis agnoscatur Domini mirabilis invictaque clementia, cum probaverimus animæ carnisque substantiam ob hoc cum suis passionibus a Deo susceptam, ut sicut salvo divinæ impassibilitatis statu, volunta-

mortale) ita, etc.

f Ms. Corb., nulli; forte pro nullius.

g Ita mss. Corb. et Victor. Editi vero, abijciendum.

h Basil., quid est homo, quod, etc.

i Ita mss. Corb. et Victor. et Græcus textus; at editi, vidimus.

a Basil., toti. Vide supra in nota cap. 13, lib. i, p. 81, toto pro toti.

b Basil., ne officiorum,.... sit, etc.

c Ita mss. Corb. et Vict.; at Basil., congruat. Colón. et Ant., congruet.

d Basil., affectibus.

e Ita ms. Corb. Editi vero, corruptibile (hoc est

ria susceptione mortis in carne sua, mortem nostram cognoscitur occidisse, sic voluntaria susceptione tristitiae et timoris, ad hoc cognoscatur animam rationalem cum suis passionibus suscepisse, ut animas nostras ab omnibus dignaretur passionibus liberare. Ostendamus igitur tristitiam Christi non ad divinitatis, nec ad carnis, sed ad animae pertinuisse substantiam. Atque ut hoc integra possit manifestatione cognosci, attendamus quid **127** discipulis pene sub ipso dixerit tempore passionis, ut ^a in se veram animae substantiam non minus officio quam nomine demonstraret. *Tristis est, inquit, anima mea usque ad mortem (Matth. xxvi, 38).* Quis autem ambigat, nec in divinitatem posse tristitiam cadere, nec ad carnis officium pertinere? Animae namque est proprium metuere, desiderare, tristari, gaudere, sicut etiam carnis Davidici textus ostendit dicentis (al. dicens) : *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me (Psal. xli, 12)?* Anima tristatur, ipsa turbatur. Ideo et ipse Salvator, ut ostenderet perturbationem istam non carni, sed animae deputandam, sic discipulos suos consolatur, cum de futuro ejus contristarentur abscessu: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet (Joan. xiv, 1).* Ad eosdem denuo sic loquitur : *Nunc vado ad eum qui me misit, et nemo ex vobis interrogat me : Quo vadis? sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum (Joan. xvi, 5).* Quis carni vel divinitati audeat assignare, quod ad officium cordis Dominus dicit proprie pertinere? Nam cum superius dixerit : *Non turbetur cor vestrum, neque formidet,* ubi proprie cordis nomine humanam animam demonstravit, ac deinde dixerit : *Tristitia implevit cor vestrum,* ut evidentius ostenderet et tristitiam et gaudium ad animam pertinere, rursus Apostolus dicit : *Amen, amen dico vobis, quia plorabit et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus : cum autem pepererit (al. peperit) puerum, jam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum : et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Ecce proprie in homine tristitia, formido et gaudium cordi, id est animae, deputantur. Propterea et Apostolus dicit : *Ipse autem Dominus* **D***

A CAPUT XXII. *Gaudium in anima Christi. Desiderium. Infirmi- tates Christus accepit, ut in nobis virtutem perficeret. In Christo potestas ponendæ et resumendæ animæ.*

Gaudium quoque in sua Salvator anima demonstravit, cum discipulis de Lazaro diceret : *Lazarus amicus noster mortuus est : et gaudeo, ut credatis, quia non eram ibi (Joan. xi, 14).* Substantia hominis utique gaudebat in Christo, quæ pro naturali consortio gaudium jam habuit de Lazaro suscitando : simul ut et discipuli verum Deum intelligerent in homine, quem cognovissent etiam longe posita non latere. Atque ut omnia in se Christus animæ officia demonstraret, etiam desiderium a sua anima fieri, noluit alienum, dicens discipulis : *Desiderio desideravi hoc pascha* **128** *manducare vobiscum, antequam patiar (Luc. xxii, 15).* Nemo potest hæc omnia vel naturæ deputare carnis, vel substantiæ deitatis, quoniam caro nec vivere potest per semetipsam, nec sentire, nec tristari, nec desiderare, nec metuere, nec mœrere. Deitas nihil metuit, quoniam omnium e dominatur; in nullo tristatur, quoniam ei nihil passionis infertur : in nullo metuit, quia nulla est illi naturalis infirmitas; nihil desiderat, quia omnia potest, et omnia possidet. Hæc ergo cuncta in anima quam susceperat pertulit Christus, ut veram totamque in ^d se, cum suis infirmitatibus, hominis demonstraret accepti substantiam; et infirmitatibus, quas pro infirmis accepit, virtutem perficeret, quam infirmis attribuit. Qui et hominis carnem propterea mortalem habuit, ut mortalibus plenam conferret immortalitatis gratiam; et hominis animam cum infirmitatibus suis sine peccato suscepit, ut nostris animabus impenderet medicinam, quia sicut, *Isaia* teste, *vulneratus est propter iniquitates nostras* (quod proprium carnis fuit : quippe cum jam defuncti latus lancea percuteret miles), ita *infirmatus est propter peccata nostra (Isai. lvi, 5)* (quod est animæ, cujus pro nobis infirmitates suscepit). Hujus animæ ponendæ ac resumendæ habens plenissimam potestatem, dicebat : *Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meam, et iterum sumam eam : nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso : potestatem habeo ponendi eam, et (al. sed) potestatem habeo iterum sumendi eam : hoc præceptum accepi a Patre meo (Joan. x, 17, 18).* Quæro in hoc loco ab his qui in Christo humanam animam dicunt omnimodis non fuisse, quam hic substantiam credant animæ vocabulo nuncupatam? utrum divinitatis, an carnis? vel quæ in Christo substantia ponendæ animæ sibi vindicet potestatem? Quod si divini substantiæ hanc potestatem tribuunt, ut carnem dicant animæ vocabulo nuncupatam, quam in passione fuerat positura divinitas (ut secundum eorum voluntatem nunc interim disputemus), si divinitas de carne dicit : *Potestatem habeo ponendi animam meam; dum carnem vocabulo animæ nuncupat,* carni sine dubio cunctas etiam infirmitates assignat

^a Basil., ut servatam.

^b Ms. Corb., et Deus Pater noster.

^c Basil. et Antwerp., quoniam omnium dominator

in nullo tristatur; quoniam, etc.

^d Ms. Corb., ut veram totamque secum, suis infirmitatibus, hominis demonstraret accepti substantiam.

dum dicit : *Anima mea turbata est*; dum dicit : *A* *ut animum suam quis ponat pro amicis suis* (Joan. xv, 13). Unde sciens Petrus animam Christi proprio substantialique vocabulo nuncupatam, ne quisquam putaret a Domino carnem nomine forsitan animæ designari, perfectæ imitationis, quam fuit postmodum accepturus, cupiens sectari virtutem, dicenti Domino (al. dicente) : *Quo ego rado non potes me sequi modo, sequeris autem postea*, respondit : *Domine, quare non possum sequi te modo? Animam meam pro te ponam* (Joan. xiii, 36, 37). Ostendit utique Christum pro se animam positurum, cum se in hoc eum se diceret, ut etiam ipse pro Christo animam posuisset. Nam quia divinitatis naturam communem Petrus cum Christo non habuit, non ei de divinitate potuit dicere : *Animam meam pro te ponam*. Rursus, si carnem

CAPUT XXIII. *Sola divinitas plenam habet potestatem.*

pro se nosset Christum tantummodo posuisse, posset etiam ipse dicere : *Corpus meum pro te ponam* : sicut proprie corpus ostendit Paulus, ubi dixit : *Si tradidero corpus meum, ut ardeam* (I Cor. xiii, 3). Sed quoniam sciebat Petrus Christum pro nobis animam positurum, propterea in eo se Dominum **130** velle sequi monstravit, in quo pro eo animæ ponendæ demonstravit affectum, ut quam pro se Christum posuisse sciret, hanc ipse pro Christo similiter posuisset. Et ut omnis pravæ caligo sententiæ clarissimo prorsus catholicæ veritatis lumine dissipetur, Joannis informemur eloquio, qui, ad imitationem Christi fideles exhortans, quod in capite noverat factum, hoc in membris præcipit (al. præcepit) faciendum. *In hoc*, inquit, *cognoscimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere* (I Joan. iii, 16). Animam igitur ponere dilectionis est proprium; ubi autem dilectio non est, corpus tradi dicitur, anima poni non dicitur, sicut Vas electionis, plenum dilectionis, omnino testatur : *Si tradidero corpus meum, ut ardeam; caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Ostendit sine caritate corpus posse tradi, non animam poni; ubi autem dilectionis suæ significare nititur puritatem, sic Thessalonicensibus scribit : *Cum pride volebamus tradere vobis, non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras* (I Thess. ii, 8). Et ut caritatis hoc esse demonstraret, adjecit : *quoniam carissimi nobis facti estis*. Ideo etiam Petrum qui se pro Domino animam suam sponderat positurum, ut agnosceremus officium ponendæ animæ in dilectione constare, primitus Christus ad confessionem amoris invitat; et ut facultatem ponendæ animæ suo deinceps amatori concedat, sic eum denique interrogat : *Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis quia amo te*. Cumque hoc etiam secundo dixisset, *Dicit ei tertio : Simon Joannis, amas me* (Joan. xxi, 15, 17)? Cumque ille tertio interroganti, trinum amoris sui testimonium reddidisset, statim Dominus Petro ponendæ pro se animæ largitus est facultatem, dicens : *Amen, amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extends manus tuas, et alius te cinget, et duceat quo non vis* (Ibid., 18). Statimque evangelista subjecit dicens. *Hoc autem dixit*

CAPUT XXIV. *Vera in Christo anima.*

Adhuc autem veram se Christus animam suscepisse, tam nomine dignatur monstrare quam opere, dicens : *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam*

ut animum suam quis ponat pro amicis suis (Joan. xv, 13). Unde sciens Petrus animam Christi proprio substantialique vocabulo nuncupatam, ne quisquam putaret a Domino carnem nomine forsitan animæ designari, perfectæ imitationis, quam fuit postmodum accepturus, cupiens sectari virtutem, dicenti Domino (al. dicente) : *Quo ego rado non potes me sequi modo, sequeris autem postea*, respondit : *Domine, quare non possum sequi te modo? Animam meam pro te ponam* (Joan. xiii, 36, 37). Ostendit utique Christum pro se animam positurum, cum se in hoc eum se diceret, ut etiam ipse pro Christo animam posuisset. Nam quia divinitatis naturam communem Petrus cum Christo non habuit, non ei de divinitate potuit dicere : *Animam meam pro te ponam*. Rursus, si carnem pro se nosset Christum tantummodo posuisse, posset etiam ipse dicere : *Corpus meum pro te ponam* : sicut proprie corpus ostendit Paulus, ubi dixit : *Si tradidero corpus meum, ut ardeam* (I Cor. xiii, 3). Sed quoniam sciebat Petrus Christum pro nobis animam positurum, propterea in eo se Dominum **130** velle sequi monstravit, in quo pro eo animæ ponendæ demonstravit affectum, ut quam pro se Christum posuisse sciret, hanc ipse pro Christo similiter posuisset. Et ut omnis pravæ caligo sententiæ clarissimo prorsus catholicæ veritatis lumine dissipetur, Joannis informemur eloquio, qui, ad imitationem Christi fideles exhortans, quod in capite noverat factum, hoc in membris præcipit (al. præcepit) faciendum. *In hoc*, inquit, *cognoscimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere* (I Joan. iii, 16). Animam igitur ponere dilectionis est proprium; ubi autem dilectio non est, corpus tradi dicitur, anima poni non dicitur, sicut Vas electionis, plenum dilectionis, omnino testatur : *Si tradidero corpus meum, ut ardeam; caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Ostendit sine caritate corpus posse tradi, non animam poni; ubi autem dilectionis suæ significare nititur puritatem, sic Thessalonicensibus scribit : *Cum pride volebamus tradere vobis, non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras* (I Thess. ii, 8). Et ut caritatis hoc esse demonstraret, adjecit : *quoniam carissimi nobis facti estis*. Ideo etiam Petrum qui se pro Domino animam suam sponderat positurum, ut agnosceremus officium ponendæ animæ in dilectione constare, primitus Christus ad confessionem amoris invitat; et ut facultatem ponendæ animæ suo deinceps amatori concedat, sic eum denique interrogat : *Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis quia amo te*. Cumque hoc etiam secundo dixisset, *Dicit ei tertio : Simon Joannis, amas me* (Joan. xxi, 15, 17)? Cumque ille tertio interroganti, trinum amoris sui testimonium reddidisset, statim Dominus Petro ponendæ pro se animæ largitus est facultatem, dicens : *Amen, amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extends manus tuas, et alius te cinget, et duceat quo non vis* (Ibid., 18). Statimque evangelista subjecit dicens. *Hoc autem dixit*

significans qua morte clarificaturus esset a Deum : et hoc cum dixisset, dicit ei : Sequere me. Ecce qualiter eum et antea sequi Petrus volebat, quando pro eo animam ponere cupiebat, sicut eum postea recto dilectionis itinere sequi meruit, quando pro eo animam in passione posuit.

CAPUT XXV. *In Christo veræ fuerunt infirmitates humanæ, sed voluntariæ. Non dicitur corpus Jesu positum in sepulcro, sed Jesus, quia ibi erat divinitas.*

Quocirca, quia manifesta (al. manifeste) Scripturarum attestatione probatum est dilectionem deesse ubi solum corpus ponitur, ibi autem caritatem esse ubi anima cum corpore ponitur, Christus ex Virgine plenus credendus est Deus et plenus homo, id est anima rationalis et caro. Et sicut fidei catholicæ veritas habet, in uno eodemque Christo credamus, secundum veram substantiam carnis, voluntariam et veram famem, cum esuriens ad ficulneam veniret; voluntariam et veram sitim, cum bibere a Samaritana deposceret, vel cum se sitire in cruce dixisset; voluntariam et veram lassitudinem, cum fatigatus ab itinere super puteum sederet; voluntarium et verum vulnus, cum militis lancea **131** percuteretur in latere; voluntariam et veram mortem, cum inclinato capite spiritum emisisset in cruce; voluntariam et veram sepulturam, cum eum depositum de ligno Joseph et Nicodemus ponerent in sepulcro. Has enim carnis omnes infirmitates voluntarias quidem, sed veras, Christus habuit, quia carnis humanæ naturam, non in phantasia, sed in veritate suscepit. Quas passiones propterea in carne voluntarias habuit, ut in veritate carnis divina potentia, quæ nec pati potuit aliquando nec mori, infirmitatem mortemque devinceret, et carnem suam in vitam virtutemque perpetuam suscitarer. Quod Paulus sic ore veridico protestatur: *Christus surgens a mortuis jam non moritur: et mors ei ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo (Rom. vi, 9).* Quis autem ignoret Christum nec in anima nec in divinitate, sed in solo corpore mortuum et sepultum? Quod evidenter Joannes his verbis ostendit: *Post hæc autem, inquit, rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa (eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum), ut tolleretur corpus Jesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo et tulit corpus Jesu. Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ et aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Jesu, et alligaverunt eum (al. illud) linteis cum aromatibus, sicut Judæis mos est sepelire (Joan. xix, 38-40).* Ecce, facta distinctione divinitatis, carnis et animæ, quantum ad proprietatem substantiæ attinet, solum corpus Jesu dicit de cruce depositum, aromatibus conditum, et linteis obvolutum; propter unitatem vero personæ, quoniam Deus hominem quem ex

Virginis utero suscepit, nec in morte, nec in sepulcro deseruit; propterea secutus Joannes adjecit: *Erat autem in loco ubi crucifixus est hortus, et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter c Parascœven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum (Ibid., 41, 42).* Vere divino Spiritu plenus s nectus evangelista locutus est, ut primitus, quid in Christo mortuum fuerit, et sepultum ostendens, diceret acceptum corpus Jesu, et ligatum linteis cum aromatibus. Et quia *quod Deus conjunxit homo non separat (Matth. xix, 6)*, propterea non corpus Jesu, sed Jesum dicit in monumento positum: sciebat enim quod ille susceptor pleni hominis Deus totus esset cum carne sua in sepulcro, totus cum anima sua in inferno, totus in mundo, totus in cælo, totus d per unitatem naturæ in Patre, de quo existit, totus per omnipotentiam divinitatis suæ in tota creaturâ quam fecit.

CAPUT XXVI. *Unitas personæ Christi ex verbis Apostoli.*

Hanc in Christo unitatem personæ servans Apostolus, sic Corinthiorum in fide veritatis confirmat Ecclesiam: *Tradidi enim vobis imprimis, quod et accepi, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit (al. surrexit) 132 tertia die secundum Scripturas (I Cor. xv, 3, 4).* Mortuum dixit non corpus Christi, sed Christum, ut unitatem personæ Dei hominisque servaret; ut autem substantialem proprietatem deitatis et humanitatis ostenderet, alio loco (sicut superius jam posuimus) dicit: *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei (II Cor. xiii, 4).* Attendenda est apostolicorum virtus præclara dictorum. Si enim Paulus dixisset de Christo, quia *crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute*, et non addidisset, *Dei*, nec sic debuit infirmitas passibilitatis humanæ cum divinæ virtutis impassibilitate confundi; at cum virtutem deitati Paulus assignet, quis non videat quod ea quæ infirmitatis videntur hominis esse denuntiet? Nam, et quod dicit de Christo, quia (al. quod) *vivit ex virtute Dei*, ex sua deit utique vivit, quia ipse est virtus Dei, et sic vivit sicut Pater vivit, quoniam ipse est via, veritas et vita. Nam ut unam vitam Patris Filiique Joannes nobis insinualet Apostolus, Epistolæ suæ hoc ponere curavit exordium: *Quod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod inspicimus, et manus nostræ contractaverunt de Verbo vitæ, et vita palam facta est: et vidimus, et testamur, et nuntiamus vobis Vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et palam facta est nobis (I Joan. 1, 1).* Filium Dei, quem Verbum Dei superius dixit, Vitam in subsequentibus nominavit: quod est autem Verbum vitæ, nisi Verbum Dei? Et quoniam Verbum, vitæ vita est, una est utique vita illud vitæ Verbum, et vita cujus est Verbum. Ideo ergo Christus qui *mortuus est ex*

^a Sic mss. Corb. et Victor. et textus Græcus. Editi vero habent eum.

^b Desunt hæc verba in editis; leguntur autem in mss. Corb. et Victor.

^c Mss. Corb. et Vict., *Parascœve*.

^d Sic legitur in ms. Victor.; at in Corb., in *unitatem*; in editis vero, in *unitate*.

^e Sic ms. Corb.; editi vero, *Si et Paulus*; forte legendum *Etsi enim Paulus*.

infirmirate, viri ex virtute Dei, quoniam illi divinitati hoc est vitam esse, quod est virtutem esse, et propterea hoc est illi posse quod vivere. Et ideo, nec in passione virtutem vita deseruit, nec in morte Christi virtus a vita discessit, quoniam Christi divinitas (quæ virtus et vita est) mutari non potuit.

CAPUT XXVII. *Propter unitatem personæ in Christo, mortuus dicitur Filius Dei. Non sunt Christi infirmitates ejus deitati ascribendæ.*

Rursus pro unitate personæ in Christo firmissime commendanda sic Paulus scribens Romanis posuit (al. posuit), dicens de Deo: *Qui Filio proprio non percipit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (al. eum) (Rom. viii, 32). Atque ut illa traditio voluntaria ex potestate Filii monstraretur effecta, Filium quoque pro nobis se memorat tradidisse, dicens alio loco: *Quod autem nunc vivo in carne, in fide a viro Filii Dei; qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me* (Gal. ii, 20). Sed ut ostenderetur quid in Christo potuerit tradi, propheticè dicit liber ^b Job: *Terra tradita est in manus impii* (Job. ix, 24). Et tamen pro unitate personæ, non solum humanitatem Christi, sed Christum traditum tenet et confitetur Ecclesia, quoniam in illa traditione, salvâ proprietatē utriusque naturæ, nec homo susceptus separari potuit a Deo, nec Deus potuit ab homine segregari suscepto. Sicut ergo passionem mortis et mortem propter unitatem personæ, Dei quidem Filio Scriptura prorsus assignat, et tamen deitatem impassibilem **133** immortalemque pronuntiat, ita et animæ tristitiam et perturbationem, quam voluntariam in anima Dei Filius habuit, sic habuisse credatur, ut etiam ipsas humanæ animæ passiones, et ex voluntate veras, et in veritate voluntarias non negemus. Ipsa quoque Christi divinitas, quæ secundum animam contristari, et secundum carnem dignata pro nobis est mori, secundum substantiæ proprietatem, sicut immortalis, sic est et impassibilis prædicanda. Quæ quia verum hominem suscepit, ideo cunctas naturæ humanæ infirmitates, veras quidem, sed voluntarias, in eadem veritate naturæ duntaxat humanæ sustinuit. Quis autem tam mortiferam sectetur improvidus de Christo sententiam, ut famem illam, sitim, lassitudinem, passionem et mortem, et rursus tristitiam, perturbationem, metum et tædium (quæ carnis et animæ esse nemo potest aliquatenus dubitare), sic vera fuisse credat in natura hominis, ut ab his immunem non credat substantiam deitatis, cum sperantibus in se, hoc ut superent Christus dederit, quod pro nobis ipse voluntate persensit (al. persenserit)? Propter quod divinitus inspiratus perfidis ac mortiferis cogitationibus Isaias obnititur, dicens: *Deus æternus, Deus qui fecit fines terræ, non esuriet, neque laborabit, neque inveniri potest prudentia ejus præstans esurientibus vires, et non dolentibus mærorem. Esurient enim juvenes, et laborabunt adolescentes, et electi sine viribus erunt. Qui vero expectant Dominum exsultabunt cum virtute, c producent pennas sicut aquilæ,*

^a Mss. Corb. et Colon., *Filio.*

^b Ms. Corb., *liber sancti Job.*

current et non laborabunt, ambulabunt et non esurient (Isai. xl, 28 et seq.). Ipse quoque Panis qui de cælo descendit credentibus in se perfectam satietatem veraciter repromittit dicens: *Qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet in æternum* (Joan. vi, 35). Rogo, qualiter hæc virtus concedetur hominibus, si eam habere non potuit Deus? Aut quomodo Christus in sua divinitate non habuit, quod ab eo Paulus ut haberet accepit? Ipse enim de se similibusque testatur, dicens: *Tribulationem patimur, sed non angustiamur* (II Cor. iv, 8); et alio loco: *Quasi morientes, et ecce vivimus; ut castigati, et non mortificati; quasi tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes* (II Cor. vi, 9, 10).

B Quam grave atque incongruum est et a vera fide modis omnibus alienum, ut Paulus in una eademque animæ substantia, cum tristatur, possit in ^d dono Christi semper gaudere, et de Christi divinitate dicatur quod tristis in anima quam suscepit non potuit in seipsa sine tristitia permanere.

CAPUT XXVIII. *Non ascribitur timor Joanni; ergo nec debet ascribi deitati. Quæ servis accipientibus nemo potest adimere, Domino largienti nemo conetur auferre.*

Non timet Joannes, qui dicit: *Timor non est in caritate, nam perfecta caritas foras mittit timorem; qui autem timet non est perfectus in caritate* (I Joan. iv, 18). Audierat enim a Domino: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (Matth. x, 28). Timorem nullus audeat ascribere Joanni, et timor mortis ascribitur Deitati? Sperat in illo David et dicit: *In Deo sperabo, non timebo quid faciat* **134** *mihi homo* (Psal. lv, 11); idemque confidenter ingeminat: *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, a quo trepidabo* (Psal. xxvi, 1, 2)? Et ipse Dominus apostolis dicit: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet* (Joan. xiv, 27). Idem denuo, *Gaudete, inquit, quia ego vici mundum* (Joan. xvi, 33). Expectantes igitur eum, fortitudinem sumunt, pennas producent quibus ad cælestia sublevantur, currentes nesciunt laborem, ignorant ambulantes esuriam, in tribulatione non patiuntur angustiam, morientes retinent vitam, tristes quidem videntur, tamen semper gaudentes exsultant, egeni divitias pluribus conferunt, et omnia possident, dum nihil habere contendunt; dilectione Christi repleti, carent timore, ab ipso illuminati, fatentur se nullum metuere, ipso defensore, nequeunt ab aliquo trepidare: de corde eorum turbatio propellitur, et formido; gaudet, quia vident mundum a Christo devictum. Si hæc servis accipientibus nemo potest adimere, qualiter Domino largienti perfida cæcitas, vel potius cæca perfidia, quod divinum naturaliter habet conatur auferre? Quis autem non videat in illis passionibus Christi quædam nostrarum virtutum semina contineri? Unus ergo idemque Christus in humanitate quæ humana

^c Editi, *perducent.*

^d Editi, *in domo.*

sunt sensit, in divinitate autem impassibilis immortalisque permansit.

CAPUT XXIX. Nomina Filii Dei quoad ejus divinitatem.
Homo Christus quia propria peccata non habuit, aliena portavit. Plena humanitas Christi.

Dei enim Filius Verbum, et Sapientia Patris, ipse est salus de qua propheta dicit: *Salus nostra cito veniet (Isai. XLVI, 13)*. Ipse virtus et sapientia: *Christus enim Dei virtus et Dei sapientia (I Cor. I, 24)*. Ipse saturitas, quia *panis est qui de cælo descendit (Joan. VI, 58)*. Idem via, ipse veritas, ipse vita. Idem gaudium et lætitia nostra, de quo propheta dicit: *Et factum est mihi verbum tuum in gaudium et lætitiâ cordis mei (Jerem. XV, 16)*. Ipse lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan. I, 9*). His noninibus superius designatis incommutabilis atque impassibilis invenitur. Ægrotare non potest salus; infirmari non novit virtus; nescit saturitas esurire; via nequit errare; sapientia non mutatur; vita non moritur; lumen non exstinguitur; nec veritas depravatur; nescit tristari lætitiâ; Deitas non potest superari: propterea utique etiam Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam ^a in unitate personæ divinitas accepit, quæ naturaliter peccare non novit. Homo ergo Christus, quoniam peccata non habuit propria, portare dignatus est aliena; illorum autem a se voluit peccata portari, cum quibus tenebatur consortio naturali, dicente Apostolo: *Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis (Hebr. II, 11, 12; ps. XXI, 23)*. Isaias etiam propheta, pietatis hujus taliter effectum prænuntiat, ut hominis in eo nomen evidenter ostendat, hæc dicens: *Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est (Isai. LIII, 1)*? Cum dicit brachium Domini, divinitatem Filii Dei ostendit; ac deinceps incipit Incarnationis et **135** Passionis mysterium prædicare: *Annuntiavimus coram ipso, ut ^b puer, ut radix in terra sitiienti. Non est ei species, neque gloria. Et vidimus eum, et non habuit speciem, neque decorem, sed species ejus sine honore, et abjecta præ omnibus hominibus: homo in plaga, et sciens ferre infirmitatem, quoniam ^c adversatus est, facies ejus dehonesta est, nec aliquid æstimata est. Hic peccata nostra portat, et pro nobis dolet, et nos existimavimus eum in doloribus esse, et in plaga, et in vexatione: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, et infirmatus est propter peccata nostra. Eruditio pacis nostræ in eo (al. in eum), et livore ejus nos sanati sumus. Omnes ut oves erravimus: homo a via sua erravit, et Dominus tradidit eum pro peccatis nostris, et ipse, quia male tractatus est, non aperuit os: ut ovis ad immolandum ductus est, et ut agnus ante eum qui se tondet sine voce, sic non aperuit os suum. In humiliatione judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit? Quoniam tolletur a terra vita ejus, ab iniquitatis populi mei ductus est ad mortem (Ibid.,*

A 2, et seq.). Et ut propheta plenam in Christo substantiam hominis demonstraret, paulo inferius adjecit: *Peccata eorum ipse portabit. Ideo ipse hæreditate possidebit multos, et fortium partietur spolia, propter quod tradita est in mortem (al. in morte) anima ejus, et inter iniquos deputatus est. Et ipse peccata multorum sustinuit, et propter iniquitates eorum traditus est.* Ex his prophetæ verbis et anima tradita cognoscitur Salvatoris et caro, quia totus pro nobis ad crucem ductus est homo. Sic enim oportuit nostrorum peccatorum deleri chirographum, ut dum vetus homo noster simul cruci affligitur, tanquam in tropæo, triumphatoris victoria panderetur.

CAPUT XXX. Non sensit caro Christi corruptionem in sepulcro, nec anima ejus pœnam in inferno. Justæ Dei ultio de peccato primi hominis. Salva per Christum et caro et anima hominis. Christus condoluit et compassus est nobis.

Restabat tamen, ad plenum nostræ redemptionis effectu, ut illuc usque homo sine peccato a Deo susceptus descenderet, quousque homo separatus a Deo peccati merito cecidisset, id est ad infernum, ubi solebat peccatoris anima torqueri, et ad sepulcrum, ubi consueverat peccatoris caro corrumpi; sic tamen ut nec Christi caro in sepulcro corrumperetur, nec inferni doloribus anima torqueretur, quoniam anima immunis a peccato non erat subdenda supplicio, et carnem sine peccato non debuit vitare corruptio. Nam quia peccans homo meruit in seipso per supplicium dividi, quia maluit a Deo qui dividi non potest prævaricationis reatu disjungi, propterea factum est ut peccatoris mors carnem peccati ad sepulcrum corrumpendam perduceret, animam ^d inferno torquendam protinus manciparet. Sed hæc ulciscens Dei æquitas fecit, quæ ideo taliter peccatorem addixit, quia ne peccaret ante prædixit. Hæc fuit retributio peccatori reddenda, ut juste peccati supplicium lueret, qui Deo justo injuste peccasset. Ut autem peccator esset gratuito munere liberatus, factum est ut mortem corporis, quam a Deo justo peccator **136** homo pertulerat juste, Dei Filii a peccatore pateretur injuste; et ad sepulcrum perveniret caro justæ, quousque fuerat caro devoluta peccati; et usque ad infernum descenderet anima Salvatoris, ubi peccati merito torquebatur anima peccatoris. Hoc autem ideo factum est, ut per morientem temporaliter carnem justæ, donaretur vita æterna carni, et per descendentem ad infernum animam justæ, dolores solverentur inferni. Utrumque autem Scriptura sancta non tacuit, de resurrectione quidem carnis, sic beato Paulo loquente: *Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum: et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur (I Cor. XV, 21, 22)*. Idem homo Christus est, qui pro nobis et pontifex factus est dum semetipsum passioni obtulit, et hostia factus est dum passionem ipse suscepit. Huic dicitur: *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech (Psal. CIX, 4)*. Et sacerdos tamen, et hostia, humane nature tam officia cognoscuntur esse

^a Ms. Corb., in unitatem.

^b Ms. Corb., ut puer. Ms. Vict., et puer.

^c Editi, adversatus est.

^d Ms. Corb., in inferno.

quam nomina. Et quoniam idem pontifex infirmitates nostras suscepit et habuit, propterea de ipso Apostolus dicit: *Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris* (Hebr. iv, 15); et ut se de natura humana loqui doceret, adjecit: *Tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato*; et paulo inferius subdidit: *Omnis enim pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, qui condolere possit his qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate* (Hebr. v, 1, 2). In eo ergo quo circumdatus fuit infirmitate, in eo condoluit ignorantiae et erroribus nostris, et in eo compassus est infirmitatibus nostris; ibi est enim unitas compassionis, ubi est unitas naturalis; in eo autem nobis pontifex ille compassus est, in quo etiam nos compatimur, dicente beato Apostolo: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si tamen compatimur, ut et a congrificemur* (Rom. viii, 16, 17). Beatus quoque Petrus ad hujus nos gratiam compassionis hortatur, dicens: *Cariissimi, nolite expavescere in sermone, qui ad tentationem vobis fit. Nolite pavere, tanquam novi vobis aliquid contingat; sed ut communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes* (I Petr. iv, 12, 13). In natura ergo humana pontifex ille veritatem sustinens passionis, in ea utique novit compati membris suis. Propterea et beatus Paulus dicebat: *Ut adimpleam ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia* (Coloss. i, 24).

CAPUT XXXI. *Nos quoque oportet compati et commori Christo. Sicut morimur cum Christo, ita ab inferni doloribus liberamur. Divinitas Christi, neque carnem in sepulcro, neque animam in inferno deseruit.*

Quid autem mirum quoniam (al. quod) pontifici nostro naturali communione compatimur, cum nos beatus Apostolus etiam cum illo mortuos esse testetur his verbis: *Si mortui estis cum Christo, quid adhuc tanquam viventes in mundo discernitis?* Dicit etiam Timotheo: **137** *Memor esto Jesum Christum resurrexisse a mortuis, ex semine David, secundum Evangelium meum, in quo laboro usque ad vincula, quasi male operans; sed verbum Dei non est alligatum. Omnia autem sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu cum gloria cælesti* (II Tim. ii, 8-10). Sciens ergo Apostolus Jesum Christum ex semine David a mortuis surrexisse (in quo utique communio nature manifestatur humanæ), in quo eum mortuum noverat, in eo nos illi commortuos esse commemorat, dicens: *Fidelis sermo: nam si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus* (Ibid., 11). Pontifex ergo ille qui semetipsum pro nobis obtulit (sicut Apo-

stolus dicit) *oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* (Ephes. v, 2), sicut mortuus pro nobis, omnes nos sibi commori fecit; sic solutus doloribus inferni, omnes fideles ab iisdem doloribus liberavit, sicut beatus Petrus testificatur, et dicit: *Jesum a Nazareth, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, et signis, et prodigiis, quæ fecit per illum Deus in medio vestri; sicut vos scitis: hunc definito consilio, et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis: quem Deus suscitavit, solutus doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo* (Act. ii, 22, 23, 24). Ubi etiam Davidicum illud quod in primo libro posuimus testimonium ita protulisse monstratur: *David enim dicit in ipsum: Providebam Dominum coram me semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. Propter hoc jocundatum est cor meum, et exultavit lingua mea; insuper et caro mea requievit in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, et adimplebis me jocunditate cum facie tua* (Psal. xv, 8, 9, 10). Ibi beatus Petrus divino vere spiritu illuminatus, et secundum Domini sermonem lux mundi effectus, qualiter hunc locum intelligere deberemus, clarissima luce prædicationis ostendit, ne quis in Christo veram carnem sic intelligeret, ut veram in illo animam denegaret. Sequitur ergo: *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quia et defunctus est, et sepultus est, et sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelicta est anima ejus in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem* (Act. ii, 29, 30, 31). In hoc igitur divinitas Christi virtutem suæ impassibilitatis ostendit, quod (al. quæ) ubique semper atque ineffabiliter præsens, et secundum animam suam in inferno sine doloribus fuit, et secundum carnem suam in sepulcro sine corruptione jacuit, quia nec carni suæ defuit cum animam suam in inferno dolere non sineret, nec animam suam in inferno deseruit cum in sepulcro carnem suam a corruptione servaret. Dignum namque fuit ut carnem sepulcri non corrumperet locus, quam peccati non corrupit affectus, et animam dolor non contingeret (al. contigisset) inferni, quam servitus nequivit tenere peccati. Propter hoc in psalmo, cum ex forma servi, in qua Christus nostra peccata portavit, diceret: *Quia repleta est malis anima mea, et vita mea in infernum appropinquavit* (Psal. lxxxvii, 4), ut ostenderet **138** eandem animam suam a peccato liberam in infernum pro nobis peccatoribus descendisse, subdidit dicens: *Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber* (Ibid., 5).

CAPUT XXXII. *Filius Dei ratione carnis dicitur mor-*

^a Ita ms. Corb., juxta Græcum *συνδοξα-θώμεν* et Vulg. versionem: editi vero, *ut et glorificemur*.

^b Ita mss. Corb. et Victor. Editi vero, *discernitis*.

^c Ita ms. Victor. nec non Colon., Ant. et Basil.; at ms. Corb., *affligentes*.

tuus, et resurrexisset. Secundum divinitatem unus est effectus Patris et Filii.

Verumtamen cum sola caro moreretur et resuscitaretur in Christo, propter unitatem personæ Dei et nominis, Filius Dei dicitur mortuus. Quod evidenter his verbis Paulus apostolus protestatur: Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius (Rom. v, 10). Rursus Filium Dei resurrexisse Petri prosecutione firmatur, Judæos ad credulitatem Christi taliter exhortantis: Vos estis filii prophetarum, et testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur omnes familie terræ: vobis primum suscitans Deus Filium suum, misit eum benedicentem vobis, ut convertat se unusquisque a nequitia sua (Act. iii, 24, 25). Etiam in hoc capitulo, quem semen Abraham memorat, eundem Filium Dei beatus Petrus appellat: non enim dividitur Christus. Qui tamen, ut non secundum id quod est ex Deo Patre, sed secundum id quod est ex semine Abraham, cognoscatur a mortuis surrexisse, pro unitate personæ in qua Deus et homo unus est Christus, non incongrue Dei Filius dicitur suscitatus. Cujus ut secundum divinitatem una probaretur natura cum Patre, unus simul fuit effectus in opere. Sicut enim carnem suam in Virginis utero, faciente Patre, etiam ipse fecit (quia secundum humanam naturam de Christo scriptum est: Et Dominum eum, et Christum Deus fecit; hunc Jesum quem vos crucifixistis [Act. ii, 36]; scriptum est etiam: Quia sapientia ædificavit sibi domum [Prov. ix, 1]), sic etiam cum traderetur a Patre, ipse quoque se cognoscitur tradidisse; scriptum est enim: Quia Deus Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (Rom. viii, 32); et de ipso Filio dicitur: Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit seipsum pro me (Galat. ii, 20).

CAPUT XXXIII. Et Pater Filium suscitavit, et Filius suscitavit seipsum.

In resurrectione quoque ejus invenitur operis æqualitas, quia una est Patris Filiique majestas. De Patre quippe sic beatus loquitur Petrus: Vobis primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis (Act. iii, 25). De seipso vero sic Dei Filius loquitur ad Judæos: Solvite templum hoc, et in tribus diebus suscitabo illud (Joan. ii, 19), quod Joannes aperuit dicens: Ipse autem dicebat de templo corporis sui (Ibid., 21). Colossensibus quoque Paulus loquens, ipsum Dei Filium humanitatem suam his 139 verbis significat suscitasse: Videte ne quis vos seducat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundum traditiones hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum: quia in ipso habitat (al. inhabitat) omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et

potestatis: in quo et circumcisi estis, circumcissione non manu facta in exspoliatione corporis carnis, in circumcissione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo et consurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. Et vos, cum mortui essetis in delictis et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat chirographum^d decreti quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, exuens se carne; principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso (Col. ii, 8-15). Non nescimus hunc locum ad personam Patris a nonnullis referri; sed ex connexione verborum, si cauta^e legentis accedat intentio, magis id capituli hujus sensus ostendit, ut unus idemque Filius, non solum Christus qui suscitatus est, sed etiam Deus ipse qui Christum suscitavit, appareat: ut constet Apostolum in hoc loco Dei nomen ad illam simpliciternam Filii, quæ est ex Patre, substantiam, nomen vero Christi ad eam, quam ex homine Dei Filius sumpsit, retulisse naturam, dignum præ omnibus ducens Doctor gentium in fide et veritate, ut sicut eundem Christum, qui suscitatus est, prædicavit hominem, dicens: Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum; sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur (I Cor. xv, 21, 22); non minore cautela eundem Filium, qui suam carnem illa qua (al. quæ) æqualis est Patri potentia suscitavit, Deum verissime prædicaret, sicut hujus loci textus clara manifestatione vulgavit. Deus enim qui suscitavit Christum a mortuis, qui que nos, cum mortui essemus in delictis, et præputio carnis nostræ, convivificavit cum illo (Coloss. ii, 13), idem nobis delicta omnia donavit, et qui donavit delicta, chirographum quod adversum nos erat delevit, et sublatum de medio cruci affixit; qui chirographum cruci affixit, idem se carne exuit; qui se carne exuit, ille etiam principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso (Ibid., 15). Hæc autem, Paulo teste, omnia Deus fecit, qui Christum a mortuis suscitavit. Attendatur itaque si Pater chirographum cruci affixit, si Pater se carne exuit, si Pater principatus et potestates traduxit, palam triumphans illos in semetipso; et si hæc omnia paternæ potuerint coaptari personæ, digne negabitur Filius hic ab Apostolo designatus, ille scilicet Deus qui Christum a mortuis suscitavit. Si autem omnia superius designata Filio magis quam Patri conveniunt, cognoscatur unus atque idem ab Apostolo prædicatus Christus qui a mortuis resurrexit, et Deus qui Christum a mortuis suscitavit. Igitur et qui suscitavit semetipsum, et suscitatus est Christus: quia sicut in eo quod in se fecit ipse dignatus est fieri, et in eo quod in se tradidit ipse dignatus est tradi, et in eo quod in se occidi permisit

^a Ita restitutus est hic locus ex mss. Corb. et Basil. Colon. autem et Ant. habebant, Qui tamen non secundum id quod ex Deo Patre, sed secundum id quod ex semine Abraham cognoscatur surrexisse.

^b Ms. Victor., Filio suo proprio.

^e Ita ms. Victor.; at ms. Corb. et ed., Deum Filium.

^d Ms. Corb., decretis, juxta textum Græcum Apostoli, τοῖς δόγμασιν.

^e Ita mss. Corb. et Victor.; at editi, Sic ut et legentis.

ipse **140** dignatus est mori, sic in eo quod in se A
suscitavit ipse dignatus est suscitari.

CAPUT XXXIV. *Humanitas Christi non tota fuit in sepulcro aut inferno, sed tota ibi fuit divinitas. Recta fides de humanitate Christi et factis ejus. Varii errores circa Christum. Marcionitæ. Eblonitæ. Ariant. Ennomiani. Apollinaristæ. Noesiani. Sabelliani. Patripassiani. Valentiniani et Apollinaristæ. Error circa Spiritum sanctum.*

Humanitas ergo vera Filii Dei, nec tota in sepulcro fuit, nec tota in inferno, sed in sepulcro secundum veram carnem Christus mortuus jacuit, et secundum animam ad infernum Christus descendit : ac secundum eandem animam ab inferno ad carnem, quam in sepulcro reliquerat, rediit; secundum divinitatem vero suam, quæ nec loco tenetur, nec sine concluditur, totus fuit in sepulcro cum carne, totus in inferno cum anima, ac per hoc, plenus fuit ubique Christus, quia non est Deus ab humanitate quam susceperat separatus, qui et in anima sua fuit, ut solutis inferni doloribus ab inferno victrix rediret, et in carne sua fuit, ut celeri resurrectione corrumpi non posset. Totum igitur hominem cum suis infirmitatibus, sine peccato, Dei Filius pro nobis accepit : in toto traditus idem Christus secundum solam carnem est mortuus; totus Christus secundum solam animam ad infernum descendit; idem atque inseparabilis Christus secundum solam carnem de sepulcro surrexit; idem atque inseparabilis Christus secundum totum hominem, quem accepit, terram localiter deserens ad cælum ascendit, et in dextris Dei sedit (al. sedet); secundum eundem totum hominem venturus ad judicandum vivos et mortuos; coronaturus fideles et pios, illos scilicet qui eum in utraque, id est in divina humanaque substantia, verum, plenum et perfectum credentes, nec Dei Filio aliquid paternæ substantiæ minuunt, et totum pro se susceptum hominem sine peccato cognoscunt. Condemnaturus autem infideles, qui diversos cujuslibet perfidiæ sectantur errores, quique in eis ita simul obdurato corde perdurant, ut eos usque ad vitæ præsentis obitum non relinquunt : in quibus sunt illi qui in Christo phantasiâ carnis audent credere, cum eum veritatem carnis denegant accepisse; illi etiam qui, in eo divinitatem omnimodis abnegantes, solam hominis putant fuisse substantiam; sed et hi qui eum vel de Deo Patre Deum denegant naturaliter natum, vel totam non credunt hominis in Christo substantiam. Similiter et illos condemnaturus adveniet qui, ex operationis unitate unum Deum Patrem et Filium credentes, alterum ex altero sic natum denegant, ut personaliter Patrem Filiumque confundant; quique, Patri humanam pariter nativitatem assignantes et mortem, ipsum Patrem dicunt natum ex Virgine, ipsum etiam passum fatentur in carne. Illos etiam æterno condemnabit gehennalis tormenti supplicio, qui corpus Christi non ex Virgine fatentur substantialiter sumptum, sed confingunt de cælo depositum : cum Dei Filius propterea de homine naturam fuerit dignatus corporis terreni suscipere, quia non venerat eos qui in cælo, sed eos qui fuerant in terra sal-

vare, sicut Apostolus dicit : *Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abraham apprehendit, unde debuit per omnia fratribus similari (Hebr. ii, 16, 17).* Suscepit ergo Filius Dei animam nostram, id est melius nostrum, quia melior est meliore nostro; de quo Joannes dicit : *Major est Deus corde nostro (I Joan. iii, 20), 141* sed non sprevit etiam carnem nostram, id est infimum (al. infirmum) nostrum suscipere, quia totum hominem venerat liberare; nec potuit infimo nostro infimus fieri, per quem infimum nostrum in illud nomen quod super omne nomen est meruit exaltari, ut in nomine Jesu omne genus flectatur, cælestium, terrestrium, et infernorum, ^b et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (Philip. ii, 9-11). Qui etiam B illos tormentis est interminabilibus traditurus, qui sancti Spiritus naturam a substantia Patris Filiique discernunt, ut vel omnino eum personaliter esse non putent; vel, tanquam ministrum, meriti prorsus inferioris existiment; ipsi sibi sua professione (al. confessione) contrarii, qui se vel in illo qui omnino non est, vel in eo qui Deus non est, credere consentunt.

CAPUT XXXV. *Tres personæ pariter vivificant. Patres etiam renegerant. Una caritas trium in nobis. Habitant in nobis. Dant gratiam. Templum sumus totius Trinitatis. Repetuntur summam quæ dicta sunt de Spiritu sancto. Deus unus et trinus.*

Ut enim pauca hujus operis causa subjiciam, dicatur. quid minus habet Spiritus sanctus quam habet Pater et Filius, qui et initium creationis nostræ cum Patre ac Filio simul fecit, et effectum redemptionis nostræ cum Patre simul Filioque perfecit? Cælum fecisse dicitur Deus; sed operante Patre, simul et Filio invenitur cooperator, et Spiritus sanctus : *Verbo enim Domini cæli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum (Psal. xxxii, 6).* Quid Patre vel Filio minus habere creditur, a quo virtus omnis cælorum firmata monstratur? Vitam dare nullus potest, nisi qui substantialiter Deus est; sicut autem vivificat Pater, sic vivificat Filius, sic vivificat Spiritus sanctus. *Nam sicut Pater suscitavit mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat (Joan. v, 21).* Et de Spiritu Apostolus dicit : *Littera occidit, Spiritus autem vivificat (II Cor. iii, 6).* Idem rursus ait : *Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, D habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis (Rom. viii, 11).* Regenerat Pater, regenerat Filius, regenerat Spiritus sanctus; quia cum baptisma datur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ex eo unusquisque regeneratur in cujus nomine baptizatur. Cum ergo in nomine Trinitatis datur baptisma, simul tota Trinitas regenerat, quæ unus et solus est Deus. Propterea de fidelibus Joannes dicit : *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt (Joan. i, 13).* Est in nobis caritas Patris, quia (al. de qua) dicit Paulus : *Commendat*

* Basil., inferius.

^b Ms. Corb., ut omnis lingua.

autem suam caritatem Deus in nobis; quoniam si, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo igitur magis justificati nunc in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum (Rom. v, 8, 9). Est in nobis etiam caritas Christi, dicente Apostolo: Quis nos separabit a caritate Christi (Rom. viii, 35)?^a Et alio loco: Scire etiam supereminentem scientiæ caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei (Ephes. iii, 19). Eadem est in nobis etiam caritas Spiritus sancti, de qua Paulus dicit: Obsecro igitur vos, **142** fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per caritatem Spiritus sancti (Rom. xv, 30). Et alio loco: Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis (Rom. v, 5). Et denuo dicit: Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax (Galat. v, 22). Habitat in nobis Pater, habitat Filius, habitat Spiritus sanctus, quia scriptum est: Inhabitabo in illis, et inambulabo (II Cor. vi, 16). De Filio quoque dicit Apostolus: In interiore homine habitare Christum, per fidem, in cordibus vestris (Ephes. iii, 16, 17). Spiritum quoque sanctum his verbis in nobis habitare confirmat: Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis (I Cor. iii, 16)? Et, ut ostenderet eundem esse Spiritum Dei qui Spiritus sanctus est, Timotheum sic admonet dicens: Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum qui habitat in nobis (II Tim. i, 14). Dat gratiam Pater, dat gratiam Filius, dat gratiam Spiritus sanctus, sicut prædicator veritatis, Christo in se loquente, testatur: Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo (Rom. i, 7). De Spiritu quoque sancto scriptum est in Actibus apostolorum, cum Petrus ad docendum Cornelium ab ipso Spiritu mitteretur: Loquente autem Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum, et obstupuerunt ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro; quia et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est (Act. x, 44, 45). Sumus templum Patris, sumus templum Filii, sumus templum Spiritus sancti, sicut^b Paulo doctore didicimus, qui ait: Vos enim estis templum Dei vivi (II Cor. vi, 15). Et alio loco: Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus: templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (I Cor. iii, 17); Filii quoque templum sumus, cuius domus sumus. Nam et ipse Filius templum domum vocavit, dicente evangelista: Ascendit Jesus Hierosolimam, et invenit in templo vendentes boves et oves (Joan. ii, 15 et seq.), etc. Quos cum de templo protinus eiecisset, vendentibus columbas dixit: Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis (Ibid., 16). Similiter David id (al. idem) esse templum Dei quod domum in psalmis ostendit, dicens: Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam; adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo (Psal. v, 8). Cum hoc ergo sit templum Dei quod domus Dei, templum nos Filii

demonstrat Apostolus, cuius nos domum, ita scribens Hebræis, appellat: Christus autem tanquam filius in domo sua, quæ domus nos sumus, siquidem fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus (Hebr. iii, 6). Nam et ipsum corpus Filii, et domum Scriptura sancta nominavit et templum, cum dicit Salomon: Sapientia ædificabit sibi domum (Prov. ix, 1); et evangelista huic sensui concordans ait: Ipse autem dicebat de templo corporis sui (Joan. ii, 21). Si ergo quod corpus est Christi templum est Christi, nos quoque templum ejus sumus, quos corpus ejus esse confirmat Apostolus, dicens: Vos estis corpus Christi, et membra (I Cor. xii, 27). Templum etiam Spiritus sancti nos esse manifeste commemorat, Nescitis, inquit, quia membra vestra templum^d est Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo (I Cor. vi, 19)? Ubi eum Deum quoque monstravit, ista **143** subjiciens: Et non estis vestri: empti enim estis pretio magno; glorificate igitur, et portate Deum in corpore vestro (Ibid., 15). Hoc tamen templum Spiritus sancti membra Christi esse testatur, dicens: Nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt? Dicatur igitur si colorum virtutem potuit firmare qui non est Deus? si potest vivificare qui non est Deus? si potest in baptismatis regeneratione sanctificare qui non est Deus? si potest caritatem tribuere qui non est Deus? si potest in credentibus habitare qui non est Deus? si potest gratiam dare qui non est Deus? si potest templum membra Christi habere qui non est Deus? et digne Spiritus sanctus negabitur Deus. Rursus dicatur si ea quæ de Spiritu sancto commemorata sunt potest aliqua creatura facere? et digne Spiritus sanctus dicetur creatura. Si autem hæc creaturæ possibilia nunquam fuerunt, et inveniuntur in Spiritu sancto, quæ tamen soli competunt Deo, non debemus naturaliter diversum a Patre Filioque dicere, quem in operum potentia diversum non possumus invenire. Ac sic ex unitate operis unitas est agnoscenda virtutis; nec quisquam dubitet Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, personarum Trinitate servata, unum Deum naturaliter dicere, qui potuit universa sola voluntate condere, qui cuncta potest virtutis omnipotentia gubernare, qui omnia potest immensitate divinitatis implere.

CAPUT XXXVI. Peroratio ad regem Trasimundum Arianum.

Hæc, ut Dominus dedit, clementissime rex, malui tuæ pietati scribere quam omnimodis reticere, ne silendo, aut æstimarer superbus, aut de fidei nostræ veritate putarer ambiguus, cum Ecclesiam catholicam solam Christus columbam suam voluerit appellari, dicens: Una est columba mea, una est dilecta mea (Cant. vi, 8). In quo columbæ nomine caritas et simplicitas designatur (al. designantur). Sola autem veram possidet caritatem, quæ Filium Dei quem diligit, non dicit in divinitate minorem, sed Patri fate-

^a Aberant hæc ab editis Colon. et Ant.; restituta sunt ex mss. Corb. et Victor. Basil. vero sic legit: Item: Ad cognoscendam superabundantem cognitionis caritatem Christi.

^b Basil., sicut a Paulo doctore.

^c Colon. et Basil. non habent tuum. Ms. Corb. et Antwerp. habent.

^d Basil., templum sunt.

tur æqualem. Sola vero possidet veritatem simplicitatis, quæ unam veram et simplicem credit substantiam Trinitatis. Oramus autem Deum, ut aures clementiæ tuæ verbo veritatis placidas reddat, et pio cordi tuo lumen sapientiæ spiritualis infundat, ut Filium Dei Deum, et Dominum nostrum Jesum Christum sic honorifices, sicut honorificas Patrem: metetur enim hoc a te, ut eum qui te fecit Patre tuo meliorem, Patri suo secundum divinam naturam fatearis æqualem. Quæso, gloriose rex, ut in te consi-

A deres largitatem divini muneris, et potestatem non minuas largitoris; ut qui tibi temporale donavit regnum, donet etiam sempiternum. Ipse enim dicit: *Eos qui me glorificant, glorificabo (I Reg. II, 30)*. Quod ipsa Trinitas faciat, quæ unus et verus est Deus: *Qui potest omnia facere supra quam petimus aut intellegimus (Ephes. III, 20)*; *ex ipso enim, et per ipsum, et in ipso sunt omnia (Rom. XI, 36)*. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

^a Abest ab editis et in ipso; legitur in ms. Corb. et in textu Apostoli.

144 SANCTI FULGENTII EPISTOLÆ

IN UNUM CORPUS NUNC PRIMUM COLLECTÆ.

EPISTOLA PRIMA.

^a *De conjugali debito, et voto continentiae a conjugibus emisso.*

Domino et merito venerabili filio FULGENTIUS, servorum Christi famulus, in Domino salutem.

CAPUT PRIMUM. *Excusatio dilatae responsionis.* —

1. Epistolam tuam, sanctæ sollicitudinis indicem, ante aliquot menses accipiens, cum persolvere cuperem sine dilatione responsum, sic sum repentina corporis ægitudine correptus, ut febrium violenta nimietas commeatum mihi vitæ præsentis auferret; nisi verus animarum corporumque medicus, qui sanat omnes languores nostros, et redimit (*al. redimet*) de interitu vitam nostram, ad removendum tantæ infirmitatis flagellum, dignaretur medicinæ suæ largiri subsidium. Recepta quoque sospitate, non defuit quidem rescribendi (*al. scribendi*) voluntas, sed ad dirigendum obstitit hiemalis asperitas. Nunc itaque, quia creator et moderator temporum temperiem dignatus est donare ventorum, consultationi (*al. consolationi*) tuæ, quod miseratione atque inspiratione superni largitoris accepi, redhibere non destiti.

CAP. II. *Tenor interrogationis super continentia uxoris. Commixtio conjugalis in se mala non est, sed excessus. Debitum conjugale.* — 2. Dicis itaque filiam nostram conjugem tuam pene usque ad extremum nuper ægrotasse periculum, et, sicut plerumque contingit, accepta manus impositione, pœnitentiam secundum morem quæm habet Christiana religio peregisse. Verum quia postmodum, divinæ bonitatis munere, plenam accepit corporis sospitatem, fragilitatem **145** carnis allegans, ætatis insuper juvenilis incontinentiam confiteris; et in hac ambiguitate cogitationis, qua carnem consideras, majestatemque formidas, velut nauta locorum ignarus, et fluctibus ventisque jactatus, dum periculum incerta præca-

B ves, nostra tibi responsione demonstrari flagitas portum, ubi possis animæ vitare naufragium.

3. Tenor ergo interrogationis tuæ duo quædam me compellit non segniter consideranda pensare: scilicet non solum quid in se conjugalis admixtionis (*al. commixtionis*) qualitas habeat, sed etiam quid in unaquaque re pollicitatio voventis exposcat.

4. Igitur, si per se ipsam quis fidelium conjugum commixtionem duce ratione consideret, culpabilis usus non in conjugali concubitu, sed in concubentium reperietur excessu; neque ex commixtione maris et femine, sed ex immoderatione libidinis culpam trahit coitus conjugalis. In conjugibus ergo excessus jure reprehenditur, nuptialis tamen dignitas collati sibi divinitus honoris munere non privatur.

C Ideo clamat apostolicæ prædicationis auctoritas: *Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus (Hebr. XIII, 4)*. Corinthios quoque super matrimonii honestate servanda Paulus informans, cum præmisisset: *Bonus est homini mulierem non tangere (I Cor. VII, 1)*; quorumdam infirmitatem videns, atque apostolica satagens caritate, tanquam parieti inclinato, et maceriæ impulsæ (*al. depulsæ*), non neglexit doctor egregius consolationis ^b destinam, Christo in se loquente, supponere. Denique subsequenter adjungit: *Propter fornicationes (al. fornicationem) autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat; uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro (Ibid., 2, 3)*.

D 5. Apostolicæ itaque lectionis tenor ostendit, uxorem viro, et virum uxori quadam debiti communionem misceri. Quod proculdubio non appellaret Apostolus debitum, nisi legitime sciret esse reddendum; nec juberet ^c reddi mutux consensionis officio, si esset iniqua reposcentis exactio: usque adeo namque nu-

bajulum ac destinam cæli.

^c Editi habent, *nec juberet reddendum mutux consensionis officium*, sed concinnior videtur mss. Corb. et Vict. lectio.

^a Ms. Victor., *Deo quoa continentiam debeant etiam conjugati servare post votum.*

^b *Destinam*, id est *fulcrum, fulcimen*; ita Arnobius l. II contra gentes circa finem: *Atlantem gestatorem*,

ptias operi divino applicare non ambigit gentium Doctor, ut et mulieris in corpore viri, et in uxoris corpore viri potestatem æquali prorsus jure confirmet, dicens: *Mulier sui corporis potestatem non^a habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* (Ibid., 4). Alio [autem loco idem dicit: *Quia non est potestas nisi a Deo* (Rom. XIII, 4).

CAP. III. *Utendum conjugio propter prolem, non propter libidinem.* — 6. Hujus igitur potestatis inculpabilis est usus, officio gignendi divinitus attributus, si justitiæ terminum transgredi libidinosus non permittatur excessus. Justitia vero utendi conjugii hæc est, ut non explendæ libidinis, sed substituendæ prolis obtentu sibi conjuges congruo tempore misceantur. In illis namque bonis quæ fecit Deus, invenitur casta copulatio uxoris et viri; in quibus Dei operibus libido non potest inveniri; nec aliquando justitiæ congruit, quæ non hominibus ex dono conditionis (al. conditoris), sed peccatoribus ex vitio primæ prævaricationis accessit. 146 Sed quia sine illa, in corpore mortis hujus, proles humana non seritur, non eam affectant conjugia casta, sed tolerant, eique imponit nuptialis honestas modum sine qua non potest in carne peccati naturalis explere fecunditatis officium.

7. Sic ergo quæri debet ex nuptiis fructus, ut cohibendus sit lubricæ voluptatis excessus. Quocirca, si conjugalis usus eatenus temperetur, ut non æstuantî libidini animus serviat, sed proventum nascituræ prolis attendat, et cum nata fuerit diluendam celestis spiritali generatione non negligat, non deputatur fidelibus conjugibus ad peccatum carnis indulta commixtio, quia et conjugalis servat confœderatio castitatem, et verecundia custodit modesta temperiem, et Deo dicendam conjugalis exhibet fecunditas prolem, ^b ut et Redemptoris ope homo jam natus reformetur baptismatis sacramento, cujus opere prius formatur in utero; et illum habeat humana natura beneficio secundæ nativitatis patrem, quem in prima nativitate suæ conditionis agnoscit auctorem.

8. Conjugatus ergo si fornicetur damnabiliter peccat; si vero thori fidem non deserat, sed in uxore sua, naturali duntaxat usu, aliquantulum intemperatus (al. intemperatius) excedat, non solum scilicet generationem quærens, sed aliquando libidini carnalis obediens, hoc quidem sine culpa non facit; talis autem culpa citius bene operanti atque oranti remittitur, quia ipsi conjugii servat maritalis caritas fidem, in qua non potest maritalis infirmitas custodire temperiem; et si nuptialis in uxore modestia non tenetur, a nuptiali tamen fide nulla immoderatione disceditur.

CAP. IV. *Servata thori fides maculam libidinis diluit. Omnis fornicatio damnabilis, præsertim in conjugate.* — 9. Retenta ergo thori fides maculam diluit quam

^a Ita mss. Corb. et Victor. nec non Ant. et Basil. Colon. vero, *non habent, sed vir, similiter . . . non habent, etc.*

^b Mss. Corb. et Victor., *ut Dei Redemptoris.*

A contrahit infirmitas carnis, si mulieri non misceatur alteri, quisquis non pro sola generatione, sed etiam propter fragilitatem carnis suæ miscetur uxori; quia etsi præfixum concumbendi modum transit, tamen conjugalem terminum non excedit; et licet contrahat carnalis infirmitas culpam, impetrat tamen nuptialis integritas veniam. Accipit ergo talis indulgentiam, non pro eo quod ab una debitum conjugale plus quam oportet exigit (al. exegit), sed quia una legitime (al. legitima) accepta contentus, alteram non requirit. Si tamen non desunt misericordię opera, quæ tantum valent in religione Christiana, ut non solum qui conjugii utuntur, aut qui continentes sunt, sed etiam virgines ad præmium virginitalis pervenire non possint, si opera misericordię caritatisque neglexerint. Si vero quis intentus operibus bonis tantam servaverit in uxore temperiem, ut filiorum procreandorum causa tantummodo misceatur uxori, multa laude talis est proculdubio dignus, si quis hoc nostris potest implere temporibus.

10. Fornicatio tamen nunquam potest esse sine gravi crimine, in qua licet non dubitemus damnabiliter peccare hominem ab uxore disjunctum, damnabilius tamen fornicari existimo conjugatum. Utrumque autem Scriptura sancta judicandum, et a regno (al. regni) Dei pronuntiat alienum: scriptum namque est in Epistola ad Hebræos: *Quia fornicatores et adulteros judicabit Deus* (Hebr. XIII, 4). Et in Epistola quam ad Corinthios 147 scripsit Apostolus, dicitur: *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt* (I Cor. VI, 9, 10). Rursus inter opera carnis idem apostolus Paulus fornicationem, immunditiam, luxuriamque dinumerat; in quorum conclusione dicit: *Quoniam qui talia agunt regnum Dei non^c consequentur* (Galat. V, 21). Præmonet etiam *ne luceat multos ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt penitentiam^d super immunditiam, et fornicationem, et impudicitiam, quam gesserunt* (II Cor. XII, 21).

CAP. V. *Vota Deo reddenda absque excusatione.* —

11. Igitur quia de qualitate conjugii, quod Dominus donavit, diximus, illud est consequenter tota sollicitudine pertractandum, quidnam vestræ voluntatis præfixerit (si qua tunc potuit esse) devotio. Neque enim quia in rebus (al. rebus) a Deo concessis usus hominibus non interdicitur, ideo debet homo quod voverit Deo non reddere, cum scriptum sit: *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea* (Psal. LXV, 13). Et ne quisquam sibi vellet excusationem tribulationis ad frustrandæ licentiam promissionis assumere, nec se putaret voti reum, si se dixisset ad aliquid vovendum non voluntate sed tribulatione compulsus, docens beatus David omnia esse Deo red-

^c Ita ms. Corb. et Græcus Apostoli textus. Editi vero omnes, *consequuntur.*

^d Ms. Corb., *Super immunditiam, et fornicationem, et impudicitiam.*

donda, quæ fuerint legitime duntaxat etiam in tribulatione promissa, cum dixisset Deo : *Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea*, continuo subdidit : *Et locutum es os meum in tribulatione mea* (Ibid., 14). Sed et in Deuteronomio scriptum est : *Si autem voveris votum Domino Dea tuo, non tardabis reddere illud, quia exquirens exquiret Dominus Deus a te, et erit in te peccatum. Si autem nolueris vovere, non erit in te peccatum. Quæ exeunt per labia tua custodies, et facies quemadmodum voveris Deo tuo votum quod locutus es ore tuo* (Deut. XXIII, 24). Dicit et Salomon : *Statim ut voveris votum Domino, non tardabis reddere illud. Tu itaque quæ voveris redde. Bonum est non vovere, quam vovisse et non solvere* (Eccl. v, 3, 4).

CAP. VI. *Res licitæ post votum fiunt illicitæ. Continentiæ voto obstrictis conjugium redditur illicitum.* —

12. Proinde licitarum rerum usus licite cum temperantia geritur, donec rei licitæ renuntiatio non voveatur, et quandiu non tenetur ex utriusque, id est ex mariti uxorisque consensu, perpetua continentiam promissio, non est illicita conjugalis admixtio (al. commixtio). Scriptum est enim : *Si duxeris uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccavit* (I Cor. VII, 28). Verumtamen cum (al. etsi) non peccet virgo quæ nubit, invenitur aliqua virgo peccare si nupserit : non enim peccat virgo nubens, si virginitatem Deo priusquam nuberet in corde non vovit. Cæterum si (quemadmodum dixit Apostolus) *statuit in corde suo firma non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, et hoc iudicavit in corde suo, servare virginitatem suam* (Ibid., 37), graviter postmodum peccat, si post dicatam virginitatem Deo, voluerit humano servire connubio. Nam et viduas quasdam beatus Paulus vinculo pronuntiat damnationis obstrictas, quia scilicet post continentiam professionem nubendi receptam non abjiciunt voluntatem. De quibus evitandis Timotheum sic instruit : *Adolescentiores autem viduas devita; cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt* (I Tim. v, 11). Adimit igitur succumbendi licentiam continentiam promissio, nec sola talibus fornicatio interdicitur, sed etiam maritalis admixtio prohibetur, et prævaricatricem voluntatem tenet culpabilis nexus, etiamsi nullus in opere consequatur effectus. Neque enim frustra scriptum est quia *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum* (Jac. 1, 15).

CAP. VII. *Non est conjugibus licentia vovendi, sicut solutis, quia corporis sui potestatem non habent. Votum continentiam obligat, si fiat consensu utriusque conjugis.* — 13. Quocirca non solum a virginibus integritas, verum etiam a viduis atque conjugibus debet Deo dicata continentia cum timore et tremore servari. Quia priusquam sit aliquis voti reus, non condemnatur, sive virgo licite nubat, sive maritus et uxor conjugale sibi debitum reddant. Postquam vero quisque, meliora cōsectans, professione seipsum continentiam sive integritatis obstrinxerit, gravissime

^a Mss. Corb. et Vict., *Tale est autem.*

A delinquit, si sibi deinceps licere putat quod ante licitum fuerat. In talibus quippe rebus quod vovens Deo sibi admittit voluntas, nulla deinceps impune permittit usurpare necessitas; nec temerator voti excusationem justam suæ prævaricationis inveniet, quem pœno compulsi ut voveret.

14. Est plane aliquid discernendum inter votum virginis aut viduæ, et inter votum eorum qui tenentur vinculo conjugali. Nec enim tanta est vovendi licentia vel libertas viro sive mulieri potestatem sui corporis non habenti, quanta est viduæ cuilibet aut virgini : conjugata enim, vel conjugatæ, corporalis continentiam vovendæ facultas plena non suppetit, cuius corpus non in sua, sed in conjugis potestate consistit, secundum illud Apostoli dictum, quod supra posuimus : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* (I Cor. VII, 4). Non itaque sinitur absque conjugis voluntate continentiam assumere, cuius corpus non est in propria potestate : hoc enim quisque rectæ et firma devotione solus promittit, quod sui tantum juris esse cognoverit. ^a Tale est enim ut velit quisque corporis sui, quod est in conjugis potestate, continentiam profiteri, quale si quis de alterius substantia aut eleemosynam facere aut sacrificium conetur offerre : Deus autem noster (sicut ipse testatur) *diligit iustitiam, et odio habet rapinam in holocausta* (Isai. LXI, 8).

15. Illa itaque inter conjuges est continentiam certam promissio, quæ fuerit utriusque consensione firmata; quam cum vir et mulier sibi consentientes concordiam voluntate, tanquam sacrificium in odorem suavitatis, super altare fidei, Deo vero ac summo in templo sui cordis obtulerint, nec mulier ulterius in viri, nec vir in mulieris corpore, ad repositandum debitum conjugale potest habere legitimam potestatem. Sicut enim priusquam Deo simul voverent reprehensibilis fuit unius oblatio, quia legitimi consortis deerat assensus : ita cum pari obtulerit uterque consensu, quod est inseparabiliter ^b utriusque commune, non erit impunitus, si quis munus Deo voluntaria devotione oblatum, illicito crediderit opere temerandum.

CAP. VIII. *Qui non toto animo vovit, eo magis damnabilis est. De voto nihil licet retinere aut repetere.* —

16. Quod si forte quis non toto animo vovisse causetur, eo magis damnabilis erit, quod non simplex ad Deum, sed fictus accessit. 149 Scriptum est enim quia *Spiritus sanctus disciplinam effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu* (Sap. 1, 8). Alio quoque loco fictos sancta Scriptura sic increpat : *Væ duplici corde, et labiis sceleratis, et manibus malefacientibus, et peccatori ingredienti terram duabus viis* (Eccl. II, 14).

17. Quam sit autem malum, quamque sollicite fugiendum, si quis de hoc quod Deo voverit aut retinere aut repetere aliquid mortifera prævaricatione pertentet, exemplo sunt Ananias et Saphira, quos de pretio agri quamdam partem infideliter subtrahentes,

^b Ms. Coh., *utrique.*

non solum vox apostolica, tanquam divini juris per-vasores, increpavit (*al.* increpuit), sed etiam severitas justitiæ cælestis occidit. Beatus denique Petrus, non solum fraudis vitio memoratum Ananiam dixit obnoxium, quin etiam cor ejus a Satana pronuntiavit impletum, dicens: *Anania, cur implevit Satanas cor tuum mentiri te Spiritu sancto, ut fraudares de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, et venundatum in tua erat potestate? a Quid utique fecisti hoc? Non hominibus mentitus es, sed Deo (Act. v, 3, 4).* Si quis igitur rem Domino jam devotam carnali fructus illecebra crediderit denuo reposcendam, non est legitimus rei suæ possessor, sed divini juris pronuntiatur invasor. Nec immerito continentæ jam devotæ violator immundus audit, quod avarus pecuniæ fraudator audit.

CAP. IX. *Responsio ad interrogatâ ab initio epistolæ. Verecundiâ in actu conjugali servanda.* —

18. Proinde cuncta quæ superius disputata sunt, conscientiam vobis testimonium perhibente perpendite. Et, si quidem continentiam parâ vovistis assensu, tenorem vestræ dilectionis cum Dei timore servate: et si quando carnis infirmitas mentem pulsat, animus ad auxilium divini misericordis accurrat, nec cedat libidini, sed Deum tota humilitate fidelis exoret, et carnali desiderio militanti adversus animam non consentiat, sed repugnet. Si vero continentiam unquam vestrum sine alterius vovit assensu, temerarie se vovisse cognoscat, et debitum conjugii casta sinceritate redhibeat.

19. Verumptamen, ut omnia vestra honeste fiant, in redditione conjugalis debiti, sic infirmitatem carnis usus excipiat conjugalis, ut non caro libidini serviat, sed animi virtus adjuncta divinitus carnalis concupiscentiæ frenâ restringat. Negotium namque substituendæ proliâ ita debet a conjugibus peragi, ut subserviente verecundiâ dum se ad opus fecunditatis animus fidelis inclinat, modestiam simul naturalis honestatis, Deo adjuvante, custodiat: præcipue autem observandum est fidelibus conjugibus ut illa fugiant opera quæ divina severitas, et faciendâ prohibet, et facta condemnat. Hæc enim nec apostolica doctrinâ fidelibus insinuare cessavit, ut ad custodiendam vitæ bonæ regulam prudenter instrueret salubriterque terreret.

CAP. X. *Continentia a Deo omnibus est expectanda. De regimine familiæ, et educatione proliis. Regula profectus et perfectionis in conjugio.* —

20. Magnum itaque bonum est mulierem non tangere, quod debet omnis fidelis principaliter observare: propter fornicationes tamen, quisquis, sive conjugatus, sive a conjugio liber, si continentiam Deo non vovit, et seipsum ad implendam continentiam cernit invalidum (quamvis ubi plena fuerit continendi voluntas, et ab oratione atque 150 operibus bonis non destiterit vera cordis humilitas, ille qui dixit: *Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis (Matth. vii, 7);* quia veritas

est et mentiri non potest; et bene petenti det, et quærenti adventiones suas præparet, et bene pulsanti ipse aperiat, ut ad penetralia vitæ melioris introeat); tamen, si quis adhuc plus est de sua infirmitate sollicitus quam de Domini virtute securus, si continentiam non vovit carnis, contineat ab iniquitate, et sicut decet utatur uxore: malitiam atque avaritiam fugiat, et non condemnabitur (*al.* condemnatur), si conjugii debitum reddat: non sit ebriosus, non invidus, non contentiosus, non fictus, non malignus, non litigiosus, non superbus, non rapax, non avarus: quantum ad ipsum attinet, pacem habere cum omnibus quærat, perniciem non teneat, nulli detrahat, cum amicis fidem teneat, inimicis nunquam perfidus aut perjurus existat; aliena non rapiat,

B æquitati pecuniam non præponat; sit in negotiis justus, in operibus pius, mitis ad tolerandas, tardus ad retribuendas injurias; in fide stabilis, amator castitatis et pacis. Attendant Salvatoris nostri dictum, quo nobis, et quid faciamus præcipit, et quid accipiamus ostendit; ait enim: *Dimittite, et dimittetur vobis; date, et dabitur vobis (Luc. vi, 37).* Sit ergo quantum potest in eleemosynis largus et hilaris, et ad dimittendum peccantibus facilis ac suavis; nec tamen putet ita peccantibus veniam tribuendam, ut disciplinam suæ domus existimet negligendam, sed vigoris (*al.* rigoris) retinens clementiæque temperiem, servet in correptione modestiam, et in remissione censuram. Arguat, moneat, terreat, increpet, consoletur, oblectet; nec tantum faciat in subditis peccantibus quantum impetus furoris impellit, sed quantum modus consultationis exposcit; et si verberandus est pro peccato famulus, non ulciscendi libido prævaleat, sed æquitas Christiana potius illi clementer consulat quem flagellat; ac sic et quando justitia persequitur culpam, non desit misericordia, quæ modeste novit tenuare vindictam.

21. Nutriantur filii, secundum Apostoli præceptum, in disciplina et correptione Domini (*Ephes. vi, 4*), nec permittantur impudice aut luxuriose vivere, cum non lasciviæ, sed castitati ac temperantiæ proles debeat Christiana servire. Neque enim et de malis operibus filiorum non erit in illa terribili examinatione parentum negligentia judicanda, cum et in hoc sæculo propterea Heli sacerdos (*I Reg. ii, 3*) a Domino reprobatus fuerit et abjectus, non quia filiis in iniquitate consensit, sed quia peccantes mansuetos quamvis sermone monuerit, prohibere tamen competentem severitate cessavit. Magis autem parentes qui vere diligunt filios, bene operando eis consulant, quam divitias colligendo; ne dum filiis tenaciter substantia colligitur, opportunitas boni operis omittatur.

22. Præ omnibus autem fideles meminerint conjugati semper orationibus atque eleemosynis insistendum; nec velint jugiter in ipsa carnis infirmitate jacere, sed festinent gradum vitæ potioris ascendere. Et ut ad virtutem continentie perveniat animus, magis magisque carnalis concupiscentiæ com-

^a Ita ms. Corb. At editi Colon., Ant. et Basil., *Qui utique fecisti hoc, non es, etc.*

^b Ms. Victor, *gaudium.*

primatur excessus : ut dum, Deo adjuvante, illum A superaverint gradum, in quo conjugalis infirmitas veniam postulat, celsiorem 151 possint laudabiliter obtinere, in quo continentiae virtus palmam vitae melioris exspectat.

EPISTOLA II.

AD GALLAM VIDUAM.

De Consolatione super morte mariti, et de statu viduarum.

Dominæ vere illustri et in Christi timore venerabili filiae GALLÆ^a FULGENTIIUS, servorum Christi famulus, in Domino salutem.

CAPUT PRIMUM. *Consolatio Gallæ de morte mariti juvenis. Laus mariti defuncti.* — 1. Ante menses aliquot diaconi mei ex urbe remeantis certa narratione comperi, non solum tui conjugis obitum, verum etiam sanctum propositi tui tramitem, in quo jam ambulabas, illo deducente qui est *via, veritas et vita* (Joan. xiv, 6), qui fidelibus suis novit per momentaneam tristitiam donum sempiternæ largiri lætitiæ, et quos vult salubriter de terrenis ad cœlestia, paternæ benignitatis dispensatione, transferre.

2. Neque enim frustra Dominus, cujus incomprehensibilia judicia et investigabiles vias apostolus prædicat Paulus (Rom. xi, 33), conjugem tuam religione sincera (al. sincere) fidelem, corde humilem, moribus mitem, operibus misericordem, conversatione penitus innocentem, ætate juvenem, de peregrinatione hujus vitæ ad æternam cœlestis patriæ celeriter transtulit mansionem, nisi ut, et illi gaudia æterna cœferret, et tibi facultatem melius vivendi concederet. Illi donavit ut corpore^b spoliatus sit cum Christo sine fine victurus; tibi donavit ut quæ sunt Domini^c cogites et, secundum apostoli Pauli sermonem, sis sancta, et corpore et spiritu. Proinde sine dubitatione crede quod divinitus dicitur, et cum dilectione spera quod promittitur, ut possis bene facere quod jubetur.

CAP. II. *Non debent Christiani de mortuis contristari, sicut cæteri qui spem non habent. Duplex tristitia.*

— 3. Primo igitur de mariti morte per apostolum Paulum quid debeas fideliter tenere cognosce; ait enim: *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quod Jesus mortuus est, et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum adducet cum eo* (I Thess. iv, 13, 14). Si ergo veræ fidei tenaces sumus, si de sermonibus Dei nihil ambigimus, si ad futuram vitam spe certissima tendimus, si digne Deum proximūque diligimus, si non ab hominibus inanem, sed a Deo veram gloriam Christiani nominis exspectamus, non debemus utique de fidelibus mortuis, et, ut proprie dicam, de dormientibus nostris, aliquam, sicut infideles, habere tristitiam. Salubris etenim 152 noxiæque tristitiæ debet in corde nostro manere discretio qua fit ut

nec de amissione solatii temporalis concidat animus æternis rebus deditus, et de his salubrem tristitiam sumat, in quibus se aut minus aliquid aut secus quam oportuit fecisse considerat. Propter quod Paulus utramque tristitiam non minus opere docet quam^d retributione discretam. Denique in una salutis proventum, in altera mortis positum demonstrat exitium dicens: *Quæ enim secundum Deum est tristitia penitentiam in salutem stabilem operatur; sæculi autem tristitia mortem operatur* (I Cor. vii, 40).

4. Ne igitur ultra fidei Christianæ modum, indiscretam teneas de mariti morte tristitiam, nec amissum existimes, sed præmissum (al. promissum), nec ipsius juventutem putes immature præcisam, quam interminabili vides æternitate firmatam. Fideli quippe animæ dicitur: *Renovabitur sicut aquilæ juvenus tua* (Psal. cxv, 5).

CAP. III. *Fideles non aufert atra dies. Dies magnitudinis Christi, dies est extremi judicii.* — 5. Absit autem ut infidelium consentientes erroribus, æstimemus aut dicamus quia illum juvenem Christianum

Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.
(Vinc. Æneid. vi, 428.)

Illos namque atra dies aufert qui, secundum Joannis apostoli dictum, in tenebris sunt, et in tenebris ambulat, et nesciunt ubi ambulant, quia tenebræ obcæcaverunt oculos eorum (I Joan. ii, 11). Illos abstulit atra dies quos ipsa lux vera vehementer objurgans: *Hoc est autem, inquit, judicium, quia lux in mundum venit, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, erant enim eorum mala opera* (Joan. iii, 19). Tales sunt qui sic vivunt, ut cum audierint vocem Filii Dei, non ad vitam, sed ad judicium suscitentur, dicente Domino: *Quia veniet hora, quando omnes qui in monumentis sunt audient vocem ejus; et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (Joan. v, 28, 29). Et quia his nec brevis vita potest prodesse nec longa, consequenter de talibus in libro Sapientiæ dicitur: *Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, et sine honore erit novissima senectus illorum. Et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die magnitudinis allocutionem* (Sap. iii, 17).

6. Quæ est autem dies magnitudinis, nisi dies in qua non judicandus, sed judicaturus veniet Dominus? Nunc enim cum venit, ut pro nobis judicaretur, non fuit dies magnitudinis, sed minorationis, in qua minoratus est paulo minus ab angelis; tunc autem erit dies magnitudinis, quando, secundum Joannis attestationem, omnes mali abscondi cupient in cavernis montium, dicentes montibus et petris: *Cadite super nos, et abscondite nos a conspectu Patris sedentis super thronum, et ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ illorum: et quis poterit stare* (Apoc. vi, 16)? In hac die magnitudinis mali non habebunt allocutionem, sed increpationem; non enim audient: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis par-*

gites.

^d Ita ms. Corb. et Victor. nec non Ant. Colon. vero et Basil. habent *retributionem*.

^a Abest Fulgentius ab editis; legitur in ms. Corb.

^b Ms. Corb., *dissolutus*.

^c Ita mss. Corb. et Victor., at editi habent *co-*

raturus est a constitutione mundi (Matth. xv, 34); sed dicetur eis: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paraturus est diabolo et angelis ejus* (Matth. xxv, 41). Tales igitur, quantumlibet longævi moriantur, acerbo funere demerguntur, et quamvis ætas eorum matura videatur in corpore, **153** mortifera tamen mundi dilectio immaturæ mentis acerbiter retentat in corde.

CAP. IV. *Bonus Christianus, etsi juvenis, non mergitur funere acerbo. Non vita longa prodest, sed bona.* — 7. Christianus autem qui in timore Dei vixerit, quacunque fuerit defunctus ætate corporis, non acerbo funere mergitur, sed placita Deo subnixus maturitate transfertur. Legimus namque in eodem Sapientie libro: *Quia senectus honorabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata: cani sunt autem senes hominis, et ætas senectutis, vita immaculata; quæ placita Deo facta, dilecta est* (Sap. iv, 8). Denique in subsequentibus bene viventem quemdam Deoque placitum ob hoc raptum celeriter dicit, ut nullam mutationem perferret malitiæ sæcularis, nec anima ejus aliqua foret fictione (al. fatigatione) decepta. Sic ergo dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret illius intellectum, aut ne fictio deciperet animam illius: fasciatio autem (al. enim) nugacitatis obscurat bona, et instantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia; consummatus autem in brevi replevit tempora longa. Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc prope- ravit de media iniquitate illum educere* (Ibid., 11, 12, 13, 14). His nempe verbis sancta Scriptura nos docet in hoc sæculo Christianis fidelibus non vitam longam prodesse, sed bonam; et ad cognoscendum, quantum possibile est, cujuslibet defuncti meritum, non quantum dixerit, sed qualiter quisque vixerit intendendum. Sicut enim vita mala, quanto magis fuerit temporaliter prolongata, tanto magis delinquentibus multiplicat pœnam: sic vita bona, quamvis hic brevi tempore terminata, magnam sempiternamque conquirat bene viventibus gloriam. Vita igitur mala immaturos acerbosque senes demergit in tartarum, vita vero bona defunctos juvenes maturos perducit ad regnum.

CAP. V. *Vidua debet esse sollicita ut sanota sit et corpore et spiritu. Sancta sunt Christianorum conjugia.* — 8. Non ergo sis tristis, quod te ille præcesserit diebus paucis, sed esto sollicita, et sic viam mortalis hujus vitæ perage, ut ad æternam vitam valeas pervenire. Proinde apostolici te oportet indesinenter meminisse sermonis, quo ait: *Mulier innupta et virgo sollicita est quæ sunt Domini, ut sit sancta et corpore et spiritu* (I Cor. vii, 34). Innuptam hic viduam dicit, non quia omnino non nupserit, sed quia viro mortuo soluta fuerit vinculo nuptiali. De qua alio loco dicit: *Si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri* (Rom. vii, 2). Hanc ergo sanctam jubet esse, et corpore, et spiritu. Quid autem aliud est corpore et spiritu sanctam esse, nisi quod sanctum est, et in opere, et in cogitatione servare? Etenim

A quæ mundi sunt illa cogitare permittitur quæ corporali vincula^a connubio detinetur, eodem apostolo dicente: *Quæ autem nuptia est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro* (I Cor. vii, 34). Illic est ergo mundanæ cogitationis subeunda necessitas, ubi mortalis caro morituro carnaliter nubit. Et quia illos ipsa carnis necessitas durioribus vinculis tenet innoxos, propter hoc de illis Apostolus dicit: *Tribulationem autem carnis habebunt hujusmodi* (Ibid., 28). Mulier ergo innupta, id est vidua, cui præcipitur ut sit sancta, et corpore et spiritu, sicut corpore desistit (al. desiiit) marito servire, sic non debet corde carnalia cogitare.

B 9. Sancta quidem sunt Christianorum conjugia: quia et conjugalis ibi castitas custoditur in corpore, et puritas fidei servatur in corde. **154** Nam et apostolica dicit auctoritas: *Honorable connubium in omnibus, et thorus immaculatus* (Hebr. xiii, 4). Non est ergo connubium ex colluvione peccati, sed ex institutione Dei: et in eo quod sibi conjuges invicem carnis debitum reddunt, in quantum id modeste faciunt, Christi præcepta custodiunt, quia nullatenus a conjugali caritate et castitate discedunt. Exsecratur autem adulterinos concubitus castitas conjugalis, et honestatis ac verecundiæ tenax, ab una unus, et ab uno una expetit, quod uterque se uni tantum legitime debere cognoscit. Illic quidem carnis debitum redditur viro: conjugalis autem castitas magis debetur Christo quam viro, quia et corpus tunc vere castum est, quod fornicatione carnali non polluitur, quando spiritalis integritas Christi timore ac dilectione servatur.

C CAP. VI. *Innupta in altiori gradu est quam nupta.* — 10. Attamen a muliere nupta mulier innupta et virgo non parva gradus dignitate discernitur, quandoquidem nupta cogitationibus mundanis tenetur obstricta, mulier autem innupta et virgo carnalibus tribulationibus non subjicitur, quia carnalis matrimonii vinculo non tenetur. Ibi (al. ubi) certior est corporalis atque spiritalis continentiae libertas, quia nulla est ex conjugali servitute necessitas. Utrumque igitur (al. enim) donum Dei est, et conjugalis pudicitia, et continentia vidualis: *Unusquisque enim proprium habet donum a Deo* (al. ex Deo) (I Cor. vii, 7); et illud quidem, quantum in se est, laudabile, quia bonum; hoc autem laudabilius, quia melius. Conjugali namque servitute; turpitudine vincitur fornicationis; viduali vero libertate crescit dignitas castitatis. Illic fides consulit infirmitati, ne cadat in vitium; hic se fidelis animus ad virtutis extendit augmentum. De conjugatis enim dicitur: *Propter fornicationes (al. fornicationem) autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat* (I Cor. vii, 2). De vidua vero dicitur: *Beatior autem erit si sic permanserit* (Ibid., 40). Beata ergo quæ illicitum concubitus, turpitudinis horrore, non appetit; sed beatior quæ licitum, majore puritatis amore, contemnit. Beata quæ alligata viro sic vivit, ut soli viro carnis

^a Mss. Corb. et Victor., *juncta*.

suae debitum reddat : sed beatorum quae soluta sic permanet innupta, ne debeat.

CAP. VII. *Consolatio viduae.* — 11. Profunde in eo quod ex conjugata facta es vidua, donum Dei auctum tibi magis existima, non ablatum : neque enim te deseruit, qui tibi sequendam viam vitae melioris ostendit. Gradibus te voluit Dominus ad meliora conscendere, ut primitus (al. prius) conjugata cum uno viro fideliter viveres, quo postmodum sine difficultate absque viro vidua permaneres. Ad hoc igitur animum tuum divina gratia conjugali castitate nutrit, ut quae didiceras illo uno vivente alterum non quaerere, disceres ab omni viro vidua continere. Noli ergo negligere gratiam quae in te est : et tu enim nosti quanto melius sit iugiter a concubitu continere, quam vel pro conjugali necessitate concumbere. Maritus qui tibi datus fuerat ad tempus, discessit in tempore : datus enim tibi fuerat, non ad patriae beatitudinem, sed ad itineris consolationem.

12. Alia quippe sunt Dei dona, quae Deus ita suis largitur fidelibus in praesenti tempore, ut eorum usus in hac tantum vita necessarius habeatur, quo futurae vitae meritum comparetur ; sicut est credulitas rectam **155** fidem ^a tenens, et operatio iustitiam misericordiamque custodiens : ut fides recta non deseratur caritatis auxilio, quae in operatione cognoscitur : propter quod Apostolus eam fidem probat quae per dilectionem operatur (Galat. v, 6).

CAP. VIII. *Fides et operatio misericors in hac vita necessaria sunt, in patria non erunt.* — 13. Recta igitur fides et misericors operatio post hanc vitam desinent, cum per speciem videbitur, quod nunc cum creditur non videtur ; nec inter beatos erit aliquis miser, cui misericordia praeergetur. Haec autem duo, id est fides et operatio, ita post huius vitae finem non sunt necessaria, ut ante finem non sint ullatenus deserenda. Quisquis enim ante finem vitae praesentis a fide recta sive bona operatione discesserit, etiamsi in his antea strenue vigilanterque cucurrerit, pro eo quod ab itinere recto desisit, perdit meritum totius itineris quod cucurrit.

14. Item sunt alia quae sic hominibus in hoc tempore pietas divina largitur, ut non solum in hac vita cum hominibus debeant ^b manere continua, verum etiam crescant in retributione divina : sicut est peccatorum mundatio, veritatis agnitio, Dei proximitate dilectio. Haec enim si quis in hoc tempore perseveranter in se custodierit, et divino munere proficiendo augere curaverit inchoata, in futuro habebit aeterna secum perfectione mansura. Tunc enim perfecta mundatio perfectam cognitionem veritatis accipiet, et perfecta cognitio nihil in nobis perfectae caritatis (al. caritati) deesse permittet.

CAP. IX. *Aliqua temporaliter et dantur et auferuntur a Deo. Exemplum Job. Dives et Lazarus, hic beatus, ille miser.* — 15. Alia vero sunt quae sic a Deo temporaliter donantur (al. dantur), ut temporaliter

A auferantur : sicut est copulatio conjugum, procreatio filiorum, abundantia divitiarum, incolumitas corporum, et si quae sunt similia ; quae per se nec miseros homines possunt facere, nec beatos. Ideo haec et bonis et malis a Domino dantur, et nonnunquam bonis malisque divinitus auferuntur.

16. Beatus fuit Job cum in divitiis iuste viveret ; sed beatorum cum in paupertate iustior existisset. Beatus fuit cum decem circumdaretur filiis, sed beatorum cum una sanctorum simul orbitate percussus, in Dei dilectione permansit immobilis. Beatus etiam fuit in corporis sospitate, sed beatorum est factus in vulnere. Beatorum etiam in aervo squaloribus plenus quam in palatio marmoribus ornato.

17. Attende etiam duos, unum in divitiis et sanitate miserum, alterum in egestate et vulnere multum beatum. Dives ille qui *induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide* (Luc. xvi, 19), quam inanis fuit in illis epulis, quam pauper in multitudine divitiarum, quam nudus in pulchritudine vestium, quam infirmus in sanitate corporis, quam famelicus in saturitate ventris, quam miser in gaudiis, quam desolatus inter amicorum colloquia, quam dejectus inter obsequia servulorum ! Attende quoque Lazarum in paupertate divitem, in miseria beatum, in infelicitate felicem, in vulneribus sanum, et quidem ^c sine domo, sed non sine domino ; sine veste, sed non sine fide ; sine **156** bona valetudine corporis, sed non sine robore caritatis ; sine cibo, sed non sine Christo ; canibus expositum, sed socium angelorum, qui non accipiebat de micis quae cadebant de mensa divitis, sed caelestem (al. caelestium) panem visceribus ructabat internis.

CAP. X. *Bona temporalia, et bene, et male habentur, praeiter et contemnuntur.* — 18. Haec sunt igitur quae nonnunquam bene habentur, nonnunquam male ; nonnunquam bene contemnuntur, nonnunquam male. Bene quippe habentur, cum in eorum usu timor Dei servatur ; bene autem contemnuntur, cum in eorum contemptu a summo Deo gloria, non ab hominibus, quaeritur.

19. Tales sunt etiam nuptiae, quae et bene suscipi possunt, et bene contemni. Quam bene nuptiarum opus in castitate conjugali Susanna servavit ! quam melius in continentia viduali Judith atque Anna contempsit ! quam optime in integritate virginali Maria nescivit !

20. Non est igitur inter praecipua Dei dona conjugium aestimandum, licet non negetur donum esse divinum ; nec est dicendum beatitudinis munus, quod cum bono possit proposito teneri, potest etiam proposito meliore contemni. Nam si hoc inter praecipua Dei dona aestimari oporteret, non ore Salvatoris nostri laudarentur, qui se ipsos castraverunt propter regnum caelorum (Matth. xix, 12) ; nec pro se patrem, matrem, fratres, sorores, uxorem, filios, agros, reliqui Salvator ipse cum centupla retributionis et vitae

^a Ita mss. Corb. et Ant. Colon. vero, *rectam vitam*. Basil., *rectam viam*.

^b Ita mss. Corb. et Vict. Basil. vero, *maneant*

^c Ms. Corb., *Equidem*.

æternæ promissione juberet, dicens: *Omnia qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (Matth. xix, 29). Hoc autem dicens Christus, non divortium fieri jussit, sed justa discretionem, quamvis Dei munera, tamen temporalia æternis, caduca permanentibus, parva magnis, a suis fidelibus postponenda monstravit. Non damnat bona, sed plus laudat meliora; illa non odit, sed ista plus diligit. Illorum enim sive adeptio, sive amissio, non est retributio fidei, sed probatio.

CAP. XI. *Fides non temporalibus, sed æternis debet esse intenta. Vidua ne sit cogitationibus mundanis imollicita. Ornatus et habitus viduarum.* — 21. Fides autem nostra non temporalibus, sed æternis esse debet. Propter quod Vas electionis, ad tolerantiam nos præsentis tribulationis exhortans, præcipit ut a contemplatione temporalium rerum cordis nostri penitus avertamus obtutum, dicens: *Id enim quod in præsentem est momentaneum et leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum (al. æternæ) gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt* (II Cor. iv, 17, 18).

22. Ambula igitur, sicut scriptum est, *de virtute in virtutem* (Psal. lxxxiii, 8), et animus tuus ab intentione temporalium ad contemplationem transeat æternorum, transiensque a virtute conjugalis pudicitie ad potiore virtutem continentie viduall, non minore continentia cordis prædita debes esse quam corporis, et post obitum temporalis mariti omnes in corde tuo reliquias debent mundanæ cogitationis exstingui.

23. Cur enim vidua Christiana gerat animum vinculo cujusquam mundanæ cogitationis innexum, quæ, mortuo viro, mundum debet æstimare commortuum? Causa igitur mundanæ cogitationis desistente, debet ipsa quoque cogitatio mundana cessare; et sicut antea corporaliter ornabaris viro, qui delectaretur specie corporis, ita nunc spiritaliter ornanda es Christo, qui solam in te quærit pulchritudinem mentis.

24. Attende quid beatus Petrus etiam conjugatis mulieribus mandet, quibus exterioris habitus interdictum ornatum, hæc loquens: *Mulieres subditæ sint viris suis, ut si qui non credunt verbo Dei, per uxorum suarum conversationem, sine verbo lucrificentur, considerantes vestram in timore castam conversationem; qua insit non extrinsecus capillorum implicatio, aut auri circumpositio, aut in habitu vestimentorum ornatus, sed ille absconditus cordis homo in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est ante Deum locuples* (I Petr. iii, 1, 2, 3, 4). Hoc præceptum beatus apostolus sanctarum mulierum firmavit exemplo, di-

cens: *Sic enim et aliquando mulieres sanctæ, quæ sperabant in Deum, ornabant se, subjectæ viris suis* (Ibid., 5).

CAP. XII. *Sanctæ mulieres non monilibus, sed moribus sint ornatæ. Officium viduæ adherere Deo, et instare orationibus.* — 25. Si ergo sanctæ mulieres, etiam conjugatæ, non sunt monilibus commendandæ^b, sed moribus, et magis humilitate debent ornari quam veste, qualis debet esse viduæ habitus et incessus, quæ non homini viro cupit placere, sed Christo? quæ necessitate corporalis absoluta concubii, spiritalia tantum debet ornamenta sectari? Habitue ergo tuus talis sit, qui non ad lasciviam excitet, sed ad continentiam provocet; qui non illicitat ad libidinem, sed comprimat ad timorem; qui non accendat carnis concupiscentiam, sed exstinguat; qui non illicitat ad concubitum, sed excitet ad profectum; ex quo cordis compunctio, non carnis libido nascatur; unde Filio Dei placeas, unde te vere castam obtutui (al. obtutu) sponsi cælestis ostendas. Ille enim sponsus carnem tuam maceratam vult videre, non nitidam; animæ concubio utitur, nec carnis, sed animæ pulchritudine delectatur. Quocirca castigatione corporis acquire pulchritudinem cordis: vilibus caro tegatur operimentis, et pretiosis anima vestibus induatur; nec quæras ut placeas oculis hominum, sed ut Christi non offendas aspectum. Ille in te quod diligit videat, quod dedit inveniat, quod delectatur agnoscat. *Concupivit enim rex speciem tuam; sed omnis gloria filie regis intrinsecus* (Psal. xlv, 12, 14).

26. Transiit tempus amplectendi, nunc tempus est longe fieri ab amplexu. Adhæreant viris quæ conjugali vinculo tenentur astrictæ: tibi dicendum est cum propheta: *Mihi autem adherere Deo bonum est; ponere in Deo spem meam* (Psal. lxxii, 28). Unde et Apostolus ait: *Quæ autem vere vidua est et desolata, speravit in Domino, et instat obsecrationibus et orationibus nocte et die* (I Tim. v, 5). Oratio ergo tibi sit in postulatione crebra, in sancta vero cogitatione atque operatione continua. Sic enim poteris implere quod Apostolus jubet (I Thess. v, 16), ut sine intermissione oremus. Oratio namque est in conspecta Dei omne opus bonum, quo delectatur nihil indigens Deus. Et ut agnoscamus bona opera locum orationis apud Deum habere, Scriptura nos sancta sic admonet: *Abconde eleemosynam in corde pauperis, et ipsa exorabit pro te* (Eccli. ii, 15).

158 CAP. XIII. *Qualiter in cibo et convivio se gerat vidua.* — 27. Cave ne carnis curam in desideris facias, ne semper gula quod poscit indulgeas: refectione tua non voluptas expleatur, sed sustentetur infirmitas. Tales autem convivii debes habere participes, quæ non carnis solent delicias laudare, sed cordis, quæ angelorum panem interioris hominis aviditate perquirunt, quæ post sponsum tuum in odore

^a Sic Colon. et Basil.; ms. Corb. vero habet *qua sit, non*, etc. Antwerp. vero, *quarum non ait*, et juxta Græcum Apostoli textum, *ὅν ἴσται οὐκ ἔθεωσαν*.

^b Ita ms. Vict. et Basil.; et Colon. et Ant., *non sunt monilibus comendæ*.

^c Basil. *illicitat*. Mss. Corb. et Victor., *illicite*.

^d Ita editi omnes juxta Græcum Apostoli textum *ἠλπικαυ*. Mss. Thuan. et Vict., *sperat*; ms. Corb., *sperabit*.

unguentorum ejus currunt, quæ suavitate Deum gustus interioris percipiunt, quæ puro affectu esuriunt, sitiuntque justitiam; quæ operantur cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Cum talibus et colloquia tibi conserenda, et frequentanda convivia; ut cum eas cibis corporalibus pascis, ad meritum tibi sanctæ operationis accedat; et cum earum verbis spiritalibus pascaris, profectus tibi sanctæ conversationis accrescat, nec velis talibus nunc mensam tuam replere deliciis, qualibus eam replebas, quando carnali connubio serviebas. Audi Magistrum gentium, quid de vidua dicat: *Quæ in deliciis est, inquit, vivens mortua est* (I Tim. v, 6).

CAP. XIV. *Exempla viduarum Judith et Annæ.*—28. Habes et in Veteri et in Novo Testamento sanctarum viduarum quibus ædificeris exempla. In Veteri Testamento, Judith; Anna consideretur in Novo: quarum si, Domino adjuvante, imitatrix fueris, et delicias carnis, et jactantiam sæcularem a vera cordis humilitate calcabis, ut illius in te sponsi semper vivat affectus, qui semper est vivus: sicut, eodem resurgente, vocis angelicæ attestazione firmatur, cum mulieribus dicitur: *Quid queritis viventem cum mortuis* (Luc. xxiv, 5)? De quo etiam apostolica sic auctoritas loquitur: *Vivus est enim sermo Dei, et efficax* (Hebr. iv, 12). Vivus est ergo ille qui est Verbum Patris; et ideo ipse est fidelium vita. Hunc sanctæ viduæ cordis contritione et corporis castigatione quæsierunt, huic cordis et corporis plena continentia devotissime servierunt.

29. De Judith enim scriptum est: *Et erat Judith in domo sua vidua annis tribus et mensibus quatuor; et fecit sibi tabernaculum super solarium domus suæ, et imposuit super lumbos suos cilicium, et erant super eam vestimenta viduitatis suæ, et jejunabat Judith omnibus diebus viduitatis suæ* (Judith viii, 4, 5). Ac, ne quis illam sanctam viduam non devotione cordis, sed necessitate paupertatis existimet jejunasse, audi quid de ea in subsequentibus dicitur: *Et erat Judith bona (al. pulchra) aspectu, et formosa facie valde, et prudens corde, et bona intellectu, et erat honesta valde. Quia reliquerat ei Manasses vir ejus, filius Achitob, filii Melchis, filii Heliab, filii Nathahel, filii Surisoda, filii Simeon, filii Israel, aurum et argentum, servos et ancillas, et pecora et prædia* (Ibid., 7, 8). Ecce vidua præclara natalibus, facultatibus dives, ætate juvenis, specie mirabilis, divitias contempsit, delicias respuit, carnis incentiva calcavit, et induta virtute ex alto, non quæsivit secundo famulari connubio. Propterea testimonio tam præclari operis apparuit, quantum Deo dilecta sit continentia vidualis. Denique cum Holofernes innumero Bethuliam obsedisset exercitu, et omnis Israelitarum virtus perturbata languesceret, egreditur castitas oppugnatura lasciviam, et ad interitum superbiæ humilitas sancta procedit. Ille pugnabat armis, ista Jejunii; ille ebrietate, ista ora-

tionem. Igitur quod omnis Israelitarum populus facere non potuit, sancta vidua castitatis virtute perfecit. Obtruncavit una mulier tanti agminis ducem, et in-speratam Dei populo reddidit libertatem.

CAP. XV. *Laudes Annæ. Comparatio Judith et Annæ.*—30. Videamus et in Novo Testamento qualiter nobis sanctæ Annæ conversatio demonstratur. De qua sanctus Lucas sic refert: *Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser; et hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. Et hæc vidua usque ad annos octuaginta quatuor, quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte et die* (Luc. ii, 37). Istæ duæ viduæ, licet tempore fuerint diverso, unius tamen fidei servierunt ambæ mysterio; quia Christum, quem Anna cognovit in carne natum, ipsum Judith noverat nasciturum. Quam vero multum Deus in utraque vidua continentiam sibi placitam demonstravit! Nam et Judith spiritalibus, armis accincta, caput lascivi prædonis absceidit; Anna vero ipsum caput Ecclesiæ Spiritu sancto repleta coglovit. Datus est Judith Holofernis interitus; Annæ revelatus est Salvatoris adventus. Illi Deus dedit a populo repellere pestilentiam; huic tribuit humani generis agnoscere medicinam. Et quia sanctimoniam virginalem vidualis continentia gradu inferiore subsequitur, idcirco postquam de virgine natus est Filius Dei, vidualis linguæ dignatus est officio prædicari. Nec tamen de illo locuta est vidua deliciis dedita, quæ vivens mortua est, sed quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die.

CAP. XVI. *Laudes Probæ, quæ erat soror Gallæ. Gallæ nobilitas. Distribuendum pauperibus quod subtrahitur apparatus.*—31. De quibus jejuniis et obsecrationibus non est nunc latius disserendi locus. Disponimus enim (si Dominus voluerit, et si vixerimus) ad sororem tuam sanctam Christi virginem Probam, quam Dominus hoc tempore præcipuum in urbe Roma dare dignatus est virginitatis et humilitatis exemplar, de jejunio et oratione aliquid scribere, sicut in epistola quam ad eam nuper dedi mea pollicitatio continetur, cujus tibi præcipue sancta conversatio est in omnibus imitanda: quæ cum sit avis atavisque nata consulibus, et deliciis regalibus enutrita, tanta illi est humilitas dono gratiæ cœlestis infusa, ut amore subjectionis, et usu serviendi, dominam se aliquando fuisse jam nesciat, cum omnes dominos habere, delectatione sanctæ servitutis, affectat. Scit enim a Domino, cui virginitatem vovit et cordis et corporis, pro liberatione nostra humilitatem formæ servilis acceptam: et ob hoc delectatur sponso in hujus servitutis humilitate placere, ut consortio quinque sapientum virginum deputata, cum sponso possit in æterna claritate regnare. Delicias vero corporis quanta virtute contempserit, et quo-

^a Ms. Corb., jactantiam sæcularium.

^b Ita ms. Corb. et Ant., in intellectu. Colon. et Basil., bona intellectu.

^c Ms. Vict., edidi.

^d Mss. Corb. et Vict., dominas.

^e Ms. Corb., hujus servitutis humilitate. Editi habent in.

modo suam famem satiandis faciat deservire pauperibus, nec ob aliud ipsa vilibus tegatur indumentis, nisi ut et humilitatis propositum impleat, et vestiendis pauperibus jugem curam sanctæ pietatis impendat, **160** plenius ipsa videndo cognoscis, quam ut id a me velis audire, quod minus possum sermonibus explicare.

32. Hanc ergo tibi tanquam speculum pone, et ex ipsius consideratione, quid tibi jam insit, vel quid adhuc desit, sanctorum studiorum operumque cognosce; et licet illa egregio præcellat virginitatis munere, comitem te debet in cæteris habere virtutibus. Disce igitur tu quoque nihil tibi de nobilitate generis assignare. Et licet avo, patre, socero, marito consilibus pridem fueris inter sæculares illustris, nunc in eo te illustrem fieri cognosce, in quo tibi virtus humilitatis accrescit. Disce a Domino quia mitis et humilis corde, et invenies requiem animæ tuæ (*Matth. xi, 29*). Nobilitatem carnis, quæ superbiæ fomes est, abjice, et nobilitatem spiritus perfecta cordis humilitate sectare. Orationibus operam da, jejuniis insta, et quidquid tuis apparatus subtrahis, esurientibus tribue; et quidquid tibi diducis, egenis expende; voluntarium jejunium tuum esurientem sublevet jejunantium, ut in fructu misericordiæ tuorum possit juniorum secunditas apparere. Prosit etiam tibi vilitas vestium, et pauperum, per te nuditas vestiatur: tunc enim utiliter fugies noxium pretiosæ vestis ornatum, si nudos vestias; ut vere consortem te pauperum Christi, non inanitate verborum, nec ostentatione fallaci, sed testimonio sanctæ operationis edoceas.

CAP. XVII. Fugienda jactantia in operibus bonis. — 33. Nec te illis quos pascis aut vestis superiorem credas, aut, pro eo quod tu tribuis et illi accipiunt, merita tua Christi pauperibus anteponas, tanquam tu ideo potior sis, quod plura contempseris. Frustra enim contemnis facultates tuas, si noxias jactantiæ teneas in corde divitias: non enim illi soli peccant qui, pro divitiis quas habent, aliquam gestant in corde jactantiam; imo gravius delinquant qui volunt jactantiam cordis de divitiis habere contemptis, aut qui se propterea volunt pauperibus præponere, eo quod plura videantur pauperibus erogare. Non autem idem ordo est apud Deum, qui non quantitatem contemptæ facultatis, sed qualitatem voluntatis attendit. Plures divitias pauperibus pro Christo dicitur expendisse Zachæus, pro quo vilissima piscatoriæ artis instrumenta Petrus reliquit apostolus; et tamen a Christo, non Zachæus dives pauperi Petro, sed pauper Petrus diviti Zachæo præponitur, ut divitiis Christi nulla de contemptis divitiis jactantia nasceretur.

CAP. XVIII. Non thesaurizandum in terra, sed in celo. — 34. Absit autem ut aliquid tibi thesaurizes in terra, in qua non es carnis filius relictura; cum etiam illi qui ex carne filios habent non sine peccato thesaurizare sibi delectentur in sæculo. Cunctos enim fideles uno Salvator noster dignatur admonere

A sermone dicens: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tineæ exterminat, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis in celo, ubi neque ærugo neque tineæ exterminat, et ubi fures non effodiunt nec furantur* (*Matth. vi, 19, 20*). Multum metuenda est illa increpatio Domini, quam stultus dives illico moriturus audivit: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti curus erunt* (*Luc. xii, 20*)? Omnes ergo divitias **161** tuas ad Christum præmitte; in celo tibi thesaurum reconde, quem perdere non possis, et in æternum valeas possidere.

CAP. XIX. Fugienda laus hominum, ut Deus laudetur in nobis. — 35. In omnibus autem operibus bonis, cave ne laudis humanæ desiderio ventileris. Laudari quippe ^b in bonis operibus debes, sed in eo quod operaris, hominum laudes expectare non debes. Laudet te quidem humana lingua, sed tu laudem a solo Deo desidera. Atque ita fiet ut, dum tu laudem ab hominibus non quæsieris, Deus laudetur in operibus tuis. Memento qualiter nobis Dominus interdicat ne justitiam nostram laudis humanæ faciamus obtentu, dicens: *Attendite ne faciatis justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cælis est* (*Matth. vi, 1*). Verumtamen ipse rursus ait: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videntes vestra bona opera, glorificent Patrem vestrum qui in cælis est* (*Matth. v, 16*). Cum ergo dicit ut attendamus ne faciamus justitiam nostram coram hominibus, ut videamur ab eis, et iterum jubet ut lux nostra luceat coram hominibus, nunquid contraria præcepit? Absit; sed sic jubet opera bona fieri, ut non nos ipsos, sed Deum velimus in nostra operatione laudari. Nam et Apostolus in suis operibus gloriam humanam vitabat, sed divinam gloriam quærebat. Propter quod dicit, Thessalonicensibus scribens: *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione avaritiæ, Deus testis est; nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis* (*I Thess. ii, 5*). Et tamen idem, in suæ conversationis auditu, Deum ab Ecclesiis glorificatum, cum exultatione sic memorat: *Eram aliquando ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo; tantum autem auditum habebant, quia qui persequeretur nos aliquando, nunc evangelizat fidem quam aliquando expugnabat; et in me glorificabant Deum* (*Gal. i, 22, 23*). Proinde manus quidem ab opere bono non desinat, nec tamen animus ita operetur, ut merces boni operis, humanæ laudis intentione cassetur. Apostolus enim, sicut ipse testatur, vult ut simus sinceri et sine offensa in diem Christi, repleti fructu justitiæ, per Jesum Christum, in gloriam et laudem Dei (*Philip. i, 10, 11*).

CAP. XX. Bonum opus non virtuti propriæ, sed gratiæ Dei attribuendum. — 36. In studio ergo bonorum operum et laudis humanæ contemptu, cave ne ho-

^a Ita ms. Corb., Colon. et Ant. Basil. vero, repetunt.

^b Ms. Corb., Laudari quidem. Editi, quippe.

num quod facis, non gratiæ Dei, sed tuæ velis assignare virtuti; imo firmiter tenē nullam tibi facultatem inesse posse bonæ voluntatis aut operis, nisi id gratuito munere divinæ miserationis acceperis. Scito ergo Deum in te operari et velle et perficere, pro bona voluntate. Proinde cum timore et tremore tuam salutem operare (*Philip. II, 12, 13*). Humiliare in conspectu Domini, ut exaltet te (*I Petr. V, 6*). Ab illo posce bonæ voluntatis exordium, ab ipso postula bonæ operationis effectum, ab ipso perseverantiæ donum pete; nec aliquando te putes illius adiutorio desistente aliquid posse boni velle seu facere. Illum roga ut avertat oculos tuos, ne videant vanitatem (*Psal. CXXIII, 57*); ipsam postula ut demonstret tibi viam in qua ambules; ipsum obsecra ut gressus tuos dirigat secundum verbum suum, et non dominetur **102** tibi omnis iuivitas; illum ora ut operam tuarum dirigat super te. Viriliter ergo age, et confortetur cor tuum (*Psal. XXVI, 14*). *Facta in Deum cogitationem tuam, et ipse te exultet* (*Psal. LIV, 23*).

CAP. XXI. *Nec diffidendum de Dei auxilio. Delectatio in Scripturis sanctis querenda.* — 37. Nec quia dixi, nihil te debere propriæ assignare virtuti, ideo tibi est de divina virtute ac pietate in aliquo diffidendum. *Fidelis est enim Deus in verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis* (*Psal. CXLIV, 13*); nec tibi auxilium denegabit in hoc sæculo, nec præmium subtrahet in futuro. Qui tibi demonstravit rectam viam, et ipse tibi est deductor ad patriam. *Spera ergo in Domino, et fac bonitatem* (*Psal. XXXVI, 5*); nec te putes posse deficere, si te ille dignatus fuerit custodire. Scriptum est enim: *Quis speravit in Domino et confusus est? aut quis permansit in mandatis eius et derelictus est? aut quis invocavit, et deposcit illum* (*Eccli. II, 11, 12*)? Ne igitur amittas confidentiam tuam, quæ magnam habet remunerationem (*Hebr. X, 35*). Esto stabilis et immobilis, sciens quod labor tuus non erit inanis in Domino; potiora semper appete, et animum tuum ad incrementa virtutis extendē. Nunquam cesses a divinis eloquiis, et totam delectationem cordis tui Scripturis sanctis indulge. Non tenearis nexibus mundanæ delectationis (ad dilectionis) ^b, et de diabolo prospere triumphabis.

38. Et ut sanctæ Scripturæ testimonio atque admonitione præsens tibi terminetur epistola, cunctis quæ superius dicta sunt hoc quoque subnectam. *In mansuetudine operæ tuæ perfice, et super omniam gloriam diligenter. Quanto magis magna es ^c, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam* (*Eccli. III, 19, 20*). Dominus te in via virtutis suæ ^d dirigat, et ad regni cælestis promissâ perducatur, domina illustris filia. Amen ^e.

^a Ms. Corb., Colon. et Ant., *denegat*. Basil. vero, *denegabit*.

^b Sic ms. Corb.; at editi, *humanæ delectationis*.

^c Mss. Corb. et Vict., *Quanto magis magna es*. Editi non habent hanc vocem magis.

^d Ms. Corb., *in via iustitiæ suæ*.

^e In ms. Corb. additur Amen; abest ab editis.

EPISTOLA III.

AD PROBAM.

De Virginitate atque Humilitate.

163 CAPUT PRIMUM. *Congratulatio de spirituali vitæ instituto. Servitus Christi bona, noxia libertas peccati.* — 1. Spirituali desiderio atque instituto tuo, sancta famula Dei Proba, quantum congratuler atque congaudeam, vellem competenter verbis exprimere, si pari modo cogitationem locutio posset æquare. Neque enim parvi propositi debet indicium æstimari, quod, cum te constet, illo in te operante a quo est *omne datum optimum et omne donum perfectum* (*Jac. I, 17*), spiritualibus virtutibus præditam, arbitraris te tanquam expertem, de virtutibus admonendam. Hoc itaque studium, quo me, sancto fratre nostro, Tuto scilicet Dei servo, scriptis frequentibus insistente, vehementer instigas ut tibi exhibeam sermonem de virginitate atque humilitate aliquid continentem, in Deo, in quo laudanda est anima tua, multum laudo, sed quantum laudare debeo, laudare non valeo; et quantum me huic desiderio digne laudando imparem cerno, tanto magis in te Deum, seu dura negatione, sive diuturna dilatione offendere timeo. Quippe Christus offenditur, si quando debita servitus membris ipsius denegatur; cum non ob aliud ipse voluerit male quondam liberos a peccati servitio liberare, nisi ut nos doceret invicem ^f libera caritate servire: quos enim compressos invenit iugo servilis ac pessimæ libertatis, sublevavit dono liberalis atque optimæ servitutis. Illius denique (ad inquam) noxiæ libertatis, in qua magis libet peccato servire quam Deo, apostolico nobis intimatam tenemus sermone lætitiâ (*forte notitiâ*); dicit namque: *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ*. Et adjiciens ait: *Quem ergo fructum habuistis tunc in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est* (*Rom. VI, 20, 21*). Illam quoque servitutum, quam liberati accepimus, ut liberatori Deo liberaliter serviremus, in subsequentibus ejusdem doctrinæ sermonibus invenimus, cum dicit: *Nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem* ^g. *finem vero vitam æternam* (*Ibid., 22*). Ecce quo ducit ac perducit hæc sancta servitus, in qua veræ libertatis est munus: ad vitam scilicet æternam, in qua semper vivitur, semperque regnatur, in qua nemo tamen hominum vivet, nisi qui mortificatur huic mundo; in qua nemo regnabit, nisi qui humilis perseverat in Deo. Illa namque vita huic mortificationi promittitur, et illa celsitudo huic humilitati servatur: ipsi humilitati, quam scilicet efficaciter alacriterque sectaris ^h, et in qua sanctam virginitatem, **164** Deo custodiende, custodias, me quoque devote libenterque servire compellis.

^f Basil., *ut nos doceret nobis invicem*. Ms. Corb. non habet nobis. Colon. et Ant., *ut nos doceret nos invicem*.

^g Mss. Corb. et Victor., *in sanctificationem*, juxta textum Græcum et: ἀγιασμόν. Editi, *in sanctificatione*.

^h Editi, *efficaciter sectaris*. Ms. Corb., *efficaciter alacriterque sectaris*.

CAP. II. Servire invicem debent membra Christi per caritatem. — 2. Et ego quidem, sancta filia, in quantum me caritas Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (Rom. v, 5), tam delectabiliter quam liberaliter servire Christi membris instigat, volo quod injunxisti competenter implere; sciens illum vere Christo servire, qui per illam caritatem, Christi membris servit, per quam, ut ejusdem Christi membrum fieret, prior pro eo Christus ipse servivit. Propter quod Apostolus, ut ad libertatem perveniamus æternam, servitutem liberam invicem Christi membris imperat exhibendam, dicens: *Vos enim in libertatem vocati estis, fratres: tantum, ne libertatem in occasionem carnis desis, sed per caritatem servite invicem* (Gal. v, 13).

3. Quanto magis igitur reddere quod exigit hujus servitutis præcepto compellor, tanto magis virium mearum consideratione deterreor. Est enim talis utriusque virtutis copula, de qua mihi est aliquid, in quantum Deus donaverit, disputandum, ut in præsentia vita ipsa sit omnium perfectio culmenque virtutum: quia nec in corpore est aliquid integritate melius, nec in anima est aliquid fidei humilitate sublimius. Est mihi tamen confidentia divinæ opitulationis, in eo quod adjuvor orationibus vestris. Ob hoc enim Deus sancti desiderii fervorem filiis filiabusque suis inspirat, ut cum a conservis suis spiritale debitum flagitant, ipsi quoque pro eis orare Dominum non quiescant, atque ita mutuae caritatis officio sic debitum quod sibi debetur exigant, ut debitoribus quod exigunt reddant.

4. Nemo est enim fidelium qui sic sibi caritatem flagitet reddi, ut ipse non illam suo debeat reddere debitori. Quæ licet in diversis donationibus, secundum gratiam quæ data est nobis, differentibus diverso reddi videatur effectu, in adjutorio tamen mutuae orationis omnes facit unius debiti participes, in qua facit singulos omnibus debitores. Vide qualiter ille qui se debitorem sapientibus et insipientibus profiteatur, debitum orationis et cunctis reddat, et ab omnibus exigat. Romanis ait, reddens hoc debitum: *Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo, in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis* (Rom. i, 9). Sed hujus debiti, cujus est devotus redditor, vide quam sit avarus exactor. Iisdem denuo ait: *Obsecro igitur vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per caritatem Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Dominum* (Rom. xv, 30).

CAP. III. Sufficiencia nostra ex Deo est. A Deo est velle et perficere. — 5. In hoc debito quod exigitis a nobis et redditis nobis, adjuvari me non dubito, ut Deus, qui operatur in suis et velle et perficere pro bona voluntate, ipse donet quod digne cogitem, digne dicam. In bonis enim cogitationibus non sumus idonei cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficiencia nostra ex Deo est (II Cor. iii, 5). Et ob hoc non deficiamus indigentia, quia gratuito munere ab illo sufficiencia nostra est, in quo indigentia ulla non

est; qui sicut bonorum nostrorum non eget, sic 165 semper abundat ut donet, nec donando sit indigus, qui hoc donat quo semper est plenus; nec est quod illi a nobis offeratur (al. afferatur) cogitationis, sermonis aut operis placitum munus, quod ipse non fuerit gratuita benignitate largitus. Idcirco autem gratuita semper est Dei sancta largitio, quia humanorum meritorum nulla unquam præcedit exactio: quia etsi quod est bonum cujuslibet hominis meritum, ab ipso est utique a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum (Jac. i, 17): quod nec habere potest homo, nisi ab ipso fuerit datum, nec perseveranter habere, nisi fuerit ipso custode servatum. Ab ipso igitur posco reddi hujus debiti facultatem, a quo reddendi accepi voluntatem. Neque enim vel reddere aliquatenus vellem, nisi misericors ipse donaret ut vellem. Si quid itaque in hoc opere dixero quod placeat et sufficiat, vel, si non sufficiat, saltem placeat sancto desiderio tuo, non est meæ indigentiae, sed divinæ sufficienciae. Si quid vero forsitan ita dixero, ut nec sufficere tuo sancto possit desiderio, nec placere, non est sufficienciae divinæ, sed indigentiae meæ. Proinde Christiana caritas utrobique operis sui partes exhibeat, ut et sufficienciam Dei humiliter agnoscat, et indigentiae servili patienter ignoscat.

CAP. IV. Virginis filius virginitatis auctor et sponsus. Virgo quasi virago. — 6. Virginem sacram tesibi munere gratuito fecit, qui omnia quæcunque voluit fecit (Psal. cxiii, 11); a quo ideo gratia nullis præcedentibus meritis datur, ut illi semper gratiarum actio pura cordis humilitate reddatur. Hic est autem unigenitus Dei Filius, unigenitus etiam Virginis filius, unus omnium sacrarum virginum sponsus, sanctæ virginitatis fructus, decus et munus; quem corporaliter sancta virginitas peperit; cui spiritaliter sancta virginitas nubit; a quo sancta virginitas secundatur, ut perseveret intacta; a quo decoratur, ut permaneat pulchra; a quo coronatur, ut regnet perenniter gloriosa.

7. Quapropter bonum depositum custodi (I Tim. vi, 20), et meritum tanti boni, quod ut haberes Deus dedit, et ut Deo voveres ipse fecit, ex nominis ipsius significatione perpende: tam magnum quippe Deus voluit esse bonum virginitatis, ut illud non aliunde, sed ex vocabulo dignaretur nominare virtutis. Virginis itaque si quis velit diligenter considerare vocabulum, ex virtutis inveniet nomine derivatum: virgo enim dicitur, quasi virago: viraginem vero Scriptura sancta non ob aliud vocatam dicit, nisi quia de viro sumpta est. Hoc autem a sancto Hieronymo secundum Hebraicam proprietatem libri Geneseos docet expressa translatio, in qua sic habetur: *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea, et edificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem, et adduxit eam ad Adam; dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est* (Genes. ii, 21, 22).

CAP. V. *Virago a viro, vir a virtute dicitur. Ecclesia et virgo et vir ab Apostolo dicitur. A Christo Christiana Ecclesia, sicut a viro virgo dicitur. Ecclesia sancta dicitur mater, virgo et sponsa.* — 8. Itaque cum viraginis nomen ex nomine viri descenderit, quis dubitet quod vir a virtute vocatus sit? Et quia, sicut Paulus docet, *illa omnia in figura facta sunt nostri (I Cor. x, 6)*, profecto in illa virgine quæ ex viri fiebat costa, futura jam tunc præfigurabatur Ecclesia, quæ vero de viro sumpta, et de quo sumpta illi conjuncta, inde habet in veritate **166** virtutem, unde habet verum viraginis nomen. Propter quod hanc viraginem, id est virginem, quæ de viro sumpta est, non solum virginis, sed etiam viri nomine Paulus non dubitat appellare; dicit enim fidelibus: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo (II Cor. xi, 2)*. Christus est quippe vir de quo hæc virgo sumpta est. Ipsi denuo fidelibus idem apostolus dicit: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi (Ephes. iv, 13)*. Per sanctum quoque David, tam viris quam mulieribus in commune spiritalis hujuscemodi promulgatur hortatio: *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino (Psal. xxx, 25)*.

9. Typice itaque a viro ducitur (*al. dicitur*) virginis vocabulum, quemadmodum (*al. quia*) nomen a Christo ducitur (*al. dicitur*) Christianum: Christus enim Dei virtus est et Dei sapientia, ex quo est Ecclesia, quæ virgo in fide et caritate persistens, et sapientiam possidet et virtutem; ideo nec seductione decipitur, nec violentia vincitur, quia internæ virginis integritate fulcitur. Huic virgini Esaias dicit: *Quoniam complacuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur. Habitabit enim juvenis cum virgine, et habitabit in te filii tui (Esa. lxii, 4, 5)*. Et ut ostenderet non alium esse juvenem quam sponsum, nec aliam esse virginem quam sponsam, sponsum autem et sponsam Christum et Ecclesiam, secutus adjunxit: *Et gaudebit sponsus super sponsam; Et gaudebit super te Deus tuus*. Hæc virgo mater est cui dicitur: *Habitabunt in te filii tui*; et hæc mater virgo est de qua dicitur: *Habitabit enim juvenis cum virgine*. Hæc virgo sponsa est de qua dicitur: *Et gaudebit sponsus super sponsam*. Hæc igitur Ecclesia una et vera catholica sponsa est, quia inhæret Christo; mater est, quia fecundatur a Christo; virgo est, quia incorrupta perseverat in Christo. Hujus sponsæ nec fecunditate virginitas corrumpitur, nec virginitate fecunditas impeditur. Tale namque istius est viri virginisque connubium, ut idcirco ab hoc viro fecundetur hæc virgo, quia in hoc connubio nulla unquam potest esse corruptio, et tanta in hac matre virginitatis perseverat integritas, ut nisi virgo semper esset, mater esse non posset. Istius matris ac virginis nomen novum ita prænuntiat Esaias: *Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit (Ibid., 2)*. Ergo quia Christus virtus est, sicut Ecclesia vocabulum virginis

A a virtute sumpsit, sic a Christo Christianum nomen accepit.

CAP. VI. *Major gratia donationis in virginibus quam in aliis. Spadonibus melior locus in muro promittitur.* — 10. Quæ cum in diversis membris suis habeat donationes, secundum gratiam quæ data est ei, differentes, majorem tamen gratiam donationis in illis membris accepit, in quibus ita spiritaliter virgo dicitur, ut etiam corporeæ virginitatis integritate potiat. Nam in cæteris fidelibus membris, quæ in Deum secundum fidei catholicæ regulam recte credunt, et pudicitiam conjugalem viduatemve custodiunt; quæ scilicet nec actualis sunt fornicationis colluvione respersa, et ab omni stupro manent infidelitatis immunita, spiritali tantum virginitate potitur Ecclesia; in his vero membris, in quibus sic fidem custodit rectam, ut etiam carnem ab omni concubitu reservet intactam, quanto plenior habet virginitatem, tanto plenius et perfectius ejusdem virginitatis **167** possidet nomen: in illa quippe, nihil minus habet ad vitam; in hac autem, amplius aliquid acquirit ad gloriam, quia sicut Paulus ait: *Alia est gloria solis, et alia gloria lune, et alia gloria stellarum; stella enim a stella differt in gloria; sic et resurrectio mortuorum*. Denique sub spadonum nomine (quos etiam in Evangelio propter regnum cælorum se ipsos castrasse Salvator affirmat) meliorem locum in domo sua et in muro suo Dominus per Esaiam virginibus repromittit. Sic enim scriptum est: *Hæc dicit Dominus spadonibus: Quicumque custodierint præcepta mea, et elegerint quæ ego volo, et ampiecentur testamentum meum, dabo illis in domo mea et in muro meo locum nominatum meliorum filiorum et filiarum; nomen electum dabo illis, et non deficiet (Esa. lvi, 4, 5)*. In Apocalypsi quoque beati Joannis, illi sunt qui sequuntur Agnum quocumque ierit (Apoc. xiv, 4), qui virgines permanserunt.

CAP. VII. *Melior virginitas mentis et corporis, quam alia dona.* — 11. Claret itaque inter cæteras Ecclesiæ donationes, illic præcipuum munus spiritalis esse carismatis, ubi virtus ipsa integritatis perfecto meretur vocabulo censi virtutis. Quamvis enim sit prophetia secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate (Rom. xii, 6, 7), hæc dona diversa propriis inveniantur appellari nominibus. Integritas autem carnis Deo fideliter consecrata, et in cordis virginitate, Deo adjuvante ac protegente, servata, idcirco proprie virginitas dicitur, ut ibi perfectio veræ virtutis inesse monstretur.

12. Melior est igitur cæteris actualibus donis intermerata sanctitas virginalis, quæ divini gratia muneris a virtute videtur originem vocabuli trahere, ut ex ipso nomine semper se admoneri cognoscat, ea quæ virtutis sunt debere servare. Unde non immerito Doctor gentium ^a, ac Vas electionis cælibem conju-

^a Absunt hæc verba Doctor gentium ac a ms. Corb.

galemque vitam tali definitione discernit, ut istam sollicitam quæ Dei sunt in sanctificatione corporis et spiritus Deo placere; illam vero mundanis cogitationibus deditam, placendi viro studium gestare confirmet. *Qui sine uxore est, inquiens, sollicitus est quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta et virgo cogitat quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore et spiritu; quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro (I Cor. VII, 32, 33, 34).*

CAP. VIII. Conjugatis quoque ascribitur sanctitas, sed major virginibus. — 15. Verumtamen hoc Apostolus dicens, non sic ascripsit virginibus sanctitatem corporis et spiritus, ut illam vel conjugatis demeret, vel viduis abnegaret: præcipue qui superiori loco ejusdem Epistolæ fidelium corpora membra Christi et templum appellet Spiritus sancti; dicit enim: *Nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt (I Cor. VI, 15)? Et paulo post, An nescitis quia membra vestra templum est Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? 168 Empti enim estis pretio magno. Glorificate igitur et portate Deum in corpore vestro (Ibid., 19).* Et ut se conjugatis quoque scribere demonstraret, continuo subjunxit: *De quibus autem scripsistis: Bonum est homini mulierem non tangere; propter fornicationes autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat (I Cor. VII, 1, 2).* In Epistola quoque ad Ephesios conjugatis utique loquebatur, quibus dicebat: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam (Ephes. V, 26).* Et paulo post, *Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis ejus de carne ejus, et de ossibus ejus (Ibid., 29, 30).* Petrus quoque apostolus conjugatas fideles, sanctas non ambigit appellare, dicens: *Sic enim aliquando mulieres sanctæ, sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ viris suis: sicut Sara obsequabatur Abraham, dominum eum vocans (I Petr. III, 5, 6).* Non ergo apostolus Paulus a sanctificatione corporis et spiritus fideles conjugatas separat, sed hoc eas cogitare dicit, ubi earum cogitationem amplius teneri cognoscit. Quis enim nesciat sanctarum virginum cogitationem magis ad spiritalia recurrere, et sanctarum conjugatarum cogitationem magis conjugali necessitati servire?

CAP. IX. Nuptiæ non sunt peccatum, sed donum Dei. Multiplex inter virginitatem et connubium comparatio. — 14. Scimus ergo nuptias non esse peccatum, sed Dei opus et Dei donum: quas ipse Dominus connexuit fidei vinculo, gratificavit benedictionis dono, multiplicavit propagationis augmento. Novimus honorabile connubium in omnibus, et thorum immaculatum (Hebr. XIII, 4); novimus a Deo, non conjugia,

sed fornicationes et acuteria judicanda: *Fornicatorum enim et adulteros judicabit Deus (Ibid.).* Fatemur enim a Deo esse nuptiarum fidem, conjugum caritatem, naturæ fecunditatem; sed quia unusquisque proprium habet donum a Deo, alius quidem sic, alius autem sic (II Cor. VII, 7), nos quoque sic utriusque doni gradum discernimus, ut utrumque donum a Deo tribui fidelibus non negemus. Non igitur inferius donum Dei devocamus in culpam, cum potioris doni præferimus gratiam; nec cum primum pudicitiae donum præponimus, secundum tertiumve damnamus; nec in eo quod integritatis virginalis agnoscimus culmen, pudicitiae conjugalis asserimus crimen; neque sic virginitatem frumentis ascribimus, ut conjugium inter zizania (al. zizaniam) deputemus. Non est conjugium nocturni seminis fructus, quia hoc in agro dominico non sator invidus superseminavit (Matth. XIII, 25), sed Dominus bonus instituit.

15. Verumtamen utriusque rei congrua discretione momenta pensantes, tantum dicimus a sanctis nuptiis, ubi nubunt qui se continere non possunt, sanctam virginitatem merito potiore distare, quantum distant a bonis meliora, ab humilibus celsa, a terrenis cælestia, a beatis beatiora, a sanctis sanctiora, a mundis mundiora, a mortali connubio immortale connubium, a carne spiritus, ab infirmitate virtus, a fetu transituræ proliis permansuri germinis fructus; a tribulatione securitas, a perturbatione tranquillitas, a bono quod est cum angustia momentaneum, melius quod est cum lætitia sempiternum.

169 CAP. X. Virginitas longe superior connubio carnali. Infortunia conjugii circa prolem corporalem. Bona virginitatis circa prolem spiritalem. — 16. Nec dubitamus dicere, tantum a sancta virginitate carnis et spiritus fidelium conjugatorum (licet a Deo concessum) infirmæ mortalisque carnis hujus distare concubitum, quantum similitudo pecorum ab imitatione discernitur angelorum. In uno quippe, ad terram spiritus terrena carnis voluptate deprimitur; in altero autem, terrena caro cælesti delectatione spiritus ad cælestia sublevatur. Ad placendum quippe carnali conjugio, sæpe mundana mentem cura sollicitat: ad placendum vero spiritali connubio, mens, dulcedini cælestis cogitationis intenta, corpus suum spiritali pinguescens delectatione castigat.

17. In opere corporalium nuptiarum virginitas carnis amittitur, ut ad carnis fecunditatem veniatur. Ubi tamen nonnunquam sic incertæ spei fructu fraudatur humana delectatio, ut quæ virgo esse destitit, mater esse non possit, et sterilitatis obstaculo coercita, nec in corpore queat reparare quod perdidit, nec ex corpore valeat habere quod cupit. Plerumque (quod est gravius) graviore dolore fetus carnis perdit, quos gravi dolore suscipit; et ad hoc pariens pericula gemitusque tolerat, ut amittens quos cum

* Sic habent mss. Corb. et Basil.; at Colon. et Ant., in sanctificationem.

† Abest igitur a ms. Corb., Colon. et Ant., legitur

in Basil. et Græco textu Apostoli.

* Editi, transituræ proliis. Ms. Corb., transture.

gemitu pepererat, detrius gemat. In copula vero A matrimonii spiritalis, cum sponso Christo sic conjugatur anima, ut etiam caro servetur intacta. Quanto magis virginalis integritas viget, tanto magis immortalis fecunditas pollet. Sic enim ibi non est mortalis fructus ex corpore, ut immortalis fetus non desit ex corde. ibi maritalis accessus ^a non vitiat corpus, quia Christi spiritalis amplexus et animam servat et corpus. In tali connubio nullus effectus æstuanti cupiditati conceditur, quia sanctæ caritatis fervor refrigerio spiritali nutritur. O angelicæ imitationis non humana in hominibus virtus! O ineffabile superni sempiternique muneris decus! quod qui accipiunt, hoc meditantur in carne mortali, quod sunt in immortalitate ^b sumpturi: eligunt enim bonam partem, quæ non auferetur ab eis (*Luc* x, 42), sed perficietur in eis. Quod enim ab eis nunc inviolatum servatur in opere, hoc eis gloria immortalitatis cumulatum reddetur in munere.

CAP. XI. *Virginitas sic ambulet, ut nec declinet ad dexteram, nec ad sinistram. Via sinistra voluptas carnis. Via dextera superba jactatio virtutum.* — 18. Quocirca, quæ non est sæculi virgo, sed Christi, sicut non debet monilibus, ita debet virtutibus adornari. Ornatus autem virginis est, virginitatis bonum non minus mente quam carne servare: ut scilicet semetipsam tanto munere condignam semper exhibeat, et sic veritatis teneat viam, ut non divertat ad dexteram vel sinistram. Sinistram quippe obsidet carnalium turba vitiorum, dexteram tenet spiritalium jactatio superba virtutum. Illa carnem publicis delectamentis oblectare contendit, hæc menti laudem propriæ virtutis immurmurare non desinit. Illa namque blandiens virgini persuadere conatur ut, tantum carnis integritate servata, quicquid pertinet ad delicias ciborum; nitorem vestium, fomenta balnearum, stramentorum mollitiem ^c, unguentorum lenitatem ^d, jocorum hilaritatem, sub specie vitandæ infirmitatis, et custodiendæ corporeæ sospitatis, virgo diligat, appetat, teneat; et quasi 170 molliori clivo devexum latioris viæ monstrat gradienti descensum, qua non conscendat ad cælum, sed devolvatur in tartarum: insinuat vitandum itineris angusti laborem, ne perveniatur ad requiem.

19. Ast alia quanto occultius, tanto periculosius parat virgini præcipitium, dum callide collaudat ascensum. Etenim si teneatur in cibis abstinentia, vestis non sit nitida sed despecta, buxeum pallorem rubore sublato corpori jejunia generent, candorem carnis lavandi contemptus obfuscet, lasso corpori somnus stratis durioribus detur, cutis lenitas despectis asperetur unguentis, contractior vultus risui semper obsistat et joco, hæc omnia non divino adjutorio deputat, sed viribus humanæ possibilitatis assignat.

^a Ms. Corb., *ibi mortalis accessus.*

^b Ant., *quod sunt immortalitate.*

^c Hæc verba stramentorum mollitiem adduntur in ms. Corb.

^d Editi Colon. et Antwerp., *somnorum*; at Basil.,

CAP. XII. *Delicias carnis virgo Christi fugere debet.* — 20. Proinde ad exteriorem virginitatem interiorumque servandam sollicita debet virgo semper excubare cautela. Delicias carnis et oblectamenta corporis, quæ sibi non tam necessitas exigit quam voluptas, omnino sacra virgo refugiat. Spiritalis enim virginum sponsum non querit in virgine carnem deliciis accuratam, sed jejuniis castigatam. Hoc Doctor gentium cum se facere dicit, nobis quoque insinuat faciendum, *Castigo*, inquit, *corpus meum, et servituti subijcio* (*I Cor.* ix, 27). Et rursus: *In vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis* (*II Cor.* xi, 27). De vidua vero dicit: *Quæ autem in deliciis est, vivens mortua est* (*I Tim.* v, 6). Non querat ergo Christi virgo carnis delicias, quas nec viduæ videt esse concessas. In saturitate cibi vivens Sodoma (*Gen.* xix, 24 et seq.), eibus ignis effici meruit; et Niniviticus populus (*Jomæ* iii, 5) divinam furorem, cunctorum jam cervicibus imminentem, jejuniis lacrymisque submovit. Igitur si visibilis cupiditas vincatur in corpore, inimica invisibilis potestas non dominatur in corde. Illam feliciter vincimus, si fortiter cum ista certemus: et de illa triumphus acquiritur, cum ista calcatur.

CAP. XIII. *Temperies jejuniorum.* — 21. Porro jejuniis sic est adhibenda temperies, ut corpus nostrum nec saturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet. Talis igitur tantaque virginis jejunium reflectio subsequatur, ut nec suavitate corpus illicit, nec saturitate succendat. Suavitate quippe minuitur eleemosyna pauperum, saturitate corpus efficitur bellicosum. Illic fratribus debitum invaditur, hic hosti auxilium subrogatur. Volentibus enim nobis concupiscentiam gulæ diversis oblectare pigmentis, quod egenus accipere debuit, voluptas insumit. Proinde jejunium nec debilitas præripiat ^e, nec saturitas tollat. Utraque enim nostris adversariis militat: quia una utilitatem jejunii præcedentis adimit, altera facultati jejunii subsequentis obsistit. Saturitas facit ut inaniter jejunemus, debilitas facit ne jejunare possimus.

CAP. XIV. *Virginum vestes quales.* — 22. Vestis quoque talis sit sacræ virginis, quæ testis existat intimæ castitatis. Nihil nitoris in habitu exterioris hominis queratur, ne interioris hominis habitus (*al. habitu*) sordidetur. Virgo quæ ornatum corporeæ vestis ^f affectat, animam suam virtutum splendore despoliat; nec habet castitatem veram, quæ intuitibus parat illecebram; nec fidem servat Christo, quæ populo querit magis placere quam sponso. Consequenter autem necesse est ut quæ humano conspectui concupiscentiam seminat, 171 in divino conspectu iracundiam metat. *Qui enim seminat in carne sua, de carne metet corruptionem. Qui vero se-*

somniorum lenitatem. Ms. Corb., *unguentorum lenitatem*; et quidem melius, quia inferius dicitur, *cutis lenitas despectis asperetur unguentis.*

^e Basil., *præcipitet.*

^f Basil., *corporis, veste.*

minat in spiritu ^a, de spiritu metet vitam æternam (Galat. vi, 8)

23. Verum de his atque horum similibus quæ ad curam pertinent carnis, et animam faciunt sub virginitatis nomine in concupiscentiis dormire, illæ potius admonendæ sunt virgines quæ deliciosæ, quæ vagæ, quæ jocis sunt deditæ.

CAP. XV. — Nobis autem nunc ad spiritalem virginem loquentibus, de illis est laqueis evitandis aliquid memorandum, quos (ut ita dicam) non in terrenis rebus, sed in i, sis cœlestibus adversarius tendit; nec a via manifesto seducit errore, sed (sicut ait propheta: *In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueos* ^b *michi* [Ps. cxli, 4] ubi bene ambulantes perspicit in operibus bonis, ibi vehementius et periculosius, sub colore simulatæ pacis, occultis repugnat insidiis; et non valens virginitatem carnis in carne perdere, virginitatem spiritus conatur auferre.

24. Propter quod non est Christi virginibus negligentius intuendum quantum cordis virginitas carnis virginitati præponderet. Hæc enim si a fidelibus conjugatis ac viduis in fide, quæ per dilectionem operatur, etiam sine virginitate corporea, in hac vita fuerit custodita, in futuro nec carnis virginitate privabitur, et regni cœlestis beatitudine perfruetur; corporalis vero virginitas, etiam Deo dicata, si virginitatem non servaverit cordis, nihil proderit in corpore custodita, si spiritalis castitas fuerit in mente corrupta.

25. *Diabolus utramque oppugnat virginitatem: carnis, per homines; mentis, per seipsum. Callidi hostis varia tentatio contra virgines.* — Utramque diabolus persequitur, utramque callidis consiliis insectatur. Sed virginitatem carnis per hominem nititur præripere, cordis vero virginitatem per seipsum conatur auferre. Nam plerumque ad hoc carnis virginitatem, quæ inferior est, non impugnat, ut illius quæ potior est fundamenta subfodiat; et tanquam diversis machinis, sic innumeris utitur argumentis; et cum certamini manifesto cedit, ad hoc se victum demonstrat, ut vincat; ad hoc fugam simulat, ut persequentem missis post tergum sagittis occidat. Defende te a talibus ^c: evidentibus quippe vitiis provocat, dum virginitatem corporis impugnat, in quibus si palam superetur, illico superbiam perniciosissime jaculatur; et vitiorum auctor in eo quod vincere non potest vitiis suis, vincit virtutibus alienis; armis quibus eliditur surgit, et virtute qua dejicitur dejicit. Laudat qua se perspicit superari virtutem, ut victus possit captivare vincentem: injicit enim cordis jactantiam, ut graviore lapsu de alto possit dejicere, si quos in humilibus videt gradu firmiore pugnare. Nam (verbi gratia) cum gulæ delectamenta porrigit, si suscipiatur, fomitem libidinis subministrat; si respuatur, jactantiam de abstinentia seminat. Insinuat dilectionem pecuniæ ^d: si tenuerit

A assensum, avaritiæ gladio animam confodit incautam; si autem fuerit repulsus, insidias quas per tenacitatem tendere non potuit, per liberalitatem nequissimus tendit; et in opere misericordiæ facit cordis superbiam pullulare, ut eo quod egenti largitur, magna sibi habere **172** merita videatur. In multis hæc facit, et maxime sic impugnare spiritales Dei famulos et famulas assuevit; ut si quis rebus noxiis mortiferisque non vincitur, vitalibus remediis occidatur. Bonis operatur mala, salubribus noxia, justis injusta, et commodis præstat incommoda. Hoc in seipso primum operatus est, qui non ex conditione habuit originem criminis, sed ex elatione virtutis veritatem in injustitia ^e detinere voluit et, per injustitiam lapsus, in veritate non stetit. Quomodo enim stare potuit, cui pro superbia restitit ille qui nunquam cadit? *Initium enim peccati superbia* (Eccli. x, 15); *Propter quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (Jac. iv, 6).

CAP. XVI. *Superbia initium omnis peccati. Hypocritæ superbi mente.* — 26. Hæc autem superbia ideo initium omnis peccati dicitur, ut omne peccatum de ipsa tanquam de radice pullulare monstretur: quæ multiplici modo iniseris inferens mortem, publico certamine carnales dejicit; spiritales vero, si quos incautos invenerit, occultiore conflictu prosternit. Quis enim nesciat fornicarios, idolis servientes, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos (*al. ebrios*), maledicos, rapaces, superbas adversus Deum cervices erigere, et nequissimis operibus magis diabolo militare? Sunt alii quos in conspectu hominum superbia tanquam suos demonstrat hostes, et intrinsecus habet nequissimos milites. Ab his iniquitas callide geritur, ut humanis obtutibus justitia fallaciter ostendatur. Hos Dominus noster sic increpat: *Vos estis qui justificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra.* Quos ut superbos evidenter ostenderet, secutus adjunxit: *Quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Dominum* (Luc. xvi, 15).

27. Ad eos etiam qui sub Christiana professione vivunt, et Christi præcepta manifeste peccando contemnunt, sic ipse Christus loquitur: *Quid autem vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico* (Luc. vi, 46)? Tales gentium quoque Doctor his verbis objurgat: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant; cum sint abominati, et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi* (Tit. i, 16). Sed et beatus Jacobus dicit: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum* (Jac. ii, 14)? Humilitas ergo, quam docuit Christus dicens: *Dicite a me quia mitis sum et humilis corde* (Matth. xi, 29), non in sola consistit fide, sed in fide simul et opere. Nam scriptum est quia *Et sermones credunt et contremiscunt* (Jac. ii, 19); qui tamen ideo humiles non sunt. Unde etiam apostolus Paulus asserit: *Quia sapientiæ*

^a Colon., qui vero seminat de spiritu.

^b Ms. Corb., laqueum.

^c Desunt hæc in editis; leguntur in ms. Corb.

^d Ms. Corb., delectationem pecuniæ.

^e Ms. Corb., in injustitia. Ms. Vict., in injustitiam. Editi autem, per injustitiam.

^f Ms. Corb., nunquid poterit. Editi, potest.

carnis inimica est Deo : legi enim Dei non subjicitur ; A nec enim potest (Rom. VIII, 7) ; quæ sapientia secundum Jacobi sententiam, non est desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica (Jac. III, 15).

CAP. XVII. *Du lex superbia. Parabola Christi de Pharisæo et Publicano. — 28. Manifesta igitur superbiaprehenditur, cum manifeste peccatur ; at cum fuco justitiæ iniquitas tegitur, illa superbiæ pestilentia venenosius serpit, illa periculosius irrepit, cum ab his qui justitiæ studium gerunt, vel aliorum vita tanquam indigna despicitur, vel in operibus bonis aliquid humanis viribus assignatur. Illa denique superbia, 173 qua cæteri ab his qui sibi justi videntur velut peccatores despiciuntur, in Pharisæo condemnatur, sicut etiam sanctus evangelista testatur, dicen : Dixit autem et ad quosdam qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam. Duo homines ascenderunt in templum ut orarent, unus Pharisæus, et alter Publicanus. Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines, rapaces, injusti, adulteri, sicut etiam hic Publicanus : jejuno bis in sabbato, decimas de omnium quæ possideo. Publicanus autem a longe stans, nolebat oculos ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico vobis : descendit hic justificatus in domum suam ab illo ; quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur (Luc. xviii, 9-14). In conspectu judicis misericordis et justi non est accepta superba jactatio honorum operum, sed humilis confessio peccatorum. Illi etiam C qui virtutem bonæ voluntatis aut bonæ operationis suis nituntur superbe viribus assignare, ab Apostolo taliter denotantur : Quia ignorantes Dei justitiam, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti (Rom. x, 3). In sua igitur injustitia profecto deficit, qui justitiæ Dei superba colla non subjicit.*

29. In his itaque quatuor superbiæ generibus, quibus diabolus velut quadrigis vehitur, et ad gehennam miserorum quibus insidet mortifero cursu raptatur, duobus animas opprimit, quas in carne jacentes perspicit, aliis duobus animas dejicit, quas de carne volare cognoscit. Iestas captivat delectatione vitiorum, illas circumvenit elatione virtutum ; illarum sic virginitatem præripit, ut se fornicari non dubitent ; istas sic constuprat et maculat, ut se conculcari non æstiment.

CAP. XVIII. *Virgo superba, Christi sponsa non est. — 30. Proinde, ut integra permaneat Deo dicata virginitas, sicut custoditur integritas corporis, multo amplius custodienda est humilitas cordis. Si qua enim vere virgo est Christi, non potest Christo nisi cordis humilitate conjungi. Filii Dei thalamus elatas non recipit, et humilis sponsus a connubio suo superbas expellit. Sit igitur studium tuum, sicut decet virginem sacram, sectari justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem ; non tamen ut*

consideratione tui quaslibet Christianas, etiam in inferiori positas professione, despicias, aut te in bonis operibus, præsumptione propriæ virtutis extollas. Quidquid enim spiritualium donorum plus habueris quam habent aliæ, non parva est jactura virtutis, si in ipsa principali virtute, quæ est humilitas, non alias antecellis, cum non nescias scriptum : *Quam magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam (Eccli. III, 20).*

CAP. XIX. *Christus et Dominus et sponsus est virginum, ideo et humilitatem exigit, et integritatem. — 30 bis. Attende igitur in te sponsi tui amorem, considera Domini pietatem. Pius est Dominus, qui te sibi fecit ancillam ; speciosus sponsus, qui te castificavit in sponsam. Idem tamen, quia verus est Dominus, et sponsus est verus, utriusque potestatis partes exsequitur. Exigit ab ancilla humilem servitutem, in sponsa quærit integram castitatem. Servi ergo Domino cum timore, et exsulta sponso cum tremore. Nam quia Dominus est, territat ; et quia sponsus est, zelat. Timens igitur 174 custodi Domini terrentis imperium, et tremens dilige sponsi zelantis affectum. In ancilla Domini nihil suum prædo reperiatur, in sponsa Christi nihil suum adulter agnoscat. Sicut in corpore virginis non dominatur libello, sic in corde virginis nulla dominetur elatio. Cum timore et tremore tuam salutem operare. Deus est enim qui operatur in te, et velle, et perficere, pro bona voluntate (Philip. II, 12, 13).*

31. Quotiens cogitas de perfectione virtutum, noli considerare quid aliæ minus habeant quam tu habes, sed quid tu minus habeas quam habere jam debes ; nec ideo te putes virtutibus perfectam, si quamlibet aliam videas criminibus deditam ; nec propterea tibi aliquid velocitatis assignes, si quaslibet, aut retro redeuntes, aut segniter videas ambulantes. Neque enim idcirco sanos oculos habere pronuntiandus est lippus, quia videtur cæcus a lumine penitus alienus ; nec ideo sanus dicendus est, qui gravi jacet vulnere semivivus, si alius graviore vulnere reperiatur occisus ; nec sibi debet tanquam victor vindicare gloriam, quisquis, licet ab hoste non sit occisus, teneatur tamen ab hoste captivus.

CAP. XX. *Non aliis, sed sibi ipsi debet se homo comparare. Adjutorium divinæ gratiæ semper poscendum. — 32. Noli ergo aliis te comparare, sed tibi. Audi Apostolum hoc facientem, et ut hoc faciamus salubriter admonentem. Ad Corinthios quippe scribens, dicit : Non enim audeamus inserere aut comparare nos quibusdam qui seipso commendant, sed ipsi in nobis nosmetipsos melientes, et comparantes nosmetipsos nobis (II Cor. x, 12). Sibi ergo semetipsam comparet virgo Christi, et ut ad perfectam perveniat sanitatem, non debet de aliorum sibi periculo graviore blandiri, sed de sua curet infirmitate tristari : De qua ille tristabatur jugiter qui dicebat : *Tota die contristatus ingrediebar, quoniam anima mea impleta est**

^a Ms. Corb., *In sua igitur justitia.*

^b Editi, *Sic ergo semetipsam comparet virgo Christi,*

ut ad perfectam perveniat sanitatem, non debet, e. e. Ms. Corb., Sibi ergo... et ut.

illusionibus, et non est sanitas in carne mea (Psal. xxxvii, 7, 8). Et ut ostenderet huic tristitiæ humilitatem debere conjungi, statim secutus adjunxit: *Incurtatus sum, et humiliatus sum nimis*. Et ut desiderio sanitatis hoc a se fieri perdoceret, adjunxit: *Rugiebam a gemitu cordis mei; et: Ante te est omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus* (Ibid., 10). Iste autem, qui hoc dicebat, fatetur se aliquando tanquam de virtute sanitatis elatum, et in eo se periculum gravissimæ infirmitatis expertum; dicit enim in alio psalmo: *Ego dixi in abundantia mea, Non movebor in æternum* (Psal. cxxix, 7). Et quia hoc dicens adjutorio divinæ gratiæ fuerat desertus, et in sua defecerat infirmitate turbatus, sequitur dicens: *Domine, in bona voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* (Ibid., 8). Et ut ostenderet adjutorium divinæ gratiæ, quamvis jam habitum, humiliter esse sine intermissione poscendum, hoc quoque subnectit: *Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor* (Ibid., 9). — CAP. XXI. — Nemo autem deprecatur et rogat, qui non aliquid se cognoscit minus habere, aut quod habet, sua tantum potest virtute servare.

33. Quisquis igitur et beneficium rogat, et adjutorium flagitat, necesse est ut et evidentiam suæ imbecillitatis et egestatis agnoscat; et ideo egestas nostra dari sibi quod non habet poscit, imbecillitas nostra 175 custodiri sibi postulat quod accepit. Egestas audit: *Quid enim habes quod non accipisti* (I Cor. iv, 7)? Et: *Non potest homo accipere quidquam, nisi datum fuerit ei de cælo* (Joan. iii, 27). Imbecillitas audit: *Revela ad Dominum viam tuam, et opera in eum, et ipse sicut* (Psal. xxxvi, 5); audit etiam ab ipsa virtute: *Sine me nihil potestis facere* (Joan. xv, 5); audit a propheta: *Nisi Deus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiant eam* (Psal. cxxvi, 1). Dicat ergo egestas illi qui propter nos pauper factus est, cum esset dives, ut illius paupertate nos divites essemus (II Cor. viii, 9); dicat, *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua* (Psal. cxviii, 73); dicat etiam imbecillitas illi qui pro nobis crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei (II Cor. xiii, 4); et qui sic infirmatus est propter peccata nostra, ut semper ipse sit Dei virtus, et Dei sapientia; dicat: *Custodi me, Domine, ut pupillam oculi; sub umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum* D qui me affixerunt (Psal. xvi, 9).

CAP. XXII. Sancti quoque in hac vita animæ habent afflictiones, propter incidentes cogitationes. — 34. Graviter hic affliguntur animæ omnium jam justificatorum, et ex fide viventium, imo sokæ animæ intelligunt in qua sint afflictione positæ, quibus se infundit lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Vident enim quia licet sint gratiæ dono ab operum malorum contagione liberæ, teneantur tamen cogitationum varietate captivæ. *Quis enim gloriabitur castum se habere cor? aut*

A quis gloriabitur mundum se esse a peccatis (Prov. xx, 9)? Attendamus qualis quantusque justus dixerit: *In multis enim offendimus omnes* (Jac. iu, 2); et ille qui dixit: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (I Joan. i, 8): ille etiam qui condelectabatur legi Dei secundum interiorem hominem, videbat autem aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, et captivantem eum in lege peccati, quæ erat in membris ejus, donec eum suæ infelicitatis conscius de corpore mortis hujus liberaret gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (Rom. vii, 22, 23 seq.).

35. Ab hac ergo lege peccati, quæ est in membris nostris, non virtus cujuslibet hominis fortis, non industria sapientis, sed sola liberat gratia Salvatoris, quæ non nisi humilibus gratis datur: *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (Jac. iv, 6). Verumtamen hæc gratia, sicut non nisi humilibus datur, sic humilis homo esse non potest, nisi detur. Datur enim ut humiles esse incipiant, et datur ut humiles esse non desinant. Gratia igitur Dei facta ut et humiles simus, et humiles perseverare possimus. Qui enim potuit quod non habuimus dare, ipse potest quod accepimus custodire.

CAP. XXIII. Præcepta pro sanctis virginibus ex Scripturis deducta. — 36. Proinde, ut in te sit vera humilitas, quæ virginitatis est interna virginitas, non ignoras quanta sacræ virgini debeat paupertas spiritus inesse, ut regnum cælorum mereatur accipere; quanta mansuetudo, ut illam possideat viventium terram ^a in qua se David bona Domini visurum plena credulitate confidit (Ps. xxvi, 13). Quanta etiam cautione virgini luctuosa sit præsentis sæculi lætitia fugienda, cui semper in hac vita præstolanti sponsi cælestis adventum magis sit ex desiderio spirituali lugendum, ut adipiscatur intimum certumque solatium. Quantam quoque virgo Christi debeat esuriam sitimque justitiæ perpeti, ut plena mereatur 176 æternæ dulcedinis satietate lætari; qualibus etiam sit induenda visceribus misericordiæ, ut in conspectu Dei misericordiam valeat invenire; mundandique cordis quantum debeat inesse sacræ virgini studium, ut illum videre mereatur felicibus oculis sponsum, speciosum forma præ illis hominum (Psal. xlv, 3), ad quem carnis virginitas non potest pervenire, nisi humili corde fulciatur virtute virginitatis internæ. Quantam etiam pacificæ quietis virgo Christi possidere virtutem debeat, ut desideriorum carnalium bella spiritalibus armis inluta comescat. Talibus te sponsum uti fruique monilibus cupit, qui te sibi fide despondit, spe firmavit, caritate conjunxit.

CAP. XXIV. Omne opus bonum gratia Dei in nobis prævenit. Dives virginum sponsus. Quomodo servanda virginitas. Conclusio. — 37. Neque vero fidei veritate carnisque integritate spiritaliter tali sponso nupsisses, si non eum, contempta vanitate sæculi, dilexisses; nec tamen eum fuisses aliquatenus dilectura,

^a Ms. Cor. b., ut illam possidere debeat viventium terra.

nisi fuisses gratuita sponsi dilectione præventa. Dixi autem te præventam, non solum dilectione qua ille te dilexit, sed etiam dilectione quam tibi gratis ut a te diligeretur infudit. Totum ergo quiddid in te sanctæ dilectionis erga sponsum tuum habes, in te quidem habes, sed ex te non habes. Pauperem te accepit ditissimus sponsus, quiddid in te boni habes, non ex te, sed ex ipso habes, et quiddid nondum habes, tunc habebis, cum se sponsus dederit, qui omnia bona quæ habes gratuita largitate jam dedit. Ipsi ergo de acceptis humiliter gratias age, ipsum de accipiendis humiliter pœce. Sic enim divitem sponsum habes, ut nec egeat his quæ dedit, et abundet ad largiendum multo meliora (*al. majora*) quam dedit. Hæc humiliter semper compunctione considera, et virginitatem quam Deo vovisti, non solum carnis integritate, sed et cordis humilitate conserva. Ab illo tibi semper custodiam virginitatis et humilitatis exposcens, qui non dormitabit, neque obdormiet custodiens Israel (*Psal. cxx, 4*).

38. Ecce, sancta filia, in quantum Dominus dedit, brevem ad te libellum de virginitate et humilitate conscripsi; magis eligens pauca tibi desideranti transmittere, quam debitæ servitutis officium sponsæ Domini denegare.

EPISTOLA IV.

AD PROBAM.

De oratione ad Deum, et compunctione cordis.

Dominæ in Christo plurimum venerabili, et cum omni honorificentia nominandæ famulæ Dei, filiz PROBÆ, FULGENTIUS, servorum Christi famulus, in Domino salutem.

177 CAPUT PRIMUM. *Humilitas Probæ omnibus imitanda.* — 1. Epistolam sanctitatis tuæ, cum tota cordis gratulatione suscepti, non solum studium boni operis, sed etiam humilitatem cordis tui certis indicis præferentem. Bene igitur, sancta filia, in laudem Dei, non de bonis operibus superbiæ vento extolleris, sed ad implenda Domini præcepta infirmam te invalidamque testaris. Ita debet sentire quisquis verbi Dei non auditor obliviosus, sed factor operis (*Jac. i, 25*) esse desiderat, qui non hic ab hominibus recipere mercedem suam, sed a Deo in die retributionis exspectat; qui non in præsentem tempore inanis gloriæ vanitate raptatur, sed sancto igne divini amoris accenditur. Hunc enim Christus venit mittere in terram (*Luc. xii, 49*), ut omne superbiæ germen exurat, et humiliato cordi fervorem sanctæ compunctionis injiciat. Sic fit ut in nostris peccatis nosmetipsos veraciter accusemus, et in bonis operibus nostris Deum vera cordis humilitate laudemus; illi assignemus quæ nobis ejus pietas donat, nobis imputemus in quibus eum nostra infirmitas exacerbat.

CAP. II. *Oratio et cordis compunctio a Deo, ut infundat, exposcenda. Quomodo Deus est auctor boni operis nostri.* — 2. Et quia frequenter a nobis offenditur, necessarium est ut frequenti oratione et jugi cordis compunctione mitigetur. Compunctio enim

A cordis excitat orationis affectum, oratio humilis divinum promeretur auxilium; compunctio cordis vulnera sua respicit, oratio vero medelam sanitatis exposcit. Et ad hæc quis idoneus? Quis enim vel orare competenter valeat, nisi medicus ipse initium desiderii spiritualis infundat? aut quis perseverare in oratione queat, nisi Deus in nobis hoc quod cœpit augeat, quod seminavit enutriet, et quod misericordia præcedente gratis donavit indignis, ad effectum (*al. fructum*) perfectionis misericordia subsequente perducatur? Sic enim a nobis poterit boni operis meritum non perire, si Deus auctor atque adjutor semper glorificetur in opere.

3. Nec putemus sic eum auctorem boni operis æstimandum, tanquam in ipso tantum creationis B exordio sic Deus naturæ humanæ boni operis facultatem dederit, ut ipsius adjutorio desistente sola per seipsam possit natura quodcumque bonum velle seu facere; cum hoc nec in ipso primo 178 homine potuerit solo implere conatu proprio, quando necdum fuerat vitata peccato. Quomodo ergo infirma sine juvamine medici sospitatem suam reparare poterit, quæ dum sana esset sospitatem suam custodire nequivit?

4. Non ergo gloriatur terra et cinis, quia in vita sua projecit intima sua; nec vulneratus, de hoc quod in se sanum existimat, tanquam sanus exsultet; sed suorum vulnerum putredinem compuncti cordis humilitate consideret, ut clamans cum propheta: *Computruerunt et deterioratæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ* (*Psal. xxxvii, 6*), possit medelam, non suo merito, sed gratuito munere divinæ pietatis accipere. Quid enim habet homo quod non accepit? Si autem accepit, quid gloriatur, quasi non accepit (*I Cor. iv, 7*)? Solus igitur Deus potest omnibus quibus voluerit dare unde vera salus acquiri possit; et ideo solus potest in accipiente custodire quod dedit: *Nisi enim Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam* (*Psal. cxxvi, 2*). Ille itaque non patietur furtivum nequis ini prædonis ingressum, cui non defuerit Domini vigilantis auxilium: ipse enim *Non dormitabit, neque obdormiet, qui custodit Israel* (*Psal. cxx, 4*).

CAP. III. *In hac vita semper proficere debemus. Non potest homo ex se, absque Dei gratia, quidquam boni operari, ne velle quidam.* — 5. Sicut autem qui ad patriam tendit, donec perveniat semper habet ubi ambulet, sic etiam nos, quandiu in hoc mortali corpore constituti peregrinamur a Domino, præsens vita nobis est via, in qua semper habemus ubi possimus proficere, donec, Deo perducante, ad illam valeamus beatæ immortalitatis æternam patriam pervenire. Magnæ igitur beatitudinis est sic in præsentem vivere sæculo, ut profectui spirituali omnis fidelis operam det, nec tamen hoc suis aliquando viribus superbus assignet, sed humiliter corde a Deo poscat jugem custodiam accepti muneris, a quo emanat totius bonæ, non tantum principium, sed etiam perfectio voluntatis.

* Ms. Vict. et editi, potuerit. Ms. Corb., poterit,

6. Neque enim Jacobi apostoli prædicatio aliqua potest argumentatione cassari, dicentis: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (Jac. i, 17)*. Nec quisquam hominum, sive ad cogitandum, sive ad operandum quodcumque bonum, potest esse idoneus, nisi fuerit munere gratuito divinæ opitulationis adjutus: *Deus est enim qui operatur in suis et velle et perficere pro bona voluntate (Philip. ii, 13)*, sicut Vas electionis affirmat; quo etiam docente cognovimus quia, *Non sumus idonei cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est (II Cor. iii, 5)*. Ille igitur nobis omnem boni sufficientiam subministrat, cujus non minuitur plenitudo cum donat, qui nobis omne bonum benigne largitur ut habeamus; et in seipso sine diminutione permanet plenus: quod nec angelica potest, nec humana præstare natura; ac sic nulla, licet spiritalis, tamen creata substantia. Quia omne quod creatum est, sicut antequam crearetur non fuit, sic antequam acciperet habere non potuit; et sicut subsistere non potest sine illius operatione qui fecit, sic bonum non potest velle seu facere, nisi Deus dignetur jugiter adjuvare. Ab ipso namque est initium 179 bonæ voluntatis; ab ipso facultas boni operis, ab ipso perseverantia bonæ conversationis; ab ipso datur in præsentem sæculo vera cordis humilitas, et in futuro retributionis æternæ felicitas: ut ipsi sint sine fine felices qui nunc sine fictione sunt humiles, nec se inflatione vana seducunt, sed pericula præsentis vitæ cum timore et tremore conspiciunt*, in qua sic non potest esse bonis plena securitas, ut tunc facilius adversitas subrepat, cum se prosperitas fraudulenter ostentat.

CAP. IV. *Laqueos diaboli per se absque Dei gratia nullus evadere potest.* — 7. Nec est aliquod hujus vitæ tempus in quo non hominibus muscipulam tendat inimicus; cujus laqueos nemo potest propriis viribus evadere, nisi quem Deus gratia sua per Jesum Christum Dominum nostrum dignatus fuerit liberare. Ideo Vas electionis, cum captivari se in lege peccati sentiret, exclamabat, dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (Rom. vii, 24)*. Propterea etiam propheta, non sua virtute, sed divino munere, pedes suos de laqueo prædicat evellendos, dicens: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos (Psal. xxiv, 15)*. Et alio loco, ex persona sanctorum, quos de hujus sæculi laqueo liberatos, ad æternam dignatus est Dominus securitatem lætitiæque transferre, sic dicitur: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, et nos liberati sumus (Psal. cxlvi, 7)*.

CAP. V. *Nemo in hac vita securus. Oratione et cordis compactione pugnandum.* — 8. Verumtamen, ut suam animam unusquisque nostrum inter adversitates et laqueos inimici versari cognoscat, nec in hoc sæculo noxia unquam securitate torpescat, idem pro-

pheta dicit: *Tota die contristatus ingredieor; quoniam anima mea impleta est illusionibus, et non est sanitas in carne mea (Psal. xxxvii, 7)*. Quid est autem tota die contristatum ingredi, nisi totius hujus vitæ tempore peccatorum recordatione tristari. In quo enim anima illusionibus impletur, nisi cum concupiscentiarum carnalium frequenti tentatione concutitur? Quibus etsi consensione non cedit, fatigatione lassescit. Quamvis enim subinde suis Dominus in certamine, ne deficiant, adjutorium tribuat, permittitur tamen fatigari propriæ infirmitatis onere prægravata mortalitas, ut cum in seipsa nullum virtutis invenit firmamentum, ad poscendum divinæ pietatis citè recurrat auxilium.

9. Hic ergo tunc adversarium vincimus, si lacrymis, et orationibus, et continua cordis humilitate pugnemus. Scriptum est enim quia *Oratio humilium nubes penetrat, et non elongat Dominus, donec exaudiat (Eccli. xxxv, 21)*. Humilium ergo fletus magnus est concupiscentiæ carnalis interitus. Lacrymæ quæ ex compunctione cordis veniunt, et inimicum vincunt, et nobis donum lætitiæ triumphalis acquirunt. Qui enim *euntes eunt et flet, mittentes semina sua, ipsi venientes venient in exultatione portantes manipulos suos (Psal. cxxv, 5, 6)*. Quam bene autem sanctus propheta semina honorum operum riganda docet flumine lacrymarum! Omnia etenim semina non germinant, nisi fuerint irrigata; nec de semine procedit fructus, si fuerit aquarum juvamine destitutus. Proinde nos quoque, si volumus fructus nostrorum seminum capere, non desinamus 180 semina nostra lacrymis irrigare, quæ magis corde sunt fundendæ quam corpore. Ideo namque nobis dicitur per prophetam, ut scindamus nostra corda, et non vestimenta nostra (Joel. ii, 15); quod tunc facere possumus, cum scilicet recordamur nosmetipsos, etsi non in opere, saltem in cogitatione frequenter delinquere. Quia *terrena inhabitatio sensum multa cogitantem deprimit (Sap. ix, 15)*; et terra nostra germinare spinas nobis et tribulos non quiescit (Genes. iii, 17), nec possumus pervenire ad esum panis nostri, nisi fuerimus sudore vultus et fatigatione confecti.

CAP. VI. *Fatigatio nostra in resistendo concupiscentiis. Quid sit parvulos Babylonis elidere ad petram.* — 10. Fatigamur enim sudoribus, dum propriis cupiditatibus repugnamus: in quibus vincendis idcirco major est certaminis difficultas, quia non extrinsecus ex altero, sed intrinsecus ex seipso certanti homini concupiscentiæ carnalis generatur adversitas, quæ fatigationem ingerit humanæ imbecillitati, dum nascitur, quamvis divinæ virtutis opitulatione vineatur. *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque volumus, illa faciamus (Gal. v, 17)*. Hinc est quod nondum Deo sumus omnino subjecti, quia ex nobis nascitur quod divinæ renititur jussioni. Nam licet ex gratia Dei sit voluntas in nobis bona quæ nos Deo reddat humiles, non nobis

* Hæc verba, sed pericula præsentis vitæ cum timore et tremore conspiciunt, aberant ab editis; restituta sunt ex mss. Corb. et Vict., sensu subsequentiū verborum exigente.

tamen deest pravæ cupiditatis exortus, qui nos faciat contumaces.

11. Per Dei ergo gratiam sumus jam Deo ex parte subjecti, per culpam vero nostram sumus adhuc ex parte non subditi. Propter quod ad Hebræos dicitur necdum omnia Christo esse subjecta; sic enim ait: *In eo enim quod ei subjecit omnia, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei (Hebr. II, 8)*. Subjecti sumus igitur Deo, ex eo quod, ipso in nobis operante, condelectamur *legi Dei secundum interiorem hominem*. Necdum autem sumus subjecti ex eo quod videmus *aliam legem in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ, et captivantem nos in lege peccati, quæ est in membris nostris (Rom. VII, 22, 23)*. Subjecti sumus Deo, quia ipsius miseratione eripimur a tentatione; ipsi enim cantamus: *A te eripiar a tentatione (Psal. XVII, 30)*; sed necdum sumus omnino subjecti, quia *Tentatio est vita hominis super terram (Job. VII, 1)*. Subjecti sumus Deo, in quo *gressus nostros dirigit secundum verbum suum, ut non dominetur nobis omnis iniquitas (Psal. CXVIII, 135)*; sed necdum sumus omnino subjecti, quia *in multis offendimus omnes (Jac. III, 2)*. Subjecti sumus in quantum, ipso donante, *in carne ambulantes, non secundum carnem militamus (II Cor. X, 3)*; sed necdum sumus omnino subjecti, quia etsi habemus ex dono Dei *ut mente serviamus legi Dei*, habemus tamen ex reliquiis peccati *ut carne serviamus legi peccati*. Propter quod Apostolus dicit: *Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati (Rom. VII, 25)*.

12. Omnis enim qui nunc iuste vivit, carne quidem servit legi peccati, dum in se nasci carnalem concupiscentiam sentit: mente autem servit legi Dei, quia eidem carnali concupiscentiæ non consentit. Carne servimus legi peccati, dum filii Babylonis nascentes inquietant animam nostram; sed mente servimus legi Dei, cum iidem parvuli Babylonis eliduntur ad petram. Babylon enim confusio interpretatur, cujus filia est omnis carnalis cupiditas quam cordis confusio generat. Quandiu **181** autem in corpore peregrinamur a Domino, partus suos nobis ingerit ista confusio. Ex ipsa quippe confusione omnis prava cogitatio nascitur, quæ parvula tunc ad petram eliditur, dum celeri recordatione atque opitulatione Christi superata calcatur.

CAP. VII. *Et gratias agere, et continuas preces efundere Deo debemus.* — 13. Igitur licet habeamus unde gratias agere Deo debeamus, quia nos sibi gratuita miseratione subiecit, ut humiles simus, habemus tamen unde continuis precibus divinas aures pulsare debeamus; quia quandiu in hoc mortali corpore sumus, sicut non possumus sine peccato esse, sic necdum valemus perfectam humilitatem divinis iussionibus exhibere. Propter quod agendæ quidem sunt gratiæ Deo, in quantum nobis donat ut bene operemur, ne muneribus ejus existamus ingrati; et

* Editi, *dilectionem*; sed melior videtur lectio ms. Corb., in quo legitur *delectationem*; quia paulo supra

quando est opera ut ad meliora proficiamus, ne mortiferam incidamus in superbiam, si conversationem nostram putemus ex omni parte perfectam.

CAP. VIII. *Flendum in hac vita, ut in altera quieti vivamus. Qualis in cælo beatitudo.* — 14. Proinde gemamus et fleamus coram Domino, qui fecit nos (*Psal. xciv, 6*), ut a concupiscentia carnis, et a concupiscentia oculorum, et superbia sæculi, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est (*I Joan. II, 16*), liberet nos, et ad illam nos subiectionem perducatur in qua nobis nihil repugnet ex mortalitatis vitio, sed ex immortalitatis dono totum quicquid in nobis est fiat subditum Deo. Tunc enim erit in nobis vera, perfecta et excelsa humilitas, cum et in carne et in mente nostra nulla remanserit prava cupiditas; nec cogitationibus **B** fatigabitur spiritus, nec laboribus macerabitur corpus: nulla erit sollicitudo certaminis, sed perfecta erit securitas pacis; nulla nobis erit justitiæ indigentia, sed cum delectatione saturitas plena. Ibi erimus enim perfecta celsitudine beati, quia perfecta erimus Deo carnis et spiritus humilitate subjecti. Ibi nec minor erit laudatione nostra dilectio, nec inferior dilectione laudatio. Erit enim plena nostra laudatio, quia tunc in nobis erit Dei proximique perfecta dilectio. Tunc laudabimus et habebimus, tunc habebimus et amabimus, tunc satiabimur cum delectatione, et delectabimur cum satietate.

EPISTOLA V.

AD EUCYPIUM ABBATEM.

De caritate et ejus dilectione.

C Domino beatissimo, et plurimum venerabili, ac toto caritatis affectu desiderabili, sancto fratri et presbytero EUCYPIO, FULGENTII, servorum Christi famulus, in Domino salutem.

182 1. Utinam, sancte frater, tanta meo facultas suffragaretur eloquio, ut ad explicandam spiritualitatem quam ex tuarum litterarum lectione percepi dulcedinem, verba sufficientia reperirem; quod dum volo, nec valeo, mirum mihi aliquid evenisse cognosco, videns gaudium quod ex tuis sermonibus sumpsisti, non posse meis sermonibus explicari. Nempe quod mihi scripsisti, postquam cogitatione inventum dispositumque est, sic in litteras digessisti, ut aut ipse manu scriberes, auctore dictares. Unde igitur factum est **D** ut os meum delectationem * dictando parere non possit, quam cor meum ex tui oris dictatione concepit? Quæ est inops opulentia vel opulenta inopia, ut eo minus mihi sermo sufficiat, quo meo magis affectus instigat; et quod ideo loquor quia delector, minus eloquar quam delector? Quid rogo est hoc quod eloquio significare volo, nec valeo? Nimirum aliquid est quod sic corporali eloquio styloque significatur, ut tamen non corporaliter, sed spiritualiter habeatur

2. *Caritas primus fructus spiritualium donorum.* — In spiritualibus autem donis primus fructus est caritas.

dixerat, *ad explicandam spiritalem dulcedinem*, etc.

Unde non inordinate eam Vas electionis ita posuit : *Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax* (Gal. v, 22), et cætera. Alio quoque loco, præcipuum quiddam cœlestium voluit significare carismatum, cum diceret : *Quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (Rom. v, 5). Hæc caritas quam Spiritus sancti dono, cum indigni essemus, accepimus, tam bona, tam sancta, tam immensa est, ut eam etiam qui habet in corde, nunquam possit sermonibus explicare. O qualis caritas, multum miranda, multum laudanda, multumque diligenda !

3. *Caritatem non diligit qui eam non habet.* — Verumtamen non omnes qui caritatem mirantur et laudant, statim diligunt caritatem; et ideo, nisi eam quisque diligit, nihil ei proderit quod eam miratur et laudat. Tunc autem fructuosa est admiratio caritatis, et laudatio, si non desit in admirante atque laudante dilectio. Sed nunquid sicut eam possunt admirari atque laudare **183** qui eam non habent, ita possunt eam diligere qui eam necdum habent? Nequaquam; caritas quippe ipsa est dilectio: quomodo autem dilectionem jam diligit, qui dilectionem habere non cœpit? Nam ecce multa visu corporeo videmus, ubi non hoc est ipse visus, quod est illud quod eo videmus: quia illud est sensus quo videmus, illud autem sensibile quod videmus; et cum illud quod videtur ab oculis tollitur, si sanitas inest oculis, sic illud quod videbatur a sensu videntis auferitur, ut ipse sensus a vidente nullatenus auferatur: ita fit ut videndi sensus in homine maneat, quamvis ab eo quod videbatur visus ipse discedat. At cum caritas diligitur, quia non nisi dilectione diligitur, non potest homo tanquam oculum corporis a quacunque re visibili, sic a caritate intentionem avertere dilectionis, ut possit et caritatem non diligere, et dilectionem habere. Caritas quippe, id est dilectio, nullatenus diligitur, nisi dilectio habeatur qua ipsa dilectio diligitur. Seipsa igitur dilectio diligitur, quia tunc diligitur cum habetur, nec diligitur nisi habeatur. Et quidem potest diligi a nobis, etiam cum petimus ut augeatur in nobis, sed non diligit ejus augmentum qui non habet initium.

4. *Non diligitur caritas sicut pecunia. Non diligitur caritas sicut alia dona spiritus.* — Non ergo sic caritas diligitur, sicut nummus aut aliquid ejusmodi. Potest enim quisque unum non habere nummum, et multitudinem diligere ac desiderare nummorum. Diligit ergo iste nummorum multitudinem, cum ne unius quidem nummi habeat facultatem: apud se unum nummum non invenit, et foris nummos innumerabiles quærit. Hoc et in cæteris rebus corporeis invenimus, ut aliquid earum possit diligi, ita ut hoc ipsam quod diligitur nulla ex parte habeatur. Est tale quiddam et in plerisque spiritalibus donis: velut si quis diligit (verbi gratia) ut habeat prophetandi donum, quod nullus negat inter dona spiritalia litteris apostolicis contineri: *Alii quippe datur per Spiritum sermo sapientiæ* (sicut Vas electionis affirmat), *alii autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, al-*

terti fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitarum in uno Spiritu, alii prophetia, alii judicatio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult (I Cor. xii, 8, 9, 10, 11).

5. *Cætera dona sine bona voluntate haberi possunt; caritas nequaquam.* — Cum igitur, ut de cæteris taceamus spiritalibus donis, possit diligi prophetia, nec haberi; caritas tamen nec habetur si non diligatur, nec diligitur si non habeatur. Ideo cætera sancti Spiritus dona, id est, linguæ, prophetia, sacramentorum scientia, fides, facultatum in pauperes distributio, corporis quoque ipsius exustio, possunt hæc haberi sine voluntate bona, ad hoc scilicet ut habentem onerent, non honorent; caritas vero sine bona voluntate non potest haberi, quia voluntatem in qua caritas fuerit, malam fieri non permittit: *Caritas enim nec agit perperam, nec cogitat malum*; et quia *non gaudet super iniquitate* (I Cor. xiii, 4, 5), necesse est ut in qua est bonam faciat voluntatem.

6. *Malevolus animus caritatem nec impendit nec habet.* — Malevolus ergo animus non impendit caritatem alteri, quia non habet sibi; cum autem cœperit habere exordium, ut ita dixerim, caritatis, nec malevolus potest esse, nec sterilis. Et quia donec permanet in caritate, in Deo permanet, et Deus in illo manet (I Joan. iv, 16), semper habebit, **184** si eam semper impenderit; quando autem eam non impenderit, non habebit. Proprium est enim caritatis, quod ad cursum præsentis attinet vitæ, ut in eo qui eam erogaverit crescat, ab eo autem qui sibi tantum habere voluerit, sine dilatione discedat. Ille igitur eam magis habebit, qui libentius impenderit: quia sicut eam nec impendere potest, nec habere malevolus, sic nec habet eam quisquam, nec impendit invitus. Homo ergo benevolus est domicilium caritatis. Hoc autem nomen, id est *benevolus*, ex bene et velle compositum est: si ergo alteri quisquam male velit, in quantum male vult benevolus non est, ac per hoc malevolus est: *In malevolam autem animam non introibit sapientia* (Sap. i, 4); malevolus autem homo ille proprie dicitur, non omnis qui vel sibi vel alteri contrarium aliquid cupit aut poscit, sed qui nocendi voluntatem gerit, sive bonum, sive malum possit esse quod cupit.

7. *Voluntas bona, non ex officio, sed ex fine est.* — Voluntas autem vel bona, vel noxia, non ex officio, sed ex fine rei est cujusque pensanda: quia non ex eo quod facit, sed ex eo propter quod facit, qualitatem suæ quisque voluntatis ostendit. Nam et Paulus contrarium sibi aliquid volebat, cum posceret ut ab eo stimulus auferretur, quem salubriter adversus vitium elationis acceperat (II Cor. xii, 8); nec tamen habuit malevolam mentem, quamvis utilitati suæ contrarium gereret voluntatem. Ut enim a se stimulum quo colaphizabatur rogaret auferri, salutem corporis sui plus volebat prædicationi prodesse quam sibi, non quærens quod sibi utile esset, sed quod multis, ut salvi fierent. Illis ergo volebat prodesse sospitatem suam, quibus suam prodesse sciebat et vitam. Deni-

que cum desiderium haberet dissolvi et esse cum Christo (*Philip. 1, 23*), quod esset multo melius, sciebat tamen manere in carne necessarium esse, propter illos in quibus apostolatus ministrabat officium. Caritas ergo eum Christi urgebat, sive cum a se stimulum rogaret auferri, sive cum in carne, quamvis aliud desiderans, cuperet immorari: coarctabatur enim latitudine caritatis, ut et cum Christo desideraret esse, et officium vellet piæ necessitatis implere; caritatem igitur utrobique dilexit, quam semper in bona voluntate spiravit.

8. In dilectione proximi diligitur et caritas. *Dilectio Dei et proximi est dilectio caritatis.*—Quisquis itaque secundum caritatem (quæ Deus est) diligit fratrem, ipsam in eo quam maxime diligit caritatem. Ideo cum Salvator noster apostolos suos novo dignaretur innovare mandato, dicens: *Mandatum novum do vobis, ut invicem diligatis* (*Joan. XIII, 34*), iubens per se fraternitatem diligi, ipsam quoque caritatem fraternitatis per apostolum Paulum præcipit diligendam. Christo enim in se loquente, gentium Magister vult nos dilectionem habere sine simulatione: *Odiantes malum, adhærentes bono, caritate fraternitatis invicem diligentes* (*Rom. XII, 9, 10*).

9. Hinc est quod in undecimo Confessionum libro egregius ille doctor, beatus scilicet Augustinus, cum Deo amorem suum quem et ut eum diligeret ab ipso acceperat, confiteretur, ait: Jam dixi, et dicam: amore amoris tui facio istud (*S. August. XI Confess., 4*). ^a Psalmum quoque centesimum duodevigesimum exponens, cum illius loci intelligentiam explanaret ubi dicitur: *Incola ego sum in terra, ne abscondas a me mandata tua* (*Psal. CXVIII, 19*); **185** post aliqua sic ait: ^c Quid autem diligendum diligitur, si ipsa dilectio non diligitur? Unde consequenter iste incola in terra, cum Dei mandata ne a se absconderentur orasset, in quibus dilectio præcipitur, vel sola, vel maxime, et ipsius dilectionis dilectionem se velle habere proclamavit dicens: *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, in omni tempore* (*Idem in psal. CXVIII conc. 8*). ^d Nonne tibi videtur aperte de prophetis atque apostolicis dictis tracta beati Augustini de diligenda dilectione sententia ^e?

10. *Conclusio, ut ex caritate pro invicem oremus.*—Quocirca dilectio Dei et proximi, quæ plenitudo legis finisque præcepti est, et in Deo caritatem diligit, quæ Deus est, et in proximo caritatem diligit, quæ ex Deo est: tunc enim recte Deus proximusque diligitur, si et in Deo et in proximo ipsa caritas diligitur. Ita sit ut et in Deo ipsum Deum, et in proximo Deum sine dubio diligamus. Neque enim frustra post dilectionem Dei, non alia nisi proximi sola nobis est mandata dilectio, scilicet ut agnoscamus illam creaturam nos debere diligere, ubi caritatem ipsam possumus invenire. Omne namque animal irrationale, sicut non habet rationem, sic non habet caritatem;

A nec aliud mihi videtur esse ratio præcipua, quam competens atque ordinata dilectio quæ ab homine soli Deo debetur et proximo.

11. Vides, sancte frater, quam prolixum tecum conserui de caritate sermonem, dum nimis in te ipsam diligo caritatem, quam utique ipse quoque in nobis diligis; nec ob aliud, nisi quia hanc in nobis sic amas, qua dono Dei plenus es, ut etiam quos diligis, similiter plenos esse desideres. Hoc ergo superest, ut quia nos pure diligis, instanter pro nobis orare digneris, ut Deus, qui nos prior dilexit (*I Joan. IV, 10*), et deicit nobis caritatem qua diligitur a nobis, sicut non habentibus, ipse eam gratia præveniente largitur, sic in nobis omnes reliquias mundanæ cupiditatis absumat, et nos spiritu servientes (*Ms.*, spiritu ferventes) in caritate perficiat, illiusque nos faciat beatitudinis compotes, in qua scilicet nulla est delectatio prava, sic nulla mors timetur ex pœna: ubi nihil quisquam ex carnis fragilitate perpetitur, sed ab omnibus sanctis in Dei et proximi perfecta semper caritate regnatur.

12. Orantem pro nobis sanctitatem tuam clementia divina custodiat, quod opto, domine sancte ac beatissime frater. Dominus Januarius sanctitatem tuam toto salutis puritatis et venerationis ^b affectu; benedictionem a vobis directam, tota cum exultatione suscepi. Libros, sicut præcepisti, ad Monimum datos ^a, in quaternionibus destinavi, in quibus, si aliquid placuerit, utinam veritatis, et non solum amoris esse cognoscam! Hi sunt igitur meæ parvitas oblatio, quam vobis faciet puritas vestri cordis acceptam. Suggestione fratris communis accepta, quæso ut adiutrix adsit ^d vestræ caritatis industria. Obsecro ut libros quos opus habemus, servi tui describant de codicibus vestris.

EPISTOLA VI.

AD THEODORUM SENATOREM.

De conversione a sæculo.

Domino illustri, et merito insigni, ac præstantissimo filio THEODORO, FULGENTIUS, servorum Christi famulus, in Domino salutem.

186 CAPUT PRIMUM. *Occasio scribendæ epistolæ.*—1. Ut ignotus corpore audeam epistolari tibi meam notitiam inferre sermone, quæso ne impudentiæ deputes, neve importunitati opus caritatis assignes. Ad scribendum namque, primum sancti fratris Romuli dulcis epistola, deinde fratrum exinde venientium, qui a vobis in Domino benigne suscepti sunt, eo me magis suasio compulsi, quo vestri spiritualis propositi cognitio libentius invitavit. Retulerunt quippe quod Christi compulsus affectu, nostri nominis in colloquio benigne feceris mentionem, dicens te nostra epistola delectari. Libens igitur feci, quod te velle libenter agnovi, malens incultus videri sermone, quam esse frigidus caritate, domine illustris, et merito insignis, ac præstantissime fili.

^a Ms. Corb., Nonne aperte prophetis atque apostolicis dictis tracta beati Augustini sententia? nec habet tibi videtur. Colon. et Basil., Nonne tibi videtur aperte prophetis atque apostolicis dictis tracta? An-

tuerp., de prophetis... tractata.

^b Editi, plenæ rationis.

^c Ms. Corb., ad Monimum legatos.

^d Ms. Corb., quæso ut adiutrix sit.

CAP. II. *Gratulatur ei ac conversione et calcato mundo.* — 2. Itaque multum gaudeo quod jam sæcularis dilectionis nexibus non teneris, et mundum contemnendo calcas, a quo, cum eum diligeres, calcabaris. Nunc vero consulatu proveheris, nunc felici triumpho certissime sublimaris: non cui populus Romanus applaudit, sed cui angelicus cœtus adgaudeat: *Beatus es, quia hoc non caro et sanguis revelavit tibi, sed ille Pater qui est in cœlis (Matth. xvi, 17)*, inter quos cœlos et tu factus es cœlum. Quantum putas inesse luctum diabolo quod a te contemptum perspicit mundum, et te conversum cognoscit ad Christum: quod te videt ea in quibus videris esse deserere, et ab amore temporalium terrenarumque rerum ad illa cœlestia et æterna jam corde migrare? Quamvis enim Christus æqualiter sit pro cunctis fidelibus mortuus, et æquale cunctis beneficium redemptionis impenderit, dicente Apostolo: *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis: non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina; omnes enim vos unum estis in Christo Jesu (Gal. iii, 27)*; tamen conversio potentium sæculi multum militat acquisitionibus Christi.

CAP. III. *Exemplum optimatum trahunt post se multitudinem.* — 3. Sicut enim multi fratres et amici, clientes et subditi, noti pariter et ignoti, talium auctoritate, ad mundanæ dilectionis excitantur ardorem, et eo magis igne sæcularis concupiscentiæ succenduntur, quo sublimes sæculi dilectione mundana libenter captivos teneri conspiciunt: **187** ita quotiens ille qui respicit in terram, et facit eam tremere, qui tangit montes, et fumigant [al. fumigabunt] (*Psal. ciii, 32*), dum terrenis rebus intenta corda misericorditer respicit, et consideratione iudicii sui tremere compellit, dumque contingit superba corda sublimium, velut altitudines montium, ut confessione fumigent peccatorum; in talium tremore plurimi contremiscunt, et in talium conversione multi ad subsidium miserationis divinæ confugiunt. Ita fit ut qui sunt in sæculi culmine constituti, aut plurimos secum perdant, aut secum multos in via salutis acquirant. Magna tales aut poena manet, si multis præbeant makæ imitationis laqueum, aut gloria, si multis ostendant sanctæ conversationis exemplum. — CAP. IV. — Quis enim non parvam despiciat cellam, quando senator domum despicit marmoratam? Quis non terrena contemnens ad acquirenda cœlestia sibi consulat, quando ad cœlum Romanus consul terrenorum contemptu festinat?

4. *Conversio Dei opus est. Immutabilis Deus, et quæ possidentium eum futura beatitudo.* — Vere in te illud quod propheta cecinit opere videmus impleri: *Hæc est mutatio dexteræ Excelsi (Psal. lxxvi, 11)*. Quis enim in te hoc operari potuit, nisi ille qui ordinem mutabilium rerum secundum incommutabile novit regere ac dispensare consilium? Quia, ut singula pro

A opportunitate temporum, pro varietate causarum, vel in deterius, vel in melius commutentur, illius incommutabili consilio fit qui nec melioribus rebus, nec deterioribus commutatur. Neque enim habet ubi proficiat ipse in melius, aut unde in deterius deficiat. Ille quod est, semper est, et sicut est, ita est, non in se habet non esse posse quod est, quia nec in se habet esse posse quod non est. Et hoc quod sic est, non initio prævenitur, non fine concluditur, non temporibus volvitur, non locis continetur, non ætatibus variatur. Nihil ibi deest, quia totum in illo est; nihil ibi superest, quia nihil præter illum est.

5. Si qui ergo, rerum temporalium et mutabilium amore contempto, in illius dilectionem transeunt, in ipso erunt pleni, in quo nihil indiget; in eo securi, in quo nihil metuitur; in eo vere semperque gloriosi, cujus vera et sempiterna gloria nec aufertur, nec univertitur, nec augetur. Quis non illius vitæ desiderio præsentem vitam despiciat? Quis non illius abundantiae delectamento, divitias temporis labentis exhorreat? Quis non illius regni dilectione omnia terrena regna contemnat?

6. *Humilium tantum futura beatitudo.* — Illam ergo vitam tunc accipiemus, si huic nos vitæ mortuos æstimemus; et illas divitias tunc possidebimus, si hic pauperes spiritu vivamus; et ad illius regni culmen tunc perveniemus, si hic humilitatem, quam Deus ille Magister docuit, vero corde teneamus. — CAP. V. — Talibus mortuis dicit beatus Apostolus: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum illo in gloria (Coloss. iii, 3, 4)*. De talibus etiam pauperibus ipse Dominus loquitur, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (Matth. v, 3)*. De talibus quoque humilibus dicit: *Quoniam qui se humiliaverit exaltabitur (Matth. xxiii, 12)*; et alio loco: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (Matth. xi, 29)*.

7. Hanc humilitatem non habent sive qui mundum diligunt, seu qui **188** suis viribus assignant, cum ea quæ sunt in mundo contemnunt.

CAP. VI. *Superbiæ duo genera. Omne bonum Deo, non viribus nostris, assignandum.* — Hæc duo superbiæ genera, uno versiculo Spiritus sanctus designavit in psalmo, dicente David: *Qui confidunt in virtute sua, quique in abundantia divitiarum suarum gloriantur (Psal. xlviii, 7)*. In abundantia enim divitiarum suarum gloriantur, qui sic divitias suas diligunt, ut in ipsis summam beatitudinis collocent; in sua vero virtute confidunt, qui sic contemnunt divitias, ut ipsum contemptum viribus suis assignent; ac per hoc utrique superbi sunt: illi, quia in divitiis confidunt, non in Deo; isti autem, quia quod divitias spernunt, sibi volunt assignare, non Deo: illi, quia quod bene diligere non potest, male diligunt; isti, quia quod bene sperni

* Absunt hæc *non est Judæus, neque Græcus*, ab editis; leguntur in ms. Corb. et textu Apostoli, alii

cod. l. addunt *non est barbarus neque Scythæ*.

potest, non bene spernunt; ac per hoc, illi malum A male faciunt, isti bonum male operantur.

8. Proinde quoniam, Domino in te misericorditer operante, jam didicisti in abundantia divitiarum tuarum non gloriari, hoc superest ut non confidas in virtute tua, id est ne deputes viribus tuis quod sæculi facultates divitiasque contemnis, quod honores mundi pro nihilo ducis, quod desiderio regni cœlestis accenderis, quod viam mandatorum Dei currere delectaris. Hæc enim omnia nullatenus haberes, nisi a Deo munere gratuita donationis acciperes: non hoc homini dat natura, sed gratia; non hoc ex qualitate conditionis humanæ habetur, sed ex benignitate divinæ illuminationis acquiritur.

9. Homo quidem sic a Deo factus est ut hæc habere possit, sed habere non potest nisi dono Dei miserantis acceperit: nam et oculus sic factus est ut videre lumen possit, sed videre non potest nisi se illi lumen infuderit. Quod ergo videt oculus, beneficium est luminis; quo si caruerit, cæcus remanebit in tenebris. Non omne quod aliquid esse potest, jam hoc est quod esse potest, nisi (al. sed) cui naturaliter hoc est esse posse quod semper est. Hic autem unus Deus ipsa Trinitas est, id est, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus: qui solus est omnium rerum creator, quia solus a nullo creatus est. Omnia vero, quoniam ab illo creata sunt, non de illo, naturaliter et detrimento subjacent et cremento. Ut ergo quædam in deteriora non recidant, gratia ejus gubernat; et ut quædam ad meliora conscendant, gratia ipsius elevat; et ut in æternum permaneant, ipsa gratia C vivificat et conservat.

CAP. VII. *Gratia Dei semper poscenda quia et velle, et perficere dat.*—10. Hujus gratiæ adjutorium semper est nobis a Deo poscendum, sed ne ipsum quod poscimus nostris viribus assignemus: neque enim haberi potest ipse saltem orationis affectus, nisi divinitus fuerit attributus. Ut ergo desideremus adjutorium gratiæ, hoc ipsum quoque opus est gratiæ. Ipsa namque incipit infundi, ut incipiat posci; ipsa quoque amplius infunditur, cum poscentibus datur. Quis vero potest gratiam poscere, nisi velit? sed nisi in eo Deus ipsam voluntatem operetur, velle nullatenus poterit. Propter quod beatus Apostolus, non solum bona opera hominum, sed etiam bonam voluntatem Deum in nobis operari testatur dicens: *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* (Philip. II, 13). Hoc est, quod sollicitudinem fidelibus humilitatemque 189 commendans, præmisit (al. præcipit), dicens: *Cum timore et tremore vestram salutem operamini*; et ibi adjecit: *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate*. Ut ad eum quoque veniamus, currimus; et ideo currimus, quia currere volumus.

CAP. VIII.—Sed ne vel voluntatem, vel ipsum cursum assignemus viribus nostris, idem nos informat Apostolus dicens: *Non volentis, neque currentis, sed miserantis est Dei* (Rom. IX, 16).

* Ms. Corb., non recedant.

11. Quocirca, ut in his bonis quæ a Deo accepisti permanes et proficias; ut nec in via remaneas, nec retro redeas, nec in dexteram sinistrave divertas, quidquid habes bonæ voluntatis, vel bonæ operationis, Deo assigna, qui dedit, et ipsum humiliter roga ut et conservet et augeat quod donavit. Nihil tibi boni tanquam tuum assignes, ne non accipias quod accipere poteras, et quod acceperas perdas. Destabilis est enim cordis humani superbia, qua facit homo quod Deus in hominibus damnat; sed illa detestabilior qua sibi tribuit homo quod Deus hominibus donat. Tanto enim deterioris tenetur existit superbix reus, quanto in melioribus donis existit ingratus. Damnabilis est qui substantia sæculi male utitur, sed damnabilior qui spiritalibus donis superbus B effertur.

CAP. IX. *Humilitas animi sublimitas est Christianæ.*

—12. Crescat igitur in te humilitas animi, quæ vera est et integra sublimitas Christiani, et tanto magis in te cognosce Dei gratiam crescere, quanto magis tibi humilitatem cordis videris abundare. Quam ut semper habeas, in qua ut semper proficias, cum timore et tremore tuam salutem operare. Nec lectio desit operibus bonis, nec bona opera desint studio lectionis. Bona coram Deo et hominibus provide. Scripturis sanctis studium tui cordis impende; et ibi qui fueris, qui sis, quique debeas esse cognosce. Ad has si humilis et mitis accesseris, ibi profecto invenies, et prævenientem gratiam, qua potest elisus surgere; et comitantem, qua viam recti queat itineris currere; et subsequenter, qua valeat ad regni C cœlestis beatitudinem pervenire.

13. Sanctam multumque in Christo venerabilem matrem vestram, quæ tuo spiritali studio Christiana fide et vere materna caritate concordat, sed et venerabilem sororem tibi jam in Christo conjugem tuam, obsecro, salutare digneris. Inseparabilis Trinitas protectione vos virtutis suæ custodiat, quod opto, domine illustris fili.

EPISTOLA VII.

AD VENANTIAM.

De recta Pœnitentia, et futura retributione.

Dominæ illustri et merito venerabili filiæ VENANTIÆ, FULGENTIUS, servorum Christi famulus, in Domino salutem.

190 CAPUTI.—1. Sicut vera lux nullatenus obscuratur, ita nunquam veritas æterna mentitur. Lux autem et veritas Deus est, de quo scriptum est: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. I, 9). Ipsa quoque lux et veritas dicit: *Ego sum lux mundi* (Joan. VIII, 12). Et rursus de se ait: *Ego sum via, veritas, et vita* (Joan. XIV, 6). Ipsius vero doctrina monemur, quia *arbor bona bonos fructus facit*, et quia *ex fructibus arbor agnoscitur* (Matth. VII, 17); in ipso te, domina illustris et merito venerabilis filia, cum corpore sis

ignota, jam scio; in ipso tibi, cum sis tam procul a constituta, congaudeo.

2. Per epistolam siquidem clarissimi filii mei Junilli propositum simul et studium tuæ Christianitatis agnovi, qui mihi gratiam quam tibi largitus est Deus in tantum significare curavit, ut in suis litteris tuæ quoque salutationis mihi demonstraret indicium. Hoc procul dubio non fecisses, nisi Christum tota puritate mentis in suis famulis dilexisses, nec incognitum servum tam benigne in Domino salutes, nisi Dominum pio corde gestares. Gratias illi qui multiplicat gaudium nostrum de caritate fidelium.

CAP. II. — Ipsa (al. Ipse) est caritas quæ credentes perducit ad Deum, quia ipsa caritas est Deus. Unde Joannes apostolus dicit: *Deus caritas est; et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in illo manet* (I Joan. iv, 16).

3. *Bonum caritatis multiplex contra peccata.* — Hæc ubi habitare cœperit, non permittit dominari peccatum, sed cooperit multitudinem peccatorum; nec solum presentia peccata facit vitari, quin etiam præterita facit omnia relaxari. Hanc superbi contumacesque repudiant qui de peccatorum remissione desperant; et non solum salutis suæ curam, miseranda cæcitate rejiciunt; quia etiam fideles animas, si pervertere nequeant, perturbare mortiferis sermonibus non quiescunt: his etenim plerumque, aut peccatorum immanitas, aut ætatis nequiter peractæ longævitas spem salutis adimit, et ad deteriora perpetranda compellit; ita ut in talibus illa sanctæ Scripturæ sententia compleatur: *Peccator cum in profundum malorum venerit, contemnit* (Prov. xviii, 2, 3). Et vere malorum profunditas necat, si quos desperatio indulgentiæ, detestanda cordis obduracione, præjudicat.

191 CAP. III. *Nequaquam de Dei misericordia desperandum.* — 4. Quis enim non videat quam sit impium quamque sacrilegum, si homini per penitentiam præteritorum malorum ad bona converso credatur cujusquam peccati dari non posse remissio? Quid autem aliud his verbis agitur, nisi ut omnipotentis medici manus, ab humanæ salutis effectu, desperationis vitio repellatur? Ipse quippe medicus ait: *Non indigent qui sani sunt medico, sed qui male habent* (Luc. v, 31). Si peritus est medicus noster, omnes potest infirmitates sanare; si misericors est Deus noster, universa potest peccata dimittere. Non est perfecta bonitas, a qua non omnis malitia vincitur; nec est perfecta medicina, cui morbus aliquis incurabilis invenitur. Scriptum vero tenetur in litteris sacris: *Sapientiam autem non vincit malitia* (Sap. vi, 30), et omnipotentia medici nostri talibus in psalmo sermonibus intimatur: *Benedic, anima mea, Dominum, et omnia interiora mea nomen sanctum ejus. Benedic, anima mea, Dominum, et noli obtusari omnes retributiones ejus. Qui propitius fit omnibus ini-*

quitatibus tuis^b; qui sanat omnes languores tuos; qui redimet (al. redimit) de interitu vitam tuam; qui satiat in bonis desiderium tuum, qui coronat te in miseratione et misericordia: renovabitur sicut aquilæ (al. aquila) juvenus tua (Ps. cxi, 1, 2, seq.). Quid rogo nobis putemus remitti non posse, cum propitius sit Dominus omnibus iniquitatibus nostris? aut quid in nobis æstinemus sanari non posse, cum Dominus sanet omnes languores nostros? aut quomodo sanato et justificato indigentia aliquid relinquatur, cujus in bonis desiderium satiatur? vel quatenus plenæ remissionis beneficio potiri non creditur, cui etiam corona in miseratione et misericordia condonatur. Nemo igitur de medico desperans, in infirmitate remaneat; nemo misericordiam Dei minorans, in iniquitatibus contabescat. Apostolus clamat: quia *Christus pro impiis mortuus est* (Rom. v, 6). Ipse itidem dicit: *Quia Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere* (I Tim. i, 15).

CAP. IV. *Peccata etiam post baptismum commissa sunt remissibilia. Multus est ad ignoscendum Deus.* —

5. Sed forsitan dicitur illos peccatores posse salvos fieri qui post peccata merentur baptismatis ablutione mundari; deinceps autem peccata quæ videtur baptizatus admittere, irremissibilia permanere. Nunquid non baptizatis loquebatur Joannes apostolus, quibus dicebat: *Filioti mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis; et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est exoratio pro peccatis nostris* (I Joan. ii, 1, 2).

6. Quaecumque sit ergo peccatum, a Deo quidem potest remitti converso, sed ille sibi remitti non sinit, qui desperando contra se indulgentiæ ostium clausorit. Cæterum Veritas non mentitur, quæ dixit: *Quærite, et invenietis; petite, et accipietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui quærit, invenit* (al. inveniet); *qui petit, accipit* (al. accipiet), *et pulsanti aperietur* (Matth. vii, 7). Unde et propheta sanctissimus Esaias ad remissionem peccatorum nullatenus desperandam, impios et iniquos hortatur dicens: *Quærite Dominum, dum inveniri potest; invocate eum dum prope est. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationem suam, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus; et ad Deum nostrum, quia multus est ad ignoscendum* (Isa. lv, 6, 7). Relinquat ergo impius viam suam, qua peccat; relinquat iniquus cogitationem suam, qua de peccatorum remissione desperat, et secundum prophete dictum, *convertatur ad Dominum, quia multus est ad ignoscendum*. In hoc multo nihil deest, in quo et omnipotens misericordia, et omnipotentia misericors est. Tanta est autem et benignitas omnipotentia, et omnipotentia benignitatis in Deo, ut nihil sit quod nolit aut non possit relaxare converso.

CAP. V. *Salubris conversio in duobus consistit. Desperatio Judæ, penitentia sine spe.* — 7. Salubris

^a Ms. Corb., *etsi pervertere queunt, forte nequeunt.*

^b Ms. Corb., *cum propitius sit . . . cum Dominus avertat.*

^c Ita ms. Corb. et Ant. juxta græcum Apostoli contextum.; et Colon. et Basil. habent in hæc mundum.

autem conversio duplici ratione subsistit : si nec poenitentia sperantem , nec spes deserat poenitentem ; ac per hoc , si ex toto corde quisquam renuntiet peccato suo , et toto corde spem ponat remissionis in Deo. Etenim nonnunquam aut spem poenitenti homini diabolus adimit , aut speranti poenitentiam tollit : unum dum onerat , comprimit ; alterum dum elevat , dejicit. Judas , qui Christum tradidit , peccati sui poenitentiam gessit , sed salutem perdidit , quia indulgentiam non speravit. Denique sic de illo evangelista loquitur : *Tunc videns Judas , qui eum tradidit , quia damnatus esset , poenitentia ductus , retulit triginta argenteos principibus sacerdotum , et senioribus dicens : Peccator tradens sanguinem justum. At illi dixerunt : Quid ad nos ? tu videris. Et projectis argenteis in templo , secessit , et abiens , laqueo se suspendit* (Matth. xxvii , 3 , 4 , 5). Digne quidem poenitentiam gessit , quia peccavit tradens sanguinem justum , sed ideo sibi fructum poenitentiae denegavit , quia peccatum traditionis suae ipso quem tradiderat diluendum sanguine non speravit.

CAP. VI. *Spes sine poenitentia vana est praesumptio.* — 8. Plerosque sub vana spe indulgentiae in peccatis diabolus tenet , et compellit eos Dei justitiam non metuere , quos inaniter suadet de Dei bonitate gaudere. Tales dicunt , secundum Apostoli objurgationem : *Faciamus mala , ut veniant bona ; quorum damnatio justa est* (Rom. iii , 8).

9. His indiciis evidenter agnoscimus inaniter hominem poenitere , si dum poenitentia geritur , indulgentia desperatur , et frustra indulgentiam sperari sine peccatorum poenitentia ; ac per hoc , nec sub spe remissionis debet aliquis peccare securus , nec peccatorum suorum considerans multitudinem , remanere catena desperationis obstrictus. Hortatur enim nos Scriptura sancta , ut peccare jam desinamus , nec desperemus nobis remittenda quae fecimus ; dicit quippe : *Fili , peccasti ; ne adjicias iterum , sed et de praeteritis deprecare , ut tibi dimittantur* (Eccli. xxi , 1). Utrumque sancta Scriptura praemonuit , et ostendit quod nec in peccato debeamus remanere , nec de remissione cujuslibet iniquitatis ambigere. Cur enim jubetur ne adjiciamus peccata peccatis , si est in peccato manendum ? aut cur jubetur ut de praeteritis deprecemur ut nobis dimittantur , si sunt aliqua quae deprecantibus dimitti nullatenus possunt ? An forsitan temporum cuiquam potest praedjudicare longaevitae , ut sicut peracto tricennali spatio , nullus sinitur legibus humanis ablata repetere , sic legibus divinis , post longa peccandi spatia , non liceat indulgentiam postulare ? Absit ut hoc sit in Deo nostro quod in litibus habet humana conditio. Deus enim noster sic est misericors et bonus , sicut infinitus est et invictus. Proinde bonitas invicti non vincitur , et infiniti misericordia non finitur.

193 CAP. VII. *Omne tempus praesentis vitae conversioni aptum est.* — 10. Denique omne vitae pra-

* Haec verba *justum quandoque aversum posse damnari* : et *putemus* , aberant ab excusis ; restituta sunt

sentis tempus conversioni demonstrat aptissimum , dicens : *Iniquus , si se convertat ab omnibus iniquitatibus suis quas fecit , et custodierit omnia mandata mea , et faciat justitiam , et misericordiam , vita vivet , et non morietur. Omnia delicta ejus quaecunque fecit non erunt in memoria. In sua justitia quam fecit vivet. Nunquid voluntate volo mortem peccatoris , dicit Dominus , quam ut avertatur de via sua mala , et vivere eum ? Cum se autem averterit justus a justitia sua , et fecerit iniquitatem , secundum omnes iniquitates quas fecit ille iniquus , omnes justitiae ejus quas fecit non erunt in memoria ; in delicto suo quo deliquit , et in peccatis suis quibus peccavit , in ipsis morietur* (Ezech. xviii , 21 , 22 et seq.). Et infra dicit : *In eo cum convertet se justus a sua justitia , ut faciat delictum , in suo delicto quod fecit , in ipso morietur. Et in eo quod avertatur iniquus ab iniquitate sua quam fecit , ut faciat judicium et justitiam , hic animam suam custodivit , et avertit se ab omnibus iniquitatibus suis quas fecit , vita vivet , et non morietur* (Ibid. , 24). Utraque sententia vera est , quia utraque divina est , sive justum , cum aversus fuerit a justitia sua , omnes justitias ejus oblivioni tradendas ; sive iniquum , cum ab iniquitate fuerit conversus ad justitiam , ipsum salvandum , et omnes iniquitates ejus in memoria non futuras.

11. Iniquum vero est , si putemus justum quandoque aversum posse damnari ; et putemus ^a iniquum quandoque conversum non posse salvari. Justus est Deus et misericors. Sicut ergo potest per justitiam damnare aversum , sic potest per misericordiam semper salvare conversum. Nulla prolixitas temporis , vel aequitati divinae , vel pietati praedjudicat. Poenitentia nunquam est apud Deum sera , in cujus conspectu semper pro praeteritis habentur tam praeterita quam futura. Si diuturnitas peccatorum Dei vinceret misericordiam , non in aetate mundi novissima Christus veniret , ut peccata mundi pereuntis auferret , de quo dicit Joannes : *Ecce Agnus Dei , ecce qui tollit peccatum mundi* (Joan. i , 29) , et ipse Salvator de se : *Venit enim Filius hominis quaerere et salvare quod perierat* (Luc. xix , 10).

CAP. VIII. *Exemplum misericordiae Dei , ex parabola de Samaritano et Vulnerato.* — 12. Samaritanus noster nunquam vulneratum ad stabulum misericorditer impositum jumento perduceret , si aliquid in eo vulnus insanabile judicaret. Nunquam duobus denariis datis , redditurum se quidquid supererogaret stabulario spondisset (Luc. x , 30 et seq.) , si supererogationem illam non plenae sanitati praenosceret profuturam. Ut quid enim stabularius aliquid supererogat , si est in saucio vulnus quod curari non valeat ? Sicut ergo medico nostro nulla est incurabilis plaga , ita nec in aliquo vulnere , nec in aliquo tempore , caelestis potest deficere medicina. Ideo ipse medicus semper se posse converso salutem donare testatur , dicens : *Cum conversus fueris , et ingemueris , salvus eris* (Isa. xxx , 15). Propter quod duritiam quorundam sic per

ex ms. Corb. sermonis contextu hoc exigente.

Hieremiam Deus non desinit increpare : *Nunquid qui A* cadit non resurget, aut qui aversus est non revertetur? *Quare ergo aversus est populus iste in Hierusalem aversione contentiosa? Induraverunt cervices suas, noluerunt reverti (Jer. viii, 4, 5).* Non **194** punit Deus in peccatore peccata, si peccatoris cervix non fuerit indorata.

CAP. IX. *Justitia Dei conversos salvat, aversos aamnat.* — 13. Bonum nobis est igitur, si ad ejus misericordiam confugiamus cujus effugere justitiam non valemus. Ipsa enim justitia Dei talis est, ut aversos damnet, conversos salvet. Propter quod dicit : *Convertimini ad me, et salvabo vos (Isa. lrv, 22)*; semper autem delectatur conversione nostra, nec tempus homini, quandiu in hac vita est, posuit, quo propitiari converso non possit; imo tempus omne præsentis vite conversioni nostræ cognoscitur deputasse. Beatus enim Petrus dicit : *Non tardat Dominus promissum suum, sicut quidam tarditatem existimant, sed patienter fert propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam converti (II Petr. iii, 9).*

CAP. X. *Parabola de operariis in vinea. Deus semper delectatur conversione nostra* — 14. Si aliquam ætatem judicaret Dominus conversionis remedio ineptam, non diversis temporibus operarios vocaret ad vineam. In diversitate quippe horarum non incongrue accipitur ætatum diversitas; ita ut ætas puerilis accipiatur in mane, pubertas in tertia, juvenus in sexta, gravitas declinantis ætatis in nona et in undecima, senilis ætas ipsa novissima. In quacunq; igitur quis ætate vocatus, si benignitatem vocantis Domini non spernat, necesse est denarium vite perennis accipiat. Neque enim non semper delectatur conversione nostra, de quo nobis clamat Joel propheta : *Hæc dicit Dominus Deus vester : Convertimini ad me ex toto corde vestro, in jejuniis, et in fletu, et in planctu, et dirumpite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum; quia misericors, et patiens est, et magnanimis, et multum misericors, et patientiam habens in malis (Joel ii., 12 et seq.).*

15. Propter quod apostolus Paulus duritiam cordis increpat in his qui pœnitentiam suorum negligunt agere peccatorum; dicit enim : *Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis qui judicas. In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas; eadem enim agis quæ judicas. Scimus autem quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Existimas autem hoc, o homo omnis qui judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua (Rom. ii, 1, 2, et seq.).* Alio quoque loco non tam plangit qui peccare graviter vide-

bantur, quam eos qui peccatorum suorum pœnitentiam gerere noluerunt. Denique dicit Corinthiis : *Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditia, et fornicatione, et impudicitia, quam gesserunt (II Cor. xii, 21).* Nec immerito lugeat Apostolus qui pœnitentiam non agunt : scit enim plus esse gaudii coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, quibus non est opus pœnitentia (Luc. xv, 7). Digne igitur illos pro impœnitentia cordis lugeat beatus Apostolus, pro quibus non gaudet angelicus chorus.

195 CAP. XI. *Variis modis nos ad pœnitentiam vocat Deus.* — 16. Benignitas ergo Dei ad pœnitentiam nos adducit, ideo nos tribulationibus affligit, infirmitatibus corripit, angustiis erudit, ut qui in sanitate corporis peccavimus, in infirmitate a peccatis abstinere discamus : qui in lætitia misericordiam Dei contempsimus, correpti flagello tristitiæ justitiam ipsius formidemus. Ita fit, ut qui nobis, abutendo sanitate, infirmitatem peperimus, per infirmitatem sanitatis beneficia reparemus; et qui per lætitiæ in tribulationes incidimus, per tribulationes ad lætitiæ recurramus. Denique magis erga nos dilectionem Dei flagellis et correptionibus Scriptura sancta testatur ostendi; dicit enim : *Fili, ne deficias in disciplina Domini, neque fatigeris cum ab eo increparis; quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit (Prov. iii, 11).*

CAP. XII. — Sed et ipse Salvator illos se dicit amare quos arguit : *Ego, inquit, quos amo arguo et castigo (Apoc. iii, 19).* Et apostolorum doctrina prædicare non cessat, quia oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei (Act. xiv, 21). Ipse quoque Dominus arctam viam et angustam dicit esse portam, quæ ducit ad vitam.

17. Ut autem noverimus illos qui gaudiis temporalibus oblectantur, et jussa divina contemnunt, æternis ignibus concremandos, illos vero qui mala temporalia cum timore Dei patienter tolerant æterna quiete potituros; attendamus divitem purpuratum, et pauperem Lazarum, illum post epulas flammis perennibus traditum, istum post ærumnas in æterna sinu Abrahæ quiete securum : ubi cum stillam dives ardens digito beati pauperis linguæ suæ posceret irrorari, hæc ad eum beati Abrahæ protinus est directa responsio : *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem tu cruciaris, hic vero requiescit (Luc. xvi, 25).* Non fuit alia causa qua dives pœnas lueret, et pauper gaudio potiretur ac requie, nisi quia ille bona recepit in vita sua, ille autem mala.

CAP. XIII. *Non idem est bona præsentis vitæ habere et recipere.* — 18. Non omnes autem qui bona præsentis vitæ habent, bona præsentis vitæ recipiunt, nec omnes qui mala hujus vitæ patiuntur, mala hujus

* In ms. Corb. adduntur hic verba hæc, *ausculta o peccator et gaude*, verum nec leguntur in excusis, nec

quidquam ad sensum conferre videntur.

vitæ recipiunt; sed illi recipiunt bona in vita sua, A qui in gaudio et deliciis vitæ præsentis exsultant, et in eo se beatos credunt, quod se nulla concuti adversitate conspiciunt: illi autem mala recipiunt in vita sua, qui pressuras et tribulationes præsentis vitæ cum timore Dei tolerant, et corde contrito et humiliato, non temporalia gaudia, sed æterna suspirant; nec transitura bona, sed permansura desiderant.

19. Denique illis qui in bonis præsentium rerum volunt habere lætitiã, dicit psalmus: *Filii hominum, usquequo graves corde; utquid diligitis vanitatem et quæritis mendacium* (Psal. iv, 3)? et alio loco: *Nolite sperare in iniquitate^a, et in rapina nolite concupiscere. Divitiæ si affuant, nolite cor apponere* (Psal. lxi, 11). Tales etiam beatus Jacobus increpare non cessat, dicens: *Agite nunc, divites, plorate, ululantes in miseriis quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum* **196** *in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis in novissimis diebus. Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat, et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. Epulati estis super terram, et luxuriis enutristis corda vestra* (Jac. v, 1 et seq.). Talium quoque risum et gaudium in luctum converti præcepit et mœrorem, dicens: *Emundate manus, peccatores, et purificate corda duplices animo; miseri estote, et lugele, et plorate. Risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos* (Jac. iv, 8, 9).

CAP. XIV. *Retributione futura nec boni nec mali privabuntur.*—20. Neque vero potemus tristitiã humilium, et lætitiã superbiorum, luctum piorum, et gaudium impiorum, futura posse retributione privari. Manet utriusque (al. utrisque) condigna merces, divino reddenda iudicio, quam iudex ipse tali cognoscitur decrevisse sententiã: *Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis; vœ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis. Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (Luc. vi, 25; Matth. v, 5). Tales etiam David semina quidem dicit in fletibus jacere, nec tamen silet cum gaudio et exultatione **D** *messuros; sic enim ait: Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos suos* (Psal. cxxv, 5). Talibus etiam nunc asserit Dominum propinquare, dicens: *Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvos faciet* (Psal. xxxiii, 19). In tantum vero prodest tribulatio Christianis, ut per hanc spiritus noster Deo sacrificium fiat. Scri, tum namque

continetur in psalmo: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despiciet* (Psal. l, 19).

CAP. XV. *Exhortatio ad promptam conversionem.*—21. His et innumeris hujuscemodi testimoniis informati, principaliter ad Deum converti, quantocius festinemus; dicit enim Scriptura: *Ne tardaveris converti ad Dominum, et ne differas de die in diem, ne subito veniat ira ejus, et in tempore vindictæ disperdat te* (Eccli. v, 8). Conversi autem, de remissione peccatorum nullatenus desperemus, tenentes Domini fidele promissum, qui ait: *Cum conversus fueris, et ingrueris, salvus eris* (Isa. xxx secundum LXX). Pressuras tribulationesque præsentis temporis longanimiter toleremus, et a timore Dei nullatenus discedamus; præcipit enim nos Apostolus, esse in tribulatione patientes (Rom. xii, 12). Qui etiam correptionem præsentis temporis, ad evitandam futuri iudicii pœnam, multum nobis prodesse testatur, dicens: *Cum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur* (I Cor. xi, 32).

CAP. XVI. *In tribulationibus nostris gratias Deo agamus.*—22. Verum in ipsis tribulationibus gratias agamus Domino, et hoc quod sanctus Azarias dixit in fornace, nos in tribulatione dicamus: *Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, et laudabilis, et gloriosum nomen tuum in sæcula: quoniam justus es in omnibus quæ fecisti nobis, et omnia opera tua vera, et rectæ viæ tuæ, et omnia iudicia tua veritas; et iudicium veritatis fecisti, secundum omnia quæ induxisti nobis, et super civitatem sanctam patrum nostrorum Hierusalem. Quoniam in veritate et iudicio induxisti hæc omnia, propter peccata nostra. Quoniam peccavimus, et inique egimus, discedentes a te, et multum peccavimus in omnibus; et mandatis tuis non obeditimus, nec conservavimus, **197** *neque fecimus, sicut præcepisti nobis, b ut bene nobis esset. Et omnia quæ induxisti nobis, et omnia quæcunque fecisti nobis, in vero iudicio fecisti* (Dan. iii, 26 et seq.). Et paulo post ait: *Et nunc sequimur in toto corde nostro, et timemus te, et quærimus faciem tuam^c, ne confundas nos* (Ibid. 41).*

EPISTOLA VIII.

SEU LIBER AD DONATUM.

De fide orthodoxa et diversis erroribus hæreticorum. Domino eximio, et in Christi caritate plurimum desiderabili filio DONATO, FULGENTIUS, servorum Dei famulus, in Domino salutem.

CAPUT I. *Quis vitæ particeps. Quis expers.*—1. Multum ^d benedico Dominum, dilectissime filii, cujus gratia talis es, ut cum sis ætate junior^e, non quæ sunt carnis, sed quæ sunt spiritus concupiscas; et fidei fervore succensus, illa laudabiliter jam incipias meditari, quibus non voluptas carnem damnabiliter nutriat, sed agnita veritas animum spiritualiter pascat;

verba, et quærimus, quæ leguntur in Ms. Corb

^d Ms. Cod. Colbertinus habet *Multum*, idemque præfert in margine Antwerp. edit.; rel. edd., *Multis*.

^e Ms. Colb., *minor*.

^a Editi, *Nolite sperare iniquitatem.*

^b Basil., *sicut præceptum nobis esset, et omnia quæcunque fecisti nobis, tu bene nobis in vero iudicio fecisti.*

^c Editi, *et timemus faciem tuam; nec habent hæc*

ipsius enim factum inspiratione non dubito, ut cum A
s: illis insistere soleas sæcularium litterarum, nunc a
divinis eloquiis impendas affectum: illud utique vo-
ens magis apprehendere, non unde tumida eloquen-
tia discitur, sed unde vitæ perennitas comparatur.
Quisquis enim fidem veram tenet, vitam possidet:
Justus enim ex fide vivit (Rom. 1, 17); et quisquis in
ejusdem fidei mysterio cupit instrui, vitæ scientiam
desiderat adipisci: in qua tantum quisque crescit,
quanto magis quod verum et salutare est, discit. Hu-
jus scientiæ qui tenuerit indubitanter initium, per-
veniet ad perfectum, et qui non spreverit lac aposto-
lici sermonis humiliter accipere, ipse merebitur soli-
tidi cibi perceptione gaudere. Sive autem quis intra
Ecclesiam catholicam b lacte nutriatur, sive cibo
pascatur; si tamen a sinu matris Ecclesiæ non recesserit,
vitæ particeps permanebit; quia tenens fidei
justitiam, possidebit et vitam. Quam vitam nec ille
possidebit qui permanet in infidelitate, nec ille qui
perseverat in crimine: quoniam uterque de illis esse
convincitur qui, secundum 198 Apostoli c sententiam,
*ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum
habentes intellectum, alienati a vita d Dei per ignorantiam,
quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum
(Ephes. iv, 17, 18): ipsa enim cordis cæcitas,
et quid credat, et quid agat, ignorat.*

CAP. II. *Donatus contra fidem Trinitatis tentatus ab
Arianis. Ad respondendum de fide parati esse debemus.
Fides S. Trinitatis exponitur.*—2. Dicitur itaque a qui-
busdam Arianis de Patre et Filio propositam quæ-
stionem, in qua Patrem majorem et minorem Filium C
assererebant; te vero, propter divinarum ignorantiam
litterarum, quibus minus instructus es, non invenisse
quid eis in defensionem veræ fidei responderes. Hoc
in te itaque primitus in nomine Domini laudo, quia si
tibi non fuit tanta respondendi (al. respondentis) fa-
cultas, permansit tamen in corde tuo veritatis firma
(al. firmissima) credulitas. Non enim omnes qui
Christi participes sunt, etiam respondendo possunt
defensare quod credunt; sed etiam illa pars est pro-
fecto victoriæ, ut quandiu quis sermo non potest
defendere veritatem, fideli tamen corde devitet erro-
rem. Expediit autem ut saluberrima Petri apostoli
verba sectemur, præcipientis ut simus parati semper
ad respondendum omni poscenti nos rationem de fide
et spe quæ in nobis est (1 Pet. iii, 15). Volens ergo D
ad respondendum paratior inveniri, petis ut nostro
instructus sermone agnoscas quemadmodum hæreticis,
fidem nostram impugnare volentibus, divinis valeas
armatus eloquiis e obviare.

3. Proinde illud admoneo (al. commoneo) princi-
paliter teneas; sanctam Trinitatem, id est, Patrem,
et Filium, et Spiritum sanctum, naturaliter verum

(forte unum) esse Deum, summum, verum et bonum,
unius naturæ, unius essentia, unius omnipotentia,
unius bonitatis, unius æternitatis, unius immensitatis;
ac sic cum unum Deum audis Patrem, et Filium, et
Spiritus sanctum, unam naturam summæ illius
Trinitatis intellige; et cum Trinitatem audis, Pa-
trem, et Filium, et Spiritum sanctum, tres personas
unius summæ illius divinitatis agnosce. Tres enim
personæ sunt, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus;
ideo Trinitas dicitur: sed una substantia est Patris,
et Filii, et Spiritus sancti; ideo ipsa Trinitas unus
Deus veraciter a fidelibus prædicatur.

CAP. III. *Tres personæ, non tres naturæ. Æqualitas
in Trinitate. Scripturæ testimonia quod Trinitas sit
unus Deus. Testimonia pro tribus personis perperum
assignantur soli Patri ab hæreticis. Filius quoque Do-
minus Deus dicitur. Quis debet dici Christianus. Ado-
randus est et Filius.*—4. Tres itaque personas esse
Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, ostendunt
ipsius eloquia Veritatis. Unde Salvator noster ait:
Non sum solus, sed ego et qui misit me Pater (Joan.
viii, 16). De Spiritu sancto quoque dicit: *Ego rogabo
Patrem, et alium paraclætum dabit vobis, Spiritum
veritatis* (Joan. xiv, 16, 17). Præcepit etiam baptizari
gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti
(Matth. xxviii, 19). His atque hujusmodi testimoniis
ostenditur, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum,
tres esse personas, sed non tres esse naturas. Unde
Trinitas illa sancta digne creditur f in personis, tres
autem deos dici, Patrem, et Filium, et Spiritum
sanctum, non permittit unitas naturalis. Et quia in
una natura g Trinitatis nulla potest esse diversitas,
ideo in tribus personis manet inconfusa proprietas
et in unitate naturæ regnat incommutabiliter sub-
stantialis æqualitas. Ideo de 199 Filio dicitur: *Qui
cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est
esse se æqualem Deo* (Philip. ii, 6). Et: *Quia non so-
lum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat
Deum, æqualem se faciens Deo* (Joan. v, 18). Ad hanc
æqualitatem naturæ virtutisque, etiam illud pertinet
quod ipse Filius ait: *Quia quæcunque Pater facit,
hæc eadem et Filius similiter facit h. Et sicut Pater
suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vi-
vificat* (Ibid., 19, 21). In illa ergo i Trinitatis na-
tura, sic totum unum est, ut nihil ibi possit vel so-
parari vel dividi: sic totum æquale est, ut nihil ibi
majus aut minus j valeat inveniri. Istum nobis unum
Deum Novi et Veteris Testamenti veridica demon-
strat auctoritas; de hoc enim uno Deo beatus Moyses
dicit: *Audi, Israel: Dominus Deus tuus Deus (al.
Dominus) unus est; et: Dominum Deum tuum adora-
bis, et illi soli servies* (Deut. vi, 4). Et ipse Domi-
nus dicit de se: *Videte quod ego sum Deus k et non est*

a Abest nunc ab editis, legitur in ms. Colb.

b Ms. Colb., in terra Ecclesiæ catholicæ.

c Ms. Colb., beati Pauli apostoli.

d Antwerp., a via Dei; in margine vero præfert a
vita Dei. At ms. Colb. et Basil. habent a vita, juxta
græcæ Apostoli textum.

e Ms. Colb., div hujus valeas armatis eloquiis

f Ms. Colb., Trinitas illa creditur.

g Ms. Colb., in natura.

h Ms. Colb., quæcunque Pater facit, et Filius simi-
liter facit.

i Abest ergo ab editis; legitur in ms. Colb.

j Ms. Colb., magis aut minus.

k Editi, Ego sum solus et non est alius Deus præ-
ter me.

alius præter me (Deut. xxxii, 39). De hoc et beatus David dicit : *Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum (Psal. xvii, 32)*? Sanctus quoque Jacobus apostolus, istum unum Deum prædicans, ait, *Tu credis quia unus est Deus, bene facis; et demones credunt, et contremiscunt (Jac. ii, 19)*.

5. Verumtamen non ignoramus ista testimonia, et si qua similia in divinis ^a reperuntur eloquiis, quibus unus et solus asseritur Deus, non ipsi sanctæ Trinitati, sed uni tantum personæ, id est soli Deo Patri ^b, ab hæreticis assignari. Proinde illorum quæ proponimus testimoniorum ^c, id est illius quo dicitur : *Audi, Israel : Dominus Deus tuus Deus (al. Dominus) unus est*; et alterius, quo legitur *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*; in quantum, ipso Domino Deo donante, possumus, intelligentiam ^B requiramus. Primum quippe nos testimonium ponisse meminimus illud quo dicitur : *Audi, Israel : Dominus Deus tuus, Deus (al. Dominus) unus est*. Hoc itaque sic utriusque ^d fatemur esse firmissimum, ut ab hoc testimonio nullus existimet aliquatenus recedendum.

6. Proinde quoniam duos deos a fidelibus coli regula præcepti hujus nulla ratione permittit : aut Patrem et Filium credant unum naturaliter Deum, si volunt sine hujus transgressione mandati unum Deum sic colere, ut nec Patrem colant sine Filio, nec Filium sine Patre; aut, quia Deus major et Deus minor, Deus unus esse non possunt (al. non possent), necesse est ut, aut Patrem solum Dominum Deum suum dicant, et Filium Dominum Deum suum omnimodis negent; ^C aut solum Filium Dominum Deum asserant ^e, et a Dei Patris cultura recedant. Sed Deum Patrem Dominum Deum suum negare non possunt, quem usque adeo Dominum Deum omnium esse confirmant, ut etiam ei divinitatem Filii, tanquam minoris, jure servitutis ^f subjugare contendant : **200** Filium vero, si Dominum Deum suum negare voluerint, ipsius paternæ vocis testimonio protinus arguuntur; per os enim prophetæ, ex persona Dei Patris dicitur : *Et donavi Juda miserebor (al. misereor), et salvabo eos in Domino Deo suo (Ose. i, 7)*. Ipsum Dominum esse Deum nostrum Evangelicæ quoque veritatis commendat auctoritas, ubi beati Thomæ apostoli confessio pravitate hæreticæ prorsus contradicit, exclamantis atque dicentis : *Dominus meus, et Deus meus (Joan. xx, 28)*.

7. Ergo quando et Patrem Dominum sine dubio constituentur, et Filium Dominum Deum fateri prophetica atque evangelica veritate coguntur, aut Patrem et Filium, personarum proprietate servata, unum Dominum Deum naturaliter dicant, aut constituentes solum Patrem suum Dominum Deum, consequenter dicant Filium nec Dominum suum esse, nec Deum.

^a Ms. Colb., *vel si qua sunt similia quæ in divinis*.
^b Ms. Colb., *soli Patri*.
^c Ita ms. Colb. At editi habent, *illorum quæ proponimus testimonia*.
^d Ms. Colb. et Ant., *utrumque*.
^e Ms. Colb., *Deum suum asserant*.

A Quod cum dixerint, nunquam se audebunt asserere Christianos : cum utique Christianus a Christo nomen acceperit; Christianus autem nullatenus esse possit, quisquis ipsum Christum Dominum Deum suum esse non dixerit.

8. Fateantur ergo Patrem et Filium non duos dominos deos ^e, sed unum Dominum Deum suum, si volunt veritatem tenere fidei, et nolunt rebelles præceptis legalibus atque evangelicis inveniri. Sic enim poterunt (al. potuerunt) et illius testimonii, quo dictum est : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*, intellectum pariter officiumque servare. Neque enim cuiquam fas est sic adorare Deum Patrem, ut Deum Filium non adoret (al. adores), cum utique de ipso Filio scriptum sit in Deuteronomio : *Lætamini, carli, simul cum eo, et adorent eum omnes angeli Dei*. De ipso quoque beatus David dicat in Psalmis ^b : *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei (Psal. lxxi, 11)*.

CAP. IV. *Creatura nequaquam adoranda. Idololatæ veritatem Dei commutant in mendacium.* — 9. Quod (al. quia) si Filius secundum divinitatem ⁱ unus Deus cum Patre non esset, unius cum eo naturæ utique non fuisset; et si naturæ alterius esset, creatura sine dubio esset. Si autem creatura esset, serviendum ei sanctarum Scripturarum auctoritas non juberet, sed potius prohiberet. In primo enim decalogi mandato, sicut unius Domini Dei cultura servitutisque manifestissime præcipitur, ita omni creaturæ adoratio ac servitus a fidelibus exhibenda vehementissime prohibetur. Ibi enim dicitur : *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis : Non erunt tibi dii absque me (Exod. xx, 2, 3)*. Si hoc simul a Patre et Filio dictum accipitur, unus Dominus Deus credatur Pater et Filius : sed si hoc aut Pater sine Filio, aut sine Patre creditur dixisse Filius, necesse est ut aut Pater Dominus Deus negetur, aut Filius. De illo enim qui dixit : *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis : Non erunt tibi dii absque me*; de ipso sanctus Moyses ait : *Audi, Israel : Dominus Deus tuus Deus (al. Dominus) unus est (Deut. vi, 4)*. Et quia (al. et quod) ipse Deus sibi soli præcipiens tantummodo serviendum, seque jubens a fidelibus adorandum, prorsus interdixit ne quis audeat (al. audeat) creaturam adorare, creaturæque servire; propterea **201** in fine illius primi præcepti, de omnibus quæ creavit ita loquitur : *Non adorabis ea, nec servies eis : ego enim sum Dominus Deus tuus (Exod. xx, 5)*.

10. Quod utique sciens beatus Apostolus, iram Dei revelari pronuntiat super omnem impietatem et injustitiam eorum qui commutaverunt veritatem Dei in men-

ⁱ Ita ms. Colb.; at editi habent, *tanquam minoris Dei inritæ servitutis, aut inritæ servituti*.

^e Ms. Colb., *non duos deos*.

^b Ita ms. Colb.; at ed., *De ipso quoque... in psalmo dicit*.

ⁱ Ms. Colb., *dignitatem*; at editi, *divinitatem*.

adacium, et coluerunt et seruerunt creaturæ potius quam A creatori, qui est benedictus in sæcula (Rom. 1, 18, 25). Veritatem Dei tenere est unum Deum colere; veritatem Dei in mendacium convertere est creaturæ servire. Vera enim religio in unius constat veri Dei servitio. Ipsa namque veritas unus est Deus; et sicut excepta una veritate non est alia veritas, sic absque uno Deo vero non est alius verus Deus: ipsa enim una veritas est naturaliter una vera divinitas. Et ita non possunt duo veri dii veraciter dici, sicut ipsa una veritas ^a naturaliter non potest dividi.

CAP. V. *Scriptura et Patrem et Filium, verum Deum prædicat. Homines sancti filii Dei sunt non eo modo quo Christus. Quis commutat veritatem Dei in mendacium. Quid sit ex superioribus argumentis concludendum.* — 11. Sancta vero Scriptura, quæ nobis unum B Dominum Deum veraciter salubriterque commendat, sicut Patrem verum Deum, sic et Filium verum Deum fidelibus cunctis insinuat. De Patre quippe dicit beatus Paulus apostolus, Thessalonicensibus scribens: *Conversi estis ad Dominum a simulacris* ^b, *servire Deo vivo et vero; et expectare Filium ejus de cælis, quem suscitavit a mortuis Jesum, qui eripuit nos ab ira ventura* (I Thess. 1, 9, 10). Illic Jesus Christus non sic est Dei Patris filius, sicut nos sumus: ille est enim proprius, nos redempti; ille natus, nos facti; ille verus, nos adoptivi. Ille autem, qui verus est filius, ipse etiam verus est Deus, non adoptione generatus, sed de Patre naturaliter natus. In quo vero Deo veroque Filio, ideo est vera divinitas, quia naturalis est illi de Patre nativitas. Propter quod eum ^c verum Patris Filium, verum Deum, vitamque æternam, beatus Joannes in Epistola sua proficitur, dicens: *Scimus quia Filius Dei venit, et dedit nobis intellectum, ut sciamus verum, et simus in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus, et vita æterna* (I Joan. v, 20). Verum itaque Deum colere, veroque Deo servire, non est utique veritatem Dei in mendacium commutare. Ille autem veritatem Dei commutat in mendacium, qui Deo non vero existimat serviendum ^d; ille autem Deum non verum colit, et Deo non vero servit ^e, qui creaturæ servierit, creaturamque coluerit: quia ubi Deus non verus colitur, et Deo non vero servitur ^f, ibi Dei veritas in mendacium commutatur.

12. Quoniam ergo, et Deum Patrem Deum verum, et Deum Filium Deum verum, cælestium eloquiorum attestazione cognoscimus; aut unum verum Deum naturaliter Patrem et Filium cum catholicis asserant, aut duos veros deos a se coli, contra veritatem sanctæ fidei dicant; aut creaturæ cultores seipsos profiteri non metuant, ut veritatem Dei se in mendacium commutasse ipsa rerum manifestatione cognoscant. Una quippe veritas unius veri Dei, imo

una veritas, unus **202** verus Deus, non permittit servitutem atque culturam veri Dei creaturæ conjungi ^g. Vera quoque religio, excepto uno vero Deo, nulli deo sinit culturæ ac servitutis obsequium a fidelibus exhiberi.

CAP. VI. *Nulla creatura est veritas, sed vera. r'ilius in quo Patri æqualis. In quo minor. Duplex nativitas Christi, æterna et temporalis.* — Omnis autem natura quæ minor est natura Dei Patris, sine dubio creata natura est ^h. Quid est autem creata natura, nisi creatura? Omnis porro creatura ⁱ quoniam opus est veritatis, est quidem creatura vera, non tamen est veritas. Sola enim (al. autem) naturaliter est veritas, quæ naturaliter est vera divinitas. Illi ergo veritatem Dei non commutat in mendacium, sed veram fidei tenent salutare mysterium, qui nec solum Patrem, nec solum Filium, sed simul Patrem et Filium, unum Dominum Deum suum corde credunt ad justitiam, et ore confitentur ad salutem (Rom. x, 10). Quia non solum Pater Deus, sed etiam Filius Deus naturaliter est verax Deus, veritas Deus, permanens cum Patre naturaliter unus verax, unus verus, unaque veritas: quia duos deos credi vel dici omnino prohibet una veritas, quæ sola vera est divinitas.

13. Proinde Deus Filius secundum divinam naturam non est minor Patre, sed æqualis est Patri, quia Filius ita verus Deus dicitur, ut Pater Deus verior non dicatur; in Deo enim vero nihil minus existimari sinit ipsa veritatis agnitio. Permanet itaque in Patre et Filio naturaliter una veræ divinitatis æqualitas, et una incommutabilis ac sempiterna majestas. Sic autem Filium Patri æqualem veraciter dicimus, ut etiam minorem veraciter non negemus. Scimus enim Deum Filium natum de natura Dei Patris, natum etiam de natura Virginis matris, ac per hoc verum Deum de veritate paternæ naturæ, verum hominem de veritate maternæ substantiæ: quem divinitatis æternitas ostendit sine initio natum, et temporalis susceptio carnis docet sine dubio minoratum. *Æqualis est Filius Patri, et minor est Filius Patre: æqualis vera divinitate, minor vera humanitate. Æqualis, quia In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (Joan. 1, 1); minor autem, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Ibid., 14). *Æqualis, quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (Philip. 2, 6); minor autem, quia *se metipsum exinanivit, formam servi accipiens* (Ibid., 7). *Æqualis est Patri Filius, quia de Domino natus est Dominus; minor est autem Patre Filius, quia de ancilla factus est servus* Inde est quod dicit: *De ventre matris meæ, Deus meus es tu* (Psal. cxi, 11) Et iterum: *O Domine, ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ* (Psal. cxv, 6). *Æqualis est Patri Filius, quia*

^g Ms. *Culturam veri Dei creaturæ conjungi*; editi, *Deo creaturæque.*

^h Basil., *nulli Deo sinit culturæ ac servitutis obsequium nisi qui natura Deus est. Qui autem non est a natura Dei Patris, sine dubio creata natura est.*

ⁱ Ant., *omnis autem creatura. Ms. Colb. omnis autem naturæ.*

^a Ms. Colb., *una vera veritas.*

^b Ms., *ab omnibus simulacris.*

^c Ms., *Propter eum, etc.*

^d Ms., *qui vero Deo non existimat serviendum.*

^e Ms., *Deum verum non colit, et Deo vero non servit.*

^f Ms., *et Deo vero non servitur.*

Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (Joan. 1, 3); minor est autem Patre Filius, quia factus est ex muliere, factus sub lege (Gal. iv, 4). Et ideo sicut veraciter Dei Filius Deo Patri coæternus agnoscitur, sic veraciter matre posterior invenitur.

14. Primam quippe nativitatem Filii nullatenus præcessit æternitas Patris, cujus tamen secundam nativitatem præcessit temporalis nativitas **203** matris. In illa quippe natura Dei Patris, quæ esse non cœpit, de æterno Patre coæternus est Filius inenarrabiliter natus; in natura Virginis, quæ esse cœpit ex tempore, de temporali matre temporaliter est idem Filius misericorditer generatus. In ea itaque natura Dei Filius æqualis est Patri, in qua ante omnia coæternus est Patri; et in ea natura est Filius Patre minor, in qua est et matre posterior. In ea natura Patri æqualis est Filius, in qua creator est angelorum; in ea natura Patre minor est idem Filius, in qua Redemptor est hominum. In ea natura Patri æqualis est Filius, in qua ab initio creaturæ adoratur et laudatur ab angelis. In ea natura Filius minor est Patre in qua est minoratus paulo minus ab angelis ^a.

CAP. VII. *Minoratio in Christo ad naturam humanam pertinet.* — 15. Apostolica quippe auctoritas hujus minorationis non destitit demonstrare mysterium, dicens, *Eum autem, qui modico quam angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum* (Hebr. ii, 9). Superius autem cujus naturæ sit hæc assignanda minoratio, evidenter ostensum est, quando illud testimonium prophetæ prolatum est, quo dicitur: *Domine, quid est homo, quod memor es ejus; aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minorasti eum paulo minus ab angelis* (Psal. viii, 5). Dei ergo Filius ante susceptionem carnis, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (Philip. ii, 6), quia in illa forma Dei, Filius æqualis est Patri; quod si minor esset, in eadem forma Dei non esset: sed in forma Dei Filium esse apostolica testatur auctoritas. Ideo ergo æqualem Deo esse, non illi rapina fuerat, sed natura; quia in forma veri Dei non nisi verus esse potuit Deus, et divinæ formæ unitas ipsa est deitatis unius ^b naturalis æqualitas. Ubi ergo formæ unitas in natura erat, æqualitas rapina non erat. Naturalis autem divinitatis æqualitas, quæ in forma Dei erat, auferri Deo vero non poterat.

16. Inde est quod, retinens veritatem divinitatis, et veritatem accipiens carnis, minus idemque Dei et hominis filius, et Patre factus est minor, et Patri permansit æqualis. Ideo utrumque veraciter ipsa veritas dixit: et: *Pater major me est* (Joan. xv, 28); et: *Ego et Pater unum sumus* (Joan. x, 30). Vere ergo Deo Patre minor est Christus, quia naturaliter ex patribus est secundum carnem; et vere Deo Patri æqualis est idem Christus, quia naturaliter est

A super omnia Deus benedictus in sæcula. De ipso enim uno Christo Dei Filio beatus Apostolus ait: *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Proinde vera fides, quæ in uno eodemque Christo utriusque credit et confitetur substantiæ veritatem, unum eundemque Christum Dei Filium, et secundum veritatem carnis factum prædicat minorem, et secundum veritatem divinitatis Deo Patri credit et confitetur æqualem. Sicque veraciter unum Deum cum Patre Filium vera fides adoratur, quæ sic uni Deo novit a creaturis omnibus serviendum, ut noveit creaturæ non deberi divinæ ^c servitutis obsequium.

204 CAP. VIII. *Spiritus sanctus non creatura, sed creator est. Spiritus sanctus est verus Deus. Templum Spiritus sancti sumus sicut Patris et Filii. Spiritus sanctus æqualis est Deo Patri et Filio.* — 17. Inde est, quod etiam Spiritum sanctum creatorem vera fides asserit, non creaturam. Quomodo enim creator esse negetur, a quo firmata cælorum virtus ostenditur, dicente David: *Verbo Domini cæli firmati sunt; et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (Psal. xxxii, 6). Et alio loco: *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur* (Psal. ciii, 30). Creator quippe est omnium rerum, qui factor est hominum. De quo beatus Job dicit: *Spiritus divinus qui fecit me* (Job. xxxiii, 4). Spiritus ergo sanctus, sicut omnia creavit, sic omnia replet immensus. Et quia immensus replet ^d, naturaliter est verus Deus. Scriptum est enim: quia *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (Sap. i, 7). Nam et beatus David ubique esse Spiritum Dei testatur, dicens de eo: *Quo ibo a spiritu tuo, aut a facie tua quo fugiam* (Psal. cxxxviii, 7)? Quomodo autem negant Ariani Deum esse Spiritum sanctum, cum ita simus templum Spiritus sancti, sicut sumus templum Patris et Filii? Apostolus enim dicit: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (I Cor. iii, 16). Sic autem nos Apostolus asserit esse templum Dei, ut in eadem epistola templum nos dicat etiam Spiritus sancti. Dicit enim: *Nescitis quia membra vestra templum sunt qui in vobis habitat Spiritus sancti, quem habetis a Deo* (I Cor. vi, 19)? Et ut ipsum Spiritum sanctum Deum esse demonstraret, continuo subjunxit: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro* (Ibid., 20).

D 18. Æqualis est ergo Patri et Filio Spiritus sanctus, quia creator est omnium rerum, sicut Pater et Filius. Æqualis est Patri et Filio Spiritus sanctus, quia omnia replet immensus ^e, sicut Pater et Filius. Æqualis est Patri et Filio Spiritus sanctus, quia omnium fidelium membra unum templum habet sicut Pater et Filius. Quis autem negare audeat unam esse divinitatem Patris, et Filii, et Spiritus sancti,

^a Locum hunc majori sui parte mutilum v. editis restitulumus ex cod. ms. Colb. Sic enim legebatur in editis: *In ea natura Patre minor est idem Filius in qua ab initio creatura adoratur et laudatur ab angelis: reliqua vero omnia aberant.*

^b Editi, *divinitatis hujus.*

^c Abest ab editis *divinæ*, legitur autem in ms. Colb.

^d Editi, *et quia omnia replet.*

^e Ita ms. Colb.: *at editi, quia replet. mundum.*

rum corpora fidelium, quæ membra sunt Christi, A ipsa templum sicut Spiritus sancti?

CAP. IX. *Conclusio de Trinitate. In tribus personis non est diversitas divinæ naturæ. Baptismus non valet nisi in nomine Trinitatis collatus.* — 19. Trinitas est itaque unus solus creator omnium rerum Deus, Trinitas est unus solus immensus naturaliter Deus. Ad hujus imaginem Trinitatis homo factus agnoscitur, in cuius nomine baptizatus denuo renovatur. Baptizari autem gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (Math. xxviii, 19), Salvator noster edocuit, ut sicut Trinitatis opere initium conditionis accepimus, sic in nomine Trinitatis, divinæ adoptionis gratiam sumeremus ^e. Unus est ergo verus Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, qui omnipotentissima bonitate creat homines, et gratuita miseratione justificat peccatores. Præter hunc unum ^b Deum rerum nullus est Deus, quia dum dicit: *Videte quia ego sum Deus, et non est alius præter me* (Deut. xxxii, b9), docet nos et admonet grave esse peccatum, si quis extra unum Deum alium credat ^e. Alium sine dubio credit quisquis in Patre, et Filio, et Spiritu sancto, diversitatem divinitatis existimat; cum ille Deus, qui solus habet veram divinitatem, colendi alterius dei nullatenus **205** tribuat facultatem; nec in sacramento redemptionis humanæ sit aliquatenus nominandus, quisquis ab unius veri Dei natura invenitur extraneus. Mysterium autem redemptionis humanæ nulla ratione perficitur, si in baptismo vel Filii, vel Spiritus sancti, vocabulum subtrahatur.

CAP. X. *Excusatio brevitatis.* — 19 bis. Proinde, C quoniam epistolaris modus sermonem nostræ disputationis non permittit extendi, dilectionis tuæ primordia non sunt lectionis prolixitate fatiganda, sed brevitate potius excitanda, ut dum breve opus delectabiliter legis, ad prolixam lectionem ardentius inflammeris. Pauca quæ dicturus sum, intente lege, prudenter intellige, et indubitanter tene: ex quibus valeas in assertione fidei a falsis vera discernere, et Christianam fidem, ipsius illuminatoris nostri juvenine retinere ^d.

CAP. XI. *In Trinitate unus Deus, una natura. Error Sabellianorum.* — 20. Unus Deus est sancta Trinitas, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Una est enim Patris, et Filii, et Spiritus sancti, natura, sed non una persona. Proinde ut retenta veritate possis D refellere, vel certe respuere falsitatem, si quem videris ita Patris, et Filii, et Spiritus sancti unam confiteri naturam, ut velit unam asserere personam, noli Christianum catholicum putare, sed hæreticum Sabellianum agnosce.

CAP. XII. *Error Arianorum. Sabelliani et Ariani in quo recipiendi, in quo respuendi.* — 21. Si quem vero audieris ita tres personas, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, dicere, ut velit tres naturas istarum trium

personarum asserere, Arianum hæreticum sine dubitatione intellige. Verum est enim quod Sabelliani unam naturam Patris, et Filii, et Spiritus sancti, credunt; sed falsum est quod tres personas esse non credunt. Verum est etiam quod Ariani tres personas Patris, et Filii, et Spiritus sancti, dicunt; sed falsum est quod istarum trium personarum tres naturas persuadere contendunt. Perverse itaque Ariani naturam Trinitatis dividunt, et personas Sabelliani confundunt; cum ita sit una natura Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut non sit una persona; quia alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti.

CAP. XIII. *Error Macedonianorum.* — 22. Si quem vero videris, Patris quidem et Filii unam confiteri naturam, sed Spiritus sancti alteram prædicare substantiam, ut æqualem quidem dicat Patri Filium, et solum minorem asserat Spiritum sanctum, iste non tenet catholicæ fidei veritatem, sed a Macedonio natum perfidiæ sectatur errorem ^e. Proinde quia non est catholicus Christianus, sed Macedonianus hæreticus est, ab omnibus est fidelibus respuendus.

CAP. XIV. *De veritate humanæ naturæ in Christo.* — 23. Nunc pauca de mysterio Dominicæ Incarnationis advertite. Christus enim Dei Filius, qui seipsum Veritatem profitetur, sicut verus est Deus, sic verus est homo: in quo sicut est plenitudo divinæ naturæ, ita est et plenitudo humanæ substantiæ ^f. Inest enim illi naturalis veritas divinitatis, naturalis veritas animæ rationalis, et naturalis veritas carnis: ac per hoc naturalis divinitas communis est illi cum Patre: naturalis vero humanitas communis est illi cum Virgine matre.

CAP. XV. *Hæresis Manichæorum.* — 24. Si quis ergo sic in Christo veram divinitatem prædicat, ut ejus veram carnem negare contendat, non est Christianus catholicus, sed **206** hæreticus Manichæus. cum ipse Christus discipulis dubitantibus dixerit: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (Luc. xxiv, 39).

CAP. XVI. *Error Photinianorum. Christus mediator hominum propter naturæ utriusque consortium.* — 25. Rursum si quis in Christo sic veritatem prædicat animæ et carnis, ut veritatem in eo nolit accipere deitatis, id est, qui sic dicit Christum hominem, ut Deum neget, non est Christianus catholicus, sed Photinianus hæreticus. Christus enim quemadmodum secundum veram divinitatem Deus creator est hominum, ita secundum veram carnem mediator est Dei et hominum. Mediator enim nullatenus esset, si vel cum Patre divinitatis naturam, vel cum hominibus communem carnem et animæ substantiam non haberet. In eo autem verus mediator est hominum hominum Christus Jesus, in quo et de Patre formam Dei (per quam nos salvaret) naturaliter habuit, et ex Virgine

^a Ita ms. Colb.; at editi, gratia frui mereremur.

^b Ms., I præter hunc Deum verum.

^c Ms., In alterum credat.

^d Ms. In nomine tene.

^e Sic ms.; at editi, sed Macedoniæ perfidiæ sectatur errorem.

^f Ms., In quo sicut plenitudo humanæ substantiæ sic plenitudo in eo est divinæ.

formam servi (quam in nobis salvaret) accepit. Nunquam autem homo a Deo gratiam salutis acciperet, si in una persona Christi divinæ humanæque naturæ communicatio non maneret ^a.

CAP. XVII. *Duæ naturæ in una Christi mediatoris persona. Duæ in Christo naturæ nec confunduntur nec duas personas constituunt. Eutychemis et Nestorii contrarii errores.* — 26. Veritas ergo Christi sicut habet veritatem naturalem divinitatis ex Patre, sic habet naturalem veritatem humanitatis ex Virgine. Deus enim unigenitus dignatus est in utero Virginis fieri humanæ carnis animæque susceptor, ut esset humanæ carnis animæque salvator. Ipse unus, in quo est gemina, inseparabilis, inconfusibilisque ^b natura, et utriusque nature una persona: in quo alii duo rursus hæretici, sibi met contraria sentientes, diversos errores intulisse (at. instituisse) cognoscuntur, Nestorius scilicet et Eutyches. Nestorius quippe, quia duas in Christo cognovit esse naturas, conatus est duas in eo prædicare personas, et ita cor habens falsitatis obscuritate cæcatum, fidei Christianæ non dubitavit suæ perfidiæ sociare mendaciam. Fides enim vera sicut in Christo duas naturas veraciter prædicat, sic duas in eo personas omnino denegat. Eutyches vero recte crederet unam in Christo personam, perverse visus est unam in eo prædicare naturam, cum vera fides simul in Christo sic proprietatem naturæ utriusque cognoscat, ut unam personam divinitatis atque humanitatis intelligat.

CAP. XVIII. *Sabellius. Arius. Manes. Photinus.* — 27. Unus quippe Christus est, qui *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Qui etiam Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Hinc Sabellianus vincitur, quia in eò quod *Verbum erat apud Deum*, ostenditur alia Patris, alia Filii esse persona. Hinc etiam Arius superatur, quia in eo quod *Deus erat Verbum*, ostenditur una esse Patris Filiique natura. Ad ostendendam quippe proprietatem personæ valet quod solus Filius Verbum dicitur; ad ostendendam vero unius naturæ communionem pertinet, quod sicut Deus Pater dicitur, sic etiam Filius Deus nuncupatur. Hinc etiam et Manichæus simul confunditur, et Photinus, in eo quod dicitur: *Et verbum caro factum est.* In nomine quippe Verbi divinitas vera cognoscitur, et in nomine carnis vera humanitas invenitur: ut Christus Filius Dei, et verus Deus, et verus homo, in utriusque nominis **207** naturali veritate cognoscatur; ac sic, nec Manichæus in eo falsam prædicare audeat carnem, nec Photinus ei naturalem valeat adimere deitatem.

CAP. XIX. *Nestorius et Eutyches ex Apostolo reseruntur. Inconfusæ manserunt duæ in uno Christo substantiæ, nec persona geminata est.* — 28. Nestorius quippe et Eutyches apostolicis convincuntur eloquiis: ille, ut agnoscat unam Christi geminari personam non posse, iste, ut noverit Christi geminam confundi non

^a Ms., Si in una persona Christus divinæ humanæque nature continuo non maneret.

A posse naturam. Ipse quippe unus est Christus, de quo illud quod jam superius positum est, dicit Apostolus: *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (Rom. ix, 5). Ubi et unam Christi personam, et geminam naturam, plenus Spiritu sancto demonstravit. Dicens quippe: *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia benedictus in sæcula*, sicut Dei et carnis nomine veritatem naturæ utriusque indubitanter ostendit, sic in uno Christi nomine unam personam divinitatis atque humanitatis edocuit. Christus enim, qui est *ex patribus secundum carnem*, ipse est *super omnia Deus benedictus in sæcula*. Non confunditur natura quam Dei Filius habet ex Patre, cum ea natura quam idem Deus sumpsit ex virgine. Sed nec **B** habuit Christus duas aliquando personas, quia idem Deus unigenitus, et secundum divinitatem natus est de Patre, et secundum carnem processit ex Virgine. Et qui Verbum Deus natus est de Deo, idem Verbum caro factum *tanquam sponsus processit de thalamo suo* (Psal. xviii, 6). Ipse unus, qui, servata utriusque proprietate naturæ, et *crucifixus est ex infirmitate*, et *vivit ex virtute Dei*.

CAP. XX. *Conclusio libri exhortans ad scripta Sanctorum perlegendam.* — 29. Hæc tibi, carissime fili, pro tuo sancto desiderio et dilectione transmissi, ex quibus tibi quidem præbeatur instructionis gustus, et ex hoc gustu crescat in te prolixioris lectionis affectus, ut tanto magis possis Deo adjuvante proficere, quanto studiosius cœperis sanctorum Patrum dicta requirere, inventa frequentius atque attentius recensere. Unde tibi, Deo adjuvante, gratia scientiæ plenioris accedat, qua possis non solum veram retinere fidem, verum etiam hæreticorum mortiferam convulcere falsitatem, credens et firmiter retinens, unam naturam et tres personas in Trinitate Deo, et unam personam duasque naturas in unigenito Dei Filio Domino nostro Jesu Christo.

208 EPISTOLA IX.

Victor Fulgentio, ipsius preces enixe flagitans, et sermonem Fastidiosii Ariani refellendum mittens.

Domino beatissimo et apostolicis meritis coæquando, sancto patri FULGENTIO episcopo VICTOR.

1. Desideratæ rei divinitus attributum tempus advenit, quo nostra petitio sortiatur effectum. Nefas enim fuerat ut is qui ad respondendum callidæ machinationi beatitudinem tuam frequenter ipse petieram, differrem volentem; quod apud honestissimos mores mendacio plerumque deputatur quidquid differendo promittitur. Sed hoc sicut nobiscum vestra beatitudo melius recognoscit, non voluntate factum est, sed spatium regionum diversarum impedimentum detulerat; quibus huc atque illuc incassum ducimur; ubi nulla salutis æternæ vitæ utilitas invenitur. sed potius ab ipsa futuræ vitæ utilitate exquirenda, mens diversis occupationibus avocatur; ut cum tempus est

^b Ante., inconscissib le.

diabolici timoris instinctu, aliquid quod ad salutem æternam proficiat, quisque nostrum minime agere permittatur.

2. Induimur enim diversis cupiditatibus ac desideris hujus mundi, quæ subito tanquam fumus evanescent, et insanabiliter sæcularibus illecebris sic nostra deservit intentio, ut tanquam si immutabiliter in hoc mundo vivamus, sic de futura æternitate, aut vitæ, aut mortis periculo, quod utrinque (*al. utrumque*) est, minime cogitemus: sed hoc tantum satagimus, quod in presenti cognoscimus nostris desideriis adfuturum. Quantacunque enim utilitas nostræ voluntati accrescat parum esse putamus, secundum illam B. Cypriani sententiam: *Quid aliud in mundo quam pugna adversus diabolum quotidie geritur? Et paulo post sequitur: Si avaritia prostrata est, exurgit libido; si libido compressa est, succedit ambitio; si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscondit* (*Lib. de Mortalitate, paulo post initium*), etc. Pervidens vir venerabilis tantis animam inimici jaculis quotidie vulnerari: unde non virtus propria, sed sola divina poterit eruere misericordia.

3. Propterea lacrymabiliter exoramus, ut pro vobis cum omnibus illis quos Domino acquisisti, ac mundanis squaloribus erutos ad spiritalem vitam converti fecisti, ejus pietatem exorare digneris, ut nobis misericordie suæ lumen ostendat, ut non sumat vindictam de peccatis nostris, ut in delictis nostris non moriamur, ut exuamur a laqueis et compedibus inimici, ut non se gaudeat lucrare animam, quam Dominus suo sanguine redemit. Sed hoc enixissime obsecramus, ut nostram supplicationem tuis precibus justis, nostrosque gemitus tuis sanctis fletibus adjungas, **209** ut mereamur vestris intercessionibus futuræ vitæ subsidium reportare, ut qui peccatis mortui sumus, vestris sanctis orationibus resurgamus. Aliiter enim Eliseus propheta suscitare non posset cadaver exanime, nisi, refrænatis membrorum lineamentis, illo se corpori faceret æqualem (*IV Reg. iv, 3, 4*). Minoravit se paululum magnitudo, ut cum osculatur mortuum, implastraret animam, et redderet puerum vivum. Unus se sternit, et duo consurgunt; et subito redditur incolumis genitrici, qui alieno spiritu revixit. Et ego ita confido vestro intercessu me vivum Ecclesie matri restitui, qui videor gravantibus peccatis mortis aculeo detineri. Scio enim quod in juvenili ætate vitæ, ante annos plurimos salutem animæ nostræ quæsieris, Dominumque ex hac re sæpissime postulaveris, ut me a tentationibus hujus vitæ erueret. Et quia adhuc peccatorum mole depressus mereri non potui, hoc deprecor, ut assiduis supplicationibus pro nobis Dominum exorare digneris, ut quofibet ordine vel tempore delictorum nostrorum veniam assequatur.

4. Et ne nostra flebilis ac diuturna oratio vestræ paternitatis sensibus fastidium generet, illud nobis iterum postulandum est, ut promissionibus vestris celer sequatur effectus; ac maligno operi illius, qui

venerabilium monachorum spiritalem vitam, et secundum sæculum quasi vilissimam, fastidiosè contemnens, usque ad cedros Libani evolans se pervenisse gloriatur, cujus nomen, nisi fallor, per ordinem verborum superiore versu evidentius videor expressisse, cujus tractatum direxi, qui emendicatis hinc inde sermonibus, adversum rectam fidem et catholicam veritatem visus est oblatrasse, et Homousianos (quos nos esse appellavit) et Donatistas objectionum suarum jaculis quasi vulcrans, sibi postea catholicam vindicavit, sicut ex lectione diligenter vestra paternitas advertet. Quare petimus ut de mellifluis vestræ paternitatis fonte istius vanitas refellatur, auctorisque ejus serpentis, cujus iste, mala gramina pastus, quemdam velut novum errorem visus est pullulasse, adsit luculenta responsio, et omnis adversus Deum excogitata nequitia comprimitur, ne aliquid rectum adversus dogmatis fidem qui legunt eum dixisse reputent. Confundatur antiqui serpentis astutia, quia sibi tales prædicatores diversis seditionum ac voluptatum illecebris aggregavit; ejusque vipeream venenosamque trisulcem linguam tuis sanctis responsionibus dissipata. Qui non doctoris, sed potius adulatoris id temporis officio fungebatur falsitatis. Commentum quod suis posteris dereliquit, te respondente eorum mentibus evanescat, quo adversus Dei mysterium voluit militare. Propterea rogamus ut in hac parte, Domino adjuvante, bonæ famæ meritum, et præclarum omnibus extendas ingenium. Et quoniam præsens æstus aliqua recentia quærit, desiderium mentis audacter expressi, antiquæ familiaritatis caritate possessus; et sicut præ cæteris sacerdotibus mentibus et oculis intuentium fulges, ita te cupimus frequenter florulentis opusculis fulgentiorem et nobis et omnibus gentibus apparere.

5. Hoc pio fretus amore indocilis rerum scripsi: Sitiens cum nimio ardore ad fontem peritiæ ac doctrinæ cum rustico meo eloquio alacer accueurrî. Unde nostram sitim et imperitiam satiari cupimus, ut non solum futuræ vitæ præmium, sicut in prima fronte epistolæ vestrarum orationum **210** solatia conquisivi, merear adipisci, verum etiam huic operi in omnibus satisfactum fuisse gaudeamus: ut non solum nos, sed et omnis conservorum nostrorum filiorum vestrorum religiositas, qui in te pio affectu dependent, et hoc de te nobiscum exspectant, divino muneri cum eis referam [*an. referat?*] gratias. Et petimus ut nostræ rusticitati ignoscas, qui ut hæc auderem ipse jussisti. Et licet nos aut exigua, aut nulla doctoris sciontia imbuat, accedit etiam ut si aliquid corde conceptum retineremus, aliis occupationibus implicati, usum pene Latini sermonis amisimus, secundum illud dictum,

Pectora nostra duas non admittentia curas.

Sed ora ut Dominus præstet et faciat quod volumus. Guberna ergo et exorna famulum quem nutriti, et præsta doctrinam quam frequentius docuisti. Orantem pro nobis beatitudinem tuam divinitus æterna custodiat, quod optamus, domine Pater.

SĒRMO FASTIDIOSI ARIANI.

Dicimus, prudentissimi fratres, quod nostræ dignator pusillitati divinitas largiri. Deus justitiæ est auctor et vitæ, imo ipse justitia nostra et vita nostra. Nec ad peccatum fecit hominem, nec ad mortem; Scriptura dicente, *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* (Sap. 1, 13). Quid ergo? mors accidit homini, quem fecerat Deus. Non enim dicitur Creatoris, sed diaboli deceptoris. Postquam igitur a diabolo deceptus est homo, qui volens fecit iniquitatem, invitus incurrit in mortem: prævaricatus est injuste, et punitus est juste. Deus vero cum hæc vidisset duo in homine, culpam et mortem; unam quam male fecerat, alteram quam juste pertulerat; cum his duabus validissimis catenis homo tenebatur innexus, præcepit ut carnem susciperet Dominus Christus, non in qua peccator debitor fletet, sed in qua sine peccati debito mortem indebite pro debitoribus sustineret. Non ut Dei Filius iniquitatis vinculo ligaretur, sed ut homo peccator iniquitatis vinculo solveretur. Hoc est quod Apostolus dicit, *Magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum gentilibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria* (I Tim. 3, 16). Et revera, doctissimi Christiani, quæ major potuit esse pietas, quam ut pro carnalibus hominibus Dei Filius, paterno parens imperio, humanam carnem susciperet, et vita mortem pro mortalibus sustineret? et ille qui ante sæcula nascitur fundatus a Patre, in novissimo tempore nasceretur ex Virgine? ille qui dat vitam mundo jaceret mortuus in sepulcro? Quantis ergo nunc deffendum est lacrymis, vel quanta cordis afflictione lugendum, quod plerique nunc usque durissimæ obstinationis nolunt pervicaciam deserere, dum assumptioni noxiæ indiscrete cupiunt deservire. Qui cum salutaribus nequaquam remediis acquiescunt, vel correctionis voluntatem abjiciunt, vitilibus dictis tanquam medicinalibus ferramentis manus contrarias opposcentes, inde se vulnerant, unde curari debuerant, ac vim spiritualium medicaminum sibi **211** in contrarium vertunt. inde vulneribus suis augment putredinem unde assequi poterant sanitatem. Bipartitus namque pridem error irrepsit, qui hactenus perditorum animas vinciens, ad quærendam veritatem spirare non sinit. Homousianis asserentibus inseparabilem atque individuum Trinitatem, nec Patri Filium fuisse minorem, nec Patrem ingenitum Filii sui esse factorem; Donatistis etiam prædicantibus communione malorum bonos pollui, dum sanctæ Scripturæ munus medelam salutis procul abjiciunt. Inter quos sancta mater Ecclesia catholica Davidico murmure noscitur decantare, sicut in præsentī cecinimus psalmo: *Domine, deduc me in tua justitia propter inimicos meos* (Psal. v, 9). In tua enim deducor justitia, dum te omnipotentem Deum, ingenitum atque increatum, filii tui Domini Jesu Christi credo factorem, Joanne Baptista testante: *Post me venit qui ante me factus est* (Joan. 1, 11). Et Petro apostolo prædicante ac dicente: *Sciet omnis domus Israel quia*

A *Dominiū illum et Christum Deus fecit, hunc Jesum quem vos crucifixistis* (Act. 11, 36). Salomone etiam ex persona Christi prius declarante: *Ante sæcula fundavit me* (Prov. viii, 23). Ecce factum, creatum atque fundatum Scriptura testatur quem ita credere sacrilegi detestantur. Item inseparabilem atque individuum, ut superius dictum est, asserunt Trinitatem. Et si Filius, de quo evangelista dicit: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Joan. 1, 14), obcælata paulisper divinitatis potentia thalamum virginalis uteri solus ingressus est, procul dubio separatus a Patre et Spiritu sancto est. Sed ab uno nullatenus potuit Trinitas separari, quam constat omnino non dividi, secundum ipsorum absurditatem. Ergo tota Trinitas carnem assumpsit, tota Trinitas passionum injurias **B** sensit, tota Trinitas in sepulcro jacuit, tota Trinitas inferos penetravit; tota Trinitas tertio die a mortuis resurrexit, tota Trinitas quadragesima die in caelos ascendit? Et ad cujus dexteram tota Trinitas sedet? vel quem Spiritum die Pentecostes tota Trinitas in apostolos misit? aut cui Deo tota Trinitas in caelo dicere potuit: *Deus, Deus meus, quare dereliquisti me* (Psal. xxii, 1)? vel cui Patri tota Trinitas ait: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (Luc. xxiii, 46), si possunt, edicant. Quod si dicere nequeunt, ipsi se propriis jaculis perinunt, qui Trinitatem inseparabilem esse contendunt. Donatiana quippe vanitas non attendit ob hoc collatum hominibus baptismi beneficium, ut qui originaliter alienis gravantur erroribus, gratiæ medentis auxilio relevati, propria deinceps tantummodo bajularent; nec communio sacramenti, sed consensus damnaret unumquemque peccati. Quoniam sicut peccata parentum in tertiam et quartam generationem ait se Dominus redditurum, quia terrena carnalisque nativitas originali delicto monstratur obnoxia: sic alio loco, sicuti animam patris, ita et animam filii suam esse testatur, ut secunda cœlestisque nativitas alienis peccatis cognoscatur penitus absoluta. Statim namque infert: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (Ezech. xviii, 20). Cui sententiæ Salomonis monitio concinit, nec alterum alterius gravi peccatis ostendit: *Fili, inquit, si bonus fueris, tibi et proximis tuis: si autem malus evaseris, solus hauries mala* (Prov. ix, 12). Itaque catholica fides uniuscujusque erroris prærupta refugiens, ac, Domino reducente, viam itineris cœlestis incedens, sobria credulitate **212** decantans ait: *Domine, deduc me in tua justitia propter inimicos meos* (Psal. v, 9). Atque inde a Patre per Filium Spiritum sanctum flagitans, itineris rectitudine, cujus gratuito munere gradiendi adepta est facultatem, sicuti necdum baptizatos, non solum propriis, verum etiam alienis peccatis fatetur obnoxios, quos in iniquitatibus novit esse conceptos, ita genitaliter lotos latice iniquitatis indennes asserit alienæ, si voluntatis assensus non teneatur in crimine. *Quotquot enim crediderunt in eum, ait Joannes evangelista, dedit eis potestatem filios Dei fieri; his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (Joan. 1, 16). Sicut ergo ex

voluntate carnis atque ex voluntate viri exorti aliena trahunt peccata, quamvis nondum habeant propria: ita ex Deo nati, si propriae voluntatis in eis culpa non fuerit, nulla asperguntur alienae iniquitatis injuria. Quoniam sicut prima nativitas edendo inlaxit quod nascens non fecit, ita secunda abluto originali peccato nativitas, in sola positum imputat voluntate delictum. In hac igitur parte a malis sequestrari debemus, in qua primitias spiritus habentes consepulti Christo in baptismo resurreximus. In quo etiam veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, gratia Dei praeviente et comitante deponimus, ut novum hominem, qui secundum Deum in justitia et in sanctitate caritatis creatus est, induamus: Per Dominum.

EPISTOLA X.

Scarila Fulgentio proponit duas quaestiones, unam de Incarnatione Filii Dei, alteram de vitium animalium auctore.

Domino sancto ac beatissimo, et apostolicis meritis coaequando, patri FULGENTIO episcopo famulus tuus SCARILA.

1. Imperitorum desideria paternitatis vestrae multum desiderant peritiam; quia scriptum est: *Inquire patrem tuum, et annuntiabit tibi; seniores tuos, et docebunt te (Deut. xxxii, 7);* et quia quod intelligere non possumus, sanctitatis tuae doctrina nosse desideramus.

2. Dum ad mensam Christiani Ecclesiae catholice filii tui Eventi de Dei Incarnatione locutio nasceretur, omnes ex nobis hoc de ipsa Incarnatione asserunt, quoniam non Deus Pater, sed Deus Filius carnem induit; et alius dixit: Ipse Deus qui unus est in tribus dignatus est carnem assumere, ut nostram servitatem qua per transgressionem patris nostri Adae obligati detinebamur, ad libertatem perduceret.

3. Et scire cupimus si ipse Deus Pater descenderit et carnem assumpserit; an, ipso residente, Verbo mandaverit quod carnem assumpserit? cum sciamus quoniam Verbum caro factum est, ut ipse habitaret in nobis, sed inter Verbum, quod Deus est, et Patrem, qui Deus est, una utrorumque 213 descendit ad induendam carnem majestas, quia legimus: *Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius absque illo; post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est (Baruch. iii, 36).* Et cum istud testimonium in medium proferremus, hoc etiam ille e contrario locutus est: De Filio hoc dixit, non de Deo Patre; et ego ad praesens locutus sum: Quod simul pariter ignoremus, ad sancti patris Fulgentii episcopi, cui Deus tantae virtutis scientiam donare dignatus est, recursum faciamus, qui nostrae imperitiae per patefactionem divinarum Scripturarum plano sermone iter ostendat. Unde me tuis commendans orationibus sanctis, peto per illum qui sanctitatem tuam tanta gratia muneravit, ut jubeas nos ut bonus pater quae ignoramus imbuere, et de illo fonte unde omnes qui sitiunt replentur inundes.

4. Et finita locutione, alius e nobis dixit, quod muscas, pulices et scorpiones, vel si quae foediora

animalia quae cymices nuncupantur, Deus non fecerit, sed post dejectionem angeli illius indigni diaboli, haec omnia ab ipso diabolo facta sunt; et dum diceremus quia omnia Deus fecerit, et haec bona valde, dixit quod sanctitatem tuam et de hoc deberemus consolare, ut ipse de hoc satisfieri jubeas: Si ante transgressionem quando Deus omnia fecit, tunc ista facta sunt, an post transgressionem Adae. Ora pro nobis, domine sancte ac beatissime pater

EPISTOLA XI.

Ferrandus diaconus Fulgentio proponit duas quaestiones, de salute Aethiops catechumeni, baptizati cum jam vi morbi esset mentis impos, ac non percepta eucharistia mortui.

Domino beatissimo et cum omni veneratione suscipiendo patri FULGENTIO episcopo FERRANDUS diaconus in Domino salutem.

1. Qui terrenis indigent facultatibus, nec diuturni operis continuato labore, vel honestae artis industria, sive forsitan honesta negotiatione pascuntur, solent ante divitum fores, postquam verecundiam fames excluderit, suspirantes victum precibus quaerere; virorum quoque nobilium clementissimas aures etiam importuna aliquando petitione pulsare: norunt enim mendicantibus non prodesse silentia. Ego vero, qui ingenii pauperis laboro penuria, neque multis oblatantibus curis operari cibum sapientiae quotidianae divinae lectionis meditatione permittor; minus etiam praevalens meis, id est disputationum sive cogitationum mearum viribus investigare dubia, explanare obscura, dividere ac definire contraria, pulso crebris gemitibus ad coelestis patrisfamiliae 214 januam. Sed ubi rursus indignum, cui tam cito aperiat quod volo, memetipsum convinco, tunc eos quos de intimis regis cubiculi penetralibus accepisse dispensandam domini mei pecuniam video, voce supplicis deprecor, ut dignentur famem nostram modicis saltem sumptibus consolari. Quorum quia unus ex numero talentorum tibi creditorum multiplicare lucra desideras, et coelestis scribe pretiosissimam margaritam, quam distractis omnibus quae habeas negotiator fidelissimus comparasti, generaliter acquirendam, possidendam, perfruendam, sine invidia tabescente communicas; profer, obsecro, de thesauro tuo, dispensator egregie, nova simul et vetera, quibus indigentem locupletes, esurientem pascas, imperitum doceas, dubitanti quid sequatur ostendas.

2. Religiosi cujusdam viri famulus aetate adolescens, colore Aethiops, ex ultimis credo barbarae provinciae partibus, ubi sicco solis ignei calore fuscantur, adductus, salutaris lavaeri necdum fuerat aspergine mundatus, aut micante Christi gratia dealbatus. Hic ergo dominorum fidelium diligentia, sacramentis ecclesiasticis imbuendus, ad ecclesiam traditur; sit ex more catechumenus; post aliquantum nihilominus temporis propinquante solennitate paschali inter competentes offertur, scribitur, eruditur: universa quoque religionis catholicae veneranda mysteria cognoscens atque percipiens, celebrato solemniter scrutinio, per exorcismum contra diabolum vindicatur; cui se renuntiare constanter, sicut hic consuetudo

poscebat, auditorus Symbolum profertur. Ipsa insuper sancti Symboli verba memoriter in conspectu fidelis populi clara voce pronuntians, piam regulam dominicæ orationis accepit. Simulque jam et quid crederet, et quid oraret intelligens, futuro baptismati parabatur, cum subito violentis invaditur febribus, et crescente lethali infirmitate turbatur. Persuasit dierum brevitatis, ut ad fontem cum cæteris ablundus differretur, sive potius servaretur. Et quid plurimum immorer? Hora exoptata cunctis advenerat, in qua populus acquisitionis, Redemptori suo per baptismum consepultus, vitam veterem poneret, et novam resurrectionis fidem innovatus assumeret. Tunc ille in extremo halitu constitutus, sine voce, sine motu, sine sensu, nihil valens sacerdoti interroganti respondere, deferentium manibus apportatur; et pro eo nobis quasi pro infante respondentibus, mente absentissimus accepit baptismum, quem se accepisse, post paululum mortuus, in hac præsentia, arbitrator, vita nescivit.

3. Quæso nunc utrum nihil ad æternam beatitudinem consequendam vox ablata nocuerit. Valde enim timeo ne propterea Dominus, cui omniaabilia sunt, facultatem loquendi denegaverit, quod eum beneficio secundæ nativitatis judicavit indignum. Quomodo namque potuerit ætas illa rationis capax aliena confessione purgari, non video. Nonne solos parvulos rite credimus offerentium fide salvari, quos originali tantum novimus iniquitate damnari? Id agente divina justitia miris modis, ut quodammodo ubi minime propria, id est actualis malitia reperitur, rite nec propria voluntas requiratur; sed per abundantiam gratiæ detur, aliis credentibus, salus, quibus, aliis peccantibus, reatus ascriptus est. At hic proprio vivebat arbitrio: super illud quod de radice traxerat multa sine dubio vitia propria cupiditate contraxerat, plurimum peccatorum **215** vinculis obligatus, et non nisi voluntaria credulitate salvandus, quam in illo redemptionis loco confiteri, nec voluit, nec valuit; qui nihil sentiens, velle omnino aliquid non valuit. An fortassis scientis præterita confessio remissionem peccatorum meruit etiam nescienti? Sed hoc dicere dubito, ne quis mihi veraciter dicat: Ergo salvus esset, si nec ad ipsam lunctionem corporis pervenisset; quoniam, sicut asseris, expiationis meritum per mysteria transacta meruerat.

4. Postremo, cur non etiam mortuos baptizemus, quos sacro baptismate repentina sæpe mors abstulit, sed eorum tamen voluntas, fidelisque devotio nota omnibus fuit? Cui talia respondentem si consensum præbere tentavero, magna illico sequitur absurditas; ut putetur, illis tantum mysteriorum sufficientibus et salutem plenam conferentibus, aquam fontis æterni non renasciturum suscipere, sed reuatum. Video in hoc articulo posse usitatam canonum proponi sententiam, quæ infirmos jubet, si pro se respondere non valeant, sed eorum voluntati testimonium sui proprio periculo dixerint, baptizari. Sub qua definitione magis arbitrator quid Ecclesia facere debeat imperatum, quam quid ille percipiat indicatum. Videlicet ut minister

A verbi liber sit a culpa negligentia, non ut ille ostendatur consors particepsque justitiæ. Maxime, quia licet multos in hac re moveri videam, sæpe tamen plus ipse commoveor; hæsitans qualis debeat haberi sententia de his qui, etiamsi legitime sana mente baptizantur, præveniente velocius morte, carnem Domini manducare et sanguinem ejus bibere non sinuntur. Nota quippe sunt fidelibus Salvatoris verba dicentis: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (Joan. vi, 54). Unde petimus, ut velociori responsione nos instruas: utrum noceat, quantum noceat, an omnino nihil noceat, si quis baptizatus in nomine sanctæ Trinitatis sacro cibo potuque fraudetur. Simul ad utraque respondere dignatus, quæ præsumptione caritatis interroganda credimus, et quæ multis utilissima fore suggerimus. Deus noster paternitatem vestram ad ædificationem nostram custodire dignetur, domine mi semper pater.

216 EPISTOLA XII.

Fulgentius Ferrando respondens ad propositas quaestiones de salute Æthiops moribundi.

Domino venerabili et in Christi caritate plurimum desiderabili, sancto fratri et condiacono FERRANDO FULGENTIUS, servorum Christi famulus, in Domino salutem.

CAPUT I.—1. Gaudeo, sancte frater, quod in corde tuo flamma caritatis, quæ per Spiritum sanctum diffunditur, gratia subiinde crescente nutritur: quæ facit in his quæ videntur plerisque dubia manifestum aliquid de litteris agnoscere; ne dum ambiguitas habetur in ipso sacramento salutis, putetur in vacuum credentibus dari gratia Salvatoris.

2. Dicis itaque, quod religiosi cujusdam viri famulus, ætate adolescens, colore Æthiops, dominorum fidelium diligentia sacramentis ecclesiasticis imbuendus, fuerit ad ecclesiam traditus, et ex more catechamenus factus. Post aliquantum nihilominus tempus, propinquante solemnitate paschali, inter competentes oblatas, scriptus, eruditus, universa quoque religionis Christianæ veneranda mysteria cognoscens atque percipiens, celebrato solemniter scrutinio, per exorcismum contra diabolum fuerit vindicatus; cui se renuntiare constanter, sicut Ecclesiæ [Carthaginensis, in qua jam, Deo propitio, diaconus militas], consuetudo poscebat, auditorius Symbolum fuerit professus. Jam insuper sancti Symboli verba memoriter in conspectu fidelis populi clara voce pronuntians, piam regulam dominicæ orationis accepit. Quæ simul jam, et quid crederet, et quid oraret intelligens, futuro baptismati parabatur. Quem dicis violentis febribus invasum, et crescente lethali infirmitate turbatum. Adjicis autem quod persuaserit dierum brevitatis ut ad fontem cum cæteris ablundus differretur, sive potius servaretur. Dicis quoque advenisse horam exoptatam cunctis, in qua populus acquisitionis Redemptori suo per baptismum consepultus vitam veterem deponeret, et novam resurrectionis fidem innovatus assumeret. Tunc ille, ut ais, in extremo halitu constitutus, sine voce, sine motu, sine sensu, nihil valens

sacerdoti interroganti respondere, deferentium manibus apportatur, et pro eo vobis, quasi pro infante, respondentibus, mente absentissimus accepit baptismum; quem se accepisse, post paululum mortuus, in hac præsenti, quantum arbitraris, vita nescivit.

CAP. II. — 3. Hac itaque narratione completa deinde quaeris, utrum ei nihil ad aeternam beatitudinem consequendam vox ablata nocuerit. **217** Valde enim te timere testaris, ne propterea Deus, cui omnia possible sunt, facultatem loquendi denegaverit, quod eum beneficio secundæ natiuitatis iudicaret indignum. Dicis quoque te non videre quomodo potuerit aetas illa rationis capax aliena confessione purgari, eo quod solos parvulos recte credamus offerentium fide salvari, quos originali tantum noximus iniquitate damnari: id agente divina iustitia miris modis, ut quodammodo ubi minime propria, id est actualis, malitia reperitur, nec propria voluntas requiratur, sed per abundantiam gratia detur, aliis credentibus, salus, quibus, aliis peccantibus, reatus adscriptus est. Hic autem, ut asseris, proprio vivebat arbitrio: super illud quod de radice traxerat, multa sine dubio vitia propria cupiditate contraxerat, plurimorum peccatorum vinculis obligatus, et non nisi voluntaria credulitate salvandus, quam in illo redemptionis loco confiteri nec voluit, nec valuit, qui nihil sentiens velle omnino aliquid non valuit.

4. His verbis tuis alia sub timore interrogationis opponis dicens, « An fortassis scientis præterita confessio remissionem peccatorum meruit etiam nescienti? Hoc, inquis, dicere dubito: ne quis mihi veraciter dicat: Ergo salvus esset, si nec ad ipsam tinctionem corporis pervenisset; quoniam, sicut asseris, expiationis meritum per mysteria transacta meruerat. Postremo, cur non etiam mortuos baptizemus, quos sacro baptisate [F. baptismati] repentina sæpe mors abstulit, sed eorum tamen voluntas fidelisque devotio nota omnibus fuit? Ad iudicis dein le, quod si talia respondentibus consensus præbere tentaveris, magna illico sequeretur absurditas, ut putetur illis tantum mysteriis sufficientibus, et salutem plenissimam conferentibus, aquam fontis æterni non renasciturum suscipere, sed renatum.

5. Postremo, ne quid vigilantissimæ intelligentiæ tuæ sollicitudinique piis imò minus quaesitum putaretur, adjungis in hoc articulo posse usitatam canonum proponi sententiam, quæ infirmos jubet, si pro se respondere non valuerint, sed eorum voluntati testimonium sui proprio periculo dixerint, baptizari. Sub qua definitione magis arbitrari dicis te quid Ecclesia facere debet imperatum, quam quid ille percipiat indicatum. Videlicet ut minister verbi liber sit a culpa negligentiæ, non ut ille ostendatur consors particepsque justitiæ. Maxime quia licet multos ex hac re, sicut ais, moveri videas, sæpe tamen plus ipse commovearis, hæsitans qualis debeat haberi sententia de his qui etiamsi legitime sana mente baptizantur, præveniente velocius morte, carnem Domini manducare et sanguinem ejus bibere non sinantur. Propter illa scilicet quæ nota sunt fidelibus Salvatoris verba dicentis: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius san-

guinem, non habebitis vitam in vobis (Joan. vi, 54). » Deinde petis ut velociori responsione vos iustram, utrum noceat, quantum noceat, an omnino nihil noceat, si quis baptizatus in nomine sanctæ Trinitatis, sacro cibo potuque fraudetur. Quoniam igitur simul ad utraque nos respondere caritas imperat, dignum est ut imperanti caritati caritas libenter obediat. Speramus autem quoniam ad **218** persolvendum debitum caritatis illius gratia adesse dignabitur, a quo ipsa caritas inspiratur.

CAP. III. — 6. Primitus itaque meminisse nos oportet illius sententiæ quam generaliter ad humani salutem generis promulgavit gratuita benevolentia Salvatoris. Illam porro nunc dico sententiam quam ipse Dominus tanto tenacius voluit nostris mentibus in hærare, quantum eam cunctis præceptis suis posteriore dignatus est tempore promulgare. Post resurrectionem siquidem corpore ascensus in cælum, sed cum suis in terra divinitate mansurus, hæc invenitur suis dixisse discipulis: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* (Marc. xvi, 15). Bene hic Dominus eum qui crediderit et baptizatus fuerit salvari prædixit, non credentem autem damnandum sine dubitatione monstravit. In non credente quippe nulla fuit futuri ratio facienda baptismatis. Qui enim non crediderit, sive baptizetur, sive non baptizetur, sine dubitatione damnabitur.

7. Hac autem sententia, qua Dominus statuit atque definivit omnem non credentem sempiterna punitione damnandum, non solum eos quos hujus vitæ finis a sacramento baptismatis invenit alienos, verum etiam omnes hæreticos divina non dubium est definitione damnandos. Si enim fides, quam unam esse beatus Paulus divino Spiritu repletus asseverat, illa est utique quæ non ficta, sed vera (Ephes. iv, 5); quia finis præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta (I Tim. i, 5); quomodo credere dicitur, a quo fidei veritas non tenetur? Quidquid enim credentis animum continet quod a fidei veritate cognoscitur alienum, necesse est id esse mendacium. Odit autem Dominus omnes qui operantur iniquitatem, et perdet eos qui loquuntur mendacium (Psal. v, 7). Propter quod et Sapientia in Proverbiis dicit: *Quoniam veritatem meditabuntur fauces meæ, abominata vero ante me labia mendacia* (Prov. viii, 7). Non ergo accipiunt in baptismo salutem, qui non tenent in corde atque ore fidei veritatem. Ac per hoc licet formam pietatis habeant quæ constat in sacramento baptismatis, abnegando tamen pietatis virtutem, nec vitam percipiunt, nec salutem. Quid autem talibus restat, nisi damnatio sempiterna quam eis pariet fides non vera, sed ficta? In talibus quippe nec caritas est de corde puro: quia secundum beati Petri sententiam (Act. xv, 9), fide Dominus suorum corda purificat; nec cordis puritas esse potest ubi fides non est: quia nec fides omnino dicenda est, ubi vera non est. Quoniam igitur ubi est caritas de

eorde puro, ibi fides est non ficta, sed ve a, cor autem non fictione fidei, sed veritate purgatur; manifestum est apud hæreticos, in quibus non est veritas, sed fictio fidei, caritatem de corde puro nullatenus inveniri. Conscientiam vero bonam quomodo possunt habere, in quibus per incredulitatem habitat princeps ille malitiæ? Isti ergo, nisi convertantur, et fidei veritate salventur, pro incredulitatis crimine damnabuntur: quia non illum dilexerunt, in quem non secundum veritatem fidei crediderunt, nec in eis potuit esse conscientia bona, quos constat contra fidem veram usque in finem vite mortiferam tenuisse perfilium.

8. Nec moveat aliquem, quod licet fletam, tamen beatus Apostolus **219** fidem nuncupavit: quia alio loco, sicut unum Deum, sic unam prædicavit et fidem. Illud enim beatus Apostolus non secundum rei veritatem, sed secundum opinionem fidelium posuit. Nam et illud quod a pseudoapostolis prædicabatur, idem apostolus, et Evangelium nuncupat, et Evangelium non esse confirmat. Quod in epistola ejus, quæ scripta est ad Galatas, continetur his verbis: *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vocavit vos in gratia Christi, in aliud evangelium, quod non est aliud (Gal. 1, 6)*. Quomodo ergo aliud evangelium, si non est aliud, nisi aliud secundum perfidorum errorem, non autem aliud secundum fidei veritatem? Sic et fides a perfidis secundum propriam opinionem fingitur, a quibus vera fides quam Spiritus sanctus tribuit, non habetur. Falsi quoque nominis scientiam, idem beatus demonstrat apostolus, dicens: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ (Tim. vi, 20)*. Sicut autem illa quæ falso nomine scientia nuncupatur, scientia non est, ita et fides quam non Spiritus divinitus (al. divinus) infundit, sed humanus sibi spiritus fingit, utique fides non est; ac per hoc, secundum illorum opinionem fides dicitur, quæ tamen fides esse nullatenus invenitur. Nam et deos invenimus in sanctis eloquiis appellari, quos tamen non esse deos ipsa prorsus eloquia divina testantur. Dicitur quippe in Psalmis: *Omnes dii gentium demonia (Psal. xcvi, 5)*. Hieremias quoque ait: *Dii qui non fecerunt cælum et terram, pereant de sub cælo (Jer. x, 11)*. Qui tamen alio loco ipsos quos deos nuncupat, ostendit non esse deos. Ait enim: *Circuite insulam Cethim, et videte; et in Cedar mittite, et intelligite vehementer, et videte si facta sunt talia. Si mutavit gens deos suos, et isti non sunt dii (Jer. ii, 10)*.

9. Invenimus autem Dei nomen in Scripturis sanctis, quantum nobis nunc occurrit, modis quatuor. Dicitur enim Deus secundum veritatem naturæ, quomodo sola sancta Trinitas est unus, verus et incommutabilis Deus, qui ait: *Videte quoniam ego sum Deus, et non est alius præter me (Deut. xxxii, 39)*; et de quo David dicit: *Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum (Psal. xvii, 32)*? Hic est unus et solus Deus qui solus naturaliter Deus est. Ab hoc uno vero Deo quidam, ut essent dii, non na-

turaliter habuerunt, sed dono gratiæ perceperunt. De talibus diis fuit Moyses, cui ille unus verus Deus ait: *Ecce dedi te deum Pharaoni (Exod. vii, 1)*. De talibus sunt etiam illi de quibus dicitur, *Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes (Psal. lxxxii, 6)*. Isti ergo dii eam gratiam acceperunt ut dii essent, quam acceperunt ut filii Dei fierent. Dicit autem evangelista, quia quotquot acceperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri; his qui credunt in nomine ejus; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt (Joan. 1, 12). Ipsi item dicitur, *Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes (Psal. lxxxii, 6)*.

10. Duo ergo in ti modi in nominando laudabiles unus quo naturaliter vocatur verus Deus, alter quem per gratiam quibus voluit largitus est Deus; qui tamen ab invicem magna differentia distinguuntur. Ille quippe modus quo in Dei nomine veritas naturalis ostenditur, sic unum Deum ipsa naturalis nominis veritate demonstrat, ut deos in se nunquam vocari permittat. Hinc est quod **220** sicut solus Pater, aut solus Filius, aut solus Spiritus sanctus veraciter Deus dicitur, ita simul Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, non tres dii, sed unus Deus veraciter nominatus. Hoc habet illa Trinitas unus Deus, ut tres quidem personæ sint, sed tres dii non sint: quia illa Trinitas unus verus est Deus. Ideo Dei Filius, non solum secundum veram divinitatem, quam habet de natura Patris, sed etiam secundum carnem quam veram naturaliter habet de corpore genitricis, Deus verus et creditur, et prædicatur a nobis. Quoniam æterna divinitas Filii cum plena humanitate sua, et eadem plena humanitas Filii cum æterna divinitate sua, una est in Trinitate persona: et ipse totus in divinitate atque humanitate sua unigenitus Filius cum Patre et Spiritu sancto unus est Deus. Alter vero modus quia non est naturæ, sed gratiæ, ideo sine aliqua fidei pravitate nomen deorum in se recipit; quia solam continet adoptivorum multitudinem, quibus, ut filii Dei fierent, summa Trinitas unus verus Deus tribuit potestatem. — CAP. IV. — In illo ergo modo claritas naturalis agnoscitur; in isto autem gratiæ largitas invenitur.

11. Duo vero residui modi quibus Deus, aut aliqua res aut persona nominatur, magis inveniuntur digni vituperatione quam laude. Et ideo in utroque manifesta invenitur culpa, quia nulli eorum vel natura potest inesse, vel gratia. Unus quippe est secundum affectum pravæ cupiditatis, alter secundum opinionem erroris. Nam carnali cupiditati deditus animus, hoc sibi deum facit esse quod diligit præ omnibus. Hinc est quod beatus Apostolus, quorumdam terrona sapientium ventrem deum esse sine dubitatione pronuntiat, dicens: *Quorum finis interitus, quorum deus venter est, et gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt (Philip. iii, 19)*. Hic existimo Apostolum terrena sapere, pro terrena diligere posuisse. Talem sensum illo etiam loco arbitrari contineri, ubi memoratus apostolus dicit: *Igitur si surrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite,*

non quæ super terram (Coloss. iii, 1). Ostendens namque quod ea quæ sunt super terram sapere non deberent, paulo post addidit: *Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus (Ibid., 5)*. Cum ergo mortificari præcipit membra nostra quæ sunt super terram, concupiscentiam utique in nobis mortificari rerum imperat terrenarum. Propter quod alio loco dicitur: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitis et concupiscentiis (G. I v, 24)*. Quibus etiam vult et nos mortuos æstimemus, dicens: *Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu (Rom. vi, 11)*. Illi quippe rei vivit quisque quam diligit, et illi se exhibet mortuum, cujus in se mortificavit affectum. Terrena ergo sapiunt qui terrena diligunt; et deum sibi ventrem faciunt qui gulæ delectationibus illecebrosam sui cordis mancipant servitatem.

12. Opinio vero humani erroris dupliciter sibi Dei nomen mendaciter in suum finxit exitium: quæ gemina erroris opinio non minus sibi hæreticos vindicat quam paganos; dum et istos et illos eo sibi subijcit, 221 quo simul omnes diversis vinculis multimodæ falsitatis astringit. Pagani quippe, relicto vero Deo, falsorum deorum superstitioni deserviunt; hæretici autem de vero Deo falsa opinantes, veritati sanctæ religionis obsistunt. Manifestum est igitur hæreticos vinculo mortiferi erroris obstringi, nec debere dici fideles quos Ecclesia inimicos patitur pertinaces: quandoquidem infidelitatis reatus sit, vel falsa de

verbo Deo credere, vel falsum deum sub nomine veri Dei adorare.

CAP. V.—13. Quoniam ergo de illa Domini sententia sumpsimus disputationis exordium, quæ statuit, quia *omnis qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvabitur (Marc. xvi, 15)*; illum puerum salvatum esse credamus, in quo nihil defuisse eorum quæ ad baptismatis officium atque effectum pertinent invenimus. Officium quippe secundæ nativitatis in fide et confessione, effectus autem in regeneratione consistit. Quotquot enim *repperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus (Joan. i, 12)*. Credunt ergo, ut filii Dei fiant; quoniam ad hoc accipiunt gratiam fidei, ut credentes accipiant gratiam sacramenti. Dignum namque est ut dum corde creditur ad justitiam, ore confessio fiat ad salutem. Manifestum est autem quod, sicut officium credulitatis et confessionis pertinet ad catechumenum, sic effectus baptismatis pertinet ad ministrum; et dum ab illo per veram fidem confessio promitur, subsequenter est ut isto tingente salutaris mysterii gratia peragatur.

14. Quam regulam in Actibus apostolorum sancti Philippi videmus opere custoditam: qui cum admoneretur a Spiritu sancto ut prædicaret Eunuchis Dominum Jesum Christum, simulque ad quamdam aquam venisset, Eunuchis postulante et dicente: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari (Act. viii, 36)*? ille prius efficit confessionis officium, cui recte sancti baptismatis ministraret effectum. Ideo respondit Eunuchis:

A *Si credis ex toto corde, licet (Ibid., 37)*. Et quia præcessit Eunuchi confessio, subsequenter etiam in eo per Philippi ministerium effectus sanctæ regenerationis impletur. Qua ergo justitia ille qui credulitatis et confessionis persolvit officium, non consequeretur sanctæ regenerationis effectum? Nam si ordo attendatur operis et mercedis, opus est in fide et confessione, merces in baptismo: ideo enim quisque dignus baptismate judicatur, quando præcedit fidei confessionisque meritum, cui tanquam in mercedem sancti baptismatis debeat tribui sacramentum. *Dignus est autem operarius mercede sua (Luc. x, 7)*. Non ergo baptismatis mercede fraudari debuit qui opus credulitatis et confessionis, divinitus data cordis et oris devotione, persolvit. Non hoc utique fuit hora baptismatis interrogandus, quod est antea in Symboli pronuntiatione confessus. Nihil itaque illi ad æternam beatitudinem consequendam vox ablata nocuit, qui quandiu potuit, in ipsa fidei confessione permansit. Ablata non est, nec mutata; nec abolitum est quod dixit, quando dicere non potuit, quia quandiu sentire potuit, sententiam non mutavit.

15. Sed et timeo, inquis, ne propterea Dominus, cui omniaabilia sunt, facultatem loquendi denegaverit, quod eum beneficio secundæ nativitatis judicavit indignum. Immo magis ibi agnoscamus Dominum 222 nostrum non fuisse oblitum misericordiæ suæ, in quo etsi vocem abstulit, vitam tamen non ademit, ut quod præbuit credere confiterique, acciperet vivens.

16. Sed dubitatur, et quomodo potuerit ætas illa rationis capax aliena confessione purgari. Immo sua invenitur confessione purgata, cui tunc aliorum confessio subsecuta prodesse non posset, si propria minime præcessisset. Secundo itaque illi aliorum confessio sine dubio profuit, quando non nolenter prævenit, cum deficiente subsecuta subvenit, et quod in illo voluntas illuminata credendo et confitendo cœpit, hoc pro illo caritas fraternâ perfecit.

CAP. VI.—Legimus itaque Dominum dixisse: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in cælis (Matth. x, 32)*. Isti autem quandiu loquendi facultas fuit, confessio illa non defuit. Quis ergo dicere audebit confessionem illam salutis indignam, quam videt non voluntatis perversitate rejectam, sed infirmitatis necessitate comprehensam? Debilitata enim lingua, non conscientia depravata; dicit autem Apostolus: *Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum; et nos credimus, propter quod et loquimur (II Cor. iv, 13)*. Ille itaque qui spiritu fidei accepto credidit, et locutus est, quoniam ipso Spiritu, quem acceperat, ut crederet, tunc carere poterat si negaret; quando non negavit, profecto non caruit. Ipso ergo Spiritu quo locutus est credens, redemptus est tacens: quoniam ipso Spiritu nativitas secunda perficitur, quo secunda credulitas datur. Proinde quando non defuit sano credendi et confitendi voluntas, non obfuit infirmo tacendi necessitas

CAP. VII — 17. Est autem verum, quia *solum parvulos rite credimus offerentium fide salvari, quos originali tantum novimus iniquitate damuari, id agente divina justitia miris modis, ut quodammodo ubi minime propria, id est actualis malitia reperitur, nec voluntas propria requiratur; sed per abundantiam gratiæ detur, aliis credentibus, salus, quibus, aliis peccantibus, reatus ascriptus est.* Addis autem, quia *hic proprio vivebat arbitrio: super illud quod radice traxerat, multa sine dubio vitia propria cupiditate contraxerat, plurimorum peccatorum vinculis obligatus, et non nisi voluntaria credulitate salvandus, cum in illo redemptionis loco confiteri nec voluit, nec valuit, quia nihil sentiens velle aliquid omnino non valuit.* Hæc nempe, carissime frater, verba sunt tua, quæ in illa quæ destinasti continentur epistola.

18. Proinde originalis peccati primitus est qualitas attendenda: quod utique ab aliis admissum, in alios est generationis vitio propagatum. In cujus abolitione si quando illa ætas est, cui propria non possit inesse confessio, aliis credentibus et confitentibus, datur parvulis salus, quibus, aliis peccantibus, est reatus ascriptus. Quocirca quoniam in ætatibus jam ratione utentibus propria confessio quaeritur, illa scilicet ratione, quoniam et vivunt et intelligunt, habentes ex vita peccatum originis, et ex intelligentia peccatum propriæ actionis, ideo istum recte dicimus sine dubitatione salvatum, quia et intelligens credidit, et **223** quod credidit propria confessione firmavit; et deinde, quamvis jam non intelligens, tamen adhuc vivens, sacramentum sanctæ regenerationis accepit. Nam per sancti baptismatis sacramentum, illa vita est peccati originalis nexibus absoluta, quæ fuerat ejusdem peccati vinculis obligata. Et quia tanta est virtus sancti baptismatis, ut ubi vitam invenerit, in qua illud originalis peccati vinculum solvat, omnia quæ superadjuncta repererit, secundæ nativitatis beneficio diluat, juxta illud quod Apostolus ait: *Nam judicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem (Rom. v, 16):* digne illum credimus esse salvatum, cui et ante baptisina credulitas et intelligentiæ confessio non defuit, et in hora baptismi vitæ, quamvis in infirmo et febricitante, permansit. Vita igitur quæ contraxit originale peccatum, quia quando potuit, testimoniam suæ conscientiæ atque intelligentiæ dedit; etiam quando confiteri non potuit, illius confessionis merito remissionem peccati originalis accepit. Maxime consecratione unitatis Ecclesiæ suffragante, qua factum est ut confessionem teipore præterito redditam, quia non potuit in hora baptismi reddere propter infirmitatem corporis, adjutorio fraternæ redderet caritatis: ut eorum membrorum verbo fuisset adjutus, quorum fuit consortio deputandus. Illo autem originali peccato dimisso, cuncta peccata quæ propria voluntate contraxerat,

A dimissa fuisse nemo fidelium dubitat. Præterita igitur scientis confessio remissionem peccatorum meruit etiam nescienti quid diceret, de quo ^a nullatenus dubitemus.

CAP. VIII.—19. Neque enim ab hac sententia nostrum animum revocare debet ulla suspicio, ne quis dicat, quod ille «salvus esset, si nec ad ipsam tinctionem corporis pervenisset,» cum utique non dicamus illum sine baptismi sacramento sola confessione potuisse salvari. *Qui enim crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Illum utique adolescentem, quia credidisse et confessum fuisse novimus, ideo per sacramentum baptismatis salvum fuisse firmamus. Qui si non baptizaretur, non solum nesciens, sed etiam sciens nullatenus salvaretur. Via enim salutis fuit in confessione, salus in baptisate. Nam in illa ætate, non solum ei confessio sine baptisate nihil prodesset, sed nec ipsum baptismata non credenti neque confitenti ullatenus proficeret ad salutem. Ideo ergo illi Deus confessionem prodesse voluit, quia eum usque ad sanctam regenerationem in hac vita servavit. Donum itaque sanctæ regenerationis sicut ille, quia voluit, petivit; sic Deus, quia voluit, dedit.

CAP. IX. *Mortui cur non baptizentur.* — 20. Mortuos autem propterea non baptizamus, quia omnne peccatum, sive originale, sive actuale, quia simul est animæ carnique commune, nihil eorum dimittitur, si a sua carne anima separetur. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum (I Cor. v, 10).* Anima itaque sine carne nulla ratione salvatur, quæ peccavit in corpore, nec credidit cum esset in corpore. Ac per hoc, malum recipit quod gessit in corpore, non bonum, **224** quod in corpore constituta non gessit. Caro quoque sine anima non potest baptizari, quia nec remissionem peccatorum accipere. Nam res quæ non vivit, sicut peccare, ita penitentiam peccati habere non potest. Quomodo sacramentum remissionis dari potest, ubi vita non est? aut quemadmodum caro baptizetur in remissionem peccatorum, ubi anima non est, cum qua simul adhæret peccati consortium? Igitur etsi fuit cujusquam viventis voluntas fidelisque devotio, qui tamen defunctus est sine baptismatis sacramento, ideo mortuus baptizari non potuit, quia ab illo corpore anima cujus fuit voluntas fidelis devotioque discessit. Propterea iste igitur, de quo nunc agitur, digne baptizatus est, quia anima ejus, cujus voluntas fidelis et devotio nota omnibus fuit, usque ad horam sancti baptismatis in sua carne permansit. Illa igitur mysteria, quæ ante baptismata in Ecclesia geruntur, concipi spiritualement hominem faciunt, non renasci. Hinc est quod perveniet ad salutem, si quem secunda nativitas educet in lucem. Ad quam lucem illis homo mysteriis præparatur, sed baptismatis sacramento perducitur. Hoc est quod superius dixi in illis mysteriis esse salutis officium, in baptisate sa-

^a Plures codd. editi non habent has voces, de quo, sed sic legunt: *Præterita igitur scientis confessio remissionem peccatorum meruit nescienti quid diceret*

nullatenus dubitemus, ubi deest quod vel quia, sic, quod remissionem peccatorum, etc.

lutis effectum ; quem utique non infirmitatis incursio, sed sola sibi potest negare mutatio voluntatis.

CAP. X. — 21. Proinde firmissime tenenda est illa canonum sententia paternorum, quæ infirmos jubet, si pro se respondere non valeant, sed eorum voluntati testimonium sui periculo proprio dixerint, baptizari. Viderunt enim sancti Patres ream non esse voluntatem quæ impedita cognoscitur, non mutata ; nec debere denegari sacramentum baptismatis, ubi firmitas cognoscitur voluntatis. Hoc autem statuente sancti Patres, et quid Ecclesia facere debeat, et quid ille percipiat, indicarunt. Neque enim hoc Ecclesia faceret, si ille nullum in hoc facto beneficium percepisset. Nam cum Ecclesiam Dei columnam et firmamentum veritatis esse testatur Apostolus, si aliquam in mysteriis fidei habet partem, ubi non sit veritas firma, non est in omnibus mysteriis *columna et firmamentum veritatis* (1 Tim. III, 15). Quæcunque enim firmitas sacramentis ejus admittitur, ipsi Ecclesiae necesse est auferatur. Non ergo *columna et firmamentum veritatis* veraciter vocatur Ecclesia, si in ipso principali humanæ salutis mysterio invenitur infirma. Sed quia veraciter *columna et firmamentum veritatis* ab Apostolo nuncupatur, quidquid secundum ipsius Ecclesiae constituta, in sanctis mysteriis redemptionis et reconciliationis humanæ, intra eam datur et accipitur, firma veritate datur, firma veritate percipitur.

22. Ut autem sanctæ matris Ecclesiae generalia constituta, id est ea quæ concordissima cunctorum firmat assensio pontificum, nullatenus repellamus, in Proverbiis ita præcipitur : *Audi, fili, leges patris tui, et ne repellas instituta matris tuæ* (Prov. I, 8). Quis ergo utilitatis æstimet vacuum, quod divinitus audit nullatenus repellendum ? Si ergo qui sic baptizatur, non salvatur, nullus reatus est si hoc negligatur : nec minister verbi, si hoc non fecerit, tenebitur culpa negligentiae, si ille in quo hoc fit, particeps non potest esse justitiæ. Ibi ergo quisque arguitur negligentiae **225** reus, ubi operis non desperatur effectus. Et sicut ille digne arguitur negligentiae qui quod utile est non operatur, ita illius qui superfluis laborem rebus impendit, recte ipse labor irritus, atque inutilis improbatur. Quod et si in hac parte irritus labor impenditur, irrita erit Pauli apostoli sine dubitatione sententia qua dixit : *Quia unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* (1 Cor. III, 8) : cum procul dubio de ministris Christi et dispensatoribus mysteriorum Dei, sicut ejusdem epistolæ locus indicat, loqueretur. Præmiserat enim : *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Dominus incrementum dedit* (Ibid., 6). Quid autem fuit plantare Pauli, et Apollo rigare, nisi quod Paulus plantabat evangelizando verbum salutis, Apollo autem rigabat ministrando sacramentum baptismatis ? Cum ergo dixisset Apostolus : *Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus* (Ibid., 7), ut ostenderet illius plantationis et rigationis firmam manere mercedem, continuo subdidit : *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*. Ostendens

A autem laborem divini operis inanem esse non posse, alio loco ejusdem epistolæ sic loquitur : *Itaque, fratres dilecti, stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino* (1 Cor. XV, 38).

23. Illud est autem opus Dei, quod sic impenditur unicuique viventi, ut ejus qui accipit aut animæ prodesse possit, aut corpori. Et illa quidem quæ prosunt animæ, necesse est ut etiam corpori prosint ; non autem omnia quæ corpori prosunt, ad utilitatem pertinent animarum : sicut est cibus, potus, vestimentum et hospitium, quæ inveniuntur non accipienti animæ prodesse, sed danti. Sacramentum vero baptismatis ad hoc homini datur, ut anima cum carne salvetur. Quod profecto inaniter minister dat, si non ad hoc dat, ut ille qui baptizatur donum æternæ salutis accipiat. Inaniter enim sacramentum redemptionis datur, si non redimitur cui datur. Sed si attendamus verbum unum epistolæ tuæ, nulla hujus dubitatio remanebit. Dixisti enim, propterea hoc paternis canonibus definitum, « ut minister verbi liber sit a culpa negligentiae. » Quomodo autem in hac negligentia culpam minister incurrit, si in diligentia non aliquid proficit ? Non enim inaniter negligentia contrahit culpam, nisi quia hoc non fecit quod facere debuit : illud autem facere propterea deberet, quod prodesse poterat si fecisset. Ideo autem negligentia culpam contradixit, quia obfuit non faciendo quod prodesset procul dubio, si fecisset. Proinde ideo debet, secundum paternos canones, infirmus ille cujus voluntati non deest attestatio proximorum, sine dubio baptizari, ut et minister verbi liber sit a culpa negligentiae, et ille fiat consors particepsque justitiæ.

CAP. XI. — 24. Nullus autem debet moveri fidelium in illis, qui etsi legitime sana mente baptizantur, præveniente velocius morte, carnem Domini manducare, et sanguinem bibere non sinuntur : propter illam videlicet sententiam Salvatoris qua dixit : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (Joan. VI, 54). Quod quisquis non solum secundum veritatis mysteria, sed secundum **226** mysterii veritatem considerare poterit, in ipso lavacro sanctæ regenerationis hoc fieri providebit. Quid enim agitur sacramentum sancti baptismatis, nisi ut credentes membra Domini nostri Jesu Christi fiant, et ad compagem corporis ejus ecclesiastica unitate pertineant ? Ipsi enim dicit beatus Apostolus : *Vos estis corpus Christi, membra de membro* (1 Cor. XII, 27). Quos ostendit non solum ipsius sacrificii participes, sed ipsum sanctum sacrificium esse, dum eos jubet vivam hostiam seipsos Deo, humiliter exhibere, dicens : *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostium viventem, sanctam, Deo placentem* (Rom. XII, 1). Quod etiam sanctus Petrus similiter docens, ait : *Et vos tanquam lapides vivi ædificati in domos spirituales, in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum* (1 Petr. II, 5). Unde beatus Paulus cum quadam lo-

co dixisset : *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panes quos frangimus, nonne participatio corporis Domini est (I Cor. x, 16)?* Ut nos esse ipsum verum panem verumque corpus ostenderet, continuo subjunxit : *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes omni de uno pane participamus (Ibid., 17).* Unde alio loco dicit : *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae (Ephes. iv, 4).* Et iterum : *Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. Ex quo totum corpus compactum et concretum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in edificationem sui in caritate (Ibid., 15).* Nam et carnem Domini nos esse confirmans, ait : *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam : quoniam membra sumus corporis ejus, et de ossibus ejus (Ephes. v, 29).* Quocirca quoniam unus panis et unum corpus multi sumus, tunc incipit unusquisque participare esse illius unius panis, quando coeperit membrum esse illius unius corporis, quod in singulis membris, quando in baptismo capiti Christo subjungitur, tunc jam Deo viva hostia veraciter immolatur. Illo enim nativitate muneris sic fit sacrificium, sicut fit et templum. Quod beatus Apostolus docens, ait : *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis (I Cor. iii, 16)?* Qui ergo membrum corporis Christi fit, quomodo non accipit quod ipse fit? quando utique illius fit verum corporis membrum, cujus corporis est in sacrificio sacramentum. Hoc ergo fit ille regeneratione sancti baptismatis, quod est de sacrificio sumpturus altaris. Quod etiam sanctos Patres indubitanter credidisse ac docuisse cognoscimus. Beatus quoque Augustinus de hac re sermonem fecit admodum luculentum, et aptum edificationi atque instructioni fidelium. Quem sermonem totum epistolae malui subjungere quia nec est prolixus, et in ipsa brevitate magnae instructionis ac suavitatis est plenus.

25. *« Hoc quod videtis in altare Dei, etiam transacta nocte vidistis, sed quid esset, quid sibi vellet, quam magnae rei sacramentum contineret, nondum audistis. Quod ergo videtis, panis est, et calix; quod vobis etiam oculi vestri renuntiant. Quod autem fides 227 vestra postulat inspicenda, panis est corpus Christi, calix sanguis Christi. Breviter quidem hoc dictum est, quod fidei forte sufficiat; sed fides instructionem desiderat. Dicit enim propheta: Nisi credideritis, non intelligetis (Isa. vii, 9). Potestis ergo modo dicere mihi: Praecipisti ut credamus; expone ut intelligamus. Potest enim in animo cujuspiam cogitatio talis oboriri. Dominus noster Jesus Christus novimus unde accepit carnem, de Virgine Maria: infans lactatus est, nutritus est, crevit, ad juvenilem aetatem perductus est, a Judaeis persecutionem passus est, ligno suspensus est, in ligno interfectus est, de ligno depositus est, sepultus est, tertia die resurrexit, quo die voluit in caelum ascendit. Illuc levavit corpus suum, unde est ven-*

turus ut judicet vivos et mortuos. Ibi est modo sedens ad dexteram Patris. Quomodo est panis corpus ejus, et calix, vel quod habet calix quomodo est sanguis ejus? Ista, fratres, ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiritalem. Corpus ergo Christi si vis intelligere, Apostolum audi dicentem fidelibus: Vos estis corpus Christi et membra (I Cor. x, 27). Si ergo vos estis corpus Christi et membra, mysterium vestrum in mensa Domini positum est, mysterium Domini accipitis. Ad id quod estis, Amen respondetis, et respondendo subscribitis. Audis ergo, Corpus Christi, et respondes Amen. Esto membrum corporis Christi, ut verum sit Amen. Quare ergo in pane? Nihil hic de nostro asseramus, ipsum Apostolum item audiamus. Cum ergo de isto sacramento loqueretur, ait: Unus panis, unum corpus multi sumus. Intelligite, et gaudete. Unitas, pietas, veritas, caritas, unus panis, unum corpus multi sumus (I Cor. x, 17). Recolite enim quia panis non fit de uno grano, sed de multis. Quando exorciabamini, quasi molebumini; quando baptizati estis, quasi conspersi estis; quando Spiritus sancti ignem accepistis, quasi cocti estis. Estote quod videtis, et accipite quod estis. Hoc Apostolus de pane dixit, jam de calice quid intelligeremus, etiam hoc dictum satis ostendit. Sicut enim ut sit species visibilis panis multa grana in unum consperguntur; tanquam illud fiat quod de fidelibus ait Scriptura sancta: Erat illis anima [una] et cor unum in Deum (Act. iv, 32); sic et de vino, fratres, recolite unde sit unum. Grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in unitate confunditur. Ita Dominus Jesus Christus nos significavit, nos ad se pertinere voluit; mysterium pacis et unitatis nostrae in sua mensa consecravit. Qui accipit mysterium unitatis, et non servat (al. tenet) vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. »

26. Arbitror, sancte frater, disputationem nostram, praecleari doctoris Augustini sermone firmatam, nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismo membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis calicisque consortio, etiamsi antequam papam illum comedat, et calicem bibat, de hoc saeculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramentum quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando ipse hoc quod illud sacramentum 228 significat invenitur. Ora pro nobis semper vegetatus fortis in Christo, sancte et venerabilis frater.

EPISTOLA XIII.

Ferrandus Fulgentio, quaestiones quinque proponens.

Domino beatissimo, et cum omni veneratione inspicendo sancto Patri FULGENTIO episcopo, FERRANDUS diaconus in Domino salutem.

1. Saepe multa volui affectu interrogare discedi, sed absentem magistrum frequentibus epistolis compellere, portitorum raritas ex itineris longinquitate

prohibuit. Unde nunc beneficio præsentis occasionis admonitus, in unum congesi quæ potui, et responsione vestra melius dilatanda breviter quæro; rogans obsecransque Christum, a quo intus audis quod doceas foris, ut veraciter dicas mihi :

2. Utrum Trinitas inseparabilis propter unam eandemque naturam, operationem, ac voluntatem, dici debeat separabiles habere personas, an etiam in personis sit omnino inseparabilis prædicanda. Vel, utrum Deus Dei Filius sicut dicitur natus, passus, mortuus, crucifixus; ita ejus divinitatem confirmare nos oporteat natam, passam, mortuam, crucifixam: quamvis sive Deus, sive divinitas nominetur, sola caro intelligatur mutabilis atque passibilis, secundum quam Deus aut divinitas pati potuit, quod in sua natura non potuit. Tertio adhuc requiro, utrum anima Christi susceptricis deitatis plenam habeat omnino notitiam, et quemadmodum se invicem norunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, ita idem Filius semetipsum per id quod homo est, in eo quod Deus, noverit; ex utraque, atque in utraque substantia totum capiens Patrem. An fortasse sicut oculis corporalibus Deum spiritum minime videt, ne non homini dignitas addita, sed natura credatur penitus commutata; sic rationalis animæ quamvis pio intellectu, et corde mundissimo, non videri, neque comprehendi omnem divinitatis essentiam, ne quolibet creatura inveniat capere Creatorem. Patere me, obsecro, iterum quærere; volo enim simul plura proponere, quia non est ubi sigillatim de singulis percontemur. Unum regnum Patris, et Filii, et Spiritus sancti credimus et fatemur, simul eos dominari creaturis omnibus sentientes. Quare ergo in orationibus sacerdotum, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti, per universas pene Africæ regiones catholica dicere consuevit Ecclesia? Tanquam solus Filius cum Patre possideat regnum; in unitate, scilicet Spiritus sancti, aut (al. ut) regnantes adunare, non simul regnare Spiritus sanctus intimetur. Responde ad hæc, rogo, celeriter, et inculto eloquio de rebus ignotis consulente; in, suavissimo melle cœlestis 229 pasce sermonis. Illud etiam dilucidans, quid sit quod Lucas evangelista cœnam Domini narraturus, prius eum dicit calicem accepisse, et discipulis dividendum inter se continuo tradidisse; et tum deinde accepto pane dixisse: *Hoc est corpus meum*; et accepto similiter postquam cœnavit calice, tunc dixisse: *Hic calix novum Testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis funditur* (Luc. xxii, 17 et seq.). Nunquid unus calix secundo est datus, an alius prius, alius postea? Et si ita est, ad cuius rei pertinet sacramentum illud de quo maxime ceteri qui scripserunt Evangelia, tacuerunt? Noli, quæso, differre responsum, nec paratum animum longa expectatione suspendas. Occupationum quippe vestrarum debemus mereri vel partem.

3. Rogo etiam, ut librum de Regula vere fidei *

A relegendum nobis jubeas destinare, et epistolam ad Joannem Tharsensem episcopum ^b, ubi de maleficio quodam judici non tradendo memini plenissime disputatum. Codices duos suscepi, et infanti Hermate proprium reddidi. Jube etiam epistolam de Oratione ^c, quam ad me hic positum mandare dignatus es, iterum huc scriptam dirigere. Dum enim pro splendore sui a multis quæritur ad legendum, faciente nostra oblivione, apud quem remanserit ignoramus. Sanctos presbyteros, diacones, beatamque congregationem supplex saluto. Deus noster paternitatem tuam ad ædificationem nostram conservare dignetur incolumem, domine pater. Amen.

EPISTOLA XIV.

B *Fulgentius Ferrando, respondens ad propositas quæque quæstiones.*

1. Epistola tua, sancte trater, et condiacone Ferrande, lætificavit cordis mei simul, et excitavit affectum; ut et certus de tua salute gauderem, et intentus quod quæris inquirerem; ab illo utique cui et debetur gratiarum actio, et a quo est vera salubrium rerum expectanda ac postulanda cognitio: ut idem qui prospero auditu gaudium donat, etiam infusione gratiæ spiritualis intelligentiam tribuat; et sicut ipse ad inquirendum se accendit studium, ita pulsantibus ad se largiatur ingressum. Tunc enim in gaudium Domini nostri poterimus intrare, si nos hic dignatus fuerit in illud magnum pietatis sacramentum dono gratiæ spiritualis inducere, et ad devitandum vitæ hujus defectum, qui nobis subrepat frequenter infirmis, panem nobis ipse tribuat intelligentiæ spiritualis; nec nos permittat veterinosæ corruptioni exterioris hominis subijci, sed ad studium sanctæ cogitationis (al. cognitionis), et operis interiorum nostrum de die in diem faciat cœlesti lumine (al. munere) renovari. Dicta tuæ igitur epistolæ jam ponamus; ut quod Dominus donaverit, quæstionibus singulis respondere possimus.

230 QUÆSTIO PRIMA.

2. Exigis namque ut veraciter dicam tibi, *Utrum Trinitas inseparabilis propter unam eandemque naturam, operationem, ac voluntatem, dici debeat separabiles habere personas, an etiam in personis sit omnino inseparabilis prædicanda.* Hæc esse verba primæ quæstionis procul dubio recognoscis.

RESPONSIO.

3. Ubi nobis illud est principaliter intuendum, quia Trinitas inseparabilis dici non debet, si possunt illæ tres personæ aliquatenus separari. Hoc enim vera inseparabile dicitur, quod nullatenus separationem potest recipere. Nam quod non separatur, sed separari potest, inseparabile non est. Quod si quisquam separari posse putat in Trinitate personas, non Trinitas est inseparabilis dicenda, sed unitas. In personis quippe Trinitas constat, unitas in natura. Sed nescio utrum nostra possit assertio veritate fulciri, quando

* Liber est de Fide ad Petrum, infra.

^b Hæc epistola non existat.

^c Epistola 4 ad Proban, supra.

nic inseparabilem naturam dicimus ut ejusdem naturæ **A** personas separabiles asseramus: cum utique una natura, quæ non potest in personis dividi, ipsa inseparabilitate sua, nec ipsas ostendat separari posse personas. Nam separationem naturæ absque separatione personæ, ut non longius eamus, in ipsis hominibus invenimus. Carnem quippe humanam nemo dubitat ad naturam hominis pertinere; cujus tamen potest fieri separatio, si quodlibet membrum præcidatur a corpore: quæ tamen præcisio non in se potest separationem habere personæ. Neque enim cum manus aut pes a corpore præciditur, cum eodem membro etiam persona hominis separatur; quamvis fiat quædam naturæ separatio, cujus pars præcisiva invenitur in membro. Sed sicut ille homo si vivit postquam membro caruerit, naturalis definitionis plenitudine **B** non carebit, qua dicitur homo animal rationale, mortale: sic habens naturæ definitionem veram, necesse est ut propriam quoque habeat cum natura personam, quamvis partem naturæ, id est partem carnis a se habeat separatam. Cum vero separantur homines personis, natura quoque sine dubio separantur. Quoniam non separatur persona, cum manus aut pes separatur a corpore: separatur autem in personarum separatione natura, cum homo separatur ab homine. Inseparabilis igitur naturæ unitas non potest separabiles habere personas.

4. Proinde considerare debemus illam Trinitatis unam eandemque naturam ita totum implere, ut non sit aliquid ubi non sit. Inde est enim quod et ubique tota est, et loco nullatenus continetur; tota scilicet **C** in spiritibus et corporibus singulis, et tota simul in omnibus creatoris. Nunc enim non de gratia loquimur, qua se Deus gratuito munere misericordiæ suæ salvandis hominibus præbet; sed de natura, qua Deus omnia quæ fecit, et implet, et continet; secundum quam dicit: *Cælum et terram ego impleo* (Jer. xxiii, 24); et secundum quam ipsi Deo beatus David **231** dicit: *Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es; et si descendero ad infernum, ades* (Psal. cxxxviii, 7). Et de Christo qui est sapientia Dei, dicitur: *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (Sap. viii, 1). De Spiritu quoque sancto Scriptura divinitus inspirata sic loquitur: *Quia Spiritus Domini replevit orbem terrarum; et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis* (Sap. i, 7). Invenitur autem hic vocem cordis significasse, non corporis, vocem scilicet non corporeæ locutionis, sed intimæ cogitationis. Vocem illam, quam solus Deus audit clamantem, quando in occulto solus aspicit cogitantem. Ideo sequitur dicens: *Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere; sed nec præteriet illum corripienti judicium suum* (Ibid., 8). Ostendens autem ubi sit hæc iniqua locutio, ut agnoscat conscientie magis esse quam lingue, hoc sancta Scriptura subsequenter aperuit, dicens: *In cogitationibus enim impij interrogatio erit* (Ibid., 9). Hæc ideo dixi propter quod desancto Spiritu dicitur, quia *quod continet omnia, scientiam habet vocis*. Omnia quippe continens non est mi-

nor Patre vel Filio Spiritus sanctus; et habens intimæ cogitationis scientiam, Deus verus agnoscitur qui occultorum cognitor invenitur. Scientia vero quæ comprehendit occulta, sine dubio continet et futura: quod summo ac vero Deo vera fides assignat, sancta Susanna Deum verum taliter invocante: *Deus, qui occultorum es cognitor, qui scis omnia antequam fiant* (Dan. xii, 42). Trinitas itaque, id est Deus unus, verus, et bonus, æternus, incommutabilis, et immensus, ubique totus est secundum immensitatem atque omnipotentiam naturalem, quamvis non in omnibus habitet secundum gratiæ largitatem.

5. Hinc est quod cum Deus per Hieremiam dicat: *Ego sum Deus approximans, et non Deus de longinquo* (Jer. xxiii, 23), memoratus tamen propheta eidem Deo dicit de quibusdam: *Iuxta est ori eorum, et longe a renibus eorum* (Jer. xii, 2). Deus ergo bonis et natura propinquat et gratia: natura, qua creat; gratia, qua salvat: natura, qua facit esse homines; gratia, qua justificat peccatores: natura, qua eos facit ex hominibus nasci; gratia, qua dat eis potestatem filios Dei fieri (Joan. i, 12): natura, qua facit ut vivant; gratia, qua facit ut sobrie, et juste, et pie vivant (Tit. ii, 12): natura, qua eos facit in hoc mundo parvo tempore vivere; gratia, qua eos facit in cælo sine fine regnare. In malis vero sola est Deus immensitate atque omnipotentia naturali; qua eos facit esse, vivere, atque sentire; rationales esse, liberum quoque habere voluntatis arbitrium; sed liberam, non liberatum. Liberum enim arbitrium manet etiam nunc in hominibus per naturam, quod in quibus voluerit Deus, dignatur liberare per gratiam. Ex quo enim primus homo libero arbitrio venundatus est sub peccato, ideo mala cæpit esse libertas hominis, quia ipsi libero arbitrio ablata est bonitas voluntatis: et sic in eodem hominis arbitrio cæpit esse mala libertas; ut ipsa illi, et omnibus deinde per concubitum nascituris fieret inimica captivitas. Deus ergo, sicut supra diximus, per immensitatem naturæ suæ, totam creaturam suam et continet et implet; ac per hoc, totum implet Pater, totum Filius, totum Spiritus sanctus; quia et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus **232** naturaliter unus est Deus. Non sic est autem una natura Patris, et Filii, et Spiritus sancti, id est trium illarum personarum, sicut est humana natura, trium quorumlibet hominum; quorum sic est una natura, ut eorum tamen et animæ separantur et corpora: cumque sit in tribus hominibus unitas naturalis, nullius tamen est cum duobus caro, animæ communis. Hinc est quod separari ab invicem creaturæ quælibet consubstantiales possunt: quia singulæ earum totæ ubique esse non possunt: nam et cum in illis sit per gratiam fidei, ut *multitudinis credentium sit cor et anima una* (Act. iv, 32); possunt tamen in personis separari locorum situ, licet cordis non separantur affectu; possunt et aliquæ infideles ex fidelibus fieri, et ab illius unius animæ societate disjungi. Natura vero Trinitatis, quæ sola est ubique tota, sicut ubique suam habet et unum et totum, **233** separationem non potest recipere personarum.

6. Nominantur quidem illæ personæ aliquando singularæ; sed ita se voluit ipsa Trinitas inseparabilem ostendere in personis, ut nullum ibi nomen sit quo sic vocetur quælibet una persona, ut non aut tribus naturali unitate conveniat, aut alteram ad alteram referri, etiam ipso nomine singularitatis ostendat. Nam de illis vocabulis, quibus ad se proprie dicuntur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; in quibus scilicet non singularitas cujusque personæ, sed communio monstratur unius essentia; non est aliquod nomen quod sic Patri convenire possit aut Filio, ut Spiritui sancto convenire non possit. Dicitur enim Pater naturaliter Deus; sed naturaliter est Deus et Filius, naturaliter est Deus et Spiritus sanctus; nec tamen tres Dii, sed unus naturaliter Deus est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Omnipotens est Pater, sed omnipotens est Filius, omnipotens est Spiritus sanctus; nec tamen tres Dii omnipotentes, sed unus Deus omnipotens est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Æternus est sine initio Pater, æternus est sine initio Filius, æternus est sine initio Spiritus sanctus; nec tamen tres Dii æterni, sed unus Deus æternus est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Immensus est Pater, sed immensus est Filius, et immensus est et Spiritus sanctus; nec tamen tres Dii immensi, sed unus Deus immensus est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Ubi ergo sic est nomen quodlibet unum, ut simul et tribus et singulis indifferenter possit convenire personis; et ita singulare in natura est, ut in personis esse plurale non possit; quomodo separabiles esse personas dicimus, quando pluralem numerum in nomine recipi non videmus? Quidquid enim singulariter tantum secundum naturam dicitur, necesse est ut in personis quoque inseparabiliter intimetur; et ostendit ipsa veritas personas non posse dividi, ubi quodlibet nomen, quod tamen ad se, non ad alteram unaqueque persona dicitur, sicut singulariter in una dicitur, sic etiam in tribus singulariter nominatur. Nam in una persona dicitur unus angelus, dicitur unus homo: sed si tres personæ fuerint angelorum aut hominum, nec unus angelus, nec unus homo poterit nominari: quia in illis tribus personis, quæ in natura vel angelica vel humana reperiuntur, non unus angelus aut unus homo, sed sine dubio tres angeli vel tres homines necesse est nuncupari: eandem nec unus angelus, nec unus homo dici potest illa vel angelicam vel humanam pluralitatem personarum; quia vero tres illæ personæ vel angelorum vel hominum separari possunt, ideo ipsæ tres personæ non recipiunt simul unum naturæ singulare vocabulum; sed vel tres angeli vel tres homines sine dubio nominantur.

7. Non autem ignorantes per gratiam Dei fieri ut plures homines possint aliq̄ singulari nomine nuncupari: sicut est illud quod supra jam posuimus: *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una (Act. iv, 5)*; quod tamen sic dicitur anima una, et dicantur et animæ, fidelium scilicet, non impiorum. Fidelibus enim discipulis Dominus loquebatur, qui-

bus ait: *In patientia vestra possidebitis animas vestras (Luc. xxi, 19)*. Fidelibus etiam beatus Petrus dicit: *Credentes autem exultate lætitia inenarrabili, et honorificata; recipientes finem fidei vestræ, salutem animarum (I Petr. 1, 9)*. Dicitur etiam in libro Sapiencie: *Iustorum animæ in manu Dei sunt (Sap. iii, 4)*. Scimus etiam Thessalonicensibus beatum dixisse Apostolum, quorum electionem sciebat a Deo: *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia; et integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in dia Domini nostri Jesu Christi servetur (I Thess. v, 23)*. Sed etiam in hymno trium puerorum nihilominus legitur: *Benedicite, spiritus et animæ iustorum, Domino (Dan. iii, 86)*. Scimus per gratiam Dei et sanctam Ecclesiam unam virginem nuncupari, dicente Apostolo: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo (II Cor. xi, 2)*; sed in ipsa una virgine plurali numero etiam virgines nuncupantur. Legimus etiam: *Afferentur Regi virgines post eam (Psal. xlv, 15)*. Nec illud est dubium, unam esse Ecclesiam quæ per totum est orbem diffusa terrarum, quæ ab Apostolo appellatur *Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis (I Tim. iii, 15)*: quæ tamen sic una, sic est et Ecclesia, ut in ea plures appellentur Ecclesie. Ipse enim beatus Apostolus dicit: *Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo (Gal. 1, 22)*. Sed et fratrem se dicit Corinthiis destinasse, *cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias (II Cor. viii, 18)*. Ecclesiis quoque Galatiæ se scripsisse in ejusdem epistolæ demonstravit exordio. Fideles quoque suos unum lumen esse Domini noster ostendens, ait discipulis suis: *Vos estis lumen mundi (Matth. v, 14)*; et tamen Dei filios lumina beatus Jacobus appellare non dubitat, dicens: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum deorsum est, descendens a Patre luminum (Jac. 1, 17)*. In his itaque omnibus et singulare invenimus vocabulum, et plurale: ideo autem plurale, quia omnes creaturas separabiles esse ipsa qualitas naturalis ostendit; ideo vero singulare, quia ut sit una anima, unus spiritus, una virgo, una Ecclesia, unum lumen, hoc illa una Trinitas per suam gratiam fecit; quæ tam in natura quam in personis sic est inseparabilis, ut quidquid ibi tam de una quam de tribus personis singulariter dicitur, pluraliter non dicatur. Non itaque possunt Patris, et Filii, et Spiritus sancti separari personæ, quibus unum nomen naturæ sic convenit, ut in tribus personis plurale esse non possit: excepto enim hoc ipso, quo personæ dicuntur, nullum nomen aliud in Patre, et Filio, et Spiritu sancto potest inveniri, quod non singulariter tantummodo nominetur. Vix autem hoc unum reperire potuit humani sermonis inopia, 234 ut saltem tres diceret esse personas; ne si vel hoc non diceretur, Trinitas esse nullatenus crederetur, et in illa omnimoda tæcurnitate, fidei periculum nasceretur.

8. Quocirca, secundum veritatem fidei Christianæ dicimus, unum Deum esse naturaliter Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Necesse est autem ut sic-

ut Trinitatem dicimus unum Deum, ita dicamus unum omnipotentem, unum æternum, unum immensum, unum magnum, unum altissimum; et quidquid, in quantum Deus hominibus dedit, non solum in singulis personis, sed etiam simul in tribus ad seipsum singulariter nominatur. Ne vero ex hoc quod Pater unius est personæ vocabulum, Filius quoque una tantum dicitur in Trinitate persona, similiter et cum Spiritus sanctus proprie dicitur, unius personæ singularitas intimatur, quisquam velit istas tres separabiles asserere et affirmare personas: in quo unicuique personæ sic unum ex his tribus nominibus convenit, ut commune tribus personis esse non possit. Quisquis hoc tentat objicere, si sic sentit ut loquitur, et hoc tenet conscientia quod indicat lingua, minus attendit, hæc nomina esse sine dubio relativa. In quolibet autem relativo nomine sic certum est unam in seipsa significari personam, ut hinc referatur ad alteram: et non solum in his quæ eadem sunt, sicut dicitur frater ad fratrem, amicus ad amicum, vicinus ad vicinum; sed etiam in his quæ diversa sunt, sicut dicitur pater ad filium, filius ad patrem, genitor ad genitum, vel genitus ad genitorem; ex quolibet horum nomine geminam intelligi solere personam. Neque enim in his nominibus sic una persona singulariter dicitur, ut non ad alteram ipso suo nomine referatur: relativo enim vocabulo sic persona quælibet dicitur in se, ut non dicatur ad se. Ad agnoscendum itaque inseparabilitatis indicium ita se illa una veraque divinitas in singulis personis voluit incommunicabiliter ^a nominari, ut una tamen persona sine altera non posset intelligi. Nam cum Pater ad Filium, vel Filius referatur ad Patrem, licet singula singulis tantum possint nomina convenire personis, et communionem illorum duorum nominum omnino recuset proprietates personarum, non tamen Pater sine Filio cognoscitur, nec sine Patre Filius invenitur. Relatio quippe illa vocabuli personalis personas separari vetat: quas etiam dum non simul nominat, simul insinuat. Nemo autem audire potest utrumquodque istorum nominum, in quo non intelligere cogatur et alterum: quod nobis beatus Joannes insinuat, dicens: *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet; qui confitetur Filium, et Patrem habet* (I Joan. II, 25). Quod utique propterea dixit, quia inseparabiliter Pater referatur ad Filium, et inseparabiliter Filius referatur ad Patrem. Non ergo separatur persona Patris a persona Filii, quotiens aut Pater tantum nominatur, aut Filius: quandoquidem Pater non dicitur, nisi referatur ad Filium, nec Filius dicitur, nisi referatur ad Patrem: in Patris enim nomine ita genitor agnoscitur, ut ex hoc et ille qui est genitus intimetur, et appellatio geniti admonet personam genitoris agnoscere. Hinc est quod sicut ab eo qui confitetur Filium, **235** Pater habetur, sic ab eo qui Filium negaverit, non habetur.

9. Quisquis ergo separabiles dicit esse personas Patris et Filii, ostendat in quolibet eorum aliquid

A vocabulum personale quod ita unius personæ sit, ut ad alteram referri non possit. Sed quia hoc nullatenus invenitur, hoc sine dubio ad veram pertinet fidem: ut tres illas unius atque inseparabilis naturæ personas sicut non confundimus, ita separare nullatenus audeamus. Quandoquidem ita nobis hoc dignata est ipsa Trinitas evidenter ostendere, ut etiam in his nominibus, quibus voluit singillatim personas agnoscere, unam sine altera non permittat intelligi. Nam excepto quod ad se relative dicuntur Pater et Filius, ubi inseparabiliter necesse est referatur alter ad alterum, cum ista nomina sint utique personarum, non minus omnis contradictio deficit in illo personali nomine Spiritus sancti; qui non aliud personaliter vocatur cum dicitur Spiritus sanctus, quam hoc quod naturaliter et Pater vocatur et Filius. Nam et Pater naturaliter spiritus est, et Filius naturaliter spiritus est; et Pater naturaliter sanctus est, et Filius naturaliter sanctus est. Quomodo ergo potest persona Spiritus sancti a persona Patris aut Filii aliquatenus separari, cum hoc habeat Spiritus sanctus in ipso personali nomine, quod cum Patre et Filio unitate naturali cognoscitur habere commune? Hoc enim nomine non ad solum Patrem, sicut Filius; nec ad solum Filium, sicut Pater: sed simul et ad Patrem et ad Filium refertur, quando et Patris et Filii Spiritus nuncupatur. Nam et cum ipse Spiritus sanctus dicitur donum, ad donatorem inseparabiliter refertur. Hanc inseparabilitatem personarum sciens beatus David, dicebat Deo: *Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades* (Psal. CXXXV, 7). Quod utique non diceret, si personam Spiritus sancti a persona Patris separabilem sciret. Propterea autem se nec ab Spiritu Dei abire, nec ab ipso Deo fugere quoquam posse dicebat, quia noverat, inseparabiliter et Deum esse in Spiritu suo, et Spiritum Dei esse in Deo: non sicut est in Deo creatura, sed sicut spiritus ejus, qui non alterius naturæ est quam est ipse Deus in quo est. Quod illo loco sanctus ostendit Apostolus, ubi cum dixisset: *Nobis enim revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei*; continuo humani spiritus induxit exemplum, dicens: *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei* (I Cor. II, 10-12). Sicut ergo spiritus hominis, qui in ipso est, ideo scit quæ sunt hominis, quia ejusdem naturæ est cujus est homo in quo est (ubi magis interiorem hominem accipiendum existimo): ita et quæ Dei sunt ideo nemo cognovit nisi Spiritus Dei, quia sic in Deo est per unitatem naturæ, ut non sit aliquid in Deo, quod non possit Spiritus ejus naturali unitate cognoscere.

10. Istam quippe plenitudinem cognitionis sola possidet unitas naturalis; per quam sic est in Deo Spiritus ejus, ut unus cum illo sit naturaliter Deus. Qui tamen sic in Deo est, et unus cum illo Deus

^a Ms. Thu., incommunicabiliter.

est, ut non cum eo unam personam habeat, sicut A
habet cum homine spiritus 236 qui in homine est.
Sed illud cognitionis exemplum pro unitate naturali,
quæ nullam in Patre, et Filio, et Spiritu sancto dif-
ferentiam cognitionis esse permittit, beatum Aposto-
lum posuisse certissimum est: quia una illa natura
inseparabilis, totum quidquid in se naturaliter est,
non diversum sed unum, et totum sicut in tribus,
sic in singulis constat esse personis. Ubi ad demon-
strandam propriam Spiritus sancti personam, vere
in ejusdem doctrina Spiritus apostolica vigilavit
auctoritas, ut diceret: *Nos autem non spiritum mundi
accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est (I Cor. II, 12)*:
quod dici de spiritu hominis nullatenus potest, qui
sic esse in homine dicitur, ut esse ex homine non
dicatur. Spiritus autem sanctus in Deo est unitate B
naturæ, ex Deo est etiam proprietate personæ. Per
illam ergo unitatem naturæ, per quam ea quæ Dei
sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei, etiam illud
intelligitur quod Filius dicit: *Nemo novit Filium ni-
si Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui
voluerit Filius revelare (Matth. XI, 27)*. Per eandem
naturæ inseparabilis unitatem, et se in Patre, et in
se Patrem Filius esse testatur. Nam cum discipulis
dixisset: *Si me cognovissetis, et Patrem meum utique
cognovissetis (Joan. XIV, 7)*: Philippus vero cum Pa-
tre sibi postularèt ostendi, sic Dominus ipse re-
spondit: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognov-
istis me? Philippe, qui me vidit, vidit et Patrem. Quo-
modo tu dicis, ostende nobis Patrem? Non credis quia
ego in Patre, et Pater in me est? Verba quæ ego lo-
quor vobis, non a me ipso loquor; Pater autem in me
manens, ipse facit opera. Non creditis quia ego in
Patre, et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa
credite (Ibid., 9 et seq.)*. Ex eo igitur quod insepa-
rabiles sunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, con-
sequens est ut inseparabiliter operentur. Quod si
Trinitas illa separabiles posset habere personas, es-
sent et aliqua separata opera Trinitatis. Nam si at-
tendamus illud quod Scriptura sancta dicit de sa-
pientia: *Splendor est enim lucis æternæ (Sap. VII, 26)*,
sicut splendorem luci videmus inseparabiliter
inherere, sic agnoscamus Filium a Patre separari
non posse. Ipsum enim apostolica prædicat aucto-
ritas splendorem gloriæ, et figuram substantiæ Dei
(Hebr. I, 3); quod sequens beatus Ambrosius in D
hymno matutino a splendorem paternæ gloriæ Filium
esse pronuntiat.

41. Illo quoque exemplo inseparabiles perso-
nas Patris, et Filii, et Spiritus sancti, convenit ut
credamus, quo ipse Unigenitus Deus sic in unitate
personæ suæ naturam divinam humanamque con-
junctis atque univit, ut a se omnino non possint
separari. In una enim persona Unigeniti Dei, qui
tanquam sponsus processit de thalamo suo (Psal. XVIII,
5), inseparabilis permanet utriusque naturæ unitio.
Nec ideo debet aliquis æstimare utramque ab invi-
cam divelli potuisse naturam; quia per susceptio-

nem mortis, et caro exanimis in sepulcro jacuit, et
anima in infernum, carne moriente, descendit: quan-
doquidem etiam cum interveniente morte anima
discessisset a carne, inseparabilis in Christo utraque
natura permansit: quia nec in inferno animam suam,
nec in sepulcro carnem suam divinitas immensa deseruit.
In tantum autem inseparabilis est in Christo
utraque natura, ut ex hoc Eutyches in errorem ca-
deret, et unam videns in Christo personam, unam
quoque in eo naturam 237 impie prædicaret; vo-
lens confundere quod vidit separari non posse. Sic
autem iste in duabus naturis quas inseparabiliter
unius esse personæ cognovit, crimen impietatis incur-
rit; sicut Sabellius in tribus personis, propter uni-
tatem naturæ, cæcitate mortiferæ infidelitatis erravit;
non intelligens personas Patris, et Filii, et Spiritus
sancti sine confusione subsistere, quas audiebat uni-
tate naturali prorsus inseparabiles permanere. Sed
utrumque Trinitas inseparabilis vicit, utrumque uni-
tas inconfusa contrivit, uterque a vulva Ecclesiæ ma-
tris alienatus abscessit, uterque a ventre piissimæ
genitricis erravit, et semetipsum, suosque complices
barathro impietatis immersit. Vera quippe in Trinitate
Deo non solum naturæ unitas, verum etiam inconfusa
atque inseparabilis manet personarum proprietas: et
nihilominus in una Christi persona, duarum perma-
net inconfusibilis atque inseparabilis plena veritas
naturarum.

42. Quod si in Christo propter unitatem personæ,
inseparabilis invenitur unitio divinæ humanæque na-
turæ (cum utrique naturæ nec sine initio æterni-
tas, nec sine mutabilitate simplicitas, nec sine ter-
mino immensitas invenitur naturaliter esse commu-
nis; quia in uno eodemque Christo et vera est divina
natura, qua naturaliter est sine initio Deus natus de
Patre, et vera humana natura, qua naturaliter est in
plenitudine temporum Deus homo creatus ex vir-
gine; in illa cœternus Patri, in ista posterior matre;
secundum divinam semper ubique totus, nec unquam
vel usquam loco conclusus; secundum humanam,
certo die de celo ad judicandos vivos mortuosque
venturus), quanta inseparabilitas credenda est illis
tribus inesse personis, quarum est et unitas, et æterni-
tas, et simplicitas, et immensitas naturalis? Hanc
beatus Ambrosius veraciter prædicat et confirmat in
libro primo de Spiritu sancto (Cap. 6), hæc dicens:
*Quis igitur audeat dicere discretam a Deo Patre et
Christo esse Spiritum sanctum, cum per ipsum ad ima-
ginem et similitudinem Dei esse mereamur? Alio quo-
que loco dicit: Quis autem potest a Patre et Filio Spi-
ritum sanctum separare, cum vel appellare Patrem
et Filium sine Spiritu sancto non queamus? Nemo
enim dicit Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto.
Ergo si appellare Dominum Jesum sine Spiritu sancto
utique non possumus, possimus sine Spiritu prædi-
care (Lib. I de Spiritu sancto, cap. 10)?* Ista trium
inseparabilitas personarum a beato quoque Augustino
indubitanter asseritur. In libro primo de Trinitate

(Cap. 4), cum solum dixisset Filium de Virgine Maria natum, solumque Spiritum sanctum in specie columbæ super Jesum baptizatum, et die Pentecostes linguis divisis velut ignem super discipulos advenisse; soliusque Patris fuisse vocem dicentis : *Tu es Filius meus* (Marc. 1, 11; Luc. 11, 22), quando Filius baptizatus est a Joanne, et quando sonavit vox, dicens : *Et clarificavi, et iterum clarificabo* (Joan. 12, 28), ostendens tamen inseparabiles esse, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, istam sententiam intulit, dicens : *Quamvis Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, sicut inseparabiles sunt, sic inseparabiliter operantur*. Cernis nempe quomodo beatus Augustinus nullam hic separabilium personarum suspensionem relinquit, quando Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, sicut inseparabiles sunt, sic inseparabiliter asserit operari. Quam sententiam tali conclusionis confirmans (Cap. 8), ait : *Hæc et mea fides est, quando hæc est catholica fides*.

13. Item alio ejusdem libri loco dicit : *Denique propter ipsam inseparabilitatem sufficienter aliquando nominatur vel Pater solus, vel Filius solus, adimpleturque Spiritus, id est, Patris, et Filii Spiritus, qui Spiritus sanctus proprie dicitur, Spiritus veritatis, quem hic mundus accipere non potest* (Joan. 17, 17). *Hoc est enim plenum gaudium nostrum, quo amplius non est, frui Trinitate Deo, ad cujus imaginem facti sumus*. Propter hoc aliquando ita loquimur de Spiritu sancto, tanquam solus ipse sufficiat ad beatitudinem nostram; et ideo solus sufficit, quia separari a Patre et Filio non potest; sicut Pater solus sufficit, quia separari a Filio et Spiritu sancto non potest; et Filius ideo sufficit solus, quia separari a Patre et Spiritu sancto non potest. Hæc est beati Augustini, secundum catholicam fidei veritatem, de Patris, et Filii, et Spiritus sancti inseparabilitate sententia; quam ne quicquam secundum solam naturam, et non etiam secundum personas acciperet, planius hoc et manifestius paulo post in eodem libro (Cap. 9, ad finem) curavit ostendere, dicens : *Sed propter insinuationem Trinitatis, personis etiam singulis nominatis dicuntur quædam separatim, non tamen aliis separatim intelliguntur; propter ejusdem Trinitatis unitatem, unamque substantiam atque deitatem Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Alio quoque memorati libri loco (Sub finem cap. 10) plenissime hoc inculcans, cum de Filio dixisset : *Ex hoc enim rogat, quo minor est Patre; quo vero æqualis est, exaudit cum Patre; inseparabilitatem personarum ostendens, ait : Unde se ab eo quod dicit : Ipse enim Pater amat vos* (Joan. 17, 27), *utique ipse non separatur; sed secundum ea facit intelligi, que supra commemoravi, satisque insinavi, plerumque ita nominari unamquamque in Trinitate personam, ut et aliter illic intelligantur*. Sic itaque dictum est : Ipse enim Pater amat vos, ut consequenter intelligatur et Filius, et Spiritus sanctus. Item post aliquanta (Cap. 12, ante medium) idem sanctus Augustinus

sic ait : *Jam enim ostendimus in hac Trinitate per multos locutionum divinarum modos, etiam de singulis dici quod omnium est, propter inseparabilem operationem unius ejusdemque substantiæ*. In quinto decimo vero libro de Trinitate (Cap. 25), cum de hac imagine quæ in nobis est, aliquas lineas præberet ad intelligentiam Trinitatis, inter alia sic ait : *Verum in illa summa Triplicate quæ incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta est inseparabilitas, ut cum trinitas hominum non possit dici unus homo, illa unus Deus et dicatur, et sit; nec in uno Deo sit illa Trinitas, sed unus Deus*. Nec rursus quemadmodum ista imago, quæ est homo, habens illa tria una persona est, ita est et illa Trinitas; sed tres personæ sunt, Pater Filii, et Filius Patris, et Spiritus Patris et Filii.

Item post aliqua (Ibidem) sic ait : *Non tamen sicut in ista imagine Trinitatis, non hæc tria unus homo, sed unius hominis sunt; ita in ipsa summa Trinitate, cujus hæc imago est, unius Dei sunt illa tria; sed unus Deus est; et tres sunt illæ, non una persona*. Hæc dicens beatus Augustinus, et inseparabilitatem earumdem trium personarum, revelatione ipsius Trinitatis intelligens, cum admiratione sequitur, dicens (Ibidem) : *Quod sane mirabiliter ineffabile est, vel ineffabiliter mirabile : cum sit una persona hæc imago Trinitatis, ipsa vero summa Trinitas tres personæ sint, inseparabilior est illa Trinitas personarum trium, quam hæc unus*.

14. Ista, sicut non debito, quæ de primo atque novissimo libro de Trinitate verba beati Augustini posuimus, omnino sufficient : præsertim ingenio atque studio tuo^a, quo ejus dicta sic acutissime ac frequentissime legis, ut in eis plurima possis similia reperire, quæ non solum in natura, sed etiam in personis inseparabilitatem sanctæ Trinitatis ostendunt. Dicuntur ergo singillatim tres illæ personæ, ut agnoscantur, non ut separentur : in quibus sic nullæ est separatio, sicut in eis nulla potest inesse confusio. Neque enim tres illæ personæ, quia non possunt confundi, propterea debent separabiles estimari, cum omnino inseparabiles inveniantur, et in eo quod sunt, et in eo quod faciunt. Nec quicquam separabiles audeat illas tres personas asserere, cum nullam ante aliam, nullam post aliam, nullam sine alia vel existentem, vel operantem valeat invenire. Ubi sicut naturaliter nulla potest esse separabilitas operis, ita naturaliter manet incommutabilis unitas voluntatis. Attendamus autem quoniam modo fuerit vel homo, vel angelus separatus a Deo, ut possimus indubitanter inseparabilem intelligere Trinitatem. Nempe Scriptura sancta dicit quia *perversas cogitationes separavit a Deo, et quia in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (Sap. 1, 5); et quia *Spiritus sanctus disciplinam effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu* (Ibid., 5). Nam et Isaias propheta (Isai. 17, 2) testatur iniquitates inter Deum et homines separare. Sancta autem Trinitas ipse est Deus fidelis, in quo

^a Ant., officio tuo.

non est iniquitas. Venit autem Filius Dei, ut peccata tolleret, et peccatum in eo non est, et peccatum est iniquitas (I Joan. iii, 4, 5). Tollens autem iniquitatem, tribuit caritatem. Abstulit ergo per quod a Deo separabamur, et donavit per quod sanctæ Trinitati inseparabiliter jungeremur. Ideo confidenter clamat Apostolus : Quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudines, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro (Rom. viii, 38). Si ergo Trinitas, infusa caritate, inseparabiliter sibi facit adhærere animas nostras, quia qui adhæret Deo, unus spiritus est (I Cor. vi, 17) : quomodo ipsa Trinitas separabiles potest habere personas, cum ipsa Trinitas unus sit Deus, ac per hoc una sit caritas, quia Deus caritas est? Caritas autem divisionem nunquam recipit, quæ de multis cordibus multisque animabus in seipsa unum cor unamque animam facit.

240 QUÆSTIO SECUNDA.

15. Secunda deinde interrogatio tua hoc invenitur tenore subjuncta : *Utrum Deus Dei Filius, sicut dicitur natus, passus, mortuus, crucifixus : ita ejus divinitatem confirmare nos oporteat natam, passam, mortuam, crucifixam : quamvis sive Deus, sive divinitas nominetur, sola caro intelligatur mutabilis atque passibilis, secundum quam Deus aut divinitas pati potuit, quod in sua natura non potuit.*

RESPONSIO.

16. His tuis verbis breviter respondeo, quidquid horum dicatur, nihil præjudicare fidei qua veraciter Ecclesia catholica credit, et prædicat divinitatem Filii Dei impassibilem atque incommutabilem naturaliter permanere. Beatus quippe Apostolus ait : *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam : ipsis autem vocatis Judæis et Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam (I Cor. i, 23).* Ecce Christum Dei virtutem et Dei sapientiam, dicit Apostolus crucifixum. Alio autem loco simul virtutem divinitatemque conjungens ait : *Sempiterna quoque ejus virtus et divinitas (Rom. i, 20).* Si ergo virtus Christi secundum carnem crucifixa non indigne dicitur, cur eodem modo etiam crucifixa secundum carnem divinitas non dicatur? Quando enim additur, secundum carnem, ostenditur utique non ejus divinitatem passioni subjacuisse, sed carnem. Quod etiam apostolica videmus auctoritate monstratum. Nam cum beatus Paulus apostolus dixerit, Christum crucifixum, Dei virtutem, et Dei sapientiam, ne ipsa virtus et sapientia putaretur naturaliter esse passibilis, curavit alio loco crucifixæ virtutis et sapientiæ salubriter aperire mysterium, dicens de Christo : *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei (II Cor. xiii, 4).* Scimus autem Christum Dei Filium prophetico eloquio Deum fortem veraciter nominari, Isaia dicente *Puer natus est nobis, filius datus est nobis, et*

factus est principatus super humeros ejus : et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis (Isai. ix, 6). Nonne istius Dei fortis uno loco Apostolus sempiternam virtutem divinitatemque commendat? Neque enim vera fides ita sempiternam virtutem ac divinitatem Patri prædicat, ut Filii aut Spiritus sancti sempiternam virtutem divinitatemque non credat : cum una sit naturaliter sempiterna virtus ac divinitas Patris et Filii et Spiritus sancti. Deus ergo fortis Christus : ideo autem veraciter Deus, quia divinitas, sicut ideo veraciter fortis, quia virtus. Vera itaque fides, quæ Christum Deum fortem veraciter credit et prædicat, et Christum crucifixum Dei virtutem, Dei que sapientiam novit ab Apostolo prædicari ; sicut secundum carnem, crucifixam virtutem fiducialiter novit et licet, ita secundum carnem, crucifixam divinitatem confiteri non ambigit : **241** Christus enim Deus fortis, sic est Deus, ut ipse sit divinitas sua ; quemadmodum sic est fortis, ut ipse sit virtus sua.

16 bis. Nosti hoc quod dico, in libris de Trinitate a beato Augustino plenissime disputatum ; in quibus ostendit unamquamque in Trinitate personam, in his duntaxat nominibus quibus ad se non translate, sed proprie dicitur, ipsam sibi esse quod habere naturaliter prædicatur. Dicimus enim sive Patrem, sive Filium, sive Spiritum sanctum, esse Deum vivum, magnum, sapientem, fortem, bonum. In his omnibus, quæ ad se unaquæque dicitur in Trinitate persona ; quia Deus divinitate Deus est, magnus magnitudine magnus est, sapiens sapientia sapiens est, fortis virtute fortis est, bonus bonitate bonus est : sic est utique Deus, ut ipse sit divinitas sua ; sic est magna, ut ipse sit magnitudo sua ; sic est sapiens, ut ipse sit sapientia sua ; sic est fortis, ut ipse sit virtus sua ; sic etiam bonus, ut ipse sit bonitas sua. Quod cum in supra memoratis libris idem sanctus Augustinus frequenter insinuet, quemdam locum de libro ejus quinto (*Lib. v de Trinitate, cap. 10*) huic opusculo inserere curavi. Cum enim de Deo et de ejus magnitudine loqueretur, inter alia sic ait : *Eu igitur magnitudine magnus est, qui ipse est eadem magnitudo. Et ideo sicut non dicimus tres essentias, sic nec tres magnitudines : hoc est enim Deo esse, quod est magnum esse. Eadem causa nec magnos tres dicimus, sed unum magnum ; quia non participatione magnitudinis Deus magnus est, sed seipso magno magnus est ; quia ipse sua est magnitudo. Hoc et de bonitate, et de æternitate, et de omnipotentia Dei dictum sit, omnibusque omnino prædicamentis, quæ de Deo possunt pronuntiarî ; quod ad seipsum dicitur, non translate ac per similitudinem, sed proprie ; si tamen de illo proprie aliquid ore hominis dici potest. In libro quoque octavo (In præfatione) eandem promens de illa naturali Trinitatis simplicitate sententiam, inter alia sic ait : *Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus : et bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus sanctus ; et omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus**

sanctus : nec tamen tres Dii, aut tres boni, aut tres omnipotentes, sed unus Deus, bonus, et omnipotens, ipsa Trinitas ; et quidquid aliud non ad invicem relative, sed ad se singuli dicuntur : hoc enim secundum essentiam dicuntur, quia hoc est ibi esse quod magnum esse, quod bonum, quod sapientem esse, et quidquid aliud ad se unaquæque ibi persona, vel ipsa Trinitas dicitur.

17. Claret nempe ex his beati Augustini verbis, hoc esse catholicæ veritatis, ut cum in Deo divinitatem, magnitudinem, bonitatem, virtutem, et quælibet alia in his quæ ad se proprie dicitur nominamus ; non in istis diversis nominibus quædam diversa (sicut in homine qui subjacet qualitati), sed unum illud quod est essentia vel natura certissime noverimus. Inde est enim quod ipse beatus Augustinus dicit in libro quinto de Trinitate, intelligendum sine qualitate bonum, sine quantitate magnum : quia incommutabilitas simplicis atque omnipotentis essentia nullis potest accidentibus subjacere : ubi eadem est divinitas quæ æternitas et majestas ; eadem magnitudo quæ virtus et bonitas. Ex hac 242 ergo regula veritatis quidquid de majestate, de æternitate, de virtute Christi secundum carnem veraciter dici cognoscimus, de divinitate quoque ejus dici veraciter non negemus. Ipse quippe beatus Augustinus in primo libro de Trinitate (Cap. 12, post medium), ostendens Deum Filium secundum divinitatem hoc habere quod est, et hoc esse quod habet, ita loquitur : Non enim sicut creatura, ita Deus Filius, ante Incarnationem et ante assumptam creaturam unigenitus, per quem facta sunt omnia, aliud est, et aliud habet : sed hoc ipsum est, quod est et quod habet. Quod illo loco manifestius dicitur, si quis ad capiendum sit idoneus ubi ait : Sicut habet Pater vitam in semetipso, ita dedit Filio vitam habere in semetipso (Joan. v, 26). Neque enim jam existenti et vitam non habenti dedit, ut haberet vitam in semetipso, cum eo ipso quod est, vita sit. Hoc est ergo, dedit Filio habere vitam in semetipso : genuit Filium incommutabilem vitam, quod est vita æterna. Idem beatus Augustinus in expositione Evangelii secundum Joannem (Tract. 22, post medium), cum de ipso Domini sermone tractaret, sic ait : Filius autem Dei non quasi primo fuit sine vita, et accepit vitam : si enim sic illam acciperet, non eam haberet in semetipso. Quid est enim in semetipso ? Ut ipse vita ipsa esset. Et paulo post, hæc in eodem sermone confirmat dicens : Ait enim Apostolus : Fuitis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (Ephes. v, 8). Cum dississet, nunc autem lux, addidit, in Domino. In te ergo tenebræ, lux in Domino. Lux quare ? Quia participatione lucis illius, lux es. Si autem a luce qua illuminationis recesseris, ad tenebras tuas redis. Non sic Christus, non sic Verbum Dei. Sed quomodo ? Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso (Joan. v, 26) : ut non participatione vivat, sed incommutabiliter vivat, et omnino ipse

vita sit. Et paulo post idem sanctus doctor egregius Augustinus ait : Quod dicitur, dedit Filio, tale est ac si diceretur, genuit Filium ; generando enim dedit. Quomodo dedit ut esset, sic dedit ut vita esset, et sic dedit ut in semetipso vita esset. Quid est, in semetipso vita esset ? Non aliunde vita indigeret, sed ipse esset plenitudo vitæ, unde credentes alii viverent, dum viverent.

18. Ex his igitur verbis præclari antistitis Augustini, remotis docemur ambagibus, salva incommutabilitate, æternitate, atque impassibilitate divinitatis Filii Dei, quidquid de ejus majestate, æternitate, ac virtute secundum susceptionem carnis dicitur, incongruum non esse, si eodem modo secundum carnem de ejus divinitate dicatur. Quod ergo a Dei Filio susceptum est, ab ejus divinitate, ab ejus majestate, ab ejus virtute, ab ejus æternitate probatur esse susceptum. Quod ut sanctorum Patrum veridica demonstratione assertio, primum beatissimi papæ Leonis apostolicæ sedis gloriosi pontificis proferimus epistolam, quam scribens ad Flavianum Constantinopolitanæ urbis episcopum ^a, in eo quod veram de Incarnatione Domini expressit mirabiliter fidem, omnem hæreticæ pravitate destruxit errorem. In illa namque epistola (Cap. 3) idem gloriosus antistes non minus apostolicæ fidei veritate præditus, quam apostolicæ sedis dignitate præcellens ^b, hæc dicit ^c : Salva igitur proprietate 243 utriusque naturæ, et in unam coeunte personam, suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas : et ad resolvendum nostræ conditionis debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili : ut (quod nostris remediis congruebat) unus atque idem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (1 Tim. ii, 5), et mori non posset ex uno, et mori non posset ex altero. Adhuc sequitur memoratus apostolicæ sedis antistes, et dicit : In integra ergo veri hominis, perfecta que natura verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris. Nostra autem dicimus, quæ in nobis ab initio Creator condidit, et quæ reparanda suscepit. Cernis nempe quemadmodum ille apostolicus doctor, qua fide dicit, Deum ea quæ in nobis ab initio condidit, reparanda suscepisse, eadem fide dicat humilitatem a majestate, infirmitatem a virtute, mortalitatem ab æternitate susceptam. Cum vero majestas, virtus, atque æternitas Filii Dei dicitur, non aliud quam ejus divinitas intimatur. Non ergo dubitemus quod divinitas Christi suscepit, quidquid Christi majestas, Christi virtus, æternitasque suscepit. Hinc est quod in eadem epistola non dissimilis denuo sententia continetur : cum idem beatissimus Romanæ præsul Ecclesiæ, sicut Deum et hominem, ita divinitatem et humanitatem manifestissima prædicatione confirmat. In eadem quippe epistola dicit : Assumpta est de matre Domini natura, non culpa ; nec in Domino Jesu Christo ex utero virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo nostri est

^a Epistola est, ut nunc sunt digestæ, decima.

^b Ms. Thu., præcelsus.

^c In ms. Thu. non habetur hæc dicit, sed legitur Salva, inquit, proprietate.

natura dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo, et nullum est in hac unitate mendacium; dum invicem sunt et humilitas hominis, et altitudo deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Alio quoque loco (Eodem cap. 6) idem beatissimus papa Leo divinitatem carnis tectam velamine profitetur, dicens: Jam cum ad præcursoris sui Joannis baptismum venit, ne lateret quod carnis velamine divinitas tegetur, vox Patris de cælo intonans dixit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (Matth. III, 17). Ubi continuo divinitatem illam confidenter Deum nuncupat, et illam carnem, hominem indubitanter appellat, dicens: Quem itaque sicut hominem, diaboli tentat astutia, eidem sicut Deo angelica famulantur obsequia. Item alio ejusdem epistolæ loco (Ibidem) dicit: Quamvis enim in Domino Jesu Christo, Dei et hominis una persona sit: aliud tamen est unde in utroque communis est contumelia, aliud unde communis est gloria. De nostro enim illi est minor Patre humanitas, de Patre illi est æqualis cum Patre divinitas. Cujus sententiæ firmitatem sensibus cunctorum fidelium sic insinuat atque inculcat, ut in hac fide vitam profectumque catholicæ constare testetur Ecclesiæ, dicens (Cap. 5) quia catholica Ecclesia hac fide vivit ac proficit, ut nec sine vera credatur humanitate divinitas.

19. Hoc etiam beatæ memoriæ papa Gelasius servato tenore doctrinæ, per viam veræ fidei atque apostolicæ confessionis, paribus incedit omnino vestigiis. In eo quippelibro quem memoratus venerabilis conscripsit antistes adversus eos qui in Domino Jesu Christo duarum naturarum polunt indivisam credere veritatem, sed eas unius naturæ 244 professione confundunt, ipso tenore prædicationis apostolicæ custodito, duas naturas in Christo inconfusas atque inseparabiles esse confirmat, dicens: *Has easdem necessarium est proferri a sub una eademque persona sic indiscretas atque inseparabiles illa unionione constare, ut permaneant esse quod sunt.* Et paulo post: *Nunquid cum tantummodo Deus dicitur, homo denegatur? Nunquid cum humanitas dicitur, deitas inde removetur? Nunquid cum Filius hominis dicitur, non etiam Filius Dei consequenter advertitur? Nunquid cum Verbum dicitur, non simul intelligitur et caro quod factum est? Nunquid cum caro ejus corpusque depromitur, non etiam divinitas indubitanter ostenditur?* Item alio ejusdem libri loco, de his qui unam tantum in Christo naturam utuntur asserere, sic loquitur: *Nam et cum dicunt unam fuisse naturam incarnatam, volentes hoc modo velut ostendere singularem, nullatenus evadunt significationem duarum. Dum enim dicitur unam divinitatis naturam fuisse incarnatam; remotis ambiguitatibus, altera erit quæ incarnata est, altera qua incarnata perhibetur: quoniam non eadem erit natura deitatis quæ incarnata est, quæ est natura carnis qua incarnata firmatur; neque seipsa natura deitatis incarnata est, sed natura carnis incarnata cognoscitur.*

A Sicut neque seipsa natura carnis exstitit deitate sublimis, quia et non aliunde divinitas, quam de utero Virginis matris incarnata processit; et caro non nisi in iisdem visceribus, sancto Spiritu superveniente, et Altissimi obumbrante virtute, est unita deitati. Item paulo post ait: *Quærant ergo isti qua suæ dementiæ foveas, quibus circumdantur evadant; et palam se aut illorum esse de numero fateantur, qui verum Christi corpus impugnant: aut negare non audeant, non nisi hac ratione verum esse, sine qua verum esse non possit: sicut et cum eundem Deum dicimus, vel secundum Deum loqui aut facere prædicamus, aliter verum esse non possit, nisi veram illic divinitatem, et in suæ proprietate substantiæ permanentem deitatis fateamur esse naturam.*

B 20. Sanctus quoque Ambrosius in libro primo de Fide (Cap. 2), uno eodemque loco sicut Christum Deum et hominem, sic in eo divinitatem profitetur et carnem, dicens: *Unum Deum prophetæ dicunt, apostoli audiunt, unum Deum Magi crediderunt, et aurum, thus, et myrrham supplices ad Christi cunabula detulerunt, auro Regem fatentes, et Deum thure venerantes. Thesaurus enim regni aurum; sacrificium Dei thus, myrrha est sepultura. Quid igitur voluerunt sibi mystica munera inter obiecta præsepia, nisi ut intelligamus in Christo differentiam divinitatis et carnis? Ut homo nascitur, ut Deus adoratur. Jacet in pannis, sed fulget in stellis. Cunctæ nascentem indicant, stellæ dominantem. Caro est quæ involvitur, divinitas cui ab angelis ministratur. Ita nec dignitas naturalis majestatis amittitur, et assumptæ carnis veritas comprobatur.* Hæc omnia quæ superius posita sunt hac beatus Ambrosius conclusione (Ibidem) firmavit, dicens: *Hæc est fides nostra. Sic se Deus agnoscere voluit ab hominibus. Neque beatus 245 Ambrosius superiore disputationem hac definitione concludens (Cap. 4), ita ut hanc esse diceret fidem nostram, evidentissime docuit, ut sicut Deum hominemque dicimus, sic divinitatem et carnem nullatenus dicere dubitemus.* In secundo quoque ejusdem operis libro hæc ait: *Sileant igitur inanes de sermonibus quæstiones, quoniam regnum Dei, sicut scriptum est, non in persuasionem verbi est, sed in ostensione spiritus et virtutis (I Cor. II, 4).* Sequitur (Ibidem) adhuc idem sanctus Ambrosius dicens: *Servemus distinctionem divinitatis et carnis: unus in utroque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est.* Et infra: *Hic est qui descendit, hic est quem Pater sanctificavit et misit in hunc mundum. Et ipsa littera nos docet, sanctificatione non divinitatem eguisse, sed carnem.* Beatus quoque Augustinus in libro de Fide, Spe, et Caritate, quem nosti a multis Enchiridion nuncupari, sic dicit (Cap. 34): *Quis enim hoc solum congruentibus explicet verbis, quod Verbum caro factum est ut habitaret in nobis: ut credamus Dei Patris omnipotentis unicum Filium, natum de Spiritu sancto et Virgine Maria? Ita quippe Verbum caro factum est, a divinitate carne suscepta, non in carnem divinitate*

mutata. Ecce beatus Augustinus ostendit divinitatem A susceptricem carnis, quam nihilominus susceptricem testatur et mortis. In libro enim de Præsentia Dei sic dicit: *Per caput nostrum reconciliamur Deo, quia in illo est divinitus Unigeniti facta particeps mortalitatis nostræ, ut et nos participes ejus immortalitatis essemus.* Ubi continuo magnitudinem hujus sacramenti commendans, hæc verba subjunxit: *Hoc sacramentum longe est a cordibus sapientium superborum, et ideo non Christianorum, ac per hoc nec vere sapientium.*

21. His omnibus sanctorum Patrum sententiis ostenditur, quod dicitur de Unigenito Deo, etiam de ejus divinitate non incongrue prædicari. Scimus autem in hac assertionem catholicæ veritatis, aut hæreticos perversitati deditos, aut catholicos minus mysterio rectæ credulitatis instructos; cum audiunt quod B de Deo Filio dicitur, de ejus quoque divinitate dici; et tamen unam a nobis Patris et Filii et Spiritus sancti divinitatem noverunt prædicari; aliquatenus permovendos, quod communio divinitatis, communionem faciat humanæ susceptionis; ac perinde ex carnis communione putetur in Patre et Filio et Spiritu sancto communio humanæ nativitatis, passionis et mortis. Ut ergo nec illi maligne insidiantur, nec isti forsitan incaute fallantur, debent utrique cogitare, sic a nobis unam Trinitatis prædicari substantiam, ut non tamen dicamus unam ejusdem Trinitatis esse personam. Unde sic totum, quod est ipsa natura, commune tribus invenitur esse personis, ut aliquid tamen inveniat, quo proprio (al. proprie) unaquæque persona noscatur, quod tamen nec invenitur separabile, nec possit esse commune. Nam proprium Patri dicimus esse, quod genuit; proprium Filii dicimus esse, quod solus de solo Patre natus est; proprium etiam Spiritus sancti, quod de Patre Filioque procedit. In his vero propriis nulla est naturæ separatio, sed quædam personalis agnitio. Cum enim propria solius sit generatio Patris, non 246 ab ea tamen separatus est Filius, quia generante Patre natus est Filius. Et cum propria sit nativitas Filii, non tamen est a Patre gignente separabilis; quia nativitas Filii naturaliter vera non esset, nisi de Patre genitus existisset. Quamvis itaque nascente Filio Pater genuerit, et gignente Patre Filius natus sit, non tamen aut cum Patre genuit Filius, aut cum Filio natus est Pater; licet de natura Patris natus sit Filius, et naturam Filii de seipso genuerit Pater. Quia sic est personarum illa proprietas inseparabilis, ut tamen nec generatio, nec nativitas duarum personarum possit esse communis. Quamvis nisi duæ personæ Patris et Filii naturaliter essent, nec una gignere, nec gigni altera potuisset. Quod si hoc in Deo Patre et Deo Filio hæretici recusare contendunt, humanæ generationis perspicuo aut instruantur aut confundantur exemplo. Nempe homo pater hominem filium tempore præcedit, quia ipse quoque esse temporaliter cepit; de quo filius non utique temporaliter nasceretur, nisi patris natura temporis initio sub-

deretur. Unde liquido apparet ideo Deum Filium de Deo Patre sine initio natum, quia ille Pater de se Filium genuit, qui sic esse non cepit, sicut esse non desinit (al. desinet); et tamen cum homo pater nativitatem filii præcessisse naturaliter agnoscatur, in eadem generatione filii nec filius a patre, nec pater a filio separatur, quia patre gignente filius gignitur. Et cum generatio illa causa sit nativitatis, nec a generatione possit separari nativitas, sic illa generatio a nativitate non separatur, ut in una eademque natura unus generet, alterque nascatur.

22. Sic ergo est illa generatio atque nativitas naturaliter inseparabilis, ut nec generandi nec nascendi communio simul ambabus possit inesse personis. Quia hoc habet proprietas personarum, ut nec Filius seipsum cum Patre gignat de quo gignitur, nec Pater cum Filio de se nascente nascatur. Permanet ergo in unitate naturæ inconfusa veritas personarum, in quibus est aliquid quod non commune reperitur esse, sed proprium. Deus itaque Unigenitus, qui cum Patre et Spiritu sancto sic habet unam eandemque naturam, ut tamen personam non communem habeat omnino, sed propriam, ideo acceptionem formæ servilis communem cum Patre et Spiritu sancto non habuit, quia non in unitate naturæ, sed in unitate personæ suæ solus *, veritatem ac plenitudinem formæ servilis accepit. Qui enim verus et plenus est Deus, idem verus et plenus factus est homo, quando ab Unigenito Deo in unitatem personæ accepta est sine peccato anima rationalis et caro. C Natura itaque humana sic ab Unigenito Deo accepta est, ut divinitatis atque humanitatis persona una tantum existeret, non natura. Proinde non est quidem separatus Filius a Patre et Spiritu sancto, quando plenam suscepit humanitatis nostræ naturam; sed non simul cum Patre et Spiritu sancto eandem naturam accepit, quia non una in eo facta est natura divinitatis et carnis, ut ex hoc totius crederetur incarnatio Trinitatis; sed persona est in Christo una, quam invenitur Unigenitus 247 Deus inseparabiliter quidem a Patre et Spiritu sancto habere, sed unam tamen cum Patre et Spiritu sancto non habere. Propriam ergo Christum habet humanitatem suam, cum qua divinitas ejus non unam naturam, sed unam invenitur habere personam. Quæ persona Unigeniti Dei quia neque Patris est, neque Spiritus sancti, ideo forma servilis a solo Filio accepta recte creditur; quia divinitatis ejus et carnis persona una est, non natura. In Christo enim non est altera divinitatis et altera humanitatis, sed una est naturæ utriusque persona. Quocirca quia inseparabilis est operatio Trinitatis, servilem formam quam Unigenitus Deus accepit, tota Trinitas fecit; quam tamen certum est a tota Trinitate factam, sed ad solam Filii Dei pertinere personam. Neque enim sicut est in ea totius Trinitatis una operatio, sic in ea Trinitatis invenitur communis acceptio. Etenim proprietas personalis (quia non ipse Pater est qui Filius, nec Spiritus sanctus

* Ant., in unitate personæ solus.

est ipse qui Pater aut Filius) ostendit aliquid a Patre et Filio et Spiritu sancto factum, quod tamen a solo Filio invenitur acceptum.

23. Cujus exemplum rei in creaturis non potest inveniri; quia excepta Trinitate, quæ unus est naturaliter verus Deus, nulla natura est quæ in se tres inseparabiles possit habere personas. Quia vero in unoquoque homine invenimus carnem non hoc esse quod animam, nec utramque unius esse naturæ, quamvis ex utraque perficiatur et constet humana natura; quæ tamen in unoquoque homine unam invenitur habere personam: proinde in istis duabus naturis quas unam personam habere cognoscimus, simile aliquid inquiramus; ut cum hic invenerimus aliquid fieri animæ carnisque communi opere, quod tamen aut ad solius animæ, aut ad solius carnis invenitur pertinere substantiam; inde coniciamus, et quantum ipsa tribuit Trinitas intelligamus, potuisse aliquid ab eisdem tribus personis uno simul opere fieri, quod sic tota quidem Trinitas inseparabiliter faceret, ut ad unam ex Trinitate personam illud quod factum est pertineret. Nempe quando cibos sumimus, carni utique et non animæ providemus; et in ipsa tamen absorptione ciborum qua sola caro pascitur, animæ cum carne pariter operatur, quia caro sine anima, sicut non vivit, ita nec comedit. Ecce, ut sola caro accipiat cibum, simul et carnis et animæ unum invenitur officium: et quod proprietate naturali caro accipit sola, per unitatem personæ simul cum carne operatur et anima. Communis est itaque operatio, sed non est communis acceptio: nec comedentem carnem anima in opere deserit: quæ tamen sic operationis suæ cum carne miscet officium, ut eadem communionem operis sola caro accipiat vitale subsidium. Tale aliquid invenitur in eadem unitate personæ ipsa quoque hominis sibi anima vindicare, si quando intentionem cordis officio divinæ deputat lectionis ^a, qua procul dubio non exterior, sed interior homo pascitur, et plerumque JEJUNANTE carne magis anima saginatur. Nonne ut anima capiat ex lectione cibum, etiam corporalium membrorum adhibet officium? Legere ^b quippe non potest **248** nisi per oculos corporis; quod tamen cum oculis corporis legit, oculis cordis intelligit ^c; ac per hoc cum carne simul operatur et anima unde sola pascatur, et sola in se accipit quod non sola facit. Ecce duæ naturæ propter unam personam inseparabiliter operantur, sed propter suas proprietates una plerumque accipit quod non sola facit, imo quod sine altera nullatenus facit. Et quamvis hoc ad integram cognitionis *hæc* omnino sufficiat, ut ex eo quod hic in duabus naturis et una persona videmus, ad illarum in una natura trium personarum intelligentiam, quantum ipsa Trinitas dignatur tribuere, conscendamus: tamen etiam in ipso Redemptore nostro hujus rei manifesta nobis atque indubitata probetur agnitio. Qui

utique sic in unitate personæ suæ naturam utramque conjunxit insolubiliter et univit, ut in una persona Unigeniti Dei, nec divinitas ab humanitate sua, nec humanitas a sua possit divinitate sejungi. Indissolubilis quippe facta est Verbi et carnis unio, quando Verbum factum est caro: in quo sic mansit personalis unitas, ut tamen naturalis nec dividi possit, nec confundi proprietas. Proinde sic in uno Christo communia naturæ utriusque inveniantur officia, ut cum non dividatur in virtutibus atque infirmitatibus Christus, sit tamen aliquid quod in uno naturæ utriusque opere non sit naturæ utriusque commune.

24. Nam ut de illo ineffabili conceptu partuque nunc taceam, quo sic æternus temporaliter conceptus et natus est Deus, ut tamen in ipsa communione conceptus partusque virginis, solius esset proprium naturaliter carnis initialiter de carne Genitricis existere, in membra formari, et usque ad maturitatem partus processu temporis operisque perducere, deinde decedentibus ac succedentibus ætatibus crescere, et ad perfectum juventutis modum suo tempore pervenire; quid dicemus de illis deinceps operibus et passionibus, cum in illo esset quidem inseparabilis naturaliter vera caro, vera rationalis anima, veraque divinitas? Verumtamen sic ea quæ naturalis veritas habuit, aut pati dignaretur, aut facere, ut et totus Christus in passione vel opere permansisset inseparabilis, et quod personalis unitas commune divinitatis atque humanitatis ostenderet, hoc tamen in se idem Christus naturæ uniuscujusque proprium naturali veritate monstraret. Suscipiens quippe nostræ infirmitatis esuriem, illam famem suam totus operatus est Christus, et ut cibum sumeret, totus Christus similiter fecit: naturaliter tamen sicut sola caro esuriem pertulit, ita sola caro cibum opere totius Christi comedentis (*al.* comedendum) accepit. Fatigatus ab itinere Jesu sedit super puteum (*Joan.* iv, 6): illam vero fatigationem divinitas sentire non potuit; sed neque secundum animam ullatenus eam fatigationem sensisse dicendus est Christus. Illud ergo quod sedit, ad solam refectionem pertinuit carnis naturaliter fatigatæ; in qua tamen refectione communis fuit operatio deitatis et animæ. In ipso deinde tempore passionis et mortis, quis in uno eodemque Christo in ipsa communionem operum non videat inseparabiliter manere propria naturarum? Tristis fuit anima **249** ejus usque ad mortem (*Matth.* xxvi, 38). Sed neque divinitas incommutabilis receptrix potest esse tristitiæ, nec caro tristitiam potest aliquando sentire. Tristitia itaque solius est animæ rationalis, quæ nec divinitati potest naturaliter inesse, nec carni; personaliter tamen totus Christus dignatus est in se tristitiam operari: in se (*al.* ipse) quippe suas passiones invenitur operatus, qui nihil habuit quod pateretur invitus. Ut ergo tristaretur, totus Christus fecit; sed illam tristitiam sola in se naturaliter anima rationalis

^a Ms. Thu., intentione coram divinæ decumbit lectioni.

^b Ms. Thu., Legi.

^c Ms. Thu., hoc tamen quod oculus corporis legit, oculus cordis intelligit.

lis accepit. Jam vero cum Christus uno eodemque A tempore et in sepulcro jacuit, et in infernum descendit, quis non inseparabile naturæ utriusque opus videat? et quis in ipso uno atque inseparabili opere propria carnis, et animæ, ac divinitatis non evidenter agnoscat? Ut enim secundum carnem in sepulcro jaceret, totus Christus fecit; sed sepulturæ capax sola caro naturaliter fuit. In infernum quoque ut secundum animam Christus descenderet, naturæ utriusque, id est divinæ atque humanæ, unum fuit opus; sed solius animæ naturalis fuit ille descensus. Sicut eodem tempore totus in cælo et in terra non cessabat Christus operari; sed solius divinitatis fuit, et loco non contineri, et quæ ad gubernationem universitatis pertinebant, cum Patre naturaliter et æqualiter operari. Inde est, quod in omnibus illis operibus B passionis et mortis, auctoritas apostolica quod totus in se operatus est Christus, sic uni personæ operantis a assignat, ut quid cujusque naturæ sit indubitante ostendat. Nam et apostolus Paulus de uno eodemque Christo dicit: *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei (II Cor. xiii, 4)*. Et beatus Petrus propheticum sic protulit de Psalmis eloquium, ut Christi animam, quam in infernum noverat descendisse, ipsam diceret in inferno non derelictam. Sic enim de beato David idem Petrus apostolus loquitur: *Propheta igitur cum esset, et sciret quia iurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelicta est anima ejus in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem (Act. ii, 30)*. Hæc C itaque omnia totus Christus secundum unam personam fecit, et sic unum naturæ utriusque opus agnoscitur, ut tamen quid cui naturæ b deputari debeat, non negetur. His ergo unusquisque instruat exemplis, ut quod hic in naturarum consideratione cognoscit, hoc illic in personis intelligat: nec dubitet humanam Christi naturam totius Trinitatis opere factam, sed ad solam Unigeniti Dei pertinere personam.

QUESTIO TERTIA.

25. Tertia est inquisitio tua, *Utrum anima Christi susceptivæ deitatis plenam habeat omnino notitiam: et quemadmodum se invicem norunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, ita idem Filius seipsum per id quod homo est, in eo quod Deus, noverit; ex D utraque, 250 atque in utraque substantia totum capiens Patrem. An forte sicut oculis corporalibus Deum spiritum minime videt, ne non homini dignitas addita, sed natura credatur penitus commutata: sic rationalis animæ quamvis pio intellectu et corde mundissimo non videri, neque comprehendere omnem divinitatis essentiam, ne quælibet creatura inveniatur capere Creatorem.*

RESPONSIO.

26. Hæc in tuis litteris verba, frater carissime, cum legissem, magnis me fateor angustiis coarcta-

tum, quia compellimur dicere quod sufficienter ac digne non possumus cogitare. Nam considerata Creatoris creaturæque distinctio incomprehensibilem monstrat atque inexplicabilem intellectui creaturæ magnitudinem Creatoris: quippe cum pax Dei exsuperet omnem intellectum (*Philip. iv, 7*), et ille qui ascendit super Cherubin, volet super pennas ventorum (*Psal. xvii, 10*). Nosti autem Cherubin interpretari plenitudinem scientiæ. Quid est ergo super Cherubin ascendere, nisi omnem scientiæ plenitudinem incomprehensibili altitudine superare? Sed hæc confidenter atque indubitante dicimus de sanctis angelis atque hominibus sanctis: quorum quilibet sic divinæ adoptionis gratuito munere deus dicitur, ut tamen Deus angelorum vel hominum nulla ratione dicatur. Cum autem de anima Christi loquimur, de illo loquimur rationali spiritu, ad quem non solum Deus per gratiam venit, sed quem ipsa divinitas in unitate personæ suscepit. Anima quippe illa cum Verbo unus est Christus, anima illa cum Verbo unus est Unigenitus Deus. Et quia Unigenitus Deus æqualis est Patri, nec potest totum nosse Filium qui totum non noverit Patrem, caveamus ne, cum anima Christi totum Patrem nosse non creditur, ipsi uni Christo ex aliqua parte, non solum Patris, sed etiam sui et Spiritus sancti, cognitio denegetur: perquam vero durum est, et a sanitate fidei penitus alienum, ut dicamus animam Christi non plenam suæ deitatis habere notitiam, cum qua naturaliter unam creditur habere personam.

27. Quod si sic crediderimus, necesse est ut illa frustretur prædicatione Joannis Baptistæ, qua Christo singularem ac sine mensura tribuit Spiritus largitatem, dicens: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum (Joan. iii, 34)*: cum et majores nostri in nobis mensuram hujus largitatis accipiant, in Christo autem plenitudinem manere sancti Spiritus fateantur. Beatus namque Ambrosius in libro primo (*Cap. 6*) de Spiritu sancto, inter alia sic ait: *De Spiritu meo, inquit, effundam (Act. ii, 17)*. *Non Spiritum ait, sed de Spiritu: neque enim nos capere possumus plenitudinem Spiritus sancti, sed tantum accipimus, quantum de suo arbiter nostri pro sua voluntate dividerit.* Ostendens ergo nos sanctus Ambrosius non plenitudinem, sed de plenitudine Spiritus accipere, ut ostenderet Christum omnem plenitudinem Spiritus accepisse, paulo post (*Ibidem*) hæc dicit: *De Spiritu sancto Pater se dicit effundere super omnem carnem. Non enim totum effundit, sed quod effudit, omnibus abundavit. Super nos 251 ergo effusum est de Spiritu sancto. At vero super Dominum Jesum, cum in forma esset hominis, manebat Spiritus; sicut scriptum est: Supra quem videris Spiritum descendantem de cælo, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto (Joan. i, 33)*. Circa nos ex affluentia commoda liberalitas largientis est, in illo totius manentis in æternum Spiritus plenitudo. Nempè beatus Ambro-

a Ms. Thu., operanti.

b Forte legendum cuique naturæ, ut superius habetur.

sius evidenter atque indubitanter ostendit animæ Christi plenam totius divinitatis inesse notitiam, cum dicit, quia circa nos ex affluentiori commodo liberalitas largientis est, in illo totius manet in æternum Spiritus plenitudo. Hoc autem ut diceret, illum sermonem beati Joannis attendit, quo ait, cum de ipso Filio loqueretur: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum* (Joan. iii, 34). Quod beatus quoque Augustinus eadem sancti Spiritus illuminatione percipiens atque intelligens, in sola persona Christi accipi debere confirmat. Nam cum eundem locum Evangelii explanasset (*Tract. 14 in Joan.*), ipso sermone Joannis Baptistæ proposito quo ait: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*, idem beatus Augustinus ita subjicit: *Quid est hoc: Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum? Invenimus, quia ad mensuram dat Deus Spiritum? Audi Apostolum dicentem: Secundum mensuram donationis Christi* (Ephes. iv, 7). *Hominibus ad mensuram dat, unico Filio non dat ad mensuram.* Item in eadem homilia dicit: « Sic sunt etiam diversa dona fidelium, tanquam membris ad mensuram cuique propriam distributa. Sed Christus qui dat, non ad mensuram accepit. Audi enim adhuc quod sequitur, quia de Filio dixerat: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum; Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus* (Joan. iii, 34). » Nempe beatus Augustinus ostendit hoc evangelico testimonio quid debeamus de anima Christi sentire, quando ipse Christus qui Spiritum dat, non ad mensuram accipit. Ipse est enim qui dat, ipse est qui accipit; et quia potens est ad mensuram dare, ideo non potuit ad mensuram accipere. In forma enim Dei manens, Spiritum dat; formam servi accipiens, Spiritum accipit. Sed quia ipse ad mensuram dat, ideo non ipse ad mensuram accipit; ipsum enim quem ad mensuram dat, totum accipit: ad mensuram quippe dat multis filiis, sed non ad mensuram accipit unicus Filius; quia sic est verus homo, ut verus sit Deus.

23. Hunc Evangelii locum aliter beatus Augustinus aliquando posuerat in duobus libris quos scripsit de *Sermone Domini in monte* (*S. Aug. lib. 1 de Serm. Domini in monte, cap. 6*). Quem tamen sensum in suis *Retractionibus* (*Lib. 1, cap. 19*) emendavit, hoc approbans atque affirmans quod postea melius intelligens, in illa expositione Evangelii de solo Christo accipi debere firmavit. Quod in primo libro *Retractionum* suarum ostendens, inter alia sic ait: « Alio loco quod interposui testimonium: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum* (Joan. iii, 34), nondum intellexeram de Christo proprie verius accipi. Aliis quippe hominibus nisi ad mensuram daretur Spiritus, non duplum peteret Eliseus quam fuit in Elia (*IV Reg. ii, 9*). » In his ergo dictis beati Augustini illud maxime attendamus, quod ait, aliis hominibus ad mensuram Spiritum dari. Quod utique ideo dixit, ut hoc se non de divinitate, sed de humanitate Christi sensitse monstraret, cui non ad mensuram dedit Deus Spiritum, cum unicuique dari gratiam secundum mensuram donationis Christi testetur Apostolus. Quare ergo beatus Augustinus non dixit homini-

bus, sed aliis hominibus, nisi ut ostenderet illi homini singulariter non ad mensuram, sed omnem inesse Spiritus plenitudinem, qui sic est naturaliter homo verus, ut idem sit naturaliter etiam Deus verus; totum accipiens in veritate carnis, quem ad mensuram largitur munere deitatis? Illi ergo qui secundum mensuram donationis suæ dat gratiam, non ad mensuram dedit Deus Spiritum. In Christo autem, secundum catholicæ fidei veritatem, in unitate personæ simul et deitatem, et animam rationalem fatemur, et carnem: in quo tamen deitas Spiritum accipere non potuit, quia secundum deitatem Pater et Filius et Spiritus sanctus, unus est Deus. Ubi tantus est Pater solus quantus cum Filio et Spiritu sancto; tantusque solus Filius quantus cum Patre et Spiritu sancto; tantusque solus Spiritus sanctus quantus cum Patre simul ac Filio. Ibi nulla de tribus personis habet aliquid minus duabus, ubi in unaquaque persona sic est plena deitas, ut et in tribus personis una sit, et in singulis tota. Non ergo potuit Spiritum sanctum divinitas Filii accipere, cum ipse Spiritus sanctus sic procedat a Filio sicut procedit a Patre, et sic detur a Filio sicut datur a Patre; nec illa natura unde Spiritus sanctus habet originem, potuit ejus vel exspectare vel accipere largitatem. Spiritus ille totus est Patris, totus est Filii, quia unus naturaliter est Spiritus Patris et Filii. Proinde totus de Patre procedit et Filio, totus in Patre manet ac Filio; quia sic manet ut procedat, sic procedit ut maneat. Unde naturaliter hanc habet cum Patre ac Filio unitatis plenitudinem, et plenitudinis unitatem, ut totum Patrem habeat, totumque Filium; ipseque totus habeatur a Patre, totus habeatur a Filio. Non ergo accepit Spiritum sanctum divinitas Filii, cum qua unius naturæ est Spiritus sanctus, et ex qua habet quidquid habet, imo de qua est hoc quod est; quia quod naturaliter habet, hoc est. Restat itaque ut anima Christi Spiritum sanctum acceperit, quem tamen non ad mensuram accipit, sed totum accipit; ubi enim mensura non esse dicitur, plenitudo perfectionis et perfectio plenitudinis invenitur.

29. Quis sit autem iste Spiritus, quem non ad mensuram Christus accepit, propheta nobis Isaias ostendit, qui de ipso (*al. de Christo*) loquens, ait: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini* (Isai. xi, 1). Accipit ergo Christus Spiritum, sed non ad mensuram accipit. Quod si animæ Christi non ad mensuram dedit Deus Spiritum, necesse est ut nihil minus habeat sapientiæ, nihil scientiæ: Spiritus enim ille, Spiritus est sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis. Ac per hoc, non solum ad divinitatem Christi, sed ad ejus quoque animam illa perfectionis prærogativa pertinet, quam ipsi Christo beatus assignat Apostolus, dicens: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (Coloss. ii, 3). Si enim non ad mensuram accepit Spiritum sapientiæ et scientiæ, necesse est ut omnes thesauros sapientiæ

et scientiæ habeat. **253** Quod si ei aliquid hujus plenitudinis demitur, consequens est ut ad mensuram accepisse Spiritum prædicetur. Et quis est cui non ad mensuram Deus Spiritum dederit, si eum ad mensuram Christus accepit? In quantum enim Spiritus datur, in tantum cognitio divinitatis accipitur: ubi autem Spiritus non est mensura, necesse est ut plena sit divinitatis immensæ notitia. Tota enim plenitudo datur, ubi Spiritus non ad mensuram datur. Non autem plenitudinem ejus, sed de plenitudine nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia (Joan. 1, 16). Ubi ostenditur etiam in illa gratia speciei, quæ dabitur (al. datur) pro gratia fidei, non ipsam plenitudinem, sed de plenitudine ejus nos esse accepturos gratiam pro gratia: et hoc ipso quod de plenitudine ejus accepimus, nos esse implendos, in quantum per ejus gratiam capaces erimus. Quod ostendit nobis propheta, dicens: *Adimplebis me latitiae cum vultu tuo* (Psal. xv, 11); et iterum: *Repleti sumus misericordia tua* (Psal. LXXXIX, 14); et iterum: *Replebimur bonis domus tuæ* (Psal. LXXIV, 5); sed ut repleamur, de plenitudine ejus accipiemus; de Christo autem Paulus doctor gentium dicit, quia *in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare* (Coloss. 1, 19); de quo idem dicit, quia *in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (Coloss. 11, 9). Non ergo existimo illi animæ in aliquo plenam divinitatis deesse notitiã, cujus una est persona cum Verbo; quam sic sapientia suscepit, ut eadem sapientia ipsa sit; quæ rerum omnium in tantum facta est domina, ut cum ipsa divinitate sua, una sit in Trinitate persona, id est Christus crucifixus, quem Dei virtutem Deique sapientiam Paulus apostolus prædicat (I Cor. 1, 24).

30. Quod si anima Christi minorem habet in aliquo deitatis suæ notitiã, non in se habet totam sapientiam totamque virtutem. Participium ergo habet Christi, non ipsa est Christus, si partem habet notitiæ divinitatis suæ. Nos autem participes Christi Apostolus asserit, dicens: *Participes enim Christi effecti sumus* (Hebr. 111, 14). Unde ipsi Christo dicitur: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ participibus tuis* (Psal. XLIV, 8). Oleum autem exsultationis quo unctus est Christus, Spiritum sanctum esse non dubium est, dicente beato Petro: *Jesum a Nazareth quem unxit Deus Spiritu sancto et virtute* (Act. 11, 38). Ipsum ergo Deus unxit præ participibus suis, cui (al. cum) non ad mensuram dedit Spiritum, in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Cujus sapientiæ et scientiæ altitudinem beatus Apostolus miratur, dicens: *O altitudo divinarum sapientiæ et scientiæ Dei* (Rom. XI, 33)! Christam autem non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem vera fides totum altissimum confitetur. Mater enim Sion dicit: *homo, et homo factus* (al. natus) *est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* (Psal. LXXXVI, 5). Et revera quis au-

A deat Altissimum denegare, quem Deus non solum de se altissimum genuit, sed etiam de Virgine natum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patriæ (Philip. 11, 9)? Si autem non plenum habet anima Christi notitiã divinitatis suæ, non pervenit ad altitudinem plenam sapientiæ et scientiæ Dei. Non ergo totus, sed ex parte Christus **254** prædicetur Altissimus, si anima ejus infra altitudinem divinarum sapientiæ et scientiæ Dei a fidelibus prædicatur. In quo enim nos Deus exultat, nisi in quo ad se levat animas nostras? In tantum autem ad se animas nostras levat, in quantum nobis veritatem suæ cognitionis ac dilectionis insinuat. Quis autem dicat animam Christi aut minus aliquid caritatis, aut minus habere aliquid caritatis? Ipse autem Christus est veritas. Quomodo ergo illa anima minus in se notitiã veritatis habere dicitur, quæ ipsius veritatis anima singulariter invenitur? Non sic est de Christi anima disputandum, sicut disputatur de quolibet angelico spiritu vel humano, qui particeps potest esse Dei veri, non Deus verus, quod est Christus^a; qui perfectam carnem, perfectamque animam rationalem, id est plenam humanam naturam, in illam sempiternam personam suæ divinitatis accipiens, sicut naturaliter totus est homo verus, sic totus Deus est verus: quia sicut in divinitate sua totam habet humanitatis suæ naturam, sic in humanitate sua totam habet divinitatis suæ substantiam, totam maiestatem, totam incommutabilitatem, totam virtutem, totam sapientiam, totam omnipotentiam. Sic enim humanam naturam Deus Unigenitus suscipere dignatus est, ut ipse sit Deus qui homo est, et idem sit homo qui Deus est. Proinde sicut est plenitudo divinitatis in homine Christo, sic ibi est plenitudo humanitatis in Deo. Sicut ergo Christus homo singulariter habet, ut Deus verus sit, sic totam divinitatem suam singulariter novit.

31. Possumus plane dicere animam Christi habere plenam notitiã deitatis suæ; nescio tamen utrum debeamus dicere quod anima Christi sic suam deitatem noverit quemadmodum se ipsa deitas novit, an hoc potius dicendum est, quia novit quantum illa, sed non sicut illa. Ipsa enim deitas sic se novit, ut hoc se naturaliter inveniat esse quod novit; anima autem illa sic totam deitatem suam novit, ut ipsa tamen deitas non sit. Deitas ergo illa ipsa est naturaliter notitia sua; anima vero illa ab ipsa deitate quam plene novit accepit ut noverit: naturaliter ergo deitas Christi hoc est quod novit; anima vero illa in eo quod scit deitatem suam, non hoc se invenit esse quod novit. Non ergo quemadmodum se noverunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, sic anima suæ secundum divinitatem notus est Christus: quoniam quidem habet anima illa plenam Trinitatis notitiã, non tamen habet unam eum Trinitate naturam. Aliud est autem unicuique rei nosse quod naturaliter est,

^a Ant., vel humano. Quis particeps potest esse Dei veri, nisi Deus verus qui est Christus?

aliud nosse quod naturaliter non est. Oculis porro corporalibus Deus spiritus non videtur. Unde quosdam beatus Augustinus, qui hoc voluerunt de Christo credere, quod Deum Patrem oculis corporalibus videat, in epistola quam ad Italicam scripsit (*Epist. alias 6, nunc 82*), licet brevi sermone, sufficienti tamen responsione convincit. Hoc habent quippe oculi corporis, ut non solum corpora videant, sed nec videre possint, si inter ipsos et ea quæ vident, spatii cujusquam media intervalla non fuerint. Inde est quod cum alia plerima videant, seipsos videre non possunt, nec vident in se, cum videant extra se : nam et ipsa acies visionis obtunditur, si aliquid videndum **255** ipsis oculis adjungatur. Quisquis ergo putat Deum posse oculis corporalibus cerni, prius est ut eum dicat ab ipsis oculis corporali spatio separari : **B** quia quis autem vult agnoscere quibus oculis Deus videatur, ipsum Deum cogitet quia et sapientia, et veritas, et caritas est. Quæcirca quibus oculis videtur sapientia, veritas et caritas, ipsis oculis videtur illa sapiens, vera caraque divinitas. Non itaque corporis, sed oculis animæ humanæ Deus suam visionem promittit, quam capacem sapientiæ, veritatis, caritatisque constituit. Spiritus ergo rationalis accipit a Deo, ut videat Deum : accipit utique per gratiam; quem (*al. quæ*) tamen non extra se potest videre, sed in se ; Deus enim non loco continetur, sed affectu percipitur, et ideo in quo non habitat, non videtur. Multo enim interius animam inhabitat Deus, quam anima inhabitat corpus; quoniam creator spiritus ille est, iste creatus. In tantum ergo habet quælibet sancti **C** hominis anima illius summi Dei notitiam, in quantum internæ visionis acceperit gratiam. Unde nescio quomodo accipiamus Unigenitum a Patre plenum gratiæ et veritatis, si vel illi plenitudini veritatis aliquid plenitudinis gratiæ deesse dicimus, vel illi plenitudini gratiæ non totam inesse veritatis plenitudinem æstimemus : cum utique in eo certissime Unigenitus a Patre plenus agnoscatur gratiæ et veritatis, si non solum in ipso uno plena gratia humanitatis, plenaque divinitatis veritas agnoscatur; sed etiam plenitudo veritatis in seipsa plenitudinem habeat gratiæ, qua est tota humanitas in divinitate sua; et plenitudo gratiæ plenitudinem in se habeat veritatis, qua est tota divinitas in humanitate sua : ita ut plenitudo veritatis plenitudinem in se habeat gratiæ, et plenitudo gratiæ plenitudinem in se habeat veritatis **D**

33. Non autem tota plenitudo veritatis habetur, quando ipsius veritatis aliquid ignoratur, quod absit ut de Christo aliquatenus sentiamus. Sic enim tota plenitudo gratiæ est in illa plenitudine veritatis, ut illa plena deitas totam impleat humanitatem suam; et sic est plenitudo veritatis in illa plenitudine gratiæ, ut illa plena humanitas sicut plenam habet et singularem incorruptionem atque immortalitatem carnis, ita secundum animam, plenam singulariter habeat notitiam deitatis. Sic est ergo Christus plenus

A gratiæ et veritatis, ut sicut est in divinitate ejus plena humanitatis acceptio, sic in humanitate ejus plena sit divinitatis agnitio. Nec metuamus asserere quod Christi anima totam deitatem suam novit, ne ex hoc dicatur, cum ipsa deitate unius esse naturæ; cum utique si hoc ratiocinatio vera deposcit, ut in plenitudine cognitionis continuo sit unitæ naturalis; ipse primitus Deus, quia omnia quæ fecit, plene utique novit, ejus dicetur esse naturæ, cujus sunt illa quæ fecit et novit. Quod qui credit aut asserit, non catholica veritate præditus, sed Manichæa sit impietate possessus. Deinde illud est nihilominus intuendum, quod ipsa Christi anima ex quantacunque parte dicatur deitatis suæ habere notitiam, statim dicitur (*al. dicetur*) ex tanta parte unam habere cum sua deitate naturam; quod utique magnæ insanix est. Nam et nos speramus per Dei gratiam visuros esse Deum : in quantum autem visuros, in tantum sine dubio cognituros; **256** quoniam utrumque nobis apostolica commendat auctoritas, nam et beatus Apostolus dicit : *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum (I Cor. xiii, 12)*; et dilectus Christi Joannes indubitanter asserit : *Quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam (al. et) videbimus eum sicuti est (I Joan. iii, 2)*. Visio autem illa non solius carnis erit, secundum quam solam solus Filius ab impiis videbitur ad eorum condemnationem perpetuam; sed erit visio deitatis, secundum quam se ipsa Trinitas ita videndam præbebit justis, ut illa divinitatis indesinens visio, ipsa sit beatitudinis indeficiens plenitudo. Inde enim sunt *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (Matth. v, 8)*. In tantum ergo divinitatem sanctæ Trinitatis videbimus, in quantum accipiemus (*al. capiemus*) dono gratiæ ut videre possimus. Nec tamen in quantum videbimus, in tantum ipsi divinitati consubstantiales erimus. Nam et corpore videmus multa, quæ cum nostra carne non sunt unius ejusdemque naturæ. Vident enim oculi nostri lucem, cum tamen ulterius naturæ sint illi, alterius illa. Dixit quidem beatus Joannes : *Quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (I Joan. iii, 2)*. Similes autem dixit, imitatione scilicet justitiæ, non unitate nature : secundum quam imitationem, dicit beatus Paulus : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi (I Cor. xi, 1)*; et beatus Joannes ait : *Qui dicit se in Christo manere, debet quemadmodum (al. sicut) ille ambulavit, et ipse ambulare (I Joan. ii, 6)*. Creatorem vero capit creatura, quantum ^a accipit ut capiat.

34. Inde est quod beatus Augustinus hunc sermonem non refugit, sed indubitanter assumit. Nam in eadem homilia (*Tract. 14 in Joan., versus finem*) in qua exposuit illum locum, *Quia non ad mensuram dat Deus Spiritum (Joan. iii, 34)*, sic quodam loco de ipso Filio dicit : *Manens enim Deus apud Patrem, apud homines factus est homo, ut tu per illum qui apud te factus est homo, fieres talis qualis capit Deum : non enim homo poterat capere Deum; videre poterat homo*

^a Ant., in quantum.

hominem, capere Deum non poterat. Unde non poterat capere Deum? Quia oculum cordis unde caperet non habebat. Erat ergo aliquid intus saucium, et aliquid foris sanum: corporis oculos habebat sanos, cordis habebat saucios. Factus est ille homo ad corporis oculum, ut credens in eum qui videri corporaliter potuit, curareris ad eum ipsum videndum, quem spiritaliter videre non poterat. His verbis ostendit beatus Augustinus in spiritalibus rebus hoc esse capere quod videre, neque aliud esse videre quam intelligere, nec intelligere aliud esse quam nosse. Hinc est quod in libro de Præsentia Dei (*Epist. ad Dardanum alias 57, nunc 187*), cum soli Filio dat plenam divinitatis capacitatem, soli plenam divinitatis ostendit inesse notitiam. In memorato quippe libro his ostitur verbis: « Deus igitur ubique præsens est, et ubique totus præsens, nec ubique habitans, sed in templo suo, cui per gratiam benignus est et propitijs. Capitur autem habitans, ab alijs amplius, et ab alijs minus. De ipso vero capite nostro Apostolus ait: Quoniam in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss. II, 9*). » Attende, quæso, in his verbis beati Augustini discretionem capitis membrorumque 257 certissimam. Ab illis enim quibus ad mensuram dat Deus Spiritum, capitur habitans, ab alijs amplius, ab alijs minus. Quid est autem capi nisi intelligi atque cognosci? Cum autem de Christo idem beatus Augustinus loqui vellet, vide quid ait: « De ipso, inquit, capite nostro Apostolus ait: Quoniam in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss. II, 9*). » Nempe ipse beatus Augustinus ait, quoniam Deus habitans capitur: quocirca ab illo plenitudo divinitatis sine dubio capitur, in quo ipsa divinitatis habitat plenitudo. In eo autem capitur, in quo cognoscitur. Illi ergo in quo habitat omnis plenitudo divinitatis, non potest ipsius plenitudinis plena non inesse notitia. Inde est quod beatus Augustinus in eodem libro (*Ibidem*) paulo post hæc dicit: Quid ergo est? Hoccine interesse arbitramur inter caput et membra cætera, quod in quolibet quamvis præcipuo membro, velut in aliquo magno propheta aut apostolo, quamvis divinitas habet, non tamen, sicut in capite quod est Christus, omnis plenitudo divinitatis? Nam et in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus quantus in capite, ubi prorsus omnis est quinque partitur. Ibi enim est visus, et auditus, et olfactus, et gustus, et tactus. In cæteris autem solus est tactus. An etiam præter hoc, quod tanquam in templo in illo corpore habitat omnis plenitudo divinitatis, est aliud quod intersit inter illud caput et cujuslibet membri excellentiam? Est plane, quod singulari quadam susceptione, hominis illius una facta est persona cum Verbo. De nullo enim sanctorum dici potuit, aut potest, aut voterit: Verbum caro factum est (*Joan. I, 14*). Nullus sanctorum qualibet præstantia gratiæ Unigeniti nomen accepit; ut quod est ipsum Dei Verbum ante sæcula, hoc simul cum assumpto homine diceretur. Singularis ergo est illa susceptio, nec cum hominibus

aliquibus sanctis quantalibet sapientiâ ac sanctitate præstantibus, ullo modo potest esse communis. Certum est itaque sanctorum Patrum sententiam Scripturis cælestibus convenire, quæ manifestissime protestantur, et divinitus inspiratæ proclamant nobis, id est omnibus adoptivis, partem cognoscendæ atque capiendæ divinitatis, prout voluntas donaverit largitoris, infundi per gratiam; Christo vero, id est animæ ejus, plenam totius divinitatis inesse notitiam.

QUÆSTIO QUARTA.

35. Quartam deinde quæstionem series tuarum sic continet litterarum. Unum, inquis, regnum Patris, et Filii, et Spiritus sancti credimus et fatemur, simul eos dominari creaturis omnibus sentientes. Quare ergo in orationibus sacerdotum, « Per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti, » per universas pene Africae regiones catholica dicere consuevit Ecclesia, tanquam solus Filius cum Patre possideat regnum, in unitate scilicet Spiritus sancti, ut regnantes adunare, non simul regnare Spiritus sanctus intinetur?

258 RESPONSIO.

36. Dicam simpliciter de hoc sermone quod sentio. Quotiens exinde cogitavi, nihil ibi aliud majores nostros, quam fidei veritatem contra multas hæreses præmunisse cognovi. Illud quippe primum attendendum est, quod in conclusione orationis, *Per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum* dicimus; per Spiritum vero sanctum nullatenus dicimus: quod utique non inaniter catholica concelebrat Ecclesia, propter illud utique sacramentum, quod mediator Dei et hominum factus est homo Christus Jesus, Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui per proprium sanguinem semel introivit in sancta, non utique manufacta exemplaria verorum ^a (*Hebr. IX, 24*), sed in ipsum cælum, ubi est in dextera Dei, et interpellat pro nobis. Hoc in eo pontificatus officium intuens Apostolus ait: *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum laborum contentium nomini ejus* (*Hebr. XIII, 15*). Per ipsum ergo hostiam laudis atque orationis offerimus, quia per ejus mortem reconciliati sumus cum inimici essemus. Per ipsum enim qui pro nobis hostia dignatus est fieri, potest in conspectu Dei nostra hostia acceptabilis inveniri. Propterea nos beatus Petrus admonet, dicens: *Et vos tanquam lapides vivi ædificamini in domum spiritalem, in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum* (*I Petr. II, 5*). Hac igitur ratione dicimus Deo Patri *Per Jesum Christum Dominum nostrum*. Nam bene nosti nonnunquam dici: *Per Sacerdotem æternum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum*. Cum ergo sacerdotis sit mentio, quid aliud quam mysterium dominicæ Incarnationis ostenditur, quo Dei Filius, cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens; secundum quam se humiliavit, factus obediens usque ad mortem;

^a Sic ms. Thu. et Ant., conformiter textui apostolico; alii codd., veritatis.

minoratus scilicet paulo minus ab angelis, et æqualitatem paternæ possidens divinitatis (al. unitatis)? Eo quippe minoratus est Filius, æqualis permanens Patri, quo in similitudinem hominum dignatus est fieri. Ipse autem se minorem fecit, quando semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Christi porro minoratio, ipsa est exinanitio; nec tamen alia (al. aliud) est exinanitio quam formæ servilis acceptio.

37. Christus ergo in forma Dei permanens, Unigenitus Deus, cui cum Patre hostias offerimus, formam servi accipiens, sacerdos est factus, per quem hostiam vivam, sanctam, Deo placentem offerre possumus. Nec tamen hostia a nobis offerri potuisset, si Christus pro nobis factus hostia non fuisset: in quo ipsa natura nostri generis, vera est hostia salutaris. Ut enim ipse Unigenitus, qui verus naturaliter Deus est, verus fieret et sacerdos, in persona divinitatis suæ, non humanitatis nostræ personam dignatus est accipere, sed naturam. Si enim naturam hominis cum persona simul accepisset in illo Incarnationis mysterio, non idem unus Christus in duabus naturis esset Deus et homo, sed in duabus personis alter esset Deus, et alter homo. Sed ideo unus est **259** Christus, verus Dei et hominis Filius, quia ille Unigenitus Dominus, qui personam propriam semper habuit, in ipsam personam suam veritatem naturæ servilis accepit. Proinde Christus inseparabilis permanet, quia cum altera sit in eo natura divinitatis, altera vero natura servilis, in uno tamen eodemque Christo illa persona divinitatis æternæ, ipsa est etiam humanitatis assumptæ. Propterea idem atque unus **C** est Christus, quem et paulo minorem ab angelis ostendit acceptio formæ servilis, et æqualem Patri demonstrat unitas naturalis. In quo sacramento sic offenderunt Ariani, ut attendentes in eo officium sacerdotis, nollent celsitudinem suscipere deitatis. Inde est quod etiam sic dicunt: *Gloria Patri per Filium*, ut nolint dicere, *Gloria Patri et Filio*. Quoniam ergo sunt hæretici qui Filium cum Patre unius deitatis esse non credunt ^b, item sunt alii qui veritatem carnis in Dei Filio negare non metuant; hunc locum congrue atque utiliter Patres sanctissimi posuerunt. Nam cum nos ostendimus per æternum Sacerdotem Dominum Christum nostras orationes offerri, veram in eo carnem nostri generis constemur; secundum illud quod Apostolus dicit: *Omnis enim pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona c et sacrificia pro peccatis* (Hebr. v, 1). Cum vero dicimus *Filium tuum*, et adjicimus, *qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti*, illam utique unitatem commemoramus, quam naturaliter habet Pater et Filius et Spiritus sanctus: ubi ostenditur idem ipse Christus pro nobis sacerdotali functus officio, cui naturalis est unitas cum Patre et Spiritu sancto. Vide, quæso, quanti ex hoc convincantur hæretici. Principaliter enim nostra fides a Manichæorum errore discernitur, cum per

A illum Sacerdotem nostras orationes offerimus, qui propterea verus est Sacerdos, quia semetipsum veram pro nobis hostiam obtulit; quod Apostolus indubitanter affirmat, dicens: *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et obtulit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* (Ephes. v, 1). Qui utique veram hostiam non offerret, si carnis in eo veritas non fuisset. Hujus hostiæ veritatem postquam a mortuis resurrexit, ipse summus Sacerdos discipulis suis ostendit, et contrectandam obtulit, dicens: *Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (Luc. xxiv, 39).

38. Hinc etiam fides nostra discernitur ab Euty-chetis errore; qui licet incarnatum Verbum negare non audeat, ipsam tamen Verbi carnem cum non fatetur sumptam de carne Virginis, mysterium summi prorsus evacuat Sacerdotis. Cui Apostolus illa quam superius posui sententia contradicit: *Omnis (inquiens) pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum* (Hebr. v, 1). Et alio loco: *Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahamæ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, 260 et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi* (Hebr. ii, 16). Hoc itaque sermone quo per Jesum Christum nos ostendimus nostras orationes offerre, vera fides omni errori renititur, qui in Christo veritatem humani corporis non fatetur. Sed quia Christus non solum verus homo, sed et verus est naturaliter Deus, et unus cum Patre et Spiritu sancto Deus, digne dicimus Deo Patri: *qui tecum vivit et regnat*, in illa utique unitate naturali quam ostendens, ait: *Ego et Pater unum sumus* (Joan. x, 30). Ubi similiter fides nostra, non solum ab Arii et Sabellii, verum etiam a Nestorii errore discernitur: in ipso quippe unitatis vocabulo sicut Patris et Filii diversa cognoscitur non esse substantia, ita cum dicimus, *qui tecum vivit et regnat*, ostenditur Patris et Filii una non esse persona. Apparet etiam æternum Sacerdotem ipsum verum Filium esse, qui cum Deo Patre regnat in unitate naturæ. Cum vero *in unitate Spiritus sancti* dicimus, unam naturam Spiritus sancti cum Patre Filioque monstramus. Unitas autem naturæ quid aliud quam Trinitatem unum Deum, et ex hoc unum ostendit et regnum? Diversitas quippe naturæ potest in regno diversitatem potestatis ostendere. Ubi autem regni naturalis est unitas, una regnandi permanet et potestas: in illo autem regno illi diversitatem potestatis habere possunt, quibus ipsa potestas tribuitur ex gratia, non suppetit ex natura. Non est autem diversitas, sed unitas potestatis in Trinitate, que ipsam potestatem unicuique secundam suam tribuit voluntatem, quia naturalem habet ineffabiliter unitatem. Vide autem quid beatus Augustinus in libro sexto (Cap. v) de Trinitate sentiat de Spiritu sancto, ubi dicens: *Ergo æqualis est Patri Filius, et est unius*

^a Ms. *Ths.*, non noverint.

^b *Ant.*, non credant.

^c *Ant.*, ut offerat Deo dona.

ejusdemque substantiæ, continuo subjunxit, Quapropter Spiritus sanctus in eadem unitate substantiæ et æqualitate consistit (al. subsistit). Sive enim sit unitas amborum, sive sanctitas, sive caritas, sive ideo unitas quia caritas, et ideo caritas quia sanctitas, manifestum est quod non aliquis duorum est quo uterque conjungitur, quo genitus a gignente diligatur, generatoremque suum diligat; sintque non participatione, sed essentia sua; neque dono superioris alicujus, sed suo proprio, servantes unitatem Spiritus in vinculo pacis. Et paulo post (Ibidem): Spiritus ergo sanctus commune aliquid est Patris et Filii, quidquid illud est: at ipsa communio consubstantialis et coæterna. Quæ si amicitia convenienter dici potest, dicatur; sed aptius dicitur caritas. Et hæc quoque substantia, quia Deus substantia et Deus caritas (I Joan. iv, 16), sicut scriptum est. Item alio loco ejusdem libri (Eodem cap. 5) dicit: *Æqualis est igitur etiam Spiritus sanctus; et si æqualis, in omnibus æqualis propter summam simplicitatem quæ in illa substantia est. Et ideo non amplius quam tria sunt: unus diligens eum qui de illo est, et unus diligens eum de quo est, et ipsa dilectio: quæ si nihil est, quomodo Deus dilectio est? si non est substantia, quomodo Deus substantia est?* His itaque verbis beatus Augustinus non dubitavit, sicut caritatem et sanctitatem, sic etiam unitatem Patris et Filii Spiritum sanctum dicere; nec solum commune aliquid eorum, sed etiam communionem consubstantialem coæternamque fiducialiter prædicare. Quod utique ideo a catholicis dicitur, ut ex ipso unitatis nomine una essentia, et ex hoc unum **261** regnum, et in eodem uno regno una Trinitatis potestas, unaque majestas a fidelibus agnoscat: ne putetur aut Filius, aut Spiritus sanctus secundum divinam naturam ita cum Patre regnare, quemadmodum cum potiore regnat inferior; sed illa unitas Spiritus sancti, quæ est communio Patris et Filii, dum illo regno unitatem divinitatis monstrat, unam esse regnandi æternitatem, unam potestatem, unam majestatem, unamque dominationem summæ Trinitatis edoceat.

QUÆSTIO QUINTA.

39. Quintam vero, id est novissimam, continet his verbis epistola quæstionem. Quid sit quod Lucas evangelista cœnam Domini narraturus, prius eum dicit calicem accepisse, et discipulis dividendum inter se continuo tradidisse; et tum deinde accepto pane dixisse; « Hoc est corpus meum; » et accepto similiter postquam cœnavit calice, tunc dixisse: « Hic calix novum Testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis funditur [al. effundetur] (Luc. xxii, 17 sqq.). » Ista vero quæstione proposita subjungis et dicis: Nunquid unus calix secundo est datus, an alius prius, alius postea? et si ita est, inquis, ad cujus rei sacramentum pertinet ille de quo maxime cæteri qui scripserunt evangelica (al., ut supra in epist. Ferrandi, Evangelia) tacuerunt?

RESPONSO.

40. Hunc Evangelii locum quidam sic intelligi vo-

^a Aut., manducantibus autem.

A luerunt, ut non duos calices a Domino datos assererent, sed potius per anticipationem dictum esse firmerent; cæterum unum esse calicem qui et antea dividendus, et postea bibendus commemoratur datus esse discipulis. Quisam vero secundo datum calicem firmant. Sed sive hoc, sive illud quisque sentiat, talis est uterque sensus, ut a vera fide nullatenus inveniat extraneus. Hi vero qui secundum (al. secundo) datum existimant calicem, hoc factum in significatione dixerunt: alii asserentes quod in primo calice suam, in secundo vero fidelium suorum Dominus præfiguraverit passionem. Alii vero dixerunt in utroque calice illud ostendi, quod in Veteri Testamento præceptum est (Exod. xii, 5; Num. ix, 11), ut qui Pascha primi mensis agnum comedendo non egerit, in secundo mense in hædi comestione peragat. Videtur autem hic mihi etiam aliud quoddam congruum christianæ fidei reperiri mysterium, ut in utroque calice utrumque intelligi debeat Testamentum. Præsertim quia hoc nobis sic ipsa demonstravit Veritas, ut nulla remaneret quærentibus difficultas: nam ipse Dominus calicem quem bibendum dedit, Novum appellare dignatus est Testamentum, quod evangelici tenor demonstrat eloquii. Sic quidem tribus evangelistis, Matthæo, Marco et Luca, hoc indubitanter attestantibus, invenitur. Verba quippe Matthæi hæc sunt: *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem; et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic 262 enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum (Matth. xxvi, 26).* Marcus vero mysterium Dominici panis et calicis explicaturus, hæc ait: *Et manducantibus a illis, accepit Jesus panem; et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: Sumite, Hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens, dedit eis, et biberunt ex illo omnes. Et ait eis: Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur [al. effundetur] (Marc. iv, 22).* Lucæ vero, quem secundo certum est calicem nominasse, his invenitur verbis ordinata atque explicata narratio: *Et accepto calice gratias egit, et dixit: Accipite et dividite inter vos. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam cœnavit, dicens: Hic calix Novum Testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis funditur [al. fundetur] (Luc. xxii, 17).* Hinc est quod etiam beatus Paulus commemorans sacratissimum illius cœnæ mysterium, non aliud calicem quam Novum a Domino nuncupatum insinuat Testamentum. Inter alia namque sic dicit: *Ego enim accepti a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Hoc est corpus meum pro vobis b: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem post-*

^b Sic mss. Thu. et Ant. Alii codd., quod pro vobis traditur.

quam cœnavit, dicens : *Hic calix Novum Testamentum A* humana subjiceret, et ex infirmitate virtutem, prævalente spiritualis gratiæ munere, perfecisset : ab illo civi facultatem retinens datam, cujus voluntatem suæ voluntati non ambigeret præferendam, atque ita homo illud quod ex humana infirmitate vellet, patienter vinceret, ut ad illud ad quod divina voluntas utiliter vocat, feliciter perveniret.

41. Hac igitur evangelicorum atque apostolicorum attestazione dictorum in calicis nomine, isto duntaxat loco, non aliud quam divinum permittitur accipere Testamentum. Neque enim dubium est aliis locis a Domino nomine calicis significatam gratiam passionis. Quod utique intelligi voluit dicens filiis Zebedæi : *Potesis bibere calicem quem ego bibiturus sum (Matth. x3, 22)?* Et in ipsa hora qua detineri manibus voluit impiorum, hoc sermone beatum Petrum, ut gladium reconderet in vaginam præmonens, calicem se bibiturum passionis ostendit, dicens : *Mitte gladium in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum* * (Joan. xviii, 11)? In quo calice passionem esse intelligendam etiam illic ostendit, ubi avulsus a discipulis quantum jactus est lapidis, moriturus pro peccatis hominum, humanæ quoque infirmitatis veraciter in seipso demonstravit affectum; et ut desperationem ab infirmioribus (al. inferioribus) membris dignaretur auferre, ipsa virtus quæ nostrum caput esse voluit, dicere divino amore non est indignata, quod membra ejus essent humano postmodum timore dictura. Inde est quod eum Lucas evangelista dixisse commemorat : *Pater, si vis, transfer calicem istum a me (Luc. xxii, 42)*. Matthæus quoque verba ejus hæc esse testatur : *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste (Matth. xxvi, 39)*. Marcus vero, ut ostenderet quid in illo calice intelligere deberemus, ait : *Et cum processisset 263 paululum, procidit super terram, et oravit, ut, si fieri posset, transiret ab eo hora (Marc. xiv, 35)*. Quam hic horam putamus a sancto evangelista significatam, nisi illam de qua Dominus ait : *Nondum venit hora mea (Joan. ii, 4)*; et de qua Joannes evangelista dicit : *Et nemo misit in eum manus, quia necdum venerat hora ejus (Joan. vii, 30)?* Hora utique non coactitæ mortis, sed voluntariæ passionis; hora procul dubio illa qua triumphalem mortem susciperet, et solvens dolores Inferni, mors ipse mortis misericorditer ac mirabiliter exstitisset, sicut jam dixerat per Prophetam : *Ero mors tua, o mors; ero morsus tuus, inferne (Ose. xiii, 14)*. Hanc horam in oratione a Domino calicis b nomine nuncupatam beatus evangelista subsequenter ostendit, ejusdem Domini oratione subjecta, qua dicit : *Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt : transfer calicem hunc a me (Marc. xiv, 36)*. Nempe manifestum est hoc fuisse orare ut transiret ab eo hora, quod erat dicere ut calix transferretur ab eo. Ubi, ut dixi, caput nostrum in se membrorum suorum susceptam demonstravit infirmitatem, quibus se daturam noverat patiendi virtutem, ut doceret non ex hoc evadendum meritum passionis, si homini pro Christi fide et caritate passuro, promptum spiritum quater niteretur ex infirmitate carnis veniens trepidatio voluntatis, sed potius divinæ voluntati se ipsa voluntas

42. Non ergo Christi voluntas alia potuit esse quam Patris, cum in Patre ac Filio unam semper voluntatem servet unitas naturalis. Sed ille qui humanam naturam suscipiens venit naturam salvare quam fecit, ejusdem quoque naturæ verba non fallaci, sed veracissima susceptione protulit, cujus etiam affectum clementissima bonitate suscepit; affectum scilicet quem habet caro ex trepidatione moriendi, non ex cupiditate peccandi : ille enim qui non noverat peccatum, sine peccato verum non iniquitatis, sed infirmitatis nostræ suscepit affectum. Vere enim de illo beatus Petrus ait : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (I Petr. ii, 22)*. Proinde, quia peccatum non fecit, diversam voluntatem a Patris voluntate non habuit; et quia non est inventus dolus in ore ejus, ex affectu vero infirmitatis humanæ, vera verba non ambigitur protulisse. Quamvis igitur in illis Salvatoris nostri dictis quibus calicem nominavit, passio sit intelligenda, tam ejus quam sanctorum ejus (quo sensu etiam beatus David calicem nuncupavit, illo duntaxat loco ubi ait : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutatis accipiam, et nomen Domini invocabo [Psal. cxv, 3]*; ubi ostendens calicem istum non aliud quam mortem esse sanctorum, continuo subjunxit : *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum*), accipitur in nomine calicis etiam perfecta gratia caritatis, qua virtus pro Christi nomine suscipiendæ infunditur passionis; ita ut etiamsi opportunitas 264 desit qua quisque pro Christo subeat passionem, virtus tamen tanta insit cordi dono divini muneris, ut nihil ei desit ad tolerandam pœnam, ad continentendam vitam, et ad mortem pro Christi nomine subeundam. Hoc illo loco bene intelligitur ubi dicitur in psalmo : *Et calix tuus inebrians quam præclarus est (Psal. cxii, 5)*; præmisit autem : *Impinguasti in oleo caput meum*. Quid autem debemus intelligere impinguatum in oleo caput, nisi mentem dono sancti Spiritus roboratam?

Olei enim hujus præclara pinguedo, spiritualis est gratiæ inseparabilis fortitudo, qua sancta ebrietas pentalibus cordis infunditur, ut omnis affectio carnis oblivioni tradita superetur. Hac ebrietate repletus animus discit gaudere semper in Domino, et contemptui deputare quidquid diligebat in mundo; hanc ebrietatem bibemus dum accepto Spiritu sancto, perfectæ caritatis quæ foras mittit timorem gratiam possidebimus. Hinc est quod beatus Ambrosius in hymno matutino, hujus nos postulare gratiam ebrietatis edocuit, dum dicimus : *Læti bibamus sobriam ebrietatem Spiritus (Fer. 2 ad laudes)*.

43. In aliis ita que locis potest alio quolibet modo

* In aliis, non vis ut bibam illum?

b Aut., Hanc horam a Domino in ratione calicis.

secundum veram fidei regulam calicis nomen intelligi; in hoc tamen Evangelii loco de quo nunc disputamus, non aliud intelligere sinimur nisi quod ipsius Domini et magistri nostri sermonibus et loquimur, qui ait: *Hic calix novum Testamentum est in sanguine meo* (Luc. xxii, 20); et ex hac regula qua iste calix Testamentum dicitur novum, in illo calice quem prius dedit non absque ratione vetus intelligitur Testamentum. Ipse igitur Dominus utrumque calicem dedit, qui utrumque Testamentum suis fidelibus tribuit. Propterea et in eadem cœna et Judaicum pascha comedit, quod oportebat offerri, et sacramentum corporis sui et sanguinis dedit, quod ad salutem fidelium oportebat institui: comedit pascha Judæorum quo promissus est Christus, ut veniret ad pascha nostrum quo immolatus est Christus. Denique attende quid cum discipulis dixisse Lucas evangelista commemorat. Sic enim ait: *Et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim apostoli cum eo; et ait illis: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar* (Luc. xxii, 14). Manducavit ergo pascha quo passurus significabatur, antequam pro nobis voluntarie pateretur. Est autem etiam in ipsis dominicis sermonibus aliquid quod attentius est a fidelibus agnoscendum, in quo utriusque Testamenti potest apparere discretio. Beatus enim Lucas de calice quem primitus nominavit, ita dicit: *Et accepto calice, gratias egit et dixit: Accipite et dividite inter vos; de pane vero et calice postea loquens ait: Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam cœnavit, dicens: Hic calix Novum Testamentum est in sanguine meo qui pro vobis funditur* (Luc. xxii, 17-19). Non mihi videtur inaniter hic ab ipsa Dei sapientia verborum quædam facta discretio; quandoquidem primum calicem sic accipiendum dedit, ut præciperet dividendum, dicens: *Accipite, et dividite inter vos; quod in eo calice quem cum pane dedit, omnino non dixit: ibi enim corpus suum sanguinemque commendat, et eundem calicem novum* 265 *in sanguine suo asserit Testamentum, dicens: Hic calix Novum Testamentum est in sanguine meo qui pro vobis funditur; nulla vero fit mentio calicis dividendi, quod in aliis quoque duobus evangelistis, Matthæo scilicet et Marco, similiter invenitur, sicut eorum dicta superius a nobis posita evidenter ostendunt. Hunc itaque calicem, in quo vetus insinuari diximus Testamentum, ideo Dominus accipiendum dividendumque mandavit, ut apostoli dono sapientiæ cœlestis instructi, sic scripturam Veteris Testamenti reverenter acciperent, ut in ipsis præceptis quid agendum quidve omittendum esset, accepto discretionis spiritu cognovissent. Hoc enim est recte dividere, ut unusquisque noverit pro congruentia temporis quid omittere debeat, quid tenere.*

44. Hinc est quod cautissimo divisionis ordine Ecclesia Dei vivi, quæ est columna et firmamentum veritatis (1 Tim. iii, 15), tempora venturi Christi venientisque discernit; et omissis sacrificiis quibus

Christus passurus promittebatur, hoc sacrificium offert quo Christus jam passus ostenditur. Dividit etiam tempus illud celebrandæ circumcisionis, ab isto tempore percipiendi baptismatis. Hujus divisionis saluberrimum retinet modum etiam in præcepto neomeniæ, quandoquidem non tubis Judaicis inaniter personat, sed renovari unumquemque spiritu mentis suæ, et induere novum hominem sancta Ecclesia prædicare non cessat. Hæc omnia salubriter dividit quæ nunc veneranter accipit in lectione, sed jam non celebrat in opere, anrem cordis admovens apostolicis dictis, quibus beatus Paulus fideles omnes instruit, dicens: *Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi* (Coloss. ii, 16). Nam et sacramentum circumcisionis exponens ait: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum; quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et estis in illo repleti qui est caput omnis principatus et potestatis, in quo et circumcisi estis circumcissione non manufacta in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcissione Christi, consequenti ei in baptismo* (Coloss. ii, 8-12). Hæc et his similia et accepit Ecclesia sapienter, et dividit: accipiendo, credit a Deo in veritate promissa; dividendo, cognoscit ab ipso Deo in veritate jam reddita; nec in figuris expectat implenda, sed in veritate retentat impleta. Scit enim sancta Ecclesia fidelem Deum in verbis suis, et sanctum in omnibus operibus suis: unde sicut in Veteri Testamento fidelia verba Dei promittentis intelligit, sic in Testamento Novo sancta opera Dei quod promiserat reddentis agnoscit. Quædam enim promittentis Dei verba fuerunt sacramenta Veteris Testamenti, quibus nobis promittebatur Christus: quæ verba transierunt, ex quo illis quibus promittebatur invenitur exhibitus. Ideo in ipso sacrificio corporis Christi a gratiarum actione incipimus, ut Christum non datum, sed datum nobis in veritate monstremus; et in eo quod gratias agimus Deo in oblatione corporis et sanguinis Christi, cognoscamus non adhuc occidendum Christum pro nostris 266 iniquitatibus, sed occisum; nec redimendos nos illo sanguine, sed redemptos. Vera est enim beati Petri prædicatio, dicentis: *Non enim corruptilibus argento vel auro redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni incontaminati et immaculati Christi* (1 Petr. i, 18).

45. Dividit ergo sancta Ecclesia figuras a veritate, umbras a corpore: quod eam sancti apostoli docuerunt, qui dividendum inter se illum calicem a Domino salubriter acceperunt. Hujus autem calicis ideo divisionem Dominus discipulis dedit, quia ipsis docentibus sancta Ecclesia cognitionem hujus divisionis accepit. Dicit autem ut inter se dividant, id est, ut in unitate spiritus et vinculo pacis, sacramenta Testamenti Novi sacramentorum veterum cessatione distinguant: quod in calice Testamenti Novi non præcipit ab apostolis fieri. In Novo enim Testamento non

est sacramentorum divisio, sed donorum, quæ non in A hominum facultate, sed in sancti Spiritus potestate consistit. *Divisiones enim gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministracionum sunt, idem autem Dominus; divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus (I Cor. xii, 4).* Inde est quod cum alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, et cætera quæ apostolicus sermo contexuit, non hominibus dividenda dantur; sed hæc omnia operatur unus idemque Spiritus, dividens propria singulis prout vult. Hanc divisionem quam non hominibus dedit, sed sibi tantum Trinitas reservavit, alio loco beatus Apostolus ostendens, admonet non plus sapere quam B oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem; unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei (Rom. xii, 3). Et quia una est divisio Patris et Filii et Spiritus sancti, ideo Christus, qui est Dei sapientia, in Proverbiis dicit: *In itineribus justitiæ incedo, et inter medias semitas æquitatis conversor, ut dividam diligentibus me substantiam, et thesauros eorum impleam bonis (Prov. viii, 20).*

46. Uterque ergo calix apostolis a Domino datur, non tamen dividendus uterque præcipitur: illius enim necessaria fuit divisio, in quo erat temporum consideranda discretio. Inde est quod in Testamento Veteri sacramenta quædam illo tempore in figuris rite celebrata cognoscimus, et veneranter accipimus; quæ tamen non eodem quo celebrabantur ordine celebramus quia dividentes tempus promissionis a tempore redditæ veritatis, ea sacramenta nunc nobis a Christo tradita retinemus, quibus Christum non passurum, sed passum pro nobis agnoscimus et tenemus. Nomine vero calicis etiam Vetus debere accipi Testamentum, non nostra præsumptione, sed paterna traditione monstramus. Sanctus quippe Augustinus, in explanatione psalmi septuagesimi quarti, cum ad illum locum venisset ubi dictum est: *Quia calix in manu Domini vini meri plenus est: mixto; et inclinavit ex hoc in illud; veruntamen sæx ejus non est exinanita (Psal. lxxv, 9),* inter alia sic ait: « Calix vini meri plenus mixto videtur mihi esse lex quæ data est Judæis, et 267 omnis illa scriptura Veteris quod dicitur Testamenti, ubi sunt pondera omnium sententiarum: D nam ibi Novum Testamentum absconditum latet, tanquam in facie corporalium sacramentorum. » Et eam idem beatus Augustinus a præceptis vitæ peragendæ illa præteriti temporis sacramenta discernet, tanquam calicem dividens, postquam commemoravit quod dictum est: *Non occides, non mæchaberis (Deut. v, 17, 18),* et aliquanta quæ textu decalogi continentur, hæc ipse sanctus Augustinus subjecit, dicens: « Omnia ista ad vinum pertinent; illa vero carnalia quasi resederunt, ut remanerent apud illos, et effunderetur ideo omnis spiritualis intellectus. *Calix enim in manu Domini, id est in potestate Domini; vini meri, id est sinceræ legis; plenus est mixto, id est cum facie corporalium sacramentorum:*

et quia nunc humiliat superbum Judæum, et hunc exaltat contentem gentilem, inclinavit ex hoc in hunc, id est a Judaico populo in gentilem populum. Quid inclinavit? Legem; et eliquatus est. inde spiritualis intellectus: *veruntamen sæx ejus non est exinanita,* quia omnia sacramenta carnalia apud Judæos remanserunt. » Ex his dictis beati Augustini arbitror patere et calicis intellectum, quo possit in veritate spiritualis mysterii divisio facis vique cognosci: sic tamen ut non ideo velit aliquis Testamentum Vetus abjicere, quia videt ejus sacramenta cessasse. Sic enim debet cum veneratione teneri Testamentum Novum, ut non sit Testamentum Vetus aliquatenus relinquendum: quod mihi videtur sub nomine amici antiqui et novi in libro Ecclesiastico commendari, ubi dicitur: *Ne derelinquas amicum antiquum, novus enim non erit similis illi (Eccli. ix, 14).* Hanc dissimilitudinem quæ est in sacramentis utriusque Testamenti, per sanctum Hieremiam divinus sermo prænuntiatus ait: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel et super domum Juda Testamentum Novum, non secundum Testamentum quod feci cum patribus eorum (Jer. xxxi, 31).* In eo autem invenitur Testamentum Novum, non secundum Testamentum Vetus a Domino consummatum, in quo et præceptorum perfectionem Dominus dedit, et remotis veteribus sacramentis, dissimilia sacramenta revelatæ veritatis instituit: ac sic quod in Vetere promisit, in Novo perfecit. Proinde quoniam sacramentorum Novi Testamenti tunc vere salubris ac suavis potest esse cognitio, si in sacramentis Veteris Testamenti cognoscatur vera præcessisse promissio, propterea cum Scriptura dixisset: *Ne derelinquas amicum antiquum, novus enim non erit similis illi,* continuo subjecit: *Vinum novum amicus novus: veterescat, et cum suavitate bibes illud (Eccli. ix, 15).* Quid est, *veterescat,* nisi ut in Vetere Testamento Novi Testamenti typus appareat? Tunc ergo cum suavitate hoc novum vinum bibitur, si ejus significatio atque promissio in Testamento Vetere cognoscatur.

47. Hoc vinum novum in corde discipulorum veterescere Dominus fecit, quando illis duobus in castellum Emmaus pergentibus appropinquans ibat cum illis; et cum ei tanquam ignaro quæ de ejus 268 passione facta fuerant indicassent, tunc ipse dixit ad eos: *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ (Luc. xxiv, 25)* ! Vide, quæso, quemadmodum vinum novum veterescit, ut cum suavitate bibatur. Adjecit ergo Dominus *Nonne hoc oportuit puti Christum, et ita intrare in gloriam suam (Ibid., 26)* ? Ubi sanctus evangelista quemadmodum vinum novum cum suavitate bibendum illis veteresceret ait: *Et incipiens a Moysæ et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant (Ibid., 27).* Deinde conceptum ex vino veterescente novitatis ac suavitatis ardorem, ipsi postmodum ostenderunt, dicens: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via et aperiret nobis Scripturas (Ibid., 32)* ? Hoc denuo fecit dicens: *Hæc sunt verba quæ locutus*

sum ad vos cum adhuc essem vobiscum; quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas (Luc. xxiv, 44). Ita fecit vinum novum cum suavitate veterescere, dum promissiones Novi Testamenti indubitanter ostendit in lectione Testamenti Veteris apparere: ne sic teneatur amicus novus, ut antiquus relinquatur; quia novus permanet fide similis, quamvis videatur sacramentorum celebratione dissimilis. Quippe una est fides Novi et Veteris Testamenti. Hæc in antiquis patribus credebatur promissa, quæ in nobis jam credit impleta. Quæ autem fuit in patribus nostris fides promissa, ipsa in nobis est fides exhibitæ veritatis impleta: unde quia indissolubiliter amicus iste antiquus novusque conjungitur, et unus sine altero salubriter non tenetur, veterescere debet vinum novum, ut sit fidelibus cum suavitate bibendum.

269 EPISTOLA XV.

Episcopi Africani in Sardinia exules, Joanni et Venerio, de gratia Dei et humano arbitrio.

rei gratia plurimum amplectendis sanctis fratribus JOANNI presbytero et archimandrite, et VENERIO diacono, et fidelibus viris, quorum in vestra epistola subscriptio continetur, DATIANUS, FORTUNATUS, BORTHUS, VICTOR, SCHOLASTICUS, ORONTIUS, VINDICIANUS, VICTOR, JANUARIUS, VICTORIANUS, PHOTINUS^a, QUODVULTEUS, famuli Christi, in Domino salutem.

1. Quantum membra ecclesiastici corporis per Christi gratiam in unitate fidei compages retinet caritatis, tantum necesse est ut pro invicem sollicita sint membra, ut repulso cujuslibet pravi dogmatis morbo^b, non solum servandæ, verum etiam reparandæ sanitati, jugis atque indefessa tam sermonis quam orationis impendatur instantia. Sic enim fit ut, dum sollicitudo fraternæ puritatis invigilat, ipse Spiritus sanctus, per quem caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, diligentibus Deum et in Deo proximum, omnia cooperetur in bonum. Quia sicut ipsam dilectionem dono gratiæ spiritualis accipimus, ita duxi pro fratribus solliciti sumus, non solum divinam inesse nobis gratiam^c demonstramus, verum etiam, quanto magis a nobis puritas caritatis impenditur, tanto magis gratia nobis divinæ retributionis augetur.

2. Accipimus itaque vestræ caritatis epistolam, quæ nostrum ex parte relevavit, ex parte vero mœstificavit exsiliū. Gaudemus enim, quia rectam tenetis de gratia Dei sententiam, cujus munere (al. lumine) illuminatur, et juvenam gubernatur liberum humanæ mentis arbitrium: sed quadam sumus nebula mœroris affecti, quia significastis quosdam fratres in quæstione de gratia Dei et humano arbitrio non rectum tenere fidei catholicæ tramitem, sed adversus Dei gratiam elevare velle humani arbitrii libertatem.

3. Ubi primum, dilectissimi fratres, debetis agnoscere, imo vos 270 non ambigimus agnovisse, ad hoc divinitus ista permitti, ut hinc divinæ gratiæ virtus documento possit judicii manifestioris intelligi.

^a Mss. S. Crucis, Fontius.

^b Ita mss.; at editi, pravi dogmatis verbo.

A Quandoquidem ipsa gratia nullatenus agnoscitur nisi detur: quæ quoad non est in homine, tandiū necesse est ut ei aut sermone repugnet, aut opere. Nam sermone repugnat gratiæ Dei, qui sensum gerit fidei Christianæ contrarium; repugnat autem opere, qui in moribus suis Christianæ vitæ non retinet institutum. Hoc quippe in homine agit gratia divinitus data, ut animus, dono fidei caritatisque percepto (al. præcepto), et sermonem bonum proferat, et studio bonæ operationis insistat. Quod fidelibus divinitus dari, beatus et ostendit et poposcit Apostolus dicens: *Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus et Pater noster, qui dilexit nos, et dedit consolationem æternam, et spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere bono et sermone* (II Thess. ii, 16, 17).

4. A Deo itaque nobis est omnis gratia boni sermonis et operis, a quo nobis etiam ipsius cogitationis bonæ manifestum est sufficientiam tribui: ut discat homo non in se, sed in Domino gloriari. Divinæ quippe gratiæ bonam cogitationem hominis beatus assignabat Apostolus quando dicebat: *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum; non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (II Cor. iii, 4, 5). Proinde, etsi quidam gratiam necdum habentes, non se intelligunt non habere, illi tamen qui gratiam divinitus acceperunt, eo magis debent in ipsius gratiæ assertionem firmari, quo eam vident non omnibus tribui. *Necesse est autem ut ab eis quibus non tribuitur ignoretur, et ab eis agnoscat quibus divina largitate donatur.* Testatur enim Apostolus dona Spiritus sancti ejusdem Spiritus sancti acceptione cognosci. Ideo ait: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis; quæ et loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: stultitia est enim illi; et non potest intelligere, quia spiritualiter judicantur. Spiritus autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur* (I Cor. ii, 12, 23, 14).

3. Per sanctum ergo Spiritum gratiam accipimus, quo Spiritu accepto sit in nobis, ut quod accepimus noverimus. Proindescienda est, dilectissimi fratres, et recto tenore veræ fidei profitenda, tam humani arbitrii egena paupertas, quam divinæ gratiæ indeficiens largitas. *Quid enim habes,* ait Apostolus, *quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* (I Cor. iv, 7)? Ante largitatem quippe gratiæ est in homine quidem liberum arbitrium, sed non bonum, quia non illuminatum. Proinde, nisi gratia detur, bonum ipsum arbitrium non habetur. Sic namque est ipsum liberum hominis arbitrium absque dono gratiæ, sicut est oculus sine luce^d. Nam et oculus ad videndum factus est; sed nisi lumen acceperit, non videbit. Illa autem est lux vera 271 quæ illuminat

^c Mss., dirigit lectionis inesse nobis gratiam.

^d Mss., sine lumine; editi vero, sine luce.

omnem hominem venientem in hunc mundum (Joan. 1, 9); illuminat autem hominem, seipsam dando per gratiam. Sicut ergo corporis oculus semper indiget lumen accipere, ut ipsum lumen possit adspicere, sic et libero arbitrio hominis nulla potest gratie suffragari cognitio, nisi detur ipsius gratie spiritalis infusio.

6. Proinde ut de iis quæ vestris litteris indidistis, quid habeat catholici dogmatis veritas intinemus, singula breviter definire curavimus, sequentes donum ejusdem gratiæ, quod sanctorum Patrum cordibus et linguis ipsa dignata est infundere ^a. Dixistis itaque, quod vobis dicentibus, quod Esau et Jacob necdum natis, Jacob per misericordiam gratuitam eligitur, Esau autem originali peccato detentus justo judicio Dei est odio habitus, illi e contrario dicunt, in Esau figuram esse populi Judæorum, ex futuris malis operibus condemnandi; in Jacob vero figuram esse populi gentium, ex futuris operibus bonis salvandi.

7. Hæc duo, quæ singula proponitis ^b, bonum est ut catholica consensione jungatis. Sic enim et ab illis Dei gratia competenter agnoscitur, et a vobis propheticum mysterium non negatur. In illis namque duobus fratribus digne accipitur duorum significatio populorum: præsertim cum ipsi Rebecce Dominum consulenti, duo prænuntientur populi ab ejus utero separandi. Verumtamen agnoscenda est in illa discretionem et gratuita bonitas, et justa severitas. Nam quia omne datum optimum, et omne donum (al. bonum) perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (Jac. 1, 17), et gratia discernuntur quicumque salvantur: profecto non sunt electa neque dilecta in Jacob humana opera, sed dona divina. Rursus quia iniquitas nostra justitiam Dei commendat, præcul dubio in Esau humanæ iniquitatis est damnata nequitia. In eo quippe gratuitum in Jacob Deus ostendit beneficium misericordie suæ, in quo cum gratia gratis dignatus est adoptare; nec cum pro meritis ^c futuræ cujusquam bonæ operationis elegit, cui seipsam, et fidem, et bona opera donaturum esse præscivit.

8. Inde est quod semini Abrahamæ, cujus in Jacob figura præcessit, beatus Apostolus dicit: Gratia salvi facti estis per fidem (Ephes. 11, 8). Ut ostenderet fidem non aliquibus bonis meritis dari, sed ipsius fidei dono omne bonum meritum inchoari, ipsamque donum Dei esse ^d, secutus adjunxit, et hoc non ex vobis, sed donum Dei est (Ibid., 9). Ac ne quisquam sibi quorumlibet bonorum operum audeat meritum vindicare, et pro quibuscunque operibus fidem se existimet accepisse, subjecit: non ex operibus, ne quis gloriatur. Ut autem ostenderet non solum fidem, sed etiam bona opera divinitus tribui, continuo subdidit: Ipsius enim faciura sumus, creati in Christo Jesu, in

operibus bonis, quæ non solum a Deo donata, sed ab ipso etiam præparata testatur, dicens: quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus (Ephes. 11, 10). Gratia itaque Jacob salvus factus est per **272** fidem, gratia consecutus est bonorum operum facultatem.

9. Quocirca, quia certum est Esau fuisse vas iræ; Jacob autem vas misericordie, CERTISSIME TENENDUM EST quod et ille ut damnaretur, iram juste meruit: non enim injustus Deus, qui infert iram (Rom. 3, 5); et iste ut salvaretur, gratis donum misericordie prævenientis accepit. Jacob itaque justificatus gratis per gratiam Dei, factus est vas misericordie per indebitam gratiam, et per ipsam misericorditer est præparatus ad gloriam; Esau vero per iram justam juste est præparatus ad pœnam: Iniquitas enim (al. autem) nostra justitiam Dei commendat (Ibid.). Deus ergo in Jacob misericordiam gratuite bonitatis, in Esau vero judicium justæ severitatis ostendit; qui sacramento quidem circumcisionis octavo die secundum tenorem divinæ constitutionis accepto, reatu peccati originali caruit, sed per nequitiam cordis in hominis terreni vetustate permansit; illius ibi judicio derelictus, qui gratis salvat, justeque damnat ^e. In cujus persona significati sunt non illi tantum qui fidem negant, sed et illi qui usque in finem vitæ suæ intra Ecclesiam positi, in malis operibus perseverant. De quibus Apostolus ait: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur (Galat. 5, 21). Nam sicut ille circumcisis periiit, quia dilexit tenebras magis quam lucem, sic omnis qui non deposuerit veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, condemnabitur in judicio, quia non condigne usus est baptismatis sacramento. Ad eundem quippe veterem hominem pertinent non solum illi qui ignorant Deum, sed etiam illi de quibus dicit Apostolus: Confitentur se nosse Deum, factis autem negant (Tit. 1, 16).

10. De parvulis vero indubitanter tenenda est catholice regula veritatis; quia parvulus qui baptizatur, gratuita Dei bonitate salvatur ^f, qui vero sine baptismo moritur, propter peccatum originale damnatur. Nec aliquo dicendus est Dei beneficio futuræ impietati præreptus, qui absque justificationis gratia mortuus, impiorum est consortio deputatus: a qua impietate sive parvulus, sive majoris ætatis, solo quisque remedio eripitur, si Christi sanguine redimatur. DE GRATIA VERO NON DIGNE SENTIT quisquis eam putat omnibus hominibus dari, cum non solum non omnium sit fides, sed adhuc nonnullæ gentes inveniuntur ad quas fidei predicatio non pervenit. Beatus autem Apostolus dicit: Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante

^a Mss., ipsa de se dicendum dignata est infundere.

^b Mss., quæ singuli proponitis.

^c Mss., gratis dignatus est adoptare, non pro meritis, etc. Mss. alii duo, gratia gratis dignatus est adoptare; nec eum, etc. Hæc autem verba aberant ab editis. Sed rector et plenior videtur lectio posteriorum mss.

^d Mss. S. Cr., Ipsamque fidem ut ostenderet hoc donum Dei esse, etc.

^e Mss., justeque condemnat.

^f Mss. duo, qua parvulus qui baptizatur gratuita creditur Dei bonitate salvari. Ms. alter, qua parvulus... salvatur.

(Rom. x, 14)? NON ITAQUE GRATIA OMNIBUS DATUR, A Deus quippe dono bonitatis salvat, et iudicio severitatis obdurat.

quandoquidem ipsius gratiæ participes esse non possunt, qui fideles non sunt, nec possunt credere, ad quos invenitur ipse fidei auditus minime pervenisse. Ipsa vero gratia quibuscunque datur, non æqualiter datur, sed secundum mensuram donationis Christi (Ephes. iv, 7), et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei: qui non hominum personas accipit, sed omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria singulis, prout vult (I Cor. xii, 11).

273 11. Quod autem vos dicitis, sola Dei misericordia salvari hominem, illi autem dicunt, nisi quis propria voluntate cucurrerit et elaboraverit, salvus esse non poterit, *digne utrumque tenetur*, si ordo rectus servetur divinæ misericordiæ et voluntatis humanæ, ut illa præveniat, hæc sequatur: sola Dei misericordia initium salutis conferat; cui deinde voluntas hominis cooperatrix suæ salutis existat, ut misericordia Dei præveniens voluntatis humanæ dirigat cursum, et humana voluntas obediens, eadem misericordia subsequente, secundum intentionem currat ad bravium; ac per hoc humana voluntas in eo quod currit utiliter et laborat, ex Dei misericordia sibi esse donum cursus ac laboris agnoscat; nec sit ingrata misericordiæ per quam salutis accipit initium, ut per ipsam perveniat ad plenum sempiternæ salutis effectum: quia tunc erit bona, si Dei præveniatur dono, et tunc permanebit bona, si ejus non destituatur auxilio.

12. Errat autem quisquis putat sic a Deo tribui gratiam, velut si quis accepto idoneo pignore det pecuniam, cum Dominus utique et pignus Spiritus sancti ipse quibus vult conferat, et pecuniam suam nummularis expetendam, sicut ipse loquitur in Evangelio (Matth. xxv, 27), servorum suorum curæ officioque distribuat. Illa vero Apostoli sententia qua dicitur: *Ergo cuius vult miseretur, et quem vult obdurat* (Rom. ix, 18), melius quidem ex persona confirmantis accipitur. Quam si quis non vult ex persona confirmantis accipere, illud sine contentione attendat quod subsequenter dicitur: *An non habet potestatem figulus lutæ, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam* (Ibid., 21)? Et cum in utroque vase faciendo figuli cognoverit potestatem, in vase honoris indebitam gratiam Dei miserantis intelligat, et in vase contumeliæ debitum iudicium Dei obdurantis, id est deserentis, agnoscat. Deus autem obdurare dicitur, non quia ad iniquitatem compellit, sed cum ab iniquitate non eripit: quod quia justus est, juste facit. Deo ergo miserante, sine suis meritis homo salvatur, obdurante autem Deo, juste recipit quod meretur b.

13. Illud etiam quod vos dicitis, *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari, pro bona voluntate* (Philip. ii, 13); illi autem dicunt: *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis* (Isa. i, 19): si utrumque sicut oportet animus in fide tranquillus acceperit, nulla de gratia et libero arbitrio c quæstio remanebit. Jubet enim Deus homini ut velit, sed Deus in homine operatur et velle; jubet ut faciat, sed Deus in eo d operatur et facere. Ideo utrumque beatus jungit e Apostolus dicens: *Cum timore et tremore salutem vestram operamini: Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate*. Ut ergo cum timore et tremore suam quisque operetur salutem, opus est volentis hominis, sed hoc ipsum velle f Deus operatur in suis, 274 ac per hoc quoniam habet homo liberum arbitrium, audit præcepta quæ faciat; sed ad implenda præcepta liberam arbitrium idoneum nullatenus efficitur s, nisi divinitus adjuvetur. Ita fit, ut se operari debere homo cognoscat, dum præceptum accipit, et Deo se sciat semper omne bonum debere, quod vult ac facit: quem teste Apostolo cognoscit operari in homine, *et velle, et perficere pro bona voluntate*. Qui suis fidelibus hanc dignatus est gratiam promittere per Prophetam dicens: *Spiritum meum dabo in vobis, et faciam ut in justificationibus meis ambuletis, et iudicia mea observetis et faciatis* (Ezech. xxxvi, 27).

14. Cum ergo Deus in homine operari coeperit velle, tunc homo ad Deum convertitur, et eodem in se operante, unde ipsi Deo placeat operatur. De Deo enim dicit Apostolus: *Aptet vos in omni opere bono h, ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis quod placeat coram se* (Hebr. xiii, 21). Ad vitam quoque in tantum potest homo manum porrigere, in quantum habuerit Dominum protectionem suam super manum dexteram suam (Psal. cxx, 5). Nimis autem absurdum est illos putare vasa misericordiæ qui vel sæcularem habent vel ecclesiasticam dignitatem; vasa vero contumeliæ, clericos, et monachos ac laicos æstimare; cum utique Apostolus vasa misericordiæ illa dicat quæ Deus præparavit in gloriam, non præsentem utique, sed futuram, quibus dicit: *Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (Coloss. iii, 4). Ideo paulo superius *ait, Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (Ibid., 4). Vasa quippe i misericordiæ sunt quibus dicitur: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum*; vasa vero contumeliæ sunt quibus dicitur: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus*. Vasa itaque misericordiæ non

a Ms. unus, quod Paulus apostolus dicit.

b Mss. S. Cr., *juste recipit impius quod meretur*.

c Mss. *De gratia Dei et humano arbitrio*.

d Hæc, *Deus in eo*, leguntur in mss. S. Cr.; non leguntur in edd.

e Mss. S. Cr., *utrumque ostendit*; alii codd., *jungit*.

f Mss. S. Cr., *hoc ipsum velle et operari*.

g Mss. S. Cr., *liberum arbitrium operari* (alter terminis) *idoneum nullatenus efficitur*.

h Ita mss. S. Cr., juxta Græcum textum; cæteri codd., *in omni bono*.

i Mss. S. Cr., *Vasa ergo*.

ecclesiastica vel secularis dignitas, sed in Ecclesia spiritualis caritas facit. Quapropter in quacunq[ue] professione tenuerit homo, fidem quæ per caritatem operatur, erit vas in honorem sanctificatum et utile Domino, ad omne opus bonum paratum.

15. Contra prædestinationem vero sanctorum magnæ pervicaciæ est aliquem vel parare, vel habere conflictum, cum apostolicæ prædicationi nullus audeat refragari, qua non solum dicitur de Deo : *Quos autem præcivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii ejus.* (Rom. viii, 29); et alio loco : *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per Jesum Christum in ipsum* (Ephes. i, 5) : verum etiam ipsum caput nostrum, ipsum primogenitum in multis fratribus beatus Paulus prædestinatum confidenter prædicat dicens : *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis* (Rom. i, 3, 4). Quisquis ergo prædestinatum Christum et sanctos ejus negat, apostolicam fidem perversus oppugnat. Omnes autem prædestinati ipsi sunt, quos vult Deus salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Qui propterea omnes dicuntur, quia in utroque æxu, ex omni hominum genere, gradu, ætate et conditione salvantur. Semper quippe voluntas Dei omnipotentis impletur, quia potestas ejus nullatenus vincitur : ipse est enim qui omnia quæcunq[ue] voluit fecit in celo et in terra, in mari et in omnibus abyssiis (Psalm. cxxxiv, 6), et cujus voluntati nemo resistit. Verum namque est quod de se testatus est Filius, quia quos vult vivificat^a; quia in vivificandis nullum initium humanæ voluntatis expectat, sed ipsam voluntatem bonam faciendū vivificat.

16. Hoc in majoribus. Parvulos autem, in quibus necdum potest bona voluntas fieri, solius gratiæ facit operatione salvari. Liberum vero arbitrium, quod fuit in primo homine sanum ante peccatum, nunc in filiis Dei propria quidem infirmitate concutitur, sed majore divini muneris gratia sublevatur. Quæstionem vero animarum, aut tacitam debemus relinquere, aut sine contentione tractare : quia sive ex propagine veniant, sive novæ singulis corporibus fiant, quod sanctorum Scripturarum auctoritas non manifeste pronuntiat, cum cautela debet inquiri, maxime quod sine fidei detrimento potest a fidelibus ignorari. Illud præcipue observandum est et tenendum, nascentium parvulorum animas nexu peccati originalis obstrictas, omnibusque necessarium esse sancti baptismatis sacramentum, quo dirumpitur (al. dimittitur) peccati originalis vinculum, et amissa in primo homine per secundum hominem recipitur adoptio filiorum.

17. Vos itaque, dilectissimi fratres, per gratiam Dei estote stabiles et immobiles; ac tenentes veram fidem, exhibete fratribus aliter sentientibus caritatem; nec de aliquo desperetis, quia qui hodie veri-

tatem in aliquo non agnoscit, potest cras Deo revelante cognoscere. Deo enim subest, cum volet, posse (Sap. xii, 18). Oremus ergo pro eis, ut Deus operetur in eis. Exhibeamus eis bonam voluntatem, de qua nos possumus habere mercedem, scientes quoniam in conspectu Dei quisquis de numero prædestinatorum fuerit, non peribit, et in omnibus voluntas Omnipotentis implebitur, ut per gratiam salvifiant, et agnitionem veritatis, Domino illuminante, percipiant.

18. Præ omnibus studium gerite libros sancti Augustini quos ad Prosperum et Hilarium scripsit, memoratis fratribus legendos ingerere. Quorum mentionem beatæ memoriæ Hormisda, sedis apostolicæ gloriosus antistes, in epistola quam consulenti se sancto fratri consacerdotique nostro Possessori rescripsit, cum magno præconio catholicæ laudis inseruit. Cujus hæc verba sunt : *De arbitrio tamen libero et gratia Dei, quid Romana, hoc est catholica sequatur et servet Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, et maxime ad Prosperum et Hilarium abunde possit agnoscere, tamen et in scriptis ecclesiasticis expressa capitula continentur.*

19. Hæc itaque, dilectissimi fratres, interrogantibus vobis breviter communi volumus respondere rescripto. Cæterum unus ex nobis, in quantum Dominus servis suis recti gratiam dignatur donare sermonis, illis omnibus, quæ memoratos fratres adversus gratiam et prædestinationem intimastis vel sentire, vel dicere, tribus libris vestro nomina dedicatis^b sufficienti disputatione respondit; quique adversus duos libros Fausti Galli^c septem libros edidit : quos cum recensueritis, agnoscetis protinus quemadmodum memorati Fausti commenta veritati contraria, catholicæ fidei penitus inimica, discussio prodidit, ratio manifesta convicit, auctoritas divina compressit, et præcedentium Patrum consona proressus attestatio confutavit.

20. Speramus autem in Domino, quoniam gratiæ suæ ita subsidium largietur, ut et bene sentientibus sanctæ scientiæ^d tribuat augmentum, et aliter quam oportet credentibus donet veritatis agnoscendæ subsidium. Ipse enim facit gratiæ suæ participes quos prædestinavit ad vitam, ut in omnibus bonis suis humanæ arbitrium voluntatis gratiæ Dei subjiciant; et ab ipso sibi cognoscant descendere omne datum optimum, et omne donum perfectum; scient etiam ab ipso expectandum semper auxilium, qui prædestinatis suis et gratiam et perseverantiam donat, ut gratiam pro gratia, donum vitæ perennis accipiant.

277 EPISTOLA XVI,

SEU LIBER PETRI DIACONI ET ALIORUM QUI IN CAUSA FIDELI A GRÆCIS EX ORIENTE ROMAM MISSI FUERUNT.

De Incarnatione et Gratia Domini nostri Jesu Christi ad Fulgentium et alios episcopos Africæ.

Dominis sanctissimis et cum omni veneratione no-

^a Absunt hæc ab editis, quia quos vult vivificat. Leguntur in mss. tribus, in quorum uno habetur justificat.

^b Fulgentius libris de Veritate præd. et gratiæ.

^c Idem libris contra Faustum.

^d Verba hæc, sanctæ scientiæ, adduntur in mss. S. Cr.

minandis, DATIANO ^a, FORTUNATO, ALBANO, ORONTIO, A BOETO, FULGENTIO, JANUARIO et cæteris episcopis et in Christi confessione decoratis, exigui PETRUS diaconus, JOANNES, LEONTIUS, alius JOANNES, et cæteri fratres in causa fidei Romam directi.

CAPUT I. *Consensus Ecclesiarum in fide, confirmatio fidelium.* — 1. Utile et pernecessarium, sanctisque Dei Ecclesiis specialiter credimus profuturum, ea quæ de Incarnatione et dispensatione divina nobiscum universæ sanctæ Orientalium Ecclesiæ contra hæreticos defendunt (qui pravus et iniquis argumentis antiquam Ecclesiæ fidem inquietare non cessant), sanctitati vestræ suggerere atque de his consensum vestræ beatitudinis suppliciter promereri. Quia in nullo sanctam gloriosamque confessionem vestram credimus dissentire ^b, præsertim cum uno ubique spiritu sanctam Dei Ecclesiam vegetari minime dubitemus. Non enim parva, imo potius magna lætitia universi replebuntur Orientales, si sanctitatem vestram suis, imo magis catholicis noverint in omnibus consentire dogmatibus.

2. Unde suppliciter petimus et obsecramus beatitudinem vestram, quatenus diligenti examinatione ea quæ inferius continentur discutientes (ut decet verissimos et intrepidus Christi prædicatores), scriptis sententiam vestram nobis patefacere jubeatis ^c: ut si, Deo præstante, catholicæ fidei conveniens, et apostolicis traditionibus nostra apud vos (sicut non diffidimus) fuerit expositio comprobata, per facile ^d tantorum **278** virorum, probatissimorumque sacerdotum auctoritate muniti, iniqua loquentium ora obstruere valeamus, et in fide sanctorum Patrum perseverantes, Deo, qui vos ^e sanctimonii sui confessione glorificavit, gratias referamus, domini sanctissimi et Deo dignissimi. Nunc ea quæ sequuntur diligentius petimus exploretis.

CAP. II. *In Christo duæ naturæ, sine confusione, in unam personam unitæ.* — 3. Igitur juxta sanctorum Patrum traditionem, Dominum nostrum Jesum Christum in duabus naturis unitis et inconfusis, id est divinitatis et humanitatis, in una persona sive subsistentia ^f consistemus. Nec illis acquiescentes qui unam Dei Verbi naturam incarnatam prædicantes, venerabilis Chalcedonensis concilii fidem refugiunt, nec illos admittentes qui duas naturas dolose pronuntiantes, unam Dei Verbi naturam incarnatam minime consentent, æstimantes hoc duarum naturarum professioni contrarium: quasi aliquid aliud quam duas naturas ineffabiliter unitas, una Dei verbi natura incarnata significet, beato Cyrillo Alexandrinæ civitatis antistite in secunda epistola ^g ad Successum episcopum Diocesariæ ita scribente: ^h Si enim unam naturam dicentes Dei Verbi, tacuisssemus non infentes incarnatam, sed velut abjicientes dispensatio-

^a Ant., Diacono.

^b Ms., gloriosamque confessionem credimus dissentire.

Ms., pateferi jubeatis.

^d Sic ms., editi vero, et facile.

^e Editi, qui nos. Sed melius videtur quod habet ms., quæ vos; quia episcopos compellant exsilio pro

nem, erat illis forsitan non improbabilis sermo, simulantibus interrogare, ubi est in humanitate perfectio? aut quomodo substantia nostra subsistit? Quoniam vero et perfectio quæ in humanitate est, et essentialis nostræ manifestatio illata est, per id quod dictum est incarnata, jam desinant (*al. deserant*) arundineam virgam sibi met supponentes. ⁱ

CAP. III. *Beata Virgo proprie Dei Mater.* — 4. Beatam vero Virginem Mariam non propter dignitatem hominis illius qui ex ipsa natus est (quem gratia et non natura Deum quidam impie prædicare non metuunt), sed proprie et secundum veritatem credimus *Θεοτόκον*, id est Dei Genitricem, eo quod pepererit vere et proprie Deum Verbum incarnatum et hominem factum, atque essentialiter sive naturaliter carni unitum.

5. Propterea etiam essentialem sive naturalem factam naturarum unionem omnimodis confitemur, non sicut illi qui tanquam in propheta, ita in Christo Deum Verbum ^k inoperasse contendunt. Quos redarguit beatus Gregorius Nazianzenus ad Clidonium, dicens: ^l Si quis sicut in propheta secundum gratiam dicit inoperasse Deum Verbum, et non essentialiter factam confitetur unionem, sit vacuus melioris inoperationis, magis autem plenus sit deterioris. ^m Nec sicut illi qui secundum illustrationem, aut dilectionem, aut affectionem, personalem, vel subsistentialem, sive secundum auctoritatem, aut potentiam, aut æqualitatem honoris, unionem tentant astruere naturarum. Quos paulo superius memoratus beatus Cyrillus anathematizat dicens (*Anathematis*. 3) contra Nestorium: ⁿ Si quis in uno Christo dividit substantias post unionem ^o, sola eas societate connectens secundum dignitatem, **279** auctoritatem, aut potentiam, et non magis conjunctionem quæ est secundum unitatem naturalem, anathema sit. ^p Deus enim Verbum, non nomine vacuo, non particula sui, sed natura Deus tantus quantus et Pater est, æqualis per omnia Patri, præter hoc tantummodo quod ille Pater est, iste Filius, naturæ se humanæ uniens, factus est homo.

6. Hinc etiam a sanctis Patribus adunatione ex divinitate et humanitate Christus Dominus noster compositus prædicatur. Quod nolens Paulus Samosatensis confiteri, damnatus est ab Antiocheno concilio, Malchione presbytero ejusdem Antiochenæ Ecclesiæ, viro per omnia eruditissimo, et ab universis sacerdotibus qui contra eundem Paulum convenerunt tunc electo; qui summum disputationis certamen a concilio memorato suscipiens, ita eundem hæreticum inter cætera redarguit, dicens: ^q Ex simplicibus fit certe compositum, sicut in Christo Jesu, qui ex Deo Verbo et humano corpore, quod est ex semine

Christi divinitate gloriosos.

^f Editi, Lovan. an. 1556, et Basil. habent sive substantia.

^g Hæc verba in secunda epistola, absunt ab editis, leguntur in ms.

^h Ita ms.; at edd., Domini Verbum.

ⁱ Editi, post unitatem; ms., post unionem.

David, unus factus est, nequaquam ulterius divisione aliqua, sed unitate subsistens. Tu vero videris mihi secundum hoc nolle compositionem fateri, ut non substantia sit in eo Filius Dei, sed sapientia secundum participationem. Hoc enim dixisti, quia sapientia dispendium patiatur, et ideo composita esse non possit, nec cogitas quod divina sapientia sicut antequam se exinanisset, indiminuta permansit; ita et in hac exinanitione quam gessit misericorditer, indiminuta atque indemutabilis exstitit. Et hoc etiam dicis, quod sapientia habitaret in eo sicut habitamus et nos in domibus, ut alter in altero, sed neque pars domus nos sumus, nec nostri pars domus est. » Similiter etiam beatus Athanasius in libello cuius est titulus, *Quod unus sit Christus*, hæreticorum vanitatem refutans, postquam de Filii Dei divinitate inquisitiones eorum superfluas approbasset, ita prosequitur: « Sic, inquit, etiam de Incarnatione inquirunt: Quomodo, inquit, incarnatur Deus? quomodo incorporatur? quomodo componitur ad parvum corpusculum incapabilis? quomodo uniter increatus creato, incircumscriptus circumscripto? aut quomodo in partes magnus ille, et immensus, et individuus? Si autem magnitudo illa in parvo loco contracta est, aut parvum illud factum est magnum, aut pars, et non omnia divinitas carni unita est, quod est impium credere. Et prolapsi sunt ex hoc quod dicunt: Quomodo, et quali modo? et qua sententia et perfidia etiam isti et inhabitationem pro incarnatione opinati (operati) sunt, et pro unitate, et compositione inoperationem humanam, et pro una substantia Domini nostri Jesu Christi, duas subsistentias et duas personas, et pro sancta et ineffabili Trinitate, quaternitatem indecenter dogmatizantes, et impie. »

7. Rursus beatus Gregorius in sermone de Filio: « Uno autem, inquit, capitulo meo, ut altiora quidem ascribas divinitati, et illi naturæ quæ passionibus et corpore probatur esse superior: humilliora vero composito tribuas, qui propter te semetipsum exinanivit, et incarnatus est. » Hinc ergo rectissime credimus, quod plenus et perfectus Deus Verbum, etiam post assumptam carnem nullum augmentum detrimentumque **280** pertulerit, imo unitione sua ineffabilem gloriam contulerit assumptæ naturæ.

CAP. IV. *Non est facta quaternitas in deitate per Incarnationis mysterium.* — 8. Hac de causa Trinitas etiam post Incarnationis mysterium Trinitas mansit, quia idem Deus Verbum, etiam cum propria carne unus est ex Trinitate: non quod caro ejus sit de substantia Trinitatis, sed quia caro Dei Verbi est, qui est unus ex Trinitate. Ipse enim omnino, et non alias ascendit in cælum, qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo (Joan. III, 13). Quapropter et Denm Verbum passum carne, et crucifixum carne, et sepultum carne secundum beatum Cyrillum profitetur dicentem (*Anath. XIII*): « Si quis non confitetur

A Deum Verbum passum carne, crucifixum carne, et mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis, secundum quod est vita et vivificator tantquam Deus, anathema sit.

9. Similiter etiam hominem Christum dicimus Verbum, secundum illud beati Joannis: *Quod fuit ab initio, quod audimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ tractaverunt de Verbo vitæ* (I Joan. I, 1). Neque enim Verbum secundum deitatis suæ naturam tractari potuit manibus humanis, nisi fieret homo. Tractari etiam procul dubio puer ille quem beata Virgo genuit, quem pannis involvit, quem in præsepio collocavit, quem octavo die circumcidit, quem Simeon vir justus propriis amplexatus est gremiis, quem subjectum parentibus evangelistæ referunt, quem profecisse ætate et sapientia (*Luc. II, 52*) protestantur, natura Deus, per quem facta sunt omnia visibilia et invisibilia, unigenitus et primogenitus, in quo omnia constant (*Coloss. I, 16, 17*), secundum apostolum Paulum. Et hoc ipsum claris vocibus etiam Isaias propheta protestatur dicens: *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis, cujus potestas in humero ejus, et vocabitur magni consilii Angelus, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Dominator, Pater futuri sæculi, Princeps pacis* (*Isa. IX, 6*).

10. Et idcirco acquiescendum illis nullatenus credimus, qui puero illi Deum fortem unitum asserunt, nec Deum fortem ipsum esse puerum credunt, præsertim cum non alterius cujuslibet, sed ejus omnino thronum, qui de Spiritu sancto et Maria Virgine natus est, atque in Jordane a Joanne, ut aquas sanctificaret, baptizatus est in sæculum sæculi ^b Psalmista testetur, dicens: *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui; dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis* (*Psal. XLIV, 7, 8*). Quomodo autem ungi poterat Deus, cujus thronus est in sæculum sæculi, nisi fieret homo?

CAP. V. *Deus factus est homo, non homo factus est Deus.* — 11. Secundum hanc ergo prophetæ sententiam, Deus factus est Christus, non autem Christus factus est Deus, sicut dicunt hæretici, qui per prosectum, non per naturam Christum Deum audent asserere: Deus enim unctus est, quia ipse factus est homo; non enim alter **281** est Deus, alter homo, sed idem Deus, idem homo. Qui enim naturalis est filius Virginis, idem naturalis est Filius Dei. Propterea et duas natiuitates Dei Verbi credimus et confitemur, id est, unam ante sæcula a Patre (*al. in Patre*), secundum divinitatem; alteram in novissimis diebus, a Virgine sancta, secundum carnem: exsercantes eos qui negant secundum carnem Dei natiuitatem, qui etiam refugiunt unius ejusdemque Filii Dei fateri mirabilia et passiones, quod omnia Dei Ecclesia confitetur.

^a Editi Lov. et Basil., ut alter in altera.

^b Locum hunc in excusis mutilum restitimus operans. Portarum ab his verbis, in sæculum sæculi, usque

ad hæc, Deus in sæculum. In Basil. vero legitur, sed ejus omnino thronus... sit in sæculum sæculi, virga æquitatis, etc.

12. Accipimus autem et quatuor concilia secundum A hunc expositionis nostræ sensum: Nicenum, trecentorum decem et octo episcoporum; Constantinopolitanum, centum et quinquaginta, qui damnaverunt impios Pœumatomachos, nec non etiam Ephesium primum, cui præfuerunt beatissimi Cœlestinus Romanus, et Cyrillus Alexandrinus antistites; et sanctum ac venerabile quod apud Chalcedonem celebratum est.

13. Epistolas quoque beati Leonis amplectimur, anathematizantes universos contraria dogmatibus Ecclesiæ sentientes, simul et omnia scripta Theodori Mopsnestini, et Nestorii discipuli ejus, omnesque qui illis similia sapiunt cum eodem Nestorio, nec non etiam cuncta scripta duodecim adversantia capitalis beati Cyrilli, quæ contra eundem Nestorium edidit; B his adjicientes Eutychem et Dioscorum cum sociis eorum, omnesque quos juste ac regulariter sedes apostolica condemnavit.

CAP. VI. *Qualis homo creatus; et qualis cum sua posteritate per peccatum effectus. Per peccatum totus homo factus est deterior. Sine gratia non nisi humana cogitantur. Quid sit credere.* — 14. Post hæc consequens est etiam qualiter de Christi gratia sentiamus, qua nos eruit de potestate Satanæ, secundum quod nobis est traditum, vestræ beatitudini declarare: quia etiam in hæc parte auctoritas vestra nobis valde est necessaria.

15. Credimus itaque bonum et sine ulla carnis impugnatione, a Deo creatore omnium, factum Adam, magnaque præditum libertate, ita ut et bonum facere C in propria facultate haberet, et malum, si vellet, posset admittere. Eratque mors et immortalitas in ejus posita quodammodo arbitrii libertate. Capax enim erat utriusque rei, ut si servaret præceptum, sine experientia mortis fieret immortalis; si vero contemneret, mors continuo subsequeretur. Itaque serpentis astutia depravatus, sponte divinæ legis prævaricator effectus est, et ideo secundum quod ei prædictum fuerat, justo Dei judicio mortis pœna damnatur, totusque, id est secundum corpus et secundum animam, in deterius commutatus, amissa libertate propria, sub peccati servitio mancipatur.

16. Ex hoc NULLUS EST HOMINUM qui non hujus peccati vinculo nascatur astrictus, præter eum qui ad hoc vinculum peccati solvendum, novo generationis modo natus est, mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Quid enim aliud potuit aut potest nasci ex servo, nisi servus? Neque enim cum esset liber Adam, filios procreavit, sed postquam servus peccati factus est. Ideo sicut omnis homo ab illo est, ita et omnis homo servus peccati per ipsum est. Hinc et Apostolus: *Ex uno, inquit, in omnes homines in condemnationem (Rom. v, 18). Et rursus, 282 Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*

(*Ibid.*, 12). Falluntur ergo omnimodo (qui dicunt mortem solam, non etiam peccatum transiisse in genus humanum, cum Apostolus, et peccatum, et mortem mundo per eum testetur illatam.

17. Ab hac igitur damnatione et morte nullus omnino liberatur, nisi gratia Redemptoris: qui cum esset Dominus, utpote Deus, ut nos a servitute perpetua et potestate diaboli liberaret, atque ad veram libertatem reduceret, factus est servus, accipiens formam servi (*Philip. ii, 7*). Hinc est quod dicit ad Judæos: *Tunc vere liberi eritis, si vos Filius liberaverit (Joan. viii, 36)*. Putabant enim se vere liberos, qui humanis occupationibus intentione vanissima serviebant. Ut ergo falsa libertas fieret vera libertas, id est, ut humana libertas fieret Christiana libertas, B eadem libertas liberatore indiguit, quo posset, per ejus gratiam ab occupationibus humanis aversa, ea cogitare et desiderare quæ pertinent ad vitam æternam.

18. Sine hac igitur gratia potest quidem cogitare et desiderare humana, non autem potest cogitare, aut velle, seu desiderare divina, quorum primum est et præcipuum fundamentum, et crepido quodammodo, sive omnium bonorum origo, credere in Dominum gloriæ crucifixum (*I Cor. ii, 8*), quod utique non est ex naturalis arbitrii libertate, quia non hoc caro et sanguis, sed Pater cœlestis revelat cui vulerit (*Matth. xvi, 17*), ad veram eum attrahens libertatem, NON VIOLENTA NECESSITATE, sed infundendo suavitatem per Spiritum sanctum, ut mox credentes C dicamus: quia Dominus est Jesus, quod nemo per naturalem arbitrii libertatem potest dicere, nisi in Spiritu sancto (*I Cor. xii, 3*).

19. Frustra ergo garrunt qui dicunt: Meum est velle credere, Dei autem gratiæ est adjuvare; cum etiam ipsum CREDERE, quod est consensum præbere veritati, nobis a Deo dari testetur Apostolus dicens: *Vobis enim datum est a Christo, non solum ut in eum credatis, verum etiam ut pro illo patiamini (Philip. i, 29)*.

CAP. VII. *Deus alios facit credere sua bonitate, alios deserit justo judicio, sed occulto.* — 20. Sed dicunt, si nolentes Deus facit ut velint credere, nullus autem est qui naturaliter (ut dicitis) possit credere b aut aliquid boni velle quod pertinet ad vitam æternam, cur D ergo non facit omnes velle, cum non sit personarum acceptio apud Deum, præsertim cum de ipso scriptum sit: *Qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire (I Tim. ii, 4)*? Aut enim vult, et non potest; aut mentitur Scriptura divina. Quod si horum quodlibet sentire est impium, restat ut non ille excitet voluntatem humanam, sed eam expectet ab homine, ut æquum sit in volentibus præmium, in nolentibus autem justa damnatio.

21. Hæc si ita sunt, ut hæretici jactant, COMPREHENSURA SUNT ab ipsis inscrutabilia et incomprehensibilia Dei judicia. Si enim, ut ipsi volunt, nolentes

a Aberant ab editis vera libertas; id est, ut humana libertas fieret; at substituta sunt hæc ex ms.

b Editi, potest credere in Filio Dei; at ms., possit credere, aut velle, abestque in Filio Dei.

damnat, salvat autem volentes, nihil est omnino quod **283** quaeratur ulterius. Et, quantum ad ipsos, fallit Scriptura divina, quæ incomprehensibilia Dei testatur iudicia (Rom. xi, 33). Nos autem incomprehensibilia credentes et demonstrantes iudicia Dei, ex una massa perditionis alios salvari dicimus bonitate et gratia Dei, alios justo et occulto iudicio derelinqui.

22. Alioquin dicant, si possunt hi qui hoc divinæ justitiæ et bonitati contrarium æstimant, cur is qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, tam multas virtutes fecit in Corozaim et Bethsaida et nullam harum in Tyro et Sidone facere voluit, ubi si factæ fuissent (sicut ipse testatur) forsitan in cinere et cilicio pœnitentiam egissent (Matth. xi, 21)? Aut cur in Asia et Bithynia Apostolum vetuit verbum salutis annuntiare (Act. xvi, 6, 7)?

23. Quod si ista nequeunt comprehendere, redeant ad se, et invenientes se homines, desinant quaerere cur alios salvet gratuito dono, alios derelinquat justo et occulto iudicio, qui potestatem habet ex eadem massa aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam; et elament una nobiscum, imo juxta Apostolum : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam inscrutabilia sunt iudicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quia prior dedit illi, et retribuetur ei? quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen* (Rom. i, 33, 34 et seq.). Manifeste ergo non nobis, sed Apostolo omnino resistit qui dicit : Nisi ego prius voluero, gratia ad me non venit. Quod omnino nihil aliud est dicere, nisi prius dare Deo, ut retribuat illi.

CAP. VIII. *Omnis motus bonæ voluntatis ex Deo.* —

24. Sed nos sequentes eundem apostolum omnem bonarum cogitationum originem, consensionemque earum ^a, et voluntatem ex Deo et per Deum, et in Deo dicimus, qui pravas hominum voluntates, et terrenis actibus implicatas, per infusionem et inoperationem ^b intrinsecus sancti Spiritus absolvit et corrigit, sicut scriptum est : *Præparatur voluntas a Domino.*

25. Hinc etiam beatus Basilius Cæsariensis episcopus, in oratione sacri altaris, quam pene universus frequentat Oriens, inter cætera : « Dona (inquit), Domine, virtutem ac tutamentum : malos quaerimus bonos facito, bonos in bonitate conserva, omnia enim potes, et non est qui contradicat tibi; cum enim volueris salvos, et nullus resistit voluntati tuæ. » Ecce quam breviter, quamque districte doctor egregius olim huic controversiæ finem posuit, docens per hanc precem, non a seipsis, sed a Deo malos homines bonos fieri; nec sua virtute, sed divinæ gratiæ adiutorio in ipsa bonitate perseverare.

26. Similiter beatus Innocentius apostolicæ sedis

antistes, in epistola (V. in capit. Cælestini, cap. 8) ad Concilium Milevitanum : « Omnia, inquit, studia et omnia opera ac merita sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sunt : quia nemo ei aliunde placeat, nisi ex eo quod ipse donaverit. » Quod **284** diligentius manifestiusque in epistola sua ad papam Zozimum ^c, replicando, ipsius papæ sententiam explicant Africana concilia dicendo : « Illud autem quod in litteris quas ad universas provincias curasti esse mittendas, posuisti, dicens : *Nos tamen instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur) ad fratrem et coepiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus : sic accipimus dictum, ut illos qui contra Dei adiutorium extollunt arbitrii libertatem, districto gladio veritatis velut cæcis transiens amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quam quod universa in humilitatis nostræ conscientiam retulisti? et tamen instinctu Dei factum fideliter sapienterque vidisti, veraciter fidenterque dixisti, ideo utique quia præparatur voluntas a Domino* (Prov. viii, 35, sec. LXX), et ut boni aliquid agant paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum : Quotquot enim Spiritus Dei aguntur, hi filii sunt Dei (Rom. viii, 54), ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, et in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius prævenire non dubitemus gratiam; quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sanctu cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. »

27. His congrue beatissimus Cælestinus in epistola (cap. 11) ad Gallos data : « Cum enim, inquit, sanctorum plebium præces mandata sibi legatione funguntur ^d apud divinam clementiam, humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscente postulant et precantur ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab infidelitatis suæ liberentur erroribus, ut Judæis, ablato cordis velamine, lux veritatis appareat, ut hæretici catholicæ fidei perceptione respiscant, ut schismatici spiritum redivivæ caritatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, ut denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis, cælestis misericordiæ aula reseretur. Hæc autem non perfunctorie neque inaniter a Domino peti ^e rerum ipsarum monstrat effectus, quandoquidem ex omni errorum genere plurimos dignatur attrahere, quos eruens de potestate tenebrarum, transfert in regnum illius caritatis suæ, et ex vasis iræ facit vasa misericordiæ. Quod adeo totum divini operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio laudisque confessio pro illuminatione talium vel correctione referatur. » Rursus post pauca : « His ergo (inquit [Cælest. cap. 12]) ecclesiasticis regulis et ex divina sumptis auctoritate

^a Editi, earum confessionem; sed rectius ms., consensionemque earum.

^b Sic ms.; at in excusis, et operationem.

^c Editi, ad papam Romanum; ms., ad papam Zozimum

^d Editi, fungantur.

^e Si: ms. et editi, præter Basil., in quo legitur, neque inaniter a Domino peti, sed efficaciter, ipsarum precum monstrat effectus.

documentis, ita adjuvante Domino confirmati sumus, A ut omnium honorum affectuum atque operum, et omnium studiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem; et non dubitemus ab ipsius gratia omnis hominis merita præveniri, per quem fit ut aliquid boni, et velle incipiamus et facere. Quo utique auxilio et munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, 285 de pravo rectum, de languido sanum, de imprudenti sit providum. Terminat autem idem magister (*Idem, c. 13*) hanc ipsam epistolam, atque concludit ita, dicens: « Quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum prædictas regulas apostolicæ sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuerit præfixis sententiis esse contrarium. » Hæc, sanctissimi, non quasi ignorantibus suggerere necessarium æstimavimus, sed ad confutandum eorum amentiam qui ea ut nova dogmata et penitus (*al. pene*) Ecclesiis inaudita refugiant, huic parvitatæ nostræ libello inserere utile iudicavimus.

28. Quorum omnium sanctærum Patrum imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium et Cælestium, simul etiam Julianum Edanensem, et qui illis similia sapiunt; præcipue libros Fausti Galliarum episcopi, qui de monasterio Lirinensi proventus est, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non dubium est. In quibus non solum contra horum omnium sanctorum Patrum, verum etiam contra ipsius Apostoli traditionem ^b veniens, humano labori subjungit gratiæ adiutorium, atque totam omnino Christi evacuans gratiam, antiquos sanctos non ea gratia qua et nos, secundum quod docet beatissimus Petrus apostolus (*Act. xv, 11*), sed naturæ possibilitate salvatos impie profitetur.

Petrus misericordia Dei diaconus subscripsit,
Joannes misericordia Dei monachus subscripsit,
Leontius misericordia Dei monachus subscripsit,
Joannes lector misericordia Dei subscripsit.

286 EPISTOLA XVII.

SEU LIBER S. FULGENTII ET ALIORUM QUINDECIM EPISCOPORUM AFRICANORUM,

Ad Petrum diaconum et alios qui ex Oriente in causa fidei Romam missi sunt, de Incarnatione et Gratia Domini nostri Jesu Christi.

Dilectissimis et in Christi fide atque gratia plurimum amplectendis sanctis fratribus, Petro diacono, JOANNI, LEONTIO, et alii JOANNI, cæterisque fratribus quos una vobiscum in causa fidei Romam directos litteris intimastis, DATIANUS, FORTUNATUS, BOETHUS, VICTOR, SCHOLASTICUS, ORONTIUS, VINDICIANUS, VICTOR, JANUARIUS, VICTORIANUS, PHOTINUS, QUODVULTDEUS, FULGENTIUS, FELIX et JANUARIUS in Domino salutem.

^a Libri Fausti contra prædestinationem.

^b Sic ms., editi autem, contradictionem.

^c Sic Basil; in ms. autem habetur nostri exilii

CAPUT I. *Recta fides in hac vita salus est hominum.*

— 1. Beatus frater noster Joannes, diaconus a vestra societate directus, litteras nobis quas misistis exhibuit, quibus recensitis, vestram simul alacres. et fidem cognovimus, et salutem: imo in agnitione fidei vestra nobis salus innotuit. Quæ enim vera in hac vita salus est hominum, nisi recta in Deum fides, quæ per caritatem operatur, per quam nos gratia divina salvatos Apostolica testatur auctoritas, dicens: *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis extollatur (Ephes. ii, 8)*. Et quia caritas rectæ fidei debet jugiter adherere, quæ studio atque efficacia honorum operum cooperit multitudinem peccatorum, ideo Doctor gentium in fide et veritate, ne quid sibi humani tumoris auderet arrogantia vindicare, post commendationem fidei, per quam gratis salvi facti sumus, operum quoque honorum gratiam munerebus divinæ benignitatis assignans, subsequenter adjunxit: *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit 237 Deus, ut in illis ambulemus (Ibid., 10)*. In eis vos Deo dirigente ambulare, ipso rerum gaudemus effectu. *Sollicitudine quippe non pigri, et Spiritu ferventes (Rom. xii, 11)*, quo devotione laudabiliori Domino servitis, eo caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, nos instigat pro fidei communionem plenius agnoscenda vestri consilii secreta ^c perquirere. Quia igitur sermo Dei non est alligatus (*II Tim. ii, 9*), qui vivus est et efficax (*Heb. iv, 12*), idcirco nos quoque ea quæ de incarnatione ac dispensatione Domini nostri Jesu Christi, et de gratia (quæ gratis indignis ita tribuitur, ut ipsa in nobis, et exordium, et profectum bonæ voluntatis operetur), canonicorum sancta auctoritate voluminum, paternorum quoque dictorum doctrina atque institutione percipimus et tenemus, vestræ caritati rescripte indice demonstrabimus, confidentes in Domino, a quo et fides infunditur, ut corde credamus ad justitiam, et sermo datur ut ore confiteamur ad salutem (*Rom. x, 10*), quod nostrum pariter et sensum gubernabit et stylum, ut vestræ interrogationi talis reddatur nostra responsio, in qua et de incarnatione Domini ea dicamus quæ nostræ redemptionis continet veritas; et de gratia Dei ea loquamur quæ nobis ipsa gratis infuderit (*al. infundit vel infudit*) superna majestas.

CAP. II. *Duæ naturæ in Christo, et una persona. Verbum carnem conceptam non accepit.* — 2. Dicitis itaque vos, juxta sanctorum Patrum traditionem, Dominum nostrum Jesum Christum in duabus naturis unitis et inconfusis, id est divinitatis et humanitatis, in una persona sive subsistentia consistere. Unde consequenter beatam quoque Mariam proprie et secundum veritatem vos credere asseritis genitricem Dei: eo quod scilicet peperit vere et proprie Deum Verbum incarnatum et hominem factum, atque essentia-

secreta; in reliquis excusis, vestri exilii secreta. Forte vos inligat nostri exilii vel consilii secreta.

liter sive naturaliter carni unitum. Hæc ex epistola vestræ tenore posuisse sufficiat : ex his enim pendet cætera quæ de incarnatione Domini sermonis vestri professio comprehendit.

3. Si quis igitur in Domino nostro Jesu Christo, aut duas naturas aut unam noluerit, sive dubitaverit credere ac prædicare personam, vel si quis noluerit confiteri eundem Deum atque hominem, id est Verbum incarnatum, de Maria Virgine pro nostra salute veraciter natum, tantum a catholica fide deprehenditur ac demonstratur extraneus, quantum sacramento redemptionis humanæ resistit ingratus. Hoc enim est illud *magnum pietatis commendatum fidelibus cunctis ore apostolico sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria* (I Tim. iii, 16) : quia scilicet Verbum, quod in principio erat, et apud Deum erat, et Deus erat ^a, id est (al. idem) Dei Unigenitus Filius, Deique virtus, et sapientia, per quem, et in quo facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, idem (al. id est), Deus unigenitus, cum in forma Dei esset, id est, cum æqualis per omnia genitori unitatem cum eo naturalis essentia possideret, et in ea natura quam sempiternus habet ex Patre, hoc quod naturaliter Pater est, id est (al. idem) Deus verus, summus, incommutabilisque esset, neque **288** alter a Patre Deus, sed manente personali discretionem, unis naturaliter cum Patre Deus esset, nec minor scilicet, nec posterior Patre, nec diversæ potestatis, nec alterius essentia (non enim rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo [Philip. ii, 6, 7]); tamen semetipsum exinanivit formam servi accipiens, id est (al. idem), in similitudine hominum factus, idem habitu inventus ut homo (Ibid.), in quo nulla potuit esse rapinæ arbitratio, quia de substantia Patris, ineffabili ac sempiterna nativitate, genita naturalis æqualitatis in eo permanet plenitudo. Semetipsum igitur exinanivit formam servi accipiens. In eo quippe Deus homo esse naturaliter voluit, et Dominus omnium rerum servilem naturam sine amissione proprietate dominationis assumpsit, in quo servi formam misericorditer exinanitus accepit. Quam bene autem sanctus Apostolus Novi Testamenti, sicut ipse testatur (II Cor. iii, 6), factus a Deo mini ter idoneus, ne quisquam nostrum exinanitum Dei Filium audiens, amissam vel diminutam æqualitatem paternæ formæ in Deo Unigenito noxia cogitatione conciperet, et obliquos sequens serpentinae deceptionis anfractus, rectæ fidei tramitem non teneret, exinanitionem illam, submotis reservavit (forte reseravit) ambagibus, quando subsequenter adjecit, *formam servi accipiens*. Illa igitur exinanitio Unigeniti Dei acceptio fuit formæ servilis, non amissio vel diminutio deitatis : divina quippe natura nec minui potest aliquatenus nec augeri, quia incommutabilis manens hoc habet semper esse quod est. Nam si Deus ille verus et summus,

A qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius paupertate nos divites essemus (II Cor. viii, 9), plenitudinem suam, quod dictu nefas est ^b, exinanitus amitteret, aut aliquid mutabilitatis in illa formæ servilis acceptione sentiret, non dixisset beatus Joannes evangelista de Verbo incarnato : *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (Joan. i, 14). Verbum itaque caro factum in veritate humana caro esse cœpit, sed in veritate divina Verbum esse non destitit, et susceptionis ac redemptionis humanæ mysterium ideo efficaciter peregit Redemptoris Dei admiranda benignitas, quia nec mutabilitatis nec diminutionis unquam receptrix esse potuit divina majestas.

4. Verbum igitur Dei, idemque Verbum Deus, humanam carnem de carne matris accipiens, sic utique formam servi accepit, ut permanens in forma Dei, æternus atque incommutabilis Deus per unitatem personæ, in qua servi formam accepit, fieri dignaretur ipse quod fecit. In similitudinem quippe hominum factus, habitu est inventus ut homo, et incommutabilem habens de natura Patris per omnia deitatem, creari dignatus est non creatus, et fieri voluit ex muliere, non factus a Patre, sed genitus; atque ita, *Verbum caro factum est, ut esset unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, unus et verus Dei atque hominis Filius, unus idemque de Patre sine initio Deus semper genitus, de matre homo verus* ^c secundum carnem temporaliter conceptus et natus. **289** Quam carnem non conceptam accepit Unigenitus Deus, sed in ea est Deus ipse altissima humilitate conceptus. Idem quippe Deus creatus est in virgine et de virgine secundum carnem, qui sibi de qua et in qua crearetur creaverat genitricem.

CAP. III. *Verbum non solum in virgine caro factum est, sed etiam ex virgine.* — 5. Si autem Deus Verbum sic in virgine caro fieret, ut ex ea non fieret, procul dubio non de carne matris idem Deus haberet substantiam carnis, essetque ejus per virginem transitus, atque ita nec mediatoris sacramentum nobis proficeret ad salutem, nec humanæ diviniæque plenam in se Christus Dei Filii inconfusibiliter uniret substantiæ veritatem. Hoc ergo medicinaliter usa est bonitas divina remedio, ut ille Unigenitus Deus, qui est in sinu Patris, non solum in muliere, sed etiam ex muliere fieret homo. Quod indubitanter divinis credere atque confiteri (al. profiteri) jubemur oraculis. In ea quippe Deum hominem factum propheta non tacuit, dicens : *Mater Sion dicet : Homo et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* (Psal. LXXXVI, 5). Esaias quoque Spiritu sancto plenus, futuræ incarnationis Filii Dei sic præsummat sacramentum : *Ecco virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur Nobiscum Deus* (Isa. vii, 14; Matth. i, 23). Quia ergo ille quem in utero virgo concepit et pepe-

^a Ms., et Deus erat, editi, et Deus Verbum erat.

^b Editi, quod nefas est, ms. vero, quod dictu nefas

est.

^c Sic ms.; at editi. de matre vero Deus.

rit, *Nobiscum Deus vocatur*, Deus utique in utero virginis conceptus, natusque cognoscitur. In Evangelio quoque dicitur de Maria: *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* (*Ibid.*, 18). Joseph etiam, quem virum Maria non ad concubitum corruptelamque carnis, sed ad testimonium custodiamque sacre virginitatis et castissimæ secunditatis habuit, angelico sic admonetur oraculo: *Joseph fili David, ne timeas accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est* (*Ibid.*, 20). Ex ipsa quoque factus cœlestibus demonstratur eloquiis; dicit enim Apostolus: *Postquam autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege* (*Gal. iv, 4*). Romanis etiam scribens, ut verum firmumque ponere se demonstraret fundamentum fidei, epistolæ suæ tale collocavit exordium: *Paulus servus Jesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos, in Scripturis sanctis de Fñio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom. i, 4, 2*). Timotheo quoque dilecto filio in fide, principaliter hujus fidei sollicita commendat affectione memoriam, dicens: *Memor esto Christum Jesum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum Evangelium meum* (*II Tim. n, 8*). Ad ipsam quoque beatam virginem, futuram scilicet creatoris sui, imo omnium rerum, genitricem, Gabriel angelus hoc usus invenitur alloquio (*al. eloquio*): *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei* (*Luc. i, 35*).

6. Ad hoc pertinet salutis nostræ mysterium, quod pater noster Abraham dispensatoreni domus suæ præcepit sub ejus femore manum ponere, et jurare per Deum cœli (*Genes. xxiv, 2*). Quod non nisi prophético ^a spiritu fecisse credendus est, tunc scilicet quando omnia in figura contigisse Vas electionis insinuat (*I Cor. x, 17*). Illud igitur ideo sanctus Abraham pater gentium **290** fecit, non quia carni suæ credebatur aliquid jam esse cum Deo cœli naturale consortium, sed ut ostenderet Deum cœli ex ea carne nasciturum hominem quæ (*al. qui*) de semine ipsius Abraham propagini duceret veritatem. Unus est igitur Christus Dei Filius in natura divinitatis et carnis, in quo singularitas personalis non confundit humanam divinamque naturam, et inconfusa unio naturarum non facit geminam inesse personam: veritas enim propterea nostræ reconciliationis permanet et salutis, quia et Deus Unigenitus verus homo pro nobis est factus, et idem homo non alius conceptus et natus est quam Unigenitus Deus.

7. Beata igitur Maria Deum Verbum, secundum quod caro factum est, et concepit et peperit: cujus utero Verbum Deus non carnem in qua conciperetur intulit; nec ex ea materiam conceptæ sive formatæ carnis non ipse Deus concipiendus, sed tantum nasciturus assumpsit; sed ex eadem et in eadem vir-

^a Non legitur in editis vox *prophético*, legitur in ms.

^b Sic ms., at edd., *ac cum morte*.

A gine humanæ carnis naturam, secundum quam temporaliter Deus sempiternus conciperetur et nasceretur, accepit. Ipsa quippe acceptio carnis fuit conceptio virginalis: neque enim in utero sanctæ illius et matris et virginis illa spiritalis et ex Deo Patre sine initio genita Verbi Dei natura poterat absque carne temporaliter concipi, sicut nec caro sine Verbi Dei unitione potuit aliquatenus, nullius viri coitu seminata, in intimo vulvæ virginalis innasci. Hanc ergo carnem tunc ex se natura virginis concipientis exhibuit, cum in eam Deus concipiendus advenit. Non est igitur aliquod intervallum temporis æstimandum inter conceptæ carnis initium et concipiendæ majestatis adventum. Una quippe fuit in utero Mariæ Virginis conceptio divinitatis et carnis, et unus est Christus Dei Filius in utraque natura conceptus, ut maculam vitiatæ propaginis inde inciperet abolere, unde in unoquoque naturalium videbatur existere.

CAP. IV. *Ad delendum origines peccatum, Dei Filius humanam sibi naturam immaculatam immaculatus univit.* — 8. Nam quia omnes homines ex coita maris feminæque nascentes ipsius conceptionis exordium originalis peccati habent contagione respersum, quia peccatum quod primus homo, cum esset natura bonus,

diabolica malignitate seductus aduersit in posteros quoque cum pœna, hoc est cum morte ^b, transiit (quod in veritate sanctus David enuntiât, dicens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit mater mea* [*Psal. l, 7*]); necessarium utique admodum fuit ut misericors Dominus et justus, iniquitatis

C humanæ vestigia deleturus, in ipso conceptu sibi humanam naturam dignaretur immaculatam immaculatus unire, ubi eam consueverat per inflicta peccati originalis maculam suæ parti dominioque diabolus vindicare. Naturæ igitur humanæ, cujus veritatem plenitudinemque Deus, Unigenitus assumere voluit conceptum quoque ejus nativitatemque suscepit. Abait enim ut quisquam catholicus credat aut dicat quod Unigenitus Deus, suo nos sanguine redempturus in ea carne qua ideam Deus factus est homo, respuerit humanæ conceptionis initia, cum in eadem carne Deus ipse immortalis permanens humanæ mortalitatis esset passurus **291** extrema. Sicut enim carne moriens incommutabilem atque inamissibilem naturalem sui statum Deus verus vivusque non perdidit; sic idem Deus immensus ^c naturaliter et æternus cum parva carne conciperetur, immensitate naturali non caruit; et cum temporaliter carne nasceretur, æternitatem naturalem, in qua de Patre atque in Patre sempiternus Deus est, non amisit: quia vita illa suum voluit esse quem in carne suscepit obitum, et æternitas illa suum habuit in matre conceptum.

9. Verbum igitur Deus, id est Unigenitus Dei Filius, qui est in omnibus (sicut ipse testatur) *alpha et omega, initium et finis* (*Apoc. i, 11*), sic initialiter secundum humanam naturam concipi carne non abnuit, sicut eadem carne moriens Deus humanæ na-

^c Editi, *universus... universitate*; ms. *immensus... immensitate*.

turæ debitum finale persolvit. Nullatenus namque humana natura ad aufrendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi in unionem Verbi Dei ^a, non naturali confusione, sed solum personali unitate transiret: Verbum quippe cum caro fieret, unitione mirabili suam naturam fecit quam ex nobis accepit. In qua tamen unitione deifica et omnino mirabili Verbi divinitas mutata non est in carnem, veraque Verbi humanitas naturalem prorsus tenuit nostri generis veritatem. Virgo igitur (quod sæpe commemorandum est) ipsum Deum Verbum, secundum hoc quod in ea caro factum est, et concepit et peperit, et illum Unigenitum Deum, virtutem scilicet et sapientiam Dei, candorem lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imaginem bonitatis illius (Sap. vii, 26). splendorem gloriæ, et figuram substantiæ ejus, quem sine ullo initio de sua natura sempiternum atque incommutabilem genuit incommutabilis ac sempiterna divinitas Patris, eundem in humana natura totum plenumque Deum et hominem initialiter concepit, et peperit uterus virginalis.

CAP. V. *Deus et homo in Christo non duas personas, sed duas naturas sine confusione significant.* — 10. Cum autem Dominum Christum Deum hominemque dicimus, non personalem dualitatem, sed utriusque naturæ unitiorem verissimam sine ulla facta confusione monstramus. Idem quippe Deus qui homo, idem homo qui Deus est: quia sic Deo Verbo mirabiliter unita est humana natura, ut ipse verus Deus verus homo fieret, alteram vero personam incarnati Verbi vera humanitas non haberet. Accessit enim Deo humana substantia, non persona. Deus itaque cum sua carne unus est Christus, Filius Dei et filius hominis, idem Verbum simul et caro, imo idem Verbum caro ^b, quia idem Deus et homo.

CAP. VI. *Non est Deus in Christo, sicut in patriarchis et prophetis. Caro Mariæ caro peccati fuit.* — 11. Non autem sic Deus Verbum carnem accepit, ut caro non fieret, cum evangelista dicat: *Verbum caro factum est* (Joan. 1, 14). Neque naturam carnis ita Deus summas atque immensas ^c assumpsit, ut tanquam in uno de patriarchis aut prophetis, in illo quidem homine Deus esset, sed idem Deus homo non esset. Absit ut hoc Christiana conscientia teneat, aut se quisquam fidelium profanari tanta impietate permittat. 292 Cum enim *Verbum caro factum est*, sic divinitas humanitatem sibi mirabiliter unire dignata est, ut, utriusque naturæ veritate servata, in uno eodemque Deo atque homine Christo pro vita mundi divina (et victima) fieret illa ejus humanitas. Deus enim non continens in ira misericordias suas (Psal. LXXVI, 10), ad hoc homo factus est, ut quidquid in homine creaverat integrum, idem Deus in se totum redintegraret assumptum.

12. Hoc itaque habuit Dei hominisque mirabilis quidem, sed verus ille secundum carnem conceptus et partus, quo Deum cæli virgo ineffabiliter concepit et peperit, et virgo genitrix inviolata permansit; illa scilicet *gratia plena et benedicta* ^d in mulieribus (Luc. 1, 28) veraciter ab angelo nuncupata; quod gratiæ prævenientis ope, atque opere Spiritus sancti superveniente in se, et virtute Altissimi obumbrante sibi, Deum Dei Filium conceptura, viri coitum nec pertulit omnino, nec voluit, sed virginitatem retinens et mentis et corporis, ab eo quem conceptura et paritura erat, donum incorruptæ secunditatis et secundæ integritatis accepit. Ita Deum Verbum secundum quod caro factum est, virgo sancta concepit, angelorum hominumque factorem, eundemque nihilominus virgo peperit hominum Redemptorem. Neque enim sancta Virgo Maria Deum sine carnis assumptione, aut carnem sine Dei unitiorem concepit, quia ille conceptus virginis Deo fuit carni que communis.

13. Hæc est gratia qua factum est ut Deus, qui venit peccata tollere, quia peccatum in eo non est, homo conciperetur atque nasceretur in similitudine carnis peccati, de carne peccati. Caro quippe Mariæ, quæ in iniquitatibus humana fuerat solemnitate concepta, caro fuit utique peccati, quæ Filium Dei genuit in similitudinem carnis peccati. Testatur enim Apostolus: *Quia misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati* (Rom. viii, 3): illum scilicet qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum ^e exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus (Philip. ii, 6, 7). Propterea vero in similitudine carnis peccati missus est Dei Filius, idemque est in similitudinem ^f hominum factus, ut et similis hominibus fieret in veritate carnis quam ipse creaverat, et dissimilitudinem nostram Deus in carne sine peccato creatus auferret, quam nostræ carni non ex opere suo, sed ex nostro peccato inesse cernebat. In similitudine igitur carnis peccati Dei Filius missus apparuit, quia in ejus vera humana carne non iniquitas hominis, sed mortalitas fuit. Similitudo vero carnis peccati cum in Dei Filio, vel potius Dei Filius in similitudine carnis peccati cum dicitur, credendum est Unigenitum Deum de Virginis carne mortali non traxisse peccati sordem, sed accepisse naturæ integram veritatem, ut veritatis ortus de terra existeret, quem prophetali sermone beatus David insinuat dicens: *Veritas de terra orta est* (Psal. xxiv, 12). Vere igitur Deum Verbum Maria concepit, quod in carne peccati peperit, quam Deus accepit.

CAP. VII. *Beata Virgo Deum et hominem concipere, non humanis meritis, sed Dei dignatione promeruit.* — 14. Sed ipsum Deum hominem factum et concipere et parere, non humanis meritis, sed concepti nascentis

^a Ita ms. et Basil.; at Lov. et Ant., *unione Verbi Dei.*

^b Verba hæc, imo idem Verbum caro, quæ leguntur in edd. absunt a ms.

^c Edd., *universus*; ms., *immensus.*

^d Edd., *beata*; ms., *benedicta.*

^e Edd., et *semetipsum*; ms., *sed semetipsum*, juxta Apostoli textum.

^f Editi, *idem qui in similitudine*; sed melius legitur in ms., *idemque est in similitudinem.*

tisque ex ea summi Dei dignitate **293** promeruit. Nisi enim Verbum Deus humanam sibi uniens singulariter naturam ex virgine homo verus nasceretur, et plenus, nunquam nobis carnaliter natis spiritaliter ex Deo * nascendi conferretur exortus : sed ut carnalibus donaretur divina nativitas, prius concepta et nata est in veritate carnis Unigeniti Filii divina majestas. Longe enim erat (at. fuit) a peccatoribus salus (*Psal. cxviii, 155*) : et iniquitates nostræ magna nos a Deo separatione disjunxerant (*Isa. lix, 2*). Et quia in ipsa nativitate carnis nostræ, mortis vinculo tenebamur obstricti, a quo solius beneficio spiritalis nativitatis possemus absolvi, Deus natus est ex homine, ut homines nascerentur ex Deo. Ideo namque Christus Filius Dei, id est verus Deus et vita æterna, natus et mortuus est in veritate carnis, ut nos spiritaliter in uno Trinitatis nomine renasceremur in sacramento baptismatis. Hoc docet Apostolus, dicens: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus* (*Rom. vii, 3*).

15. Christi ergo Filii Dei prima nativitas ex Deo, secunda ex homine : nostra vero prima nativitas ex homine, secunda ex Deo. Et quia Deus nasciturus ex utero veritatem carnis accepit, ideo nobis renatis in baptismo spiritum adoptionis indulsit. Ille quod ex prima nativitate natura non fuit, secunda nativitate per gratiam factus est, ut nos quod primæ nativitatis natura non fuimus, gratia secundæ nativitatis essemus. Sed Deus, ut ex homine nasceretur, gratiam nobis attulit, nos autem gratiam gratis accipimus ^b, ut divinæ consortes nature, Dei ex carne nascentis munere, fieremus. Quia ergo Filius Dei factus est filius hominis, propterea, *quotquot receperunt eum* (sicut beatus Joannes evangelista testatur) *dedit eis potestatem filius Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan. i, 13*). Si vero Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, post æternam nativitatem, quam ex æterno Patre Filius cœternus habet, secundam nativitatem sanctificandi ^c hominis gratia non susciperet, homo in iniquitatibus conceptus primæ nativitatis nexibus non careret. Sed quia, secundum beati Joannis eloquium, *in hoc apparuit Filius Dei, ut solvat opera diaboli* (*I Joan. iii, 8*) ; ille qui in prima nativitate, qua de Patris natura verus Deus est et vita æterna, nullum habet nativitatis initium, idem Deus ex virgine temporaliter sumpsit secundæ nativitatis exordium.

CAP. VIII. *Mors Christi secundum carnem utramque mortem in nobis destruxit. Nomine carnis totus homo intelligitur.* — 16. Ille itaque vivus sermo Dei, vitæ suæ statu incommutabiliter permanente, post primam nativitatem cum Patre de quo natus, una naturaliter vita est (quia *sicut habet Pater vitam in semetipso, sic*

dedit et Filio vitam habere in semetipso [*Joan. v, 26*]) ; idem ipse Dei Filius in natura carnis per gratiam pro mortuis natus est ad mortem, ut nos post mortem primæ nativitatis quam habemus ex carne, in gratia Spiritus renasceremur ad vitam. Sed Deus verus et vivus, imo Deus veritas et vita æterna, nisi idem verus homo fieret, mortem gustare non posset, et idem homo qui mortem gustavit, si verus **294** Deus et vita æterna non esset, mortem vincere non valeret. EXCEPTO ENIM ILLO qui sic homo est, ut ^a non sit Deus, quis est homo qui morte ^d destruxerit mortem ? aut quis eruit animam suam de manu inferi (*Psal. lxxxviii, 49*) ? Profunde Unigenitus Deus verus et verus, secundum carnem quam ex nobis accepit, sicut conceptus et natus est, ita etiam mortuus resurrexit : quia *veniens querere et salvum facere quod perierat* (*Luc. xix, 10*), *traditus est propter delicta nostra* (*Rom. iv, 25*). Mors autem Filii Dei, quam sola carne suscepit, utramque in nobis mortem, animæ scilicet carnisque, destruxit ; et resurrectio carnis ejus etiam nobis et spiritalis et corporalis resurrectio attribuit ; ut, prius justificati per fidem mortis resurrectionis Filii Dei, resuscitemur ab infirmitate morte ; qua cum naturaliter essemus filii iræ, et ceteri (*Ephes. ii, 3*), tenebamur obstricti, et per ipsam resurrectionem, scilicet animarum, quæ nobis fide collata est, etiam ista carne in qua nunc vivimus resurgamus, nunquam denuo morituri. Nec ob aliud Deus verus et vita æterna mortem nostram dignatus est accipere destruendam, nisi ut nobis in ejus resurrectione credentibus vitam suam donaret sine fine mansuram. Dominus quoque gloriæ ideo contumeliam sustinuit crucis, ut gloriam suam donaret fidelibus suis, sicut ipse testatus est dicens : *Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi illis* (*Joan. xvii, 22*). Verbum igitur caro factum unus et plenus est Christus. Carnis autem nomine totus hic accipiendus est homo ^e, id est anima rationalis et caro. Christus enim Dei Filius, sicut veram et sine peccato accepit carnem nostram, sic veram et sine peccato accepit animam suam. Et carnem quidem nostram cum conditione humanæ mortalitatis induit, animam vero nostram cum infirmitatibus sine macula humanæ iniquitatis ^f accepit, ut divinitas Christi per suam virtutem in anima nostra infirmitates nostras portans, sine peccato justitiam custodiret, et per eam etiam ab ipsa carne sua mortalitatis supplicium dono resurrectionis auferret. Idem Christus surgens ex mortuis ^g jam non moritur ; mors illi ultra non dominabitur (*Rom. vi, 9*).

CAP. IX. *Secundum Scripturæ consuetudinem nomine carnis aut animæ sæpe totus homo intelligitur.* — 17. Quia vero familiare est divinis eloquiis vocabulum carnis simul in homine carnem atque animam nuncu-

^a Hæc verba *ex Deo* non leguntur in edd., sed habentur in ms.

^b Legendum forte *accepimus*, propter subsequentia verba ; edd. omnes et ms. habent *accipimus*.

^c Ms., *justificandi*.

^d Sic ms. ; at edd. non habent *morte*, leguntque

aut quis eruet.

^e Ms., *totus accipiendus est homo*.

^f Editi, *humanæ infirmitatis* ; sed rectius ms., *iniquitatis*.

^g Ms., *ex mortuis* ; editi, *a mortuis*.

pare, sicut scriptum est : *Effundam de spiritu meo super omnem carnem* (Joel. II, 28); et : *Videbit omnis caro salutare Dei* (Luc. III, 6); et : *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis* (Joan. XVII, 2); et : *Nisi brevitati fuissent dies illi, non salva fieret omnis caro* (Matth. XXIV, 22); ex hac utique consuetudine sic in Scripturis sanctis totus homo carnis appellatione dicitur, sicut ibidem rursus homo totus solius animæ nuncupatione monstratur. Abraham namque patriarchæ de terra sua, et de cognatione sua, et de domo patris præcepto atque auxilio Dei vocantis, egressus (Genes. XII, 1) (neque enim quod Deus jubebat, ullatenus parere posset, nisi eum ille qui præceperat adjuvasset) secum homines quos habuit ^a 295 migraturus, animas quas acquisierat in Charan descendente, septuaginta quinque animas in ejus comitatu fuisse Scripturâ sancta commemorat (Genes. XLVI, 27). Beatus etiam Petrus apostolus octo animas diluvii tempore per aquam fuisse salvatas (I Cor. III, 20). In Actibus quoque apostolorum, cum essent Judæi repentina mirandaque ejusdem beati Petri prædicatione compuncti, et mutatione dextere lapsi ad fidem ex infidelitate conversi, scriptum est quia *applicatæ sunt in illa die animæ circiter tria milia* (Act. II, 41). His itaque testimoniis agnoscitur et carnis solius et animæ nomine plerumque naturæ humanæ plenitudinem nuncupari. Verbum ergo caro factum unus et plenus est Christus; unus ex utraque atque in utraque, id est in humanâ divinitate natura, in quo sic utriusque naturæ prorsus initio gloriosa persistit, ut sive divinitati Christi humanitatem quis demat, sive humanitati divinitatem abstrahat, Christum sacrilega infidelitate et blasphemia blasphematione dissolvat. Joannes autem apostolus, testatur quia *omnis spiritus qui solvit Jesum ex Deo non est, et hic est Antichristus* (I Joan. IV, 3).

CAP. X. *Verbum, priusquam caro fieret, non erat Christus.* — 18. Illud vero quis facile Christianus aut ignoret aut dubitet, quod Verbum Deus priusquam caro fieret non fuit Christum, sed tantum Deus? Tunc autem idem Deus Verbum, quod semper in forma Dei erat, Christus esse cœpit, cum Deus semetipsum exinaniens formam servi absque diminutione plenitudinis naturalis accepit. Deus ergo factus est Christus, ut Christus esset Deus homoque perfectus : quia Verbum dignatum est caro fieri, ut caro posset Verbi, hoc est Dei, nomine nuncupari. Neque enim caro Christi, priusquam a Verbo susciperetur eadem caro, Christus fuit; neque ipsa caro, id est ipse homo, in se formam Dei viventis accepit; sed Deus, qui in forma Dei erat, formam servi accepit, et Deus æqualis Patri, *in similitudinem hominum factus, habitu est inventus ut homo* (Philip. II, 6, 7), et qui dives erat, propter nos pauper factus est, ut illius paupertate nos ditaremur (II Cor. VIII, 9).

A Verbum itaque caro factum unus est Christus; sed Verbum illud sine carne Deus æternus fuit, caro autem Christi sine Verbo non solum Christus aliquando non fuit, sed nec personaliter concepta fuit. Verbum ergo quod caro factum est, antequam caro fieret, mansit æternum, caro autem Verbi in ipso Deo Verbo personale sumpsit initium. Sed quia Verbum caro factum unus Christus est Dei et hominis Filius, nec alter est Verbum, alter est caro, sed idem unus Verbum caro; propterea idem unus est, qui initium non habet æternus Deus generatus ex Patre, et qui initium habet temporaliter secundum carnem, idem Deus homo creatus ex virgine, unus Unigenitus Dei Filius ex æternitate divinitatis, et ex initio carnis. Ex æternitate scilicet divinitatis, creator visibilium invisibiliumque rerum; ex initio autem carnis, salvum faciens populum suum a peccatis eorum. Ex æternitate divinitatis idem coæternus Patri, de quo natus est semper vivus; ex initio autem carnis idem posterior matre, de qua temporaliter natus est in tempore moriturus. 296 Testatur enim Apostolus *Quia Christus secundum tempus pro impiis mortuus est* (Rom. V, 6).

18 bis. Igitur non Trinitas, id est, non simul Pater et Filius et Spiritus sanctus, nec solus Pater, aut solus Spiritus sanctus; id est, non ille qui Filium genuit, nec ille qui de Patre procedit, sed solus Filius, id est ille quem in unitate naturæ Pater coæternum sibi Filium et coæqualem genuit, id est una ex Trinitate persona Christus Dei Filius unicus, ut nos salvos faceret, carne conceptus et natus est de ventre Virginis matris, qui verus et summus Deus est ex utero Dei Patris. Non Trinitas, sed Unigenitus a Patre Christus Dei Filius, carne parvulus fuit, et carne crevit. Quem perfectus atque immensus Pater, per unitatem divinitatis, æqualem suæ perfectioni atque immensitati cognoscit. Non Trinitas, sed *via, veritas et vita* (Joan. XIV, 6), Christus Dei Filius per curricula temporum, ab infantia usque ad perfectam juventutem, humanas ætates carne misericorditer transcurrit, qui permanens in unitate paternæ naturæ sempiternus, sæcula mirabiliter fecit, et incommutabilis temporum mutabilitates instituit. Non Trinitas, sed splendor paternæ gloriæ Christus, pro nobis est carne passus, qui de Patre Deo solus natus est impassibilis Deus. Ipsum utique, quod dubitandum non est, Christum Filium Dei pro nobis mortem carne gustasse, salva immortalitate divinitatis ejus, veraciter credimus, quem verum Dei Patris Filium, verumque Deum, et vitam æternam prædicatione veridica sancti apostoli Joannis audimus (I Joan. V, 20). Non Trinitas, sed Verbum caro factum Christus Dei Filius, eadem carne qua crucifigi et mori dignatus est, resurrexit, qui de sepulcro eandem carnem suam, vita permanens, suscitavit. Non Trinitas, sed Christus qui est super omnia Deus, videntibus eum discipulis, carne in cœlum, carne de

^a Basil., quos amavit; cæteri, habuit.

^b Ita ms.; at edd. præter Basil., in ipsum Deum Verbum.

^c Edd., universus.

^d Hæc verba Non Trinitas, sed aberant ab editis legebantur autem in ms.

tisque ex ea summi Dei dignatione **293** promeruit. Nisi enim Verbum Deus humanam sibi uniens singulariter naturam ex virgine homo verus nasceretur, et plenus, nunquam nobis carnaliter natis spiritualiter ex Deo ^a nascendi conferretur exortus: sed ut carnalibus donaretur divina nativitas, prius concepta et nata est in veritate carnis Unigeniti Filii divina majestas. Longe enim erat (*ad. fuit*) a peccatoribus salus (*Psal. cxviii, 155*): et iniquitates nostræ magnas a Deo separatione disjunxerant (*Isa. lix, 2*). Et quia in ipsa nativitate carnis nostræ, mortis vinculo tenebamur obstricti, a quo solius beneficio spiritualis nativitatis possemus absolvi, Deus natus est ex homine, ut homines nascerentur ex Deo. Ideo namque Christus Filius Dei, id est verus Deus et vita æterna, natus et mortuus est in veritate carnis, ut nos spiritualiter in uno Trinitatis nomine renasceremur in sacramento baptismatis. Hoc docet Apostolus, dicens: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus* (*Rom. vii, 3*).

15. Christi ergo Filii Dei prima nativitas ex Deo, secunda ex homine: nostra vero prima nativitas ex homine, secunda ex Deo. Et quia Deus nasciturus ex utero veritatem carnis accepit, ideo nobis renatis in baptismo spiritum adoptionis indulsit. Ille quod ex prima nativitate natura non fuit, secunda nativitate per gratiam factus est, ut nos quod primæ nativitatis natura non fuimus, gratia secundæ nativitatis essemus. Sed Deus. ut ex homine nasceretur, gratiam nobis attulit, nos autem gratiam gratis accipimus ^b, ut divinæ consortes natura, Dei ex carne nascentis munere, fieremus. Quia ergo Filius Dei factus est filius hominis, propterea, *quotquot receperunt eum* (sicut beatus Joannes evangelista testatur) *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan. i, 13*). Si vero Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, post æternam nativitatem, quam ex æterno Patre Filius æternus habet, secundam nativitatem sanctificandi ^c hominis gratia non susciperet, homo in iniquitatibus conceptus primæ nativitatis nexibus non careret. Sed quia, secundum beati Joannis eloquium, *in hoc apparuit Filius Dei, ut solvat opera diaboli* (*1 Joan. iii, 8*); ille qui in prima nativitate, qua de Patris natura verus Deus est et vita æterna, nullum ^d habet nativitatis initium, idem Deus ex virgine temporaliter sumpsit secundæ nativitatis exordium.

CAP. viii. *Mors Christi secundum carnem utramque mortem in nobis destruxit. Nomine carnis totus homo intelligitur.* — 16. Ille itaque vivus sermo Dei, vitæ suæ statu incommutabiliter permanente, post primam nativitatem cum Patre de quo natus, una naturaliter vita est (quia sicut habet Pater vitam in semetipso, sic

dedit et Filio vitam habere in semetipso [*Joan. v, 26*]); idem ipse Dei Filius in natura carnis per gratiam pro mortuis natus est ad mortem, ut nos post mortem primæ nativitatis quam habemus ex carne, in gratia Spiritus renasceremur ad vitam. Sed Deus verus et vivus, imo Deus veritas et vita æterna, nisi idem verus homo fieret, mortem gustare non posset, et idem homo qui mortem gustavit, si verus **294** Deus et vita æterna non esset, mortem vincere non valeret. EXCEPTO ENIM ILLO qui sic homo est, ut idem sit Deus, quis est homo qui morte ^d destruxerit mortem? aut quis eruit animam suam de manu inferi (*1 sal. lxxxviii, 49*)? Proinde Unigenitus Deus vivus et verus, secundum carnem quam ex nobis accepit, sicut conceptus et natus est, ita etiam mortuus resurrexit: quia veniens *querere et salvum facere quod perierat* (*Luc. xix, 10*), *traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom. iv, 25*). Mors autem Filii Dei, quam sola carne suscepit, utramque in nobis mortem, animæ scilicet carnisque, destruxit; et resurrectio carnis ejus gratiam nobis et spiritualis et corporalis resurrectionis attribuit; ut, prius justificati per fidem mortis ac resurrectionis Filii Dei, resuscitemur ab infidelitatis morte; qua cum naturaliter essemus filii iræ, sicut et cæteri (*Ephes. ii, 3*), tenebamur obstricti, et post primam resurrectionem, scilicet animarum, quæ nobis in fide collata est, etiam ista carne in qua nunc vivimus resurgamus, nunquam denuo morituri. Nec ob aliud Deus verus et vita æterna mortem nostram dignatus est accipere destruendam, nisi ut nobis in ejus resurrectione credentibus vitam suam donaret sine fine mansuram. Dominus quoque gloriæ ideo contumeliam sustinuit crucis, ut gloriam suam donaret fidelibus suis, sicut ipse testatus est dicens: *Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi illis* (*Joan. xvii, 22*). Verbum igitur caro factum unus et plenus est Christus. Carnis autem nomine totus hic accipiendus est homo ^e, id est anima rationalis et caro. Christus enim Dei Filius, sicut veram et sine peccato accepit carnem nostram, sic veram et sine peccato accepit animam suam. Et carnem quidem nostram cum conditione humanæ mortalitatis induit, animam vero nostram cum infirmitatibus sine macula humanæ iniquitatis ^f accepit, ut divinitas Christi per suam virtutem in anima sua infirmitates nostras portans, sine peccato justitiam custodiret, et per eam etiam ab ipsa carne sua mortalitatis supplicium dono resurrectionis auferret. Ideo *Christus surgens ex mortuis et jam non moritur; et mors illi ultra non dominabitur* (*Rom. vi, 9*).

CAP. ix. *Secundum Scripturæ consuetudinem nomen carnis aut animæ sæpe totus homo intelligitur.* — 17. Quia vero familiare est divinis eloquiis vocabulo carnis simul in homine carnem atque animam nuncu-

^a Hæc verba ex Deo non leguntur in edd., sed habentur in ms.

^b Legendum forte accepimus, propter subsequentia verba; edd. omnes et ms. habent accipimus.

^c Ms., justificandi.

^d Sic ms.; at edd. non habent morte, leguntque

aut quis eruet.

^e Ms., totus accipiendus est homo.

^f Editi, humanæ infirmitatis; sed rectius ms., iniquitatis.

^g Ms., ex mortuis; editi, a mortuis.

pare, sicut scriptum est : *Effundam de spiritu meo super omnem carnem* (Joel. II, 28); et : *Videbit omnis caro salutare Dei* (Luc. III, 6); et : *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis* (Joan. XVII, 2); et : *Nisi breviate fuissent dies illi, non salva fieret omnis caro* (Matth. XXIV, 22); ex hac utique consuetudine sic in Scripturis sanctis totus homo carnis appellatione dicitur, sicut ibidem rursus homo totus solius animæ nuncupatione monstratur. Abraham namque patriarcha de terra sua, et de cognatione sua, et de domo patris sui, præcepto atque auxilio Dei vocantis, egrediens (Genes. XII, 1) (neque enim quod Deus jubebat, ullatenus implere posset, nisi eum ille qui præceperat adjuvaret); cum secum homines quos habuit ^a 295 duceret exiturus, animas quas acquisierat in Charan secum tulisse narratur. Jacob quoque in Ægyptum descendente, septuaginta quinque animas in ejus comitatu fuisse Scripturâ sancta commemorat (Genes. XLVI, 27). Beatus etiam Petrus apostolus octo animas dicit diluvii tempore per aquam fuisse salvatas (I Petr. III, 20). In Actibus quoque apostolorum, cum fuissent Judæi repentina mirandaque ejusdem beati Petri prædicatione compuncti, et mutatione dexterae Excelsi ad fidem ex infidelitate conversi, scriptum est : quia *applicatae sunt in illa die animæ circiter tria millia* (Act. II, 41). His itaque testimoniis agnoscimus et carnis solius et animæ nomine plerumque naturæ humanæ plenitudinem nuncupari. Verbum ergo caro factum unus et plenus est Christus; unus ex utraque atque in utraque, id est in humana divinaque natura, in quo sic utriusque naturæ prorsus unio gloriosa persistit, ut sive divinitati Christi humanitatem quis demat, sive humanitati divinitatem detrahat, Christum sacrilega infidelitate et blasphemia prædicatione dissolvat. Joannes autem apostolus, plenus veritate, testatur *quia omnis spiritus qui solvit Jesum ex Deo non est, et hic est Antichristus* (I Joan. IV, 3).

CAP. X. *Verbum, priusquam caro fieret, non erat Christus.* — 18. Illud vero quis facile Christianus aut ignoret aut dubitet, quod Verbum Deus priusquam caro fieret non fuit Christus, sed tantum Deus? Tunc autem idem Deus Verbum, quod semper in forma Dei erat, Christus esse cœpit, cum Deus semetipsum exinaniens formam servi absque diminutione plenitudinis naturalis accepit. Deus ergo factus est Christus, ut Christus esset Deus homoque perfectus : quia Verbum dignatum est caro fieri, ut caro posset Verbi, hoc est Dei, nomine nuncupari. Neque enim caro Christi, priusquam a Verbo susciperetur eadem caro, Christus fuit; neque ipsa caro, id est ipse homo, in se formam Dei viventis accepit; sed Deus, qui in forma Dei erat, formam servi accepit, et Deus æqualis Patri, in similitudinem hominum factus, habitus est inventus ut homo (Phillip. II, 6, 7), et qui dives erat, propter nos pauper factus est, ut illius paupertate nos ditaremur (II Cor. VIII, 9).

^a Basil., quos amavit; cæteri, habuit.

^b Ita ms.; at edd. præter Basil., in ipsam Deum Verbum.

A Verbum itaque caro factum unus est Christus; sed Verbum illud sine carne Deus æternus fuit, caro autem Christi sine Verbo non solum Christus aliquando non fuit, sed nec personaliter concepta fuit. Verbum ergo quod caro factum est, antequam caro fieret, mansit æternum, caro autem Verbi in ipso Deo Verbo ^b personale sumpsit initium. Sed quia Verbum caro factum unus Christus est Dei et hominis Filius, nec alter est Verbum, alter est caro, sed idem unus Verbum caro; propterea idem unus est, qui initium non habet æternus Deus generatus ex Patre, et qui initium habet temporaliter secundum carnem, idem Deus homo creatus ex virgine, unus Unigenitus Dei Filius ex æternitate divinitatis, et ex initio carnis. Ex æternitate scilicet divinitatis, creator visibilium invisibiliumque rerum; ex initio autem carnis, salvum faciens populum suum a peccatis eorum. Ex æternitate divinitatis idem coæternus Patri, de quo natus est semper vivus; ex initio autem carnis idem posterior matre, de qua temporaliter natus est in tempore moriturus. ^c 296 Testatur enim Apostolus *Quia Christus secundum tempus pro impiis mortuus est* (Rom. V, 6).

18 bis. Igitur non Trinitas, id est, non simul Pater et Filius et Spiritus sanctus, nec solus Pater, aut solus Spiritus sanctus; id est, non ille qui Filium genuit, nec ille qui de Patre procedit, sed solus Filius, id est ille quem in unitate naturæ Pater coæternum sibi Filium et coæqualem genuit, id est una ex Trinitate persona Christus Dei Filius unicus, ut nos salvos faceret, carne conceptus et natus est de ventre Virginis matris, qui verus et summus Deus est ex utero Dei Patris. Non Trinitas, sed Unigenitus a Patre Christus Dei Filius, carne parvulus fuit, et carne crevit. Quem perfectus atque immensus ^e Pater, per unitatem divinitatis, æqualem suæ perfectioni atque immensitati cognoscit. Non Trinitas, sed *via, veritas et vita* (Joan. XIV, 6), Christus Dei Filius per curricula temporum, ab infantia usque ad perfectam juventutem, humanas ætates carne misericorditer transcurrit, qui permanens in unitate paternæ naturæ sempiternus, sæcula mirabiliter fecit, et incommutabilis temporum mutabilitates instituit. Non Trinitas, sed splendor paternæ gloriæ Christus, pro nobis est carne passus, qui de Patre Deo solus natus est impassibilis Deus. Ipsum utique, quod dubitandum non est, Christum Filium Dei pro nobis mortem carne gustasse, salva immortalitate divinitatis ejus, veraciter credimus, quem verum Dei Patris Filium, verumque Deum, et vitam æternam prædicatione veridica sancti apostoli Joannis audimus (I Joan. V, 20). Non Trinitas, sed Verbum caro factum Christus Dei Filius, eadem carne qua crucifigi et mori dignatus est, resurrexit, qui de sepulcro eandem carnem suam, vita permanenti, suscitavit. Non Trinitas, sed ^d Christus qui est super omnia Deus, videntibus eum discipulis, carne in cœlum, carne de

^e Edd., universus.

^d Hæc verba Non Trinitas, sed aberant ab editis legebantur autem in ms.

cælo venturus, ascendit: qui nec deseruit cælum cum in terra carnem accepit, et carne conscendens in cælum suos in terra divinitate non deseruit (*al. deseruit*). Hoc enim promisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Math. xxviii, 20*). Deus ergo ille qui in forma Dei, secundum beati Hieremiæ vaticinium, *Magnus est, et non habet finem, excelsus et immensus*; de quo etiam paulo post idem propheta dicit: *Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius ad eum: adinvenit^a omnem viam disciplinæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo* (*Baruch, iii, 36, 37*): ipse, secundum formam servi, in qua minoratus est paulo minus ab angelis, *Post hæc*, sicut idem propheta dicit, *in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Ibid., 38*). Ipsum hominem mortalem atque mutabilem infideles viderunt, quem Deum naturaliter immortalem atque incommutabilem illi mundo corde visuri sunt, qui nunc in eum veraciter credunt. Fides enim vera nunc corda hominum mundat, quæ capacia videndo Deo gloria futuræ resurrectionis exhibeat^b.

297 CAP. XI. *Vera fides unum eundemque Christum, verum Deum et verum hominem credit. Romana Ecclesia mundi cacumen.* — 19. Quæ est autem vera fides, nisi unum eundemque Christum verum Deum verumque hominem sine aliqua hæsitacione credere; unum eundemque de Patre Deo secundum divinitatem, et de Virgine Maria secundum carnem, genitum prædicare? Apostolica quippe testatur auctoritas quia unus idemque est Christus *ex patribus secundum carnem*, qui est *super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom. ix, 5*); unus idemque *crucifixus ex infirmitate, sed vivens ex virtute Dei* (*I Cor. xiii, 4*); unus idemque et (*al. est*) faciens in hominibus virtutes, et sustinens pro hominibus passiones: quia cum miracula secundum divinitatem faceret Christus Dei Filius, in eodem Deo fuit passibilis humanitas sua; et cum pateretur secundum carnem idem Christus Dei Filius, in eodem homine fuit impassibilis divinitas sua. Quia igitur in Christo Dei unigenito Filio personam non dividunt propria naturarum, neque unitas personæ potest utriusque naturæ propria confundere vel auferre; quia ille qui se esse veritatem naturaliter dicit, utrumque in se uno, manente naturali veritate, servavit; propterea neque in passionibus ab illa humanitate Christi divinitatem suam impassibilem sejungimus, neque ab illa divinitate humanitatem suam ullatenus separandam in virtutibus æstimamus. Neque ergo dividimus, neque confundimus in virtutibus et passionibus Christum, quem Filium Dei vivi, revelante Patre, beatus Petrus confessus est, cum se tamen prius filium hominis veraciter Christus ipse dixisset (*Math. xvi, 16*). Ideo verum Christum in

passionibus atque virtutibus nec confundit fides vera, nec dividit, quia personalis unitas in eo divisionem non recipit, et utriusque naturæ veritas inconflata persistit. *Traditus est enim Deus Christus propter delicta nostra*, quia verus homo est; et *resurrexit idem homo Christus propter justificationem nostram* (*Rom. iv, 25*), quia Deus verus est. Nisi enim idem verus Deus^d homo verus esset, tradi morique non posset; et idem verus homo, si verus Deus non esset, resuscitare semetipsum solutis inferni doloribus nequivisset. Sed quia non est alter Deus, alter homo, sed idem unus est Christus Deus et homo, profecto idem Deus Christus est qui mortem sua carne suscepit, et idem homo Christus est qui mortem sua divinitate destruxit. Idem quippe Christus Dei Filius, qui divinitate mori non potuit, carne mortuus est, quam mortalem Deus immortalis accepit. Et idem Christus Dei Filius carne mortuus resurrexit, quia immortalitatem suæ divinitatis carne mortuus non amisit.

20. Hinc est quod etiam post resurrectionem suam sicut in cicatricibus veris, et in vera comestione piscis et mellis soliditatem in se veræ carnis edocuit, ita clausis foribus ingrediens, veram in se virtutem sempiternæ divinitatis ostendit: ut agnosceretur et naturalis fuisse Christi morientis infirmitas, et eidem resurgenti naturalis inesse majestas. Inde Thomas, dum injecta manu jubetur in latere mortui ac resurgentis Christi veritatem vulneris experiri, veram in illis cicatricibus patientis ac resurgentis virtutem divinitatis agnoscens, in quo **298** jubetur ut clavorum loca digitis tangat, ipsum Dominum ac Deum suum fidei confessione pronuntiat, dicens: *Dominus meus, et Deus meus!* Agnovit enim non alterum per naturalem divinitatis suæ virtutem resurrexisse in carne sua^e, nisi eum qui de natura Dei Patris Deus verus est, et vita æterna (*Joan. xx, 28*).

21. Hujus fidei nobis intimans veritatem ipse humani generis conditor ac redemptor, opifex nostræ particepsque naturæ, postquam veram in se carnem cicatricibus veris, veramque divinitatem virtute resurrectionis ostendit; ut unum eundemque se Deum et hominem credendum prædicandumque monstraret, simul in se divinam humanamque naturam unius Filii nomine nuncupavit dicens apostolis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Math. xxviii, 19*). Doctor igitur et largitor æternæ salutis hanc ideo formam sancti baptismatis dedit, ne quis in eodem Dei Filio naturas dividens, mortifero illaquearetur errore, si aut humanam Filii Dei naturam ab opere redemptionis humanæ alienam in sacramento baptismatis crederet, aut duas in Christo conflitando personas, non jam verax Trinitatis cultor, sed nefarius esset quaternitatis assertor, ac per hoc cum Patre et Spiritu sancto non Filium, sed filios coleret, quisquis in Christo unius

Deum genitum prædicare.

^d Habentur hæc verba *verus Deus* ex ms., non ex edd.

^e Ms., *in carne sua*; editi, *carne sua*.

^a Ms., *qui adinvenit*.

^b Locum hunc restituumus ex ms.; editi enim habebant *qua corda capacia videndo* (*Basil. reddendo*) *Deo gloriam futuræ resurrectionis exhibeat*.

^c Sic ms.; at excusi, *credere, unum eundemque...*

personæ repudiandam fidem aliquatenus æstimaret : A cum idem sit unus Filius in Trinitate cum Patre et cum Spiritu sancto Christus Jesus, qui mundum creavit et pro nobis sanguinem fudit. Propterea omnis qui in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti sacramento sanctæ regenerationis abluatur, non nisi in Christi morte ac nomine baptizatur, ut evidenter appareat illi nos consepultos esse per baptismum in morte (*Rom. vi, 4*), in cujus uno cum Patris et Spiritus sancti constat nomine baptizatos. Quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet Paulique, verbis, tanquam splendentibus radiis illustrata, eorumque decorata corporibus, ROMANA, QUÆ MUNDI CACUMEN EST, tenet et docet Ecclesia, totusque cum ea Christianus orbis, et ad justitiam nihil hæsitans credit, et ad salutem non dubitat confiteri. Nam beati Petri Judæis Filium Dei prædicantis hæc verba sunt : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum (Act. ii, 38)*. Beatus quoque Paulus, ut in morte Christi nos baptizatos firmissime crederemus, in ea quam Romanis scribit epistola, hoc salutis nostræ mysterium, tanquam in eminentissima cunctis ad videndum specula collocavit, dicens : *Quicumque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem* ^a (*Rom. vi, 5*).

22. Quisquis igitur duas asserere nititur in Christo personas, et tamen, secundum regulam ore atque imperio Domini constitutam, in uno se Patris et Filii et Spiritus sancti baptismum nomine constitetur ; aut evidentissima blasphemia se in morte Christi baptizatum neget, ut inimicus apostolicæ prædicationis appareat ; aut cultorem se non Trinitatis, **299** sed quaternitatis agnoscat. Si vero utriusque metuit impietatis abruptum, rectam catholicæ fidei teneat toto corde sententiam, nec se dubitet in Christi baptismum morte, in cujus est baptizatus et nomine. Unum quoque Patris et Filii et Spiritus sancti naturale nomen agnoscens, sequi in illius morte ac nomine baptismum esse considerans, de cujus latere sacramentum fontis et calicis manavit (*Joan. xix, 34*) pendens in cruce, illum pro nobis crucifixum agnoscat, quem Dei virtutem Deique sapientiam Paulus et credit et prædicat, dicens : *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam (I Cor. i, 23)*. Hoc est magnum pietatis sacramentum, quo scilicet Unigenitus Deus verus, homo verus dignatus est fieri, et æternus temporaliter nasci, et impassibilis pati, et incomprehensibilis crucifigi, et immortalis mori, et immensus non solum præsepis cum nasceretur, verum etiam sepulcri cum moreretur, parvitate concludi. Quæ omnia secundum veritatem carnis vera sunt in Dei Filio, quia manente in eo inconfusibiliter atque inseparabiliter humana divinaque

natura, una est Filii Dei Jesu Christi in utriusque naturæ veritate persona.

CAPUT XII. *Per Christum non solum deletur iniquitas, sed etiam cogitationis sanctæ recipitur facultas quam Deus primo homini in sua creatione contulerat.*

— 23. Sic humano generi gratuitam gratiam divina bonitas contulit, per quam in hominibus non solum propaginis obligatione contracta et vitio propriæ voluntatis adjecta deleteretur omnis iniquitas, quin etiam cogitationis sanctæ anissa pridem in homine primo per hominem secundum reciperetur facultas, ac sic homine Deo in carne (*al. carne*) pro hominibus mortuo ac resurgente captivaretur, quæ in nostro corpore regnante peccato consueverat dominari, captivitas, et ubi abundavit peccatum delinquentis hominis, superabundaret gratia Redemptoris (*Rom. v, 21*), atque ita hominis arbitrium, quod sub ditione peccati male liberum fuit, veræ salubrisque libertatis reciperet denuo statum, prævenientis gratiæ munere liberatum. De qua gratia Dei, non qua homines nascimur, sed cujus opere per fidem mediatoris vinculis peccati originalis atque actualis absolvimur, quantum possumus epistolari brevitate, ut etiam in hac quæstione interrogationi vel potius professioni vestræ responsio nostra non desit, ipsius gratiæ fulti juvenamine disseremus.

24. Quisquis igitur Christianæ religionis non vult inaniter, imo damnabiliter portare vocabulum, credat firmissime Deum nostrum, id est sanctam Trinitatem, quæ unus summus et verus est Deus, primo homini, quem ad suam imaginem gratuita bonitate bonum fecit, cui facultatem quoque suæ cognitionis ac dilectionis inseruit, non solum bonæ voluntatis donum, quin etiam ad habendam custodiendamque justitiam integrum sanumque creasse libertatis arbitrium : ut facultas atque motus inditæ libertatis si juvantem se gratiam Dei non desereret, præmium vitæ æternæ tribueret Dei bonitas homini ; si autem justitiam divinam contemnens a gratia excidisset, supplicium retribuere justitia peccatori. Proinde a dono justoque creatore illi homini, quem in corpore animali conditum ditavit intelligentiæ ac justitiæ dono, justa est utrinque statuta conditio, ut scilicet si obedientiam, quæ **300** prima virtus est, custodiret, ex animali, in qua creatus erat, corporis qualitate ad spiritalem immortalemque statum sine corporis morte (quia sine animæ iniquitate) transiret ; accipissetque divino munere, si præcepta servasset, non solum perfectam atque inamissibilem corporis immortalitatem, verum etiam in anima talem gratiam sanctæ justitæ vivendi, ut peccare deinceps omnino non posset, si non peccaret donec peccata potuisset.

25. Creatus ergo *primus homo de terra terrenus (I Cor. xv, 47)*, accepit quidem gratiam qua posset non peccare, ^b si vellet ; nondum tamen tantam acceperat gratiam, qua nec peccare vellet omnino, nec

^a Sic ms. juxta textum Apostoli ; edd. vero, in morte.

^b Sic ms. ; at edd., *quæ non posset peccare, si peccare nollit.*

posset : ut scilicet a bono justoque Domino post esset illud munere largiendum, si voluntarie fuisset hoc a servo prius in opere custoditum. Quod si bono justoque neglexisset obedire mandato, post mortem animæ quam delinquendo ipse sibi noxius intulisset, etiam per corporis mortem vitæ presentis multaretur (*al. mutaretur*) incommodo; nec tenere sineretur jugiter in carne peccati damnabilem vitam qui nolisset in corde servare justitiam; essetque pœnaliter etiam corporeæ mortis deinceps necessitate constrictus, qui, contumaciter salubria jussa transgrediens, spiritali morti sponte fuisset obnoxius. Nisi enim præcessisset in peccato mors animæ, nunquam corporis mors in supplicio sequeretur. Hoc apostolica docet auctoritas quæ ait : *Corpus quidem mortuum est propter peccatum* (*Rom. viii, 10*). Ideo post peccatum voluntaria prævaricatione commissum sententiam Dei punientis hoc audire meruit sermone peccator : *Terra es, et in terram ibis* (*Genes. iii, 19*). Homo igitur in terram carne non iret, si terra peccando non fleret.

CAPUT XIII. *Homo per peccatum facultatem bonæ cogitationis et bonæ voluntatis amisit. Initium bonæ voluntatis non nisi a Deo est.* — 26. Peccans itaque ille qui sine peccandi necessitate creatus est, in eo quod animæ sanitatem delinquendo perdidit, etiam illa cogitandi quæ ad Deum pertinent amisit protinus facultatem. Oblitus est enim manducare panem suum (*Psal. ci, 5*) et exspoliatus vestimento fidei, carnaliumque concupiscentiarum vulneribus sauciatus, sic jacuit oppressus ditione peccati, ut nullatenus ali-quod bonæ voluntatis initium habere potuisset, nisi hoc Deo gratis donante sumpsisset. Servus quippe factus peccati, liber factus est justitiæ (*Rom. vi, 18*); et ideo a justitia factus est alienus, quia (*al. qui*) sponte domino est iniquitatis addictus. Venundatus ergo sub peccato, cunctam in se prolem de carnis concubitu nascituram nexibus mortiferæ servitutis obstrinxit. Quod beatus Paulus evidenter his verbis insinuat : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom. v, 12*). Hoc in illo qui primus factus est patre orbis terrarum universi pertulimus, in quo omnes peccaverunt antequam nati essent, qui per seipsos peccare non potuerunt. Hinc factum est, ut jam filios iræ propagaret massa damnata, quæ in illius hominis posteros et iniquitatem simul transfudit et mortem, ut omnis qui per legem peccati (quam certum est mortalibus usque ad mortem inesse corporibus) de peccatoris semine nasciturus in ipso conceptionis exordio **301** excepisset peccati parentalis maculam, exinde sub jugo gravi quod est *super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium* (*Eccli. xl, 1*), ducturus esset ærumnosam infeliciter vitam, brevitati scilicet, peccato, mortique subjectam. Scriptum est enim :

* Verba hæc atque vita desunt in editis, habentur in ms.

Homo natus de muliere brevis vitæ, plenus iræ (*Job. xiv, 1*) : quæ ad secundam quoque mortem natum mortaliter traheret, si quem alienum a gratia Dei redemptoris vitæ hujus miserabilis obitus inveniret.

27. Ut ergo peccati originalis vinculo, quo per hominem primum tenebamur obstricti, miserantia Dei gratia solveremur, unus exstitit mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus (*I Tim. ii, 5*). Nam quia Deus immortalis et justus est, nos autem iniquos et mortales primi hominis transgressio fecerat, ut congrua nostris adhiberetur medela vulneribus, natus est de homine homo Unigenitus Deus, qui de Patre natus est immortalis et justus. Illic in humana natura, in qua mediator Dei et hominum factus est, justitiam habuit ex Patre, inortem ex matre; ut per ipsum liberaremur ab omni peccato, qui peccatum nec nascendo nec vivendo contraxit, et ab ipso acciperemus justitiam, per quam mortis æternæ vinculo solveremur, ut per eum et in hac vita justus, et post hanc vitam immortales esse possemus. Ipse igitur in similitudine carnis peccati mirabiliter, quia singulariter, natus, solus est masculus adaperiens vulvam qui in veritate sanctus Domino vocaretur. Vulvam quippe matris ejus non concupiscentia mariti concumbentis, sed omnipotentia Filii nascentis aperuit. Ideo solus est in quo princeps mundi hujus veniens nihil invenit, solus homo *sine adjutorio inter mortuos liber* (*Joan. xiv, 30*), solus qui non noverat peccatum (*Psal. lxxxvii, 5*); et ob hoc sufficit ut pro nobis peccatum fleret, id est sacrificium pro peccatis. *ut nos essemus justitia Dei in ipso* (*II Cor. v, 21*). Solus panis qui de cælo descendit, et dat vitam mundo (*Joan. vi, 33*): panis autem quem dat, caro ejus est pro mundi vita (*Ibid., 52*): caro utique justus atque immortalis Dei, cujus acceptione justitia atque vita confortur illi carni quæ nascitur cum pœna mortis et pollutione peccati.

CAPUT XIV. *Ex peccato primi hominis panem trahimus et culpam. Quicumque regnum Dei non ingreditur, pœnis æternis cruciatur.* — 28. Si qui ergo mortem solam et non etiam peccatum ex homine primo transiisse in genus humanum nituntur assorere, mirum si non intelligunt quibus sententiæ suæ laqueis obligentur. Primo, quia Deum dicunt injustum, in eo quod mori faciat parvulos, quos nulla volunt isti originalis peccati contagione pollutos, quosque manifeste constat infantili ætate aliquid actualis peccati propria non posse voluntate contrahere, cum mortem stipendium peccati Apostolus esse definiat (*Rom. vi, 23*), et rursus ænicum mortis dicat esse peccatum, quo utique pungente mors illata (*al. illigata*) est homini. Sic enim peccatum aculeus mortis dicitur, non quia peccatum per mortem, sed quia per peccatum mors in mundum intravit (*I Cor. xv, 56*): sicut virulentum poculum, mortis poculum dicitur, non quod a morte poculum detur, sed quod mors poculo illo ^b comparetur. **302** Qua igitur justitia

^b Editi, poculo illi; ms., illo; et quidem melius, ut patet.

parvulus subicitur peccati stipendio, si nulla est in eo peccati pollutio? Vel quomodo videmus morte punctum, si non sensit aculeum? Et cum non sit iniquitas apud Deum, qui fecit hominem ad imaginem suam, quæ justitia est, ut imago Dei, quæ nihil potuit per seipsam delinquere, si non redimatur sanguine Filii Dei, in regnum Dei non permittatur intrare; quo utique quisquis non ingreditur (al. ingreditur), interminabilibus ignis æterni pœnis cruciabitur? Qua igitur justitia Deus justus a infantibus sine peccato nascentibus ingerit pœnam, in quibus pœnæ non invenit causam? Hæcæ est creatoris Dei benignitas, ut imaginem suam creet, eamque sine ulla iniquitate condemnet, cum non sit iniquus Deus, qui infert (al. inferat) iram (Rom. iii, 5)? Si ergo nolunt in ipsius Dei contumeliam mortifera impietate versari, fateantur hominis primi in omnes homines cum morte transisse peccatum b.

CAPUT XV. Absurda quæ sequuntur eos qui negant infantes habere peccatum. — 29. Aliam rursus impietatem debent in hac sua videre ac vitare sententia. Dicentes enim parvulos ex Adam non trahere originale peccatum, negant eos profecto habere carnem peccati quos tamen humanam carnem habere non negant. Ex eo vero quod eossic humanam carnem habere non negant, ut eam esse carnem peccati negent, consequens est ut humanam carnem negent carnem esse peccati. Fatentur, Apostolo compellente c, quia misit Deus Filium suum in similitudinem d carnis peccati (Rom. viii, 3). Ad hoc igitur istos cæcitas impiæ professionis impellit, ut quia (al. qui) carnem humanam negant carnem esse peccati, Christum autem in similitudinem carnis peccati venisse non negant, ipsam Christi carnem non humanam esse, sed alterius naturæ sacrilega infidelitate conflant. Isti enim carnem in qua parvuli nascuntur humanam dicunt esse carnem, quam tamen esse carnem peccati negare contendunt; Christum autem in similitudine carnis peccati venisse pari nobiscum professione consentiunt. Aut igitur carnem Christi humanam esse non dicant, aut omnium hominum carnem, in cuius similitudinem Deus Filium suum misit, carnem peccati esse consentiant (al. consenserint). Quod cum fecerint, nullus remanebit labor quo eis peccatum carni parvulorum inesse monstretur. Si enim caro peccati non mendaciter dicitur, habet in se caro ipsa peccatum. Si vero peccatum non habet, falsum portat carnis peccati vocabulum. Sed eam de qua loquimur, carnem peccati verax discipulus Veritatis Paulus appellat. Restat igitur ut sicut vere caro est cum caro dicitur, ita vere in se peccatum habeat, cum caro peccati ore apostolico nuncupatur.

30. Sed forsitan dicent in illius carnis peccati similitudine missum Filium Dei, qualem habent homines qui propria voluntate peccare jam possunt,

unde caro eorum caro peccati non immerito nuncupatur; non quali carne parvuli sine aliqua peccandi voluntate nascuntur. Ubi non attendunt quia si caro parvulorum a carne majorum diversa qualitate fuisset, non nisi in similitudine e carnis parvulorum (quos nullum originaliter 303 dicunt habere peccatum) Deus advenisset. Magis enim similis esset caro Christi carni parvulorum, cum qua veritatem haberet substantiæ qualitatisque communem, quam carni hominum majorum, cum quibus illi communis esset sola carnis natura, non macula. Sed hoc illi forsitan volunt, ut caro Christi cum carne hominum majorum solam habuerit naturæ similitudinem, cum carne vero parvulorum munditiam quoque potuerit habere communem. Fateantur ergo parvulos in similitudine carnis peccati, quos asserunt nasci quidem in carne humana, sed originalis peccati contagio non polluta f. Quibus ostendendum est quanta eos etiam hic sequatur absurditas. Negantes enim in parvulis nascentibus originale peccatum, humanam eos carnem habere non negant, Filium autem Dei carnem humanam de virgine sine peccato accepisse concedunt: consequens igitur est ut inter carnem nascentis ex virgine Unigeniti Dei et cujuslibet alterius parvuli nihil distare fateantur. Unde conficitur ut omnes parvulos, quos nasci asserunt sine peccato, dicant non egere Salvatoris auxilio; atque ita laqueum Pelagiani erroris incurrunt, dum fidei catholicæ infideliter contradicunt. Si enim sine peccato infantes nasci asserunt, quid restat, nisi ut dicant nihil esse in eis quod debeat spiritali regeneratione mundari? Et si remonent peccati originalis maculam a nascentibus parvulis, quid aliud nituntur nisi divinæ veritati succensere mendacium, quando eos in remissionem peccatorum vident baptismatis accipere sacramentum? quod ideo uniformiter infantibus majoribusque confertur, ut omnibus originalis inesse peccati macula cognoscatur?

31. Quisquis igitur salutem veram sempiternamque desiderat adipisci, sensum hæreticæ pravitatis abijciens, quos cum pœna peccati natos videt, cum peccato quoque natos esse non dubitet: audiatque beatum Job dicentem: *Quia non est mundus a sordibus nec infans cujus unius diei vita est super terram* (Job xiv, 4, juxta LXX). Beati quoque David luctus pii cordis humilitate consideret, dicentis: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea* (Psal. l, 7). Sancto quoque Abrahamæ videat circumcisionis sacramentum non sine tremenda parvuli comminatione mandatum. Ibi quippe Deus fidelis et justus, qui non infert iram ubi culpam non invenit, patri nostro Abrahamæ sic loquitur: *Masculus qui non fuerit circumcisus carne* (al. carnem) *præputii sui octavo die, exterminabitur anima illa de populo suo; quia Testamentum meum transgressus est* (Genes. xii, 14). Quisquis itaque negat in parvulis secun-

a Abest justus a ms.

b Ms. sic habet; at editi, fateantur hominem primum in omnes homines cum morte transmisisse peccatum.

c Editi, Apostolum compellentem.

d Sic ms.; in editis autem, in similitudine.

e Ms. in similitudinem.

f Sic ms., at editi, sed originalis peccati negant contagio pollutos.

cum carnem nascentibus originale peccatum, dicat in quo potuit infans octo dierum Testamentum Dei transgredi, si non in illo transgressus est in quo omnes peccaverunt? Cum et antequam nascerentur asserat Apostolus ^a infantes nihil egisse boni vel mali (Rom. ix, 11); et videamus jam natos, non solum intra octavum diem nativitatis suæ (quo tunc tempore circumcidi jubebantur infantes), sed etiam post ipsum diem toto infantis suæ tempore in tantum non posse Testamentum Dei transgredi, ut eis nec ejusdem Testamenti cognitio valeat intimari.

304 32. An illo quisquam beati Pauli sermone in parvulis evacuare nititur originale peccatum, quo dicit regnasse mortem ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt, in similitudinem prævaricationis Adæ (Rom. v, 14)? Cui si fuerit illud econtrario replicatum, quod idem Apostolus ait: *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem* (Ibid., 18); quod paulo post exponens ait: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi* (Ibid., 19); et cum de Judæis atque Græcis loqueretur, generaliter intulit: *Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu* (Rom. iii, 23) ^b: nonne illico in magnas trudetur angustias, si non utrumque sensum secundum professionem catholicæ credulitatis acceperit; ut scilicet infantes propriis quidem operibus nihil deliquisse dicat, in illo autem primo homine omnes homines generaliter peccasse cognoscat?

CAP. XVI. A peccato originis non liberat nisi fides Redemptoris. Natura cæca sine lege peccat. — 33. Ab hoc peccato quod originaliter carnalis nativitas trahit neminem facultas naturalis, neminem littera sanctæ legis, sed sola fides eripit Jesu Christi Filii Dei, qui veniens (al. venit) quærere et salvum facere quod perierat (Luc. xix, 10), pro impiis mortuus est (Rom. v, 6), offerens semetipsum pro nobis (sicut Apostolus dicit) oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis (Ephes. v, 2). In hoc mediatore Dei et hominum, et humanæ naturæ status reparatus est, et implendæ legis est consummatus effectus (al. affectus): quia nec sibi ad virtutem sufficere ullatenus potuit naturalis infirmitas, quæ utique ex quo omnes dies nostri defecerunt, et in ira Dei defecimus (Psal. lxxxix, 9), lumine simul et virtute privata, in tantum cæca ^c sine lege peccat, ut peccare se nesciat. Propter quod dicitur: *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces* (Rom. vii, 7). Legalis quoque auditus non solum neminem de potestate tenebrarum eripuit, quin etiam peccatoribus cumulum prævaricationis adjecit. Sine gratia quippe fidei gravior lex agnita quam ignota condemnat. Ubi quantum igno-

rantia peccati minuitur, tantum reatus peccatoria augetur. Ideo Apostolus ait: *Lex enim iram operatur; ubi enim non est lex, nec prævaricatio* (Rom. iv, 15). Idem quoque dicit *Quia lex propter transgressionem posita est* (Galat. iii, 19) et, *Quia conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut justificatio ex fide Jesu Christi daretur credentibus* (Ibid., 22). Quomodo igitur de possibilitate ^d solius liberi arbitrii (si non præveniatur adjutorio gratiæ Dei, per quam bona voluntas reparatur et servatur in homine) natura tanto magis superba, quanto magis dominio peccati mortique subjecta, quantumcumque sibi bonæ voluntatis et operis exordium repromittit, quæ nec sana potuit Dei servare mandatum, nec vulnerata quantumcumque curationis sumpsit de lege remedium, sed insuper auxit mandati cognitione peccatum? *Lex enim subintravit, ut abundaret peccatum* (Rom. v, 20), de quo liberari nemo potest, nisi per Agnum Dei, qui tollit peccata mundi. De corpore **305** enim mortis hujus non liberum hominis arbitrium, neque legis sanctum, justum, bonumque mandatum; sed sola nos liberat gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. *Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit nos a lege peccati et mortis* (Rom. viii, 2).

CAP. XVII. Christus hominem liberat, non inveniendò fidem, sed dando. — 34. Liberavit autem non in quolibet homine fidem inveniendò, sed dando. Deus enim qui impium justificat, ipse infideli fidem, quæ per caritatem operatur, gratia suæ bonæ voluntatis inspirat. Unde quod ad bene cogitandi attinet facultatem, testatur Apostolus dicens, quia non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est (II Cor. iii, 5). Revera enim, secundum ejusdem Apostoli dictum, *Deus quibus voluerit dat penitentiam ad cognoscendam veritatem, ut respiciant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem* (I Tim. ii, 25). Unde ille apostolorum primus et digne beatus veritatis eloquio nuncupatus, de credulitate gentium loquens, Deum dixit fide mundasse corda eorum; et rursus ait eandem gratiam divinitus datam gentibus quam et ipsis (Act. xv, 9), ut crederent: ubi gratuitum gratiæ donum apostoli et majores natu in doctrina sancti Spiritus agnoverunt; omnesque unanimes uno ore in beati Petri sententiam transierunt, dicentes: *Ergo et gentibus Deus penitentiam ad vitam dedit* (Act. xi, 8). Nempe cum ipse Salvator noster propriæ vocis imperio humanam convenerit ^e voluntatem, dicens: *Pœnitementi et credite Evangelio* (Marc. i, 15); claret tamen quia ut homo in Deum credere incipiat, a Deo accipit pœnitentiam ad vitam, ita ut omnino credere non possit, nisi pœnitentiam dono Dei miserantis acceperit: quæ est autem pœnitentia hominis, nisi mutatio volunta-

^a Ms., cum et antequam nasceretur asserat eum Apostolus, etc.

^b Abest hic a ms. Domino nostro, et a textu Apostoli; legitur in editis.

^c Ita ms.; at editi, in tantum natura cæca.

^d Sic legitur in editis; at in ms. hæc præfertur

lectio, Quomodo igitur de possibilitate solvitur liberi arbitrii, si non præveniatur.... Aut quantumcumque sibi bonæ voluntatis, etc.

^e Ita ms.; Lov. vero et Ant., convenit; Basil., convertit.

Deus ergo, qui homini pœnitentiam dat, ipse voluntatem hominis mutat.

35. Proinde si quis dicit, Meum est velle credere, Dei autem gratiæ est adjuvare, mutet dictorum ordinem, imo non mutet, sed servet, nec quod posterius est in priore loco, nec quod est prius in loco posteriore constituat. Male enim gratiam Dei suæ voluntati postponit, cum ista bona esse non possit, si illa defuerit. Non ergo (al. enim) dicat, Meum est velle credere, Dei autem gratiæ est adjuvare; sed dicat, gratiæ Dei est adjuvare, ut sit meum velle credere. Tunc enim vere recteque agit hoc ejus velle ^a, cum eum gratia præveniens cœperit adjuvare. *Fides enim quæ per caritatem operatur*, humilem facit eum cui datur, quia *caritas non inflatur* (Rom. xiii, 4). Adjutorio igitur atque munere gratiæ sibi fidem dari unusquisque non dubitet; ne dum initium sibi fidei nititur assignare, pœnitentiam quoque, quam Deus ad vitam dat, sibi homo non sanitate validus, sed infirmitate præjudicatus assignet, tantique medicaminis beneficio careat, cujus gratiam contumax atque ingratus oppugnat: cum cordis humilitas divinis sit eloquiis admonenda, ubi principaliter ipsa bona voluntas, qua incipimus velle credere, a Domino præparari demonstratur ac dirigi, Salomone dicente: *Præparatur voluntas a Domino* (Prov. viii, 35, juxta LXX). Et David canit in Psalmis: **306** *A Domino gressus hominis dirigentur, et viam ejus cupiet* ^b (Psal. xxxvi, 23).

CAP. XVIII. Si velle credere ex nobis est, fides non est gratia, sed merces bonæ voluntatis. — 36. Si vero, secundum illorum opinionem, nostrum est velle credere priusquam nos Dei gratia incipiat adjuvare, indeste gratia dicitur, quia non gratis datur homini, sed bonæ retribuitur voluntati. Hanc enim (sicut illi volunt) gratia in nobis invenit quam ipsa non dedit; imo si sic est, nos priores Deo voluntatem damus, atque ita gratiam non miseratione tribuentis, sed æquitate Dei ^c retribuentis accipimus. Veruntamen, *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei* (Rom. xi, 35)? Nemo utique, quia *Non potest homo accipere quidquam, nisi ei datum fuerit de cœlo* (Joan. iii, 27). Quid enim habet quod non accepit? si autem accepit, quid gloriatur, quasi non acceperit (I Cor. iv, 7)? Non autem misericordia Dei aliquando prævenit hominem, si nunquam bonam facit (al. fecit), sed expectat ut inveniat voluntatem. Et ubi est quod David dicit: *Deus meus, misericordia ejus præveniet me* (Psal. lvm, 11). In quo autem Dei nos misericordia præveniat, vel præveniens quales inveniat, non in quolibet alio, sed in seipso nobis gentium magister ostendit, dicens: *Qui prius sui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate* (I Tim. i, 13). Quomodo ergo aliquam credendi voluntatem ex seipso Paulus habere poterat, qui blasphemum se, et

A persecutorem, et contumeliosum, cæcus atque incredulus ignorabat? Quod humili corde considerans, alio loco dicit: *Non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei* (I Cor. xv, 9). Statimque fidem suam non propriæ voluntati, sed gratiæ Dei miserantis assignans, dicit: *Gratia autem Dei sum id quod sum* (Ibid., 10). Quid autem jam erat (al. fuit), nisi fidelis? quod ut esset, misericordiam est utique consecutus, sicut ipse testatur, dicens: *Consilium do, tanquam misericordiam consecutus a Domino ut sim fidelis* (I Cor. vii, 25). Nam et cum se prius blasphemum, et persecutorem, et contumeliosum, fuisse fateatur, fidem suam et caritatem gratiæ assignare non destitit statim subjiciens: *Superabundavit autem gratia Dei in fide et dilectione, quæ est in Christo Jesu* ^d (I Tim. i, 14).

37. Si ergo fidem Paulo gratia Dei non dedit, nec caritatem ei dedisse credenda est: ergo, quod absit, mentitus est Paulus, qui ait, quia *caritas Dei diffusæ est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (Rom. v, 5). Sed quia Paulus Christo in se loquente mentiri non potuit, ipso Spiritu nobis tribui fidem firmissime fateamur, per quem caritatem Dei in nostris diffundi cordibus negare nequimus. Cum ergo Paulus esset blasphemus, et persecutor, et contumeliosus, non ideo est adjutus Dei gratia, quia credere voluit, sed ut credere vellet donum gratiæ prævenientis accepit; quæ in ejus voluntate non aliquod credulitatis initium, sed blasphemiam, sevitiam, contumelias, et ignorantiam in incredulitate reperit. Cujus usque adeo cæca fuit voluntas, ut non solum non posset credere, sed nec ipsum suæ credulitatis posset initium prævidere. Non enim ignorans fecisset, si suam in se ignorantiam prævidisset. Digne igitur in Paulo assignatur prævenientis misericordiæ dono **307** non solum credulitatis initium, sed etiam ipsius incredulitatis agnitio; quam ei propterea Dei misericordia contulit, ut incredulitatem suam illuminatus atque adjutus, et agnosceret, et vitaret. Dominus enim est illuminatio nostra et salus nostra (Psal. xxvi, 1); qui nos illuminat, ut peccata nostra cognoscamus, et sanat ut a peccatis nostris separati cum justitia vivamus. Ob hoc ipse, qui ut fidelis esset, fateatur se misericordiam consecutus, salubriter nos instruit, dicens: *Igitur non volentis, neque currentis, sed misericordis est Dei* (Rom. ix, 16). Quia revera et ut velimus, misericordiæ prævenientis illuminamur dono, et ut curramus, misericordiæ subsequentis fulcimur auxilio. Ut ergo sibi quisque tribuat bonam voluntatem, qua velle incipit credere, non viventis animæ vigor, sed mortuæ carniæ est tumor.

CAP. XIX. Liberum hominis arbitrium post peccatum, sine adjutorio gratiæ non nisi ad serviendum peccato reperitur idoneum. Libertas a bona voluntate sumit initium. — 38. Ex quo enim primus homo naturam suam voluntarie vitavit atque oppressit, ita crevit

^a Sic ms.; at Lov. et Ant., ait ejus hoc velle; Basil. vero, ait ejus esse velle.

^b Editi, cupiet nimis; sed non legitur nimis in ms.

^c Basil., æquitate retribuentis; nec habet hanc

vocem, Dei.

^d Habetur hic in editis Domino nostro, sed non habetur in ms. nec textu Apostoli.

infirmas ^a, ut nisi divinæ gratiæ medicamento præventum in unoquoque homine sanetur atque adjuvetur liberum indesinenter arbitrium, sit quidem liberum, non tamen bonum; sit liberum, non tamen rectum; sit liberum, non tamen sanum; sit liberum, non tamen justum: et quanto magis a bonitate, rectitudine, sanitate, justitiaque liberum, tanto magis malitiæ, perversitatis, infirmitatis atque iniquitatis mortifera servitute captivum. *Qui enim facit peccatum servus est peccati* (Joan. viii, 34); et a quo quis devictus est, huic et servus addictus est (II Petr. ii, 19). Regnante igitur peccato, habet quidem liberum arbitrium, sed liberum sine Deo, non liberum sub Deo, id est, liberum justitia, non liberum sub gratia, et ob hoc pessime atque serviliter liberum, quia non gratuito miserentis Dei munere liberatum. Hoc Apostolus evidenter insinuat, dicens ^b: *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ* (Rom. vi, 20). Servire igitur justitiæ non potest qui justitiæ liber est: quia quandiu est peccati servus, non nisi ad serviendum peccato reperitur idoneus. Ab ista servitute peccati nemo liber efficitur, nisi qui liberatoris Christi gratia liberatur, ut scilicet liberatus a peccato, servus fiat Deo. Hoc autem quemadmodum fiat, ipse liberator noster ostendit: *Si vos, inquit, Filius liberaverit, vere liberi eritis* (Joan. viii, 35). Ideo Vas electionis beneficium nobis gratiæ liberatrici insinuans, non solum liberos, sed etiam liberatos nos esse testatur his verbis: *Nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum venturum in sanctificationem, finem vero vitam æternam* (Rom. vi, 22).

39. Hæc vero libertas, quæ non ex humano arbitrio nascitur, sed gratuita Dei miseratione confertur, a bona voluntate sumit exordium, et per fructum sanctificationis in vita æterna plenum sui sortitur effectum. Sed sicut in nativitate carnali omnem nascentis hominis voluntatem præcedit operis divini formatio; sic in spiritali nativitate, qua veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, deponere incipimus, ut novum qui in justitia et sanctitate veritatis creatus est (Ephes. iv, 22) induamus, nemo potest habere bonam voluntatem motu proprio nisi mens ipsa, id est interior homo noster, renovetur ac reformetur ex Deo. Ideo **308** nos beatus Paulus præcipit (Rom. xii, 2) non conformari huic sæculo, sed reformari in novitate sensus nostri. Cujus reformationis initium ne nostræ facultati assignare aliquatenus deberemus, Dominus per prophetam se ipsum formatorem lucis ostendit, dicens: *Ego Dominus formans lucem et creans tenebras* (Isa. xlv, 7). Quod et beatus Apostolus sua prædicatione confirmat, dicens: *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere,*

A illuxit in cordibus nostris (II Cor. iv, 6). Et eadem luci quam jam formaverat Deus, alio loco dixit: *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (Ephes. v, 6). Quibusdam vero ex illa lucis formatione laudabili ad vituperabilem tenebrarum infortitatem relapsis, affectum piæ mentis ostendens, ita loquitur: *Filioli mei, quos iterum parturio donos formetur Christus in vobis* (Galat. iv, 19). Quomodo autem Christus in suis formari potest, nisi quomodo in eis habitare incipit, id est per fidem? Quod beatus Paulus ita confirmat: *In interiore, inquit, homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris* [al. nostris] (Ephes. iii, 16). Dum ergo reformamur, renovamur; et in eo quo renovamur, vivificamur.

CAP. XX. *Vita sancta a fide sumit initium. Per gratiam non aufertur liberum arbitrium.* — 40. Vita autem nostra a fide sumit initium, quia *justus ex fide vivit* (Rom. i, 17). Quam fidem non ex voluntate nostra nasci, sed per Spiritum sanctum unicuique dari, beatus Paulus ostendit, dicens: *Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alteri (al. alii) fides in eodem Spiritu* (I Cor. xii, 8, 9). Non ergo Spiritum sanctum, quia credidimus ^c, sed ut crederemus, accepimus. Forma enim præcessit in carne Christi, quam in nostra fide spiritaliter agnoscamus. Nam Christus Filius Dei secundum carnem de Spiritu sancto conceptus et natus est: Carnem autem illam nec concipere Virgo posset aliquando, nec parere, nisi ejusdem carnis Spiritus sanctus operaretur exortum. Sic ergo in hominis corde nec concipi fides poterit, nec augeri, nisi eam Spiritus sanctus infundat ^d et nutriat. Ex eodem namque Spiritu renatus sumus, ex quo natus est Christus ^e. *Eodem igitur Spiritu* Christus formatur secundum fidem in corde uniuscujusque credentis, quo Spiritu secundum carnem formatus est in utero Virginis. Ideo propheta ex persona fidelium clamat ad Dominum: *Propter timorem tuum, Domine, in utero concepimus et parturivimus Spiritum salutis tuæ; justitiam non fecimus super terram* (Isa. xxvi, 18). Sicut autem non scilum priusquam Virgo Maria Christum conciperet; sed etiam priusquam se concepturam agnosceret, gratia plena angeli voce nuncupata est, cum nulla ejus præcessisset (al. præcederet) concipiendi Filii Dei vel cognitio, vel voluntas, ut agnosceretur ex gratia Dei esse tam ipsa obediens voluntas Virginis, quam conceptio Domini Salvatoris; sic homo priusquam credere velle incipiat, gratia donantis infunditur cordi, ut incipiat in homine per fidem Christus formari. Cum autem Christus in unoquoque formatur, ipse se format; quia ipse in eodem in corde uniuscujusque credentis incipit. Propterea in Epistola quæ ad Hebræos scripta est

^a Locus hic alias obscurus restitutus est ope ms., qui præfert hæc verba, *ita crevit infirmitas, ut nisi, etc., sit.... sit.... etc.*

^b Ms., *insinuans ait*; editi uniformiter, *insinuat dicens*.

^c Ant. et Lov., *qui credimus*; ms. et Basil., *credimus*.

^d Sic Basil.; at Lov. et Ant., *effundat*.

^e Ms., *Dominus Christus*.

^f Sic Basil.; at Lov. et Ant. non habent hæc verba, *justitiam non*; sed sic præferunt locum: *concepimus et parturivimus. Spiritum salutis tuæ fecimus super terram*.

admonemur ut **308** *aspiciamus in auctorem fidei et consummatorem Jesum* (Hebr. xii, 2) : qui procul dubio sic est auctor fidei nostræ, cum ipse fidem non habentibus donat, sicut est ejusdem fidei consummator, cum eam in habentibus augeudo multiplicat, et sancta operatione consummat. Dicit enim beatus apostolus Jacobus quia fides Abraham patris nostri *ex operibus consummata est* (Jac. ii, 12).

41. Auctor est ergo fidei nostræ, consummatorque Jesus, quia ipse operatur in nobis et velle et perficere, pro bona voluntate. Quod si in eo tantum est auctor fidei nostræ, quia nostram voluntatem expectat, ut ex nobis esse fides incipiat, consequens est ut etiam consummator fidei nostræ ideo dicatur, quia expectat ut nostro tantum conatu ad consummationem fides quæ a nobis exorta est perveniat; ac sic totum Deo adimitur, si et initium et consummatio fidei nostræ humani arbitrii viribus applicetur. Quod quia valde impium est, si Scripturarum sanctarum eloquiis salutaribus non resistimus^a, omnia quæ pertinent ad bonæ voluntatis initium vel protractum, Deum in nobis et incipere et perficere sine aliqua hæsitatione credamus. Ipse est enim qui operatur in nobis et velle et perficere, pro bona voluntate (Philip. ii, 13). Clamemus igitur in humilitate cordis et veritate fidei cum propheta : *Scio, Domine, quia non est in homine via ejus, neque viri est ut corrigat viam suam* (Jer. x, 23). Non est itaque in homine via ejus quam habet ex Deo, neque viri est ut corrigat viam suam quam habet ex seipso. Viam ergo suam non habet in se, nec viam suam corrigit, nisi cum rectitudine cordis donum gratiæ spiritualis acceperit. Ideo Salomon dicit : *Dirigit autem corda Dominus* (Prov. xxi, 2). Beatus quoque apostolus Jacobus testatur quia *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum* (Jac. i, 17) : eorum scilicet luminum quibus per Ezechielem novi cordis gratiam repromittit, dicens : *Dabo vobis cor novum, et Spiritum novum ponam in medio vestri, et auferetur cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, et Spiritum meum dabo in vobis, et faciam ut in justificationibus meis ambuletis, et judicia mea observetis, et faciatis* (Ezech. xxxvi, 26). Beatus quoque Paulus humanæ primæ præsumptionis audaciam dicit : *Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I Cor. iv, 7)? Cum quo nos oportet humiliter salubriterque cognoscere pariter et fateri, gratia Dei nos esse quod sumus^b, si tamen aliquid sumus. Quia *gratia humanum non auferitur, sed sanatur*; non adimitur, sed corrigitur; non removetur, sed illuminatur; non evacuatur, sed adjuvatur atque servatur arbitrium: ut in quo infirmitatem homo habuit, in eo habere incipiat sanitatem; quo errabat, eodem in viam (*ut* in via) redeat; in quo

cæcus fuit, in eo accipiat lumen; et ubi fuit iniquus, serviens immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ibi gratia præventus atque adjutus serviat justitiæ in sanctificationem.

CAP. XXI. *Deus, dum quos vult credentes facit, personarum acceptor non est. Nemo a se habet velle credere.* — 42. Miramur autem quosdam dicere : Si nolentes^c Deus facit ut velint credere, nullus autem est qui naturaliter possit credere in Filium Dei, aut aliquid boni velle quod pertinet ad vitam æternam, cur ergo **310** non facit omnes velle, cum non sit personarum acceptor Deus? Ex quibus verbis, quæ vestris litteris indita sunt, apparet eos minus considerare quod dicunt. Personarum quippe acceptio apud Deum tunc esset, si (quemadmodum isti volunt) in quolibet hominum aliquod inveniret bonæ voluntatis initium. Cum autem in nullo bonam voluntatem invenit, sed eam gratis cui voluerit^d ipse concedit, agnoscitur nulla esse personarum acceptio, quando gratuita est donantis in unoquoque largitio. Quod autem dicunt, cur non facit omnes velle? Itane vero in nemine hoc facit, quia non in omnibus facit? An non habet potestatem *figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam* (Rom. ix, 21)? aut culpari potest justitia in vasis iræ, quæ juste pro meritis aptavit in interitum; vel misericordia in vasis misericordiæ, quæ sine ullis meritis solo gratiæ dono præparavit in gloriam. Quibus ipsam quoque præparari a Domino voluntatem Scriptura teste docuimus. Quæ si non a Deo datur, sed in homine invenitur, falsum est quod eam Scriptura præparari dicit^e a Domino. Omnis autem Scriptura divinitus inspirata, cuncta quæ dicit, vera dicit, quia ex veritate sunt universa quæ dicit : *Eloquia enim Domini, eloquia casta* (Psal. xi, 7). Deus ergo, qui voluntatem præparat, ipse donat. Quam si Deus per suam gratiam homini non dederit, nunquam potest homo in Deum velle credere, quia ipsam voluntatem gratia non invenit, sed operatur in homine.

CAP. XXII. *Credendi facultas humanæ potest inesse naturæ, quia Deus potest eam sanare. Adam peccando perdidit fidem.* — 43. Cum autem dicimus neminem posse in Deum credere, nisi per gratiam Dei cor illuminetur, ut credat, non credendi possibilitatem humanæ naturæ omnino inesse non posse dicimus, sed ut habeat ipsum posse, unde debeat sperare ac poscere demonstramus. Nam utique naturaliter homini, cum cæperit in Dei Filium credere, si posse credere in conditione primi hominis datum non esset, nunquam peccatum de infidelitate contraheret; neque ulli naturæ credendi facultas insita est, quam rationalem non fecit Deus. *Nunquid enim de bobus cura est Deus* (I Cor. ix, 9)? In quibus nec punitur impietas, nec pietas coronatur. De hominibus autem omnibus curam esse Deo cælestibus eloquiis edocemur.

^a Sic ms.; at Basil., nos insistimus. Lov. et Ant., nos resistimus, sed male.

^b Lov. et Ant., quod et sumus.

^c Lov., Ant. et Basil., si volentes.

^d Sic ms.; at editi, cum voluerit.

^e Ita ms.; at in Basil., quod ea in Scriptura præparari dicitur; Ant., ea Scriptura præparari dicitur.

44. Naturæ igitur humanæ competit fides, cuius tantam curam Creator habere dignatur, ut etiam capillos capitis nostri numeratos esse Veritas dieat (*Luc. xii, 17*): ut scilicet, dum se tantum a Deo diligi humana natura cognoscit, diligentem se Deum diligit, eique per fidem puri cordis inhæreat, cui ad beatitudinem fides est via, cui infidelitas est magna miseria: et ideo digne punitur, cum in Dei Filium non credit, quia vitium est ejus infidelitas, sicut virtus est fides, non qualis in dæmonibus invenitur, sed qualem Deus sanctis suis donat, quos ex impietate justificat. Ipsa est fides quæ per caritatem operatur. *Nam et dæmones credunt, et contremiscunt* (*Jac. ii, 19*); sed non diligunt eum a quo per superbiam recesserunt. In quam superbiam quia primus homo diabolica est persuasione (al. suasionem) dejectus, in quo perdidit humilitatem, perdidit **311** fidem: perdens autem fidem, perdidit divinam protectionem. Scriptum est enim: *Qui non credit Deo, a Deo non protegitur* (*Eccli. ii, 15*). Exinde cœpit *superbire terra, et cinis, quia in vita sua projecit intima sua* (*Eccli. x, 9, 10*). Ad ipsa intima ut homines redeant, divinus non desinit sermo ciamare, dicens: *Redite, prævaricatores, ad cor* (*Isa. xlvi, 8*). Verum, *quia illi caro sunt, spiritus vadens, et non rediens* (*Psal. lxxvii, 39*); nec unquam redire velle potest ovis errans, nisi fuerit boni Pastoris inquisitione præventa et humeris reportata: propterea pastor bonus venit quærere et salvam facere ovem perditam, quæ pastorem suum quærere non potest, priusquam ab eo quæratur, sed a quærente prævenitur, ut quærat. Pastor autem eam frustra quæreret, si quærere ipsa pastorem quæsita non posset^a. Sed hoc ei quærentis pastoris bonitas donat, ut etiam ipsa quærendi pastoris habeat voluntatem. Quæritur autem ut quærat, quando illuminatur ut credat. Hoc ergo in homine divinitus agitur, cui fidem Deus infundit ut gratiæ dono virtutem credendi natura recipiat quam amisit, et quod non poterat vitiatam per culpam, incipiat poscere formata per gratiam, ac sic operante illo medico qui non est opus sanis, sed male habentibus, infirmitas expellatur, natura sanetur. Quam sanitatem poscebat qui dicebat: *Ego dixi: Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi* (*Psal. xl, 5*). Nullus autem sanctorum sanitatem posceret, si humana natura sana esset; et frustra sanitatem quisque posceret, si sanari humana natura non posset. Natura igitur humana sanari potest; sed illius gratia sanitatis accipit donum ex quo creationis sumpsit initium. Nam si homo naturaliter sanari nullatenus posset, ad sanandum eum cœlestis medicus non venisset^b. Rursus si se ipse sanare posset, cœlesti medico non egeret. Sanatur enim per fidem, quam si ex seipso aliquis habere posset, Deus eam homini non donaret. Donat autem, quoniam alteri datur fides in eodem Spiritu (*I Cor. xii, 9*), sicut

A Apostolus dicit: *Deus ergo unicuique divisit mensuram fidei* (*Rom. xii, 3*).

CAP. XXIII. *Potest homo naturaliter credere, licet et divinitus donetur ut credat.* — 45. Non ergo propter ea non potest homo naturaliter credere, quia divinitus ei donatur ut credat^c; imo in hoc maxime ad habendam fidem homo creatus agnoscitur, quia per fidem humana natura ex vetustate renovatur. Sic enim est omnis homo voluntario peccato. primi hominis vitiatum, ut Deus voluntate sua bona voluntatem hominis possit sanare si velit. *Creavit enim, sicut scriptum est, ut essent omnia, et sanabiles fecit nationes orbis terrarum* (*Sap. i, 14*). Verumtamen non homini ex seipso putaretur esse sanitatis initium, mox sermo divinus adiecit: *Et non est in illis medicamentum exterminii* (*Ibid.*). Quamvis igitur homini primo diabolus abstulerit fidem, Deo tamen reddendi quod dederat non abstulit potestatem, nec humanam naturam diabolus potuit usque adeo vitare, ut deinceps non posset quod amiserat, Deo rursus largiente, recipere. Omnipotens enim qui potuit humanam formare, potest etiam infirmam sanando per gratiam reformare et custodire naturam. A quo ipsa natura sicut in primo homine fidem ad salutem acceperat, ita nunc in singulis munere divini bonitatis accipit (al. accepit) **312** quos idem Deus prædestinatos et per fidem salvandos ex parentibus creat.

46. Potest igitur Deo donante homo in Deum naturaliter credere. Contra naturam quippe hominis est quod in Deum non credit; quia incredulitatem non habet ex creatione Dei, sed ex voluntaria prævaricatione mandati; per quam sanitate privatus et lumine, hoc per seipsum potest, ut cæcitatem atque infirmitatem suam proprio arbitrio augere possit, removere non possit. Cujus tamen illuminatio atque sanatio in tantum est omnipotenti Creatori possibilis, ut ad gloriam nominis ejus, ipso donante, non solum possit infidelis credere, verum etiam ad immortalem atque incorruptibilem vitæ statum per fidei gratiam pervenire: ubi, accipiens gratiam pro gratia, peccare omnino non possit, et possit feliciter videre quod credidit. Unde vox illa fidei resultat in Psalmis: *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal. xxvi, 13*). Deus igitur licet non ad hoc humanam naturam fecerit, ut vitaretur per culpam, ipse tamen omnipotenti bonitate potest vitiatam sanare per gratiam. Arbitrium itaque hominis sanat Deus atque illuminat, ut homo in Deum naturaliter credat. Ita fit ut homo fidem habere possit, sed eam nisi ex dono Dei habere non possit.

CAP. XXIV. *Non omnia quæ habere possumus ex nobis habere possumus.* — Non enim consequens est ut omnia quæ habere nos possumus, etiam ex nobis habere possimus. Nam et caro nostra sic a Deo facta est, ut possit naturaliter vivere, hoc ipsum tamen

^a Sic editi; at ms., *si quærere ipsa pastorem non quæsita posset.*

^b Ms., *non veniret.*

^c Sic editi; at ms., *quia divinitus ei non datur ut credat.*

non ex se, sed ex anima possit habere. Vita igitur ^a, ut inesse carni naturaliter incipiat, manifestum est eam ab anima ministrari; ac sic quidem potest caro nostra vivere, sed si in ea sit anima, quæ vita ejus est.

47. Verumtamen in anima nostra et carne non parvum nobis gratiæ Dei monstratur exemplum. Nam sicut ex seipsa caro vitam non habet, sed ab anima accipit; sic homo non potest habere fidem, nisi munere Dei donantis acceperit. Sicut etiam (al. enim) ut caro vivat, solius opus est animæ, ita quoque ut homo credat, solius opus est gratiæ; et sicut caro nihil operari potest, si eam vivificare anima desinat, sic homo nihil bene velle potest, si ab eo gratiæ juvamen abscedat. Ut ergo caro et vivere possit et operari, præsentis animæ vivificatione fulcitur; homo quoque ut bonum velit aut faciat, gratiæ vivificantis subsidio jugiter adjuvatur. Interest autem ut caro nostra quantum (forte quandiu) vivificatur ab anima, non solum bene, sed etiam male operandi accipiat facultatem. Cum autem nos gratia vivificat, non nisi ad bene volendum, nec nisi ad bene operandum nobis adiutorium subministrat. Agnoscat igitur homo in eo se naturaliter credere posse, in quo naturam habet credulitatis ac fidei capacem (quod animalibus irrationalibus datum divinitus non est); non tamen se putet ^b ad habendam fidem usque adeo esse idoneum, ut ex voluntate sua constare fidei arbitretur exordium. Volens enim homo habet fidem; sed Deus qui fidem donat, ipse hominis mutat et dirigit voluntatem. Dominus enim dabit suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum (Psal. LXXXIV, 13).

313 CAP. XXV. Gentes quæ naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, non nisi Christiani fideles intelligendi sunt. — 48. De his igitur in quibus natura divino sanatur munere, ut in Deum naturaliter credant, quique gratis per fidem justificati, etiam ad bene operandum auxilium gratiæ subsequenti accipiunt, Apostolus dicit: Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis (Rom. II, 14). Quem quidem Apostoli locum hi qui gratiæ contradicunt gentibus incredulis assignare contendunt, ex hoc videlicet quod etiam illi qui fidei gratiam non recipiunt illa quæ ad honestatem morum et humanæ societatis vinculum pertinent naturali quadam lege sic servant, ut etiam eos qui illa violare contendunt judiciorum æquitate ac severitate coerceant. Ubi minus attendunt apostolico suam sententiam prorsus enervari sermone, quem superius præmisit dicens: Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur (Ibid., 13); justificari autem sine fide neminem posse idem beatus apostolus ostendit, dicens: Scientes autem quod non justificabitur homo ex

operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi; et nos in Christum Jesum ^c credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis. Propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro (Galat. II, 16). Et paulo post fidei gratiam commendans, per quam vera confertur unicuique justitia, sic ait: Non abjicio gratiam Dei: si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est (Ibid., 21). Item cum patrem nostrum Abraham non ex operibus legis, sed ex fide justificatum assereret, dicens: Sicut Abraham credit Deo, et reputatum est illi ad justitiam (Galat. III, 6); ut etiam gentes quas semini Abraham divinus sermo promisit ex fide justificari ostenderet ^d, secutus adjunxit: Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, hi sunt filii Abraham. Providens autem Scriptura quia ex fide justificantur gentes, Deus prænuñtiavit Abraham dicens: quia benedicentur in te omnes gentes (Genes. XII, 3). Igitur qui ex fide sunt benedicentur cum fidei Abraham (Galat. III, 7, 8, 9). Hunc autem patrem nostrum Abraham non ex operibus, sed ex fide justificatum esse confirmans, alio loco sic loquitur: Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim Scriptura dicit? Creditur Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam (Gen. xv, 6): ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam (Rom. IV, 2, 3, 4, 5).

49. Cum ergo Apostolus de his gentibus loquens quæ, naturaliter ea quæ legis sunt facientes, ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis (Rom. II, 14), de his se loqui testetur qui justificantur, Abraham autem patrem nostrum non ex operibus, sed ex fide justificatum esse commemorat, quis audeat illas in hoc loco gentes accipere quas constat non esse justificatas ex fide, cum ipse testetur Apostolus quia omne quod non est ex fide peccatum est (Rom. XIV, 23), et quia sine fide impossibile est placere Deo (Hebr. XI, 6)? Quod si Abraham ex fide justificatum esse constat, cujus semini **314** gentes Apostolus promissas esse commemorat, quis quis asserit gentes non ex fide, sed ex operibus justificari posse, quid superest, nisi ut eas neget ad Abraham semen, cui gentes promissæ sunt, pertinere? cum Abraham (sicut Apostolus dicit) pater sit omnium credentium per præputium ^e, ut reputetur et illis ad justitiam (Rom. IV, 11). Quoniam igitur unus Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem (Rom. III, 30), Apostolus autem de his qui justificantur se loqui monstravit, cum de gentibus naturaliter quæ legis sunt facientibus et opus legis in suo corde habentibus disputaret: ille sensus est veritati conveniens, quod (al. quo) gentes in eodem loco accipiuntur quas Deus fidei dono justificat, et in eo quod eis

^a Editi hic addunt quod vivit. Ms. non addit, nec ad sensum requiritur.

^b In editis, ut se putet.

^c Sic ms. juxta Græcum textum S. Pauli; editi

vero, in Christo Jesu.

^d Editi, Paulus ostenderet; sed abest Paulus a ms.

^e Sic editi; at ms., pater sit omnium credentium, ut reputetur et illis fides ad justitiam.

fidei gratiam tribuit, opus legis suæ in eorum cordibus donata justificatione conscribit, ut sine Testamenti Veteris littera per Novi Testamenti gratiam natura renovata opus legis ad hoc scriptum habeat, ut ad populum Dei, non operum præcedentium merito, sed justificationis gratuito munere incipiat pertinere. Quod nobis ore prophetico cœlestis dignata est vulgare doctrina, sancto Hieremia dicente: *Ecce dies venient* (al. *veniunt*), *dicit Dominus, et consummabo super donum Israel, et super domum Juda Testamentum novum* (Jer. xxxi, 31). Et paulo post: *Quia hoc est Testamentum quod disponam domui Israel, post dies istos* (al. *illos*), *dicit Dominus, dabo leges meas in corda eorum, et in sensibus eorum superscribam eas, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum; et non docebit unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum dicens: Cognosce Deum: quoniam omnes scient me a majore usque ad minorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum illorum jam non memorabor* (Ibid., 33, 34).

CAP. XXVI. *Cognitio Dei sine dilectione nihil prodest. Fides sine caritate potest esse, non prodesse.* — 50. Hæc autem scientia in qua sic Deus agnoscitur, ut peccatorum remissio divinæ propitiationis munere tribuatur, longe alia est ab illa cognitione illorum qui, *cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis; qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis* (Rom. i, 21, 22, 23). Isti enim quia sine gratia fidei, quæ per caritatem operatur, Deum cognoverunt, ipsa sua cognitione inexcusabiles facti sunt; hi vero qui Deum fidei perceptione cognoscunt, inexcusabiles fiunt. *Quis enim accusabit electos Dei* (Rom. viii, 33)? Nemo utique: *Diligentibus enim eis Deum omnia cooperantur in bonum* (Ibid., 28). Et ideo eos nullus accusat, quia Deus eos secundum propositum præscitos, et prædestinatos, vocatosque justificat, atque glorificat; ut gloriatione legis factorum qua se homo superbus extollit exclusa, per legem fidei, quæ per caritatem operatur, *qui gloriatur, in Domino gloriatur* (I Cor. i, 31).

51. Quod si quibusdam cognoscentibus Deum, nec tamen sicut Deum glorificantibus, cognitio illa nihil profuit ad salutem, quomodo hi poterunt ^a justus esse apud Deum, qui sic in suis moribus atque operibus bonitatis aliqui inquit servant, ut hoc ad finem Christianæ fidei caritatisque non referant? quibus aliqua quidem bona, quæ ad societatis humanæ **315** pertinent æquitatem, inesse possunt; sed quia non fide et caritate ^b Dei fiunt, prodesse non possunt. Etenim fieri potest ut quisquam Deum esse credat, qui Deum non diligit; ut autem quisquam Deum di-

ligat qui in Deum non credit, fieri nullatenus potest: Quia potest unusquisque credere aliquid esse quod non diligit, diligere vero nemo potest quod esse non credit. Apostolus autem dicit sine caritate fidem, cæteraque bona opera cuiquam prodesse non posse; dicit enim: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (I Cor. xiii, 2, 3). Si ergo opera cum fide sine caritate prodesse non possunt, quomodo proderunt opera quæ in fide non fiunt? Unde non immerito beatus Apostolus pro Thessalonicensibus orat ut eis *Deus impleat omnem voluntatem bonitatis, et opus fidei in virtute* (II Thess. i, 11). Nam et in eodem loco, ubi de gentibus legem naturaliter facientibus loquebatur, ante præmiserat dicens: *Gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum, Judæo primum, et Græco* (Rom. ii, 10). Quomodo autem infidelibus potest esse gloria, quæ non datur nisi justificatis? Quos enim Deus justificavit, illos et glorificavit (Rom. viii, 30): *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi super omnes qui credunt* (Rom. iii, 22); aut quis honor incredulis dabitur, cum hunc non nisi credentibus tribui beatus Petrus edoceat, dicens: *Vobis igitur honor creditibus* (I Petr. ii, 7)? Vel quomodo erit pax ei qui non est redemptus sanguine Jesu Christi, in quo Deus pacificavit, *sive quæ in terris sunt* (Ephes. i, 10), *sive quæ in cælis? Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum* (Ephes. ii, 14). Hæc autem pax sine caritate et fide Christi non potest possideri, quia *justificati ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et accessum habemus per fidem in gratia ista, in qua stamus et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei* (Rom. v, 1, 2). Quæ spes ^c ideo non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (Ibid., 5). Accepimus enim spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, *Abba Pater* (Rom. viii, 16). Ut igitur homines filii Dei fiant, Filium Dei unicum per fidem recipiunt, et ipso donante hanc accipiunt ^d potestatem, ut et in eum credant, et ad numerum filiorum Dei pertineant: *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* (Joan. i, 12). In eorum cordibus dat legem suam, et in sensibus eorum scribit eam, id est legem fidei, quæ inspirata justificat, non legem factorum, quæ etiam observatores suos ^e sine dubitatione condemnat.

CAP. XXVII. *Lex factorum, quæ naturaliter esse potest in cordibus infidelium, ab impietate non liberat.* — 52. Nam illa quæ lex factorum est, quæ hominem justificare non potest, quia *ex operibus legis non justificabitur omnis caro, potest quidem naturaliter esso et in corde gentium et in corde infidelium Judæo-*

^a Editi, potuerunt. Ms., poterunt.

^b Editi, quia non caritate. Ms., quia non fide et caritate.

^c In ebd., quos spes ideo, etc.

^d In excusis habetur accipiunt a Domino, in ms.,

on nabetur a Domino, melius quidem: quia cum dicitur ipso donante accipiunt, frustra additur a Domino.

^e Ms., factores suos.

rum ^a : quæ tamen sine fide Christi nullatenus justificat sectatores **316** suos, sed eos tenet vinculo impietatis obstrictos. Hæc utique fuit in corde Pauli, quando fuit incredulus, secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei, et secundum justitiam, quæ in lege est, conversatus sine querela (Rom. III, 20). Quam tamen quia ex Deo non habuit, ideo dicit : *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta : verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci et arbitrator ut stercola, ut Christum lucrifaciam et inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ est ex fide Christi, quæ ex Deo justitiam ex fide ad cognoscendum illum (Philip. III, 6, 7, 8, 9, 10).*

53. Quis non his verbis apostolicis videat justitiam quæ ex lege est esse ex homine, justitiam vero quæ ex fide Christi est non esse nisi ex Deo? Illa est igitur justitia per quam impius erigitur ut cadat in poenam, ista autem est per quam justificatus humiliatur, ut exaltetur ad gloriam. Ideo cum in illa quæ ex lege est sine querela conversaretur Apostolus, fuisse se impium non negat, dicens : *Ut quid enim Christus cum adhuc infirmus essemus secundum tempus pro impiis mortuus est (Rom. V, 6)?* Inimicum quoque Dei se fuisse veraciter confitetur dicens : *Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius ab ira per ipsum (Ibid., 10).* Quid ergo prodesset Paulo sine cogitatione Christi illam quæ in lege factorum est, servare justitiam : cum ipse Salvator noster Judæis dicas : *Nisi cognoveritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris (Joan. VIII, 24).* Ergo quia justitiam quæ est ex fide Christi ad cognoscendum illum esse testatur Apostolus, manifestum esse legem fidei esse, quam se Deus in corde suorum scripturum esse promisit. Quod ejusdem tenor evidenter ostendit. Ibi enim dicit Deus : *Et non docebit unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum; quia omnes scient me a minore usque ad majorem eorum (Jer. XXXI, 34).*

54. Hæc est lex, quam Deus scribit in cordibus eorum omnium, non per conditionem naturæ, sed per largitatem gratiæ; non per liberum arbitrium hominis, sed per ministerium evangelicæ prædicationis; non in lapide per litteram Veteris Testamenti, sed in corde per Spiritum Dei vivi. Quod beatus Paulus evidenter insinuat dicens : *Epistola estis Christi ministrata a nobis ^b, et scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus (II Cor. III, 3).* Hoc ergo Deus scribit in cordibus hominum per Spiritum suum, quod exinde diaboli delevit invidia, per quam mors intravit in orbem terrarum. Scribit itaque legem fidei, per quam justi-

ficat gentes Deus, ut dando gratiam renovet naturam. Caritatem quippe, quæ plenitudo est legis (Rom. XII, 10), ad hoc per Spiritum suum diffundit, ut faciat impleri quod præcipit; et illuminationis gratiam per spiritum fidei propterea largitur, ut quod Deo placitum est, fides per caritatem operetur. Quæ quandiu in homine non est; quidquid sine lege fidei per legem naturalem scriptum remansit in homine operantem nullatenus salvat, quia **317** neminem Deus sine fide justificat, nec potest operanti salutem acquirere, quia *sine fide impossibile est placere Deo (Hebr. XI, 6).* Nemo ergo naturali legi conetur assignare legem quam Deus non condendo naturam, sed donando gratiam in corde gentium scribit. Hæc est enim lex, non qua homo societatis humanæ vinculum **B** etiam sine fide custodit, sed per quam credendo Deum cognoscit et diligit; non per quam sibi etiam bona opera vel ipsam fidem quisque superbus vindicat, sed qua Deo in se misericorditer operanti tam fidem suam quam bona opera subjectus assignat: hæc enim cor hominis ita componit et dirigit, ut cum homo præcepta Dei audit, id donari sibi quod præcipitur poscat, et cum in fide operatur, gratia Dei se jugiter adjuvari non ambigat.

CAP. XXVIII. *Quod Deus non faciat omnes credere velle, pertinet ad secreta ejus judicia.* — 55. Quod autem interrogant isti de Deo dicentes: Cur ergo non fecit omnes homines velle credere, cum non sit personarum acceptio apud Deum? scire debent hoc in illis altioribus positum a quibus sancta Scriptura humanæ curiositatis coercet audaciam ^c dicens: *Altiora te ne quæsieris et fortiora te ne scrutatus fueris sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper (Eccli. III, 22).* Hæc altiora ille qui usque in tertium cælum raptus est, eo magis territus quo magis illuminatus, expavit. Unde magis clamare non cessat. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula (Rom. XI, 33, 34 et seq.).* SAT EST ERGO NOBIS, et in his qui salvantur, gratuitam Dei misericordiam, et in his qui condemnantur veram Dei justitiam sine dubitatione credere, et **D** corde contrito atque humiliato misericordiam Domino judiciumque cantare (*Psal. C, 1*), qui et in vasis iræ atque aptatis in interitum ostendit justitiæ suæ nullam iniquitatem placere, et demonstrat in vasis misericordiæ quia potest ejus bonitas omnia quibus voluerit peccata dimittere ^d.

CAP. XXIX. *Falluntur qui existimant divinam voluntatem æqualiter se habere erga salvandos et damnandos.* — 56. Illud vero Apostolicum ubi dicitur de Deo: *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veri-*

^a Sic ms. At editi, et in corde gentilium, et in corde fidelium Judæorum.

^b Ms., ministrata per nos.

^c Sic ms.; Basil. vero, arcet audaciam. Ant: et Lov.,

exercet.

^d Ms., et in vasis misericordiæ, qua potestatis ejus bonitas omnia quibus voluerit peccata valet dimittere.

tatis venire (I Tim. II, 4), non sicut oportet intelligitur, qui hanc Dei voluntatem, sicut in vasis misericordiae, sic et in vasis irae accipiendam existimant, minus considerantes veracissimam Scripturae sententiam, quae divinae commendans omnipotentiam voluntatis: *Omnia (inquit) quaecunque voluit fecit, in caelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis (Psal. cxxxiv, 6)*; ipsique Deo rursus dicit: *Subest enim tibi cum voles, posse (Sap. XII, 18)*. Quomodo igitur omnia quae vult facit, si volens hominem salvum fieri, cuius salus non nisi a Deo incipit voluntate, ipsum velle non in homine Deus inchoat, sed ut ab homine nascatur expectat? O quam pessimum nefas asseritur, dum gratiae Dei contumaciter repugnatur! et homines opere Dei se in bonum mutari negant, qui homines non essent, nisi bonitate Dei operantis existerent. Itane vero rerum ordo credi putarive permittit ^a, ut Deus, qui creator est hominis, valeat hominem facere, non mutare; et qui nullius eget adjutorio **318** ut hominem faciat, operari tamen quod vult in hominis voluntate non possit priusquam in homine ipsum velle repererit; et ut sit homo, habeat ex Deo, ut autem melior sit, habeat ex seipso; ac sic voluntatem bonitatis qua in Deum creditur, non divina bonitas, sed humana pravitas operetur? Pravus est enim omnis homo, priusquam in Deum credat; et quia scriptum est: *Erunt prava in directa (Isa. XL, 4)*, ex pravo fit homo rectus, ex infideli fidelis efficitur. Igitur si Deus pravae voluntati bonitatem non tribuit ^b, sed ut ex se ipsa bona fiat expectat, potest ergo prava voluntas ex se bonitatem gignere, ita ut cum ex Deo habeat ut sit, non nisi ex se habere possit ut bona sit; ac sic (at. ac si) omnipotens et bonus de voluntatibus hominum malis bonum possit operari cum velit, ut autem ipsae voluntates bonae sint, velit quidem, facere autem nullatenus possit.

57. Quis enim nesciat malae voluntatis fuisse Paulum cum persecueretur Ecclesiam Dei et expugnaret illam? cuius tamen malitia bene usus est Deus, quando persequente Saulo ^c beatus Stephanus est martyrio coronatus. Ergone potuit Deus Stephanum coronare per Sauli persecutoris infidelitatem, et persecutorem Saulum Deus convertere nequivit ad fidem? Ergone Paulus prior voluntatem suam Deo dedit, et sic Deus fidem Paulo volenti retribuit? Et ubi est quod ipse dicit: *Quis prior dedit illi, et retribuatur ei (Rom. XI, 35)*? Quod utique non dixisset, si a se voluntatem Deo datam, et a Deo sibi fidem cognosceret retributam. Hanc itaque amentiam, et a fidelibus suis arceat, et ab infidelibus Deus auferat. Ille enim tam profana cogitatione polluitur, cui gratia, vel obdurato non datur, vel ingrato aufertur. Deus enim convertens vivificat quos vult salvos fieri; Deus ^v voluntates hominum mutat, ut esse bonae incipiant. Ideo scriptum est: *Et dixi, nunc caepi, haec est mutatio ^d dexterae Excelsi (Psal. LXXVI, 11)*. Prophetae

^a Editi, permittitur.

^b Sic Basil. At Lov. et Aut., bonam non tribuit, supple voluntatem.

^c Ms., Saulo; editi, Paulo.

A sensus aperto sermone se praebuit agnoscendum, qui utique non posteaquam coepit, sed hoc ipsum quod coepit, mutationem dexterae Excelsi esse non tacuit. Proinde hi qui voluntatem Dei qua omnes homines vult salvos fieri, aequalem ^e circa redimendos et damnandos existimant, cum interrogati fuerint cur velit Deus omnes homines salvos fieri, nec tamen omnes salvi fiant, quid respondebunt?

CAP. XXX. Bonam voluntatem hominis non expectat Deus, sed tribuit. Salus gratuito adultis sicut parvulis. Cruciatibus infantium.—58. An illud quod vestra eos dicere testatur epistola; id est, quia Deus expectat hominis voluntatem, ut aequum sit in volentibus praemium, in nolentibus autem justa damnatio? Sed ut prolixitatem vitantes omittamus alia quae possunt pro veritate fidei huic pravae sententiae replicari, interim testimonio convincantur atque confundantur non loquentium hominum, sed tacentium parvulorum, in quibus ad evacuandam sapientiam verbi multum resplendet virtus crucis Christi, quae gratis in omnibus hominibus propria utentibus voluntate eandem salutem a se ostendit fieri, quam in infantibus nullam **319** voluntatem habentibus dignatur operari. In eis namque nec bona voluntas est, ut aequum sit in volentibus praemium; nec mala, ut sit in nolentibus justa damnatio. Si ergo ad salvandos homines, sicut isti volunt, non excitat neque mutat, sed expectat hominum voluntates; quomodo infantibus qui baptizantur, et in eadem infantia moriuntur, donat aeternam salutem, quorum bonam nec expectat nec invenit voluntatem? Item alios quomodo sine baptismo mortuos aeternis cruciatibus damnat, cum in eis nullam culpam malae voluntatis inveniat?

59. Nonne iustos inimicos gratiae Dei, nec defensores humani, sed deceptores arbitrii, ad hoc sua perversitas cogit, ut Deum putent iniquum in obitu omnium parvulorum, ubi nulla interveniente vel bonitate, vel malitia voluntatis, alios vident potiri regno, alios interminabili deputatos incendio? Proinde si ita est ut ipsi sentiunt, nullus debet parvulus mori priusquam ad aetatem perveniat in qua possit vel bonam voluntatem habere, vel malam; ut Deus nec baptizatos parvulos sine bona voluntate salvet, neque non baptizatos sine mala voluntate condemnet. Si enim Dei bonitas salutem non incipit hominis operari, nisi bonam ejus invenerit voluntatem, iniquum erit eum vel damnari vel redimi, qui bene nec velle, nec nolle potuerit. Sed non est iniquitas apud Deum (II Paralip. XIX, 7), cuius universae viae misericordiae et veritas (Psal. XXIV, 10).

60. Igitur quia Deum justum bonumque catholica veraciter credit et confitetur Ecclesia, certissime credendum est et fiducialiter confitendum unam eandemque Dei gratiam in majoribus salvandis operari bonae voluntatis initium, quae in parvulis sine voluntate operatur salvationis effectum. Ipsa gra-

^d Ms., Haec mutatio.

^e Sic editi; at ms., Sicut in vasis misericordiae, sic et in vasis irae accipiendam asserunt.

tia infantes neque volentes, neque nolentes redimit, quæ majores illuminando volentes ex nolentibus facit. Et hoc in parvulis salutis opus sine propriæ voluntatis assensu gratia Dei operante perficitur, quod bonæ voluntatis exordio divinitus dato in majoribus inchoatur, ut opere solius gratiæ voluntas quæ malâ fuit bona fiat, et deinceps gratiæ secum operanti servitium obedientiæ cooperatrici exhibeat. Sic autem Deus crudelis non est in infantibus damnandis quibus baptismatis beneficium non tribuit, sicut injustus non est in majoribus, quibus bonam non donat voluntatem^a. Et sicut illos voluntas sua mala, sic istos jure puniri facit origo damnata. Deus autem in hominibus nec maculam vitiatæ originis, nec malitiam condidit propriæ voluntatis. In hominibus igitur quos salvat, voluntatem bonam non invenit, sed sicut ætatem exigit diversitas, aut in majoribus bonam voluntatem gratis facit quam invenit malam, aut sine voluntate hominis vel bona vel mala, perficit in parvulis gratiam sacramenti, ille cujus nemo potest bonæ resistere voluntati.

CAP. XXXI. Quos omnes homines Deus vult salvos fieri. Per omnes homines non semper totum genus humanum intelligitur. — 61. Quocirca illos omnes quos Deus vult salvos fieri, sic intelligere debemus, ut nec aliquem putemus salvum fieri posse nisi voluntate Dei^b, nec existimemus voluntatem omnipotentis Dei, aut in aliquo non impleri, aut aliquatenus impediri. Omnes enim quos Deus vult salvos 320 fieri, sine dubitatione salvantur, nec possunt salvari, nisi quos Deus vult salvos fieri, nec est quisquam quem Deus salvari velit qui (al. et) non salvetur: quia Deus noster omnia quæcunque voluit fecit (Psal. cxxxiv, 6). Ipsi omnes utique salvi fiunt, quos omnes vult salvos fieri: quia hæc salus non illis ex humana voluntate nascitur, sed ex Dei bona voluntate præstat. Verumtamen in his omnibus hominibus quos Deus vult salvos facere non totum omnino genus significatur hominum, sed omnium universitas salvandorum. Ideo autem omnes dicti sunt, quia ex omnibus hominibus omnes istos divina bonitas salvat, id est, ex omni gente, conditione, ætate, ex omni lingua, ex omni provincia. In his omnibus ille sermo nostri Redemptoris impletur, quo ait: Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum (Joan. xii, 32). Quod non ideo dixit, quia omnes omnino trahit, sed quia nemo salvus sit, nisi quem ipse traxerit. Nam et alibi dicit: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum (Joan. vi, 37). Item alibi: Omne quod dedit mihi Pater ad me veniet. Hi ergo sunt omnes quos vult Deus salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.

62. Est autem familiare divinis eloquiis ut omnes nonnunquam dicant, hæc tamen omne humanum genus in ipsis omnibus semper intelligi debere commoneant; sicut est illud quod dicit Dominus per

A prophetam Joel: In novissimis diebus effundam de Spiritu meo super omnem carnem (Joel. ii, 28). Quod in centum viginti hominibus in quos Spiritus sanctus linguis igneis venit factum beatus Petrus ostendit. Si ergo hic omnem carnem omnes omnino putaverimus homines intelligi, incipiet (quod absit) mendax æstimari sermo divinus. Est autem Deus verax, et eloquia Domini eloquia casta (Rom. iii, 4; Psal. xi, 7). Super omnem igitur carnem sicut se Deus effusurum de Spiritu suo repromisit, sic fecit, sic facit, sic usque in finem sæculi facturus est. Prorsus super omnem carnem, id est super omnes homines effundit de Spiritu suo, scilicet super illos omnes^c quos vult salvos fieri.

63. Et ut qui sint omnes i. ti plenius noverimus, B ejusdem beati Petri sermonibus auscultemus, qui illam prædicationem suam sancto Spiritu repletus hab exhortatione conclusit: Pœnitentiam inquit agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti: vobis enim est repromissio et filiis vestris, et omnibus qui longe sunt, quoscunque advocaverit Dominus Deus noster (Act. ii, 38, 39). Omnes itaque dixit, sed quoscunque Dominus advocaverit. Quos etiam beatus Paulus secundum propositum vocatos insinuat, qui alio quoque loco ait, conclusisse Deum omnia in incredulitate, ut omnium misereatur (Rom. xi, 32). Et tamen Deus non ita omnium omnino miseretur quos in incredulitate conclusit, ut omnibus infidelibus gratiam fidei misericorditer donet,^d cum tamen eandem gratiam fidei non infidelibus Deus misericors donet, sed illis procul dubio de quibus ad Moysen dicit: Miserebor cui misereor, et misericordiam 321 præstabo cujus miserebor (Exod. xxxiii, 19). Gratiam igitur voluntariæ donationis ostendit, sicut Dominus suis dignatus est loqui discipulis: Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum (Matth. xiii, 11); item dicit: Qui potest capere cupiat (Matth. xix, 13). Sed (al. sic) ut ipsam capacitatem divina doceret largitate concedi, alio loco ait: Non omnes capiant hoc verbum, sed quibus datum est (Ibid., 11).

64. Hi sunt ergo omnes quorum Deus miseretur, quia misericordia ipsius præveniuntur, ut credant et D gratis salvi fiant per fidem. Eorum namque credulitas non ex humana voluntate sumit initium, sed ipsi voluntati fides gratuita Dei miserantis largitate datur. Hanc omnium discretionem, quam fidelis debet intellectus omnino servare, beatus Paulus uno Epistolæ suæ loco sic posuit, ut omnes homines sine aliqua exceptione dicens, statim quosdam omnes homines exceptis aliis intimaret. Ait enim: Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vita (Rom. v, 18). Nunquidnam quia in omnes homines in

^a Editi, cum bonam non donat voluntatem.

^b Sic ms.; edd. autem, salvari posse nisi volente Deo.

^c Editi, super illos homines. Ms., omnes.

^d Hæc verba, cum tamen eandem gratiam fidei non infidelibus Deus misericors donet, absunt a ms., leguntur in editis.

condemnationem, et in omnes homines in justificationem Apostolus dicit, ideo prorsus omnes homines, quos per peccatum Adæ originaliter constat esse damnatos, simul omnes eosdem credere debemus justificatos esse per Christum; cum innumerabiles infidelium mortes obsistant, qui sine gratia justificationis de hac vita transeunt, et absque sacramento baptismatis ad sedem mortis æternæ supplicia rapiuntur? Restat ergo ut non omnes omnino quos in condemnationem ponit Apostolus transire ad justificationis gratiam sentiamus, sed quosdam ex illis omnibus omnes istos^a: itaque omnes per Adam in condemnationem esse filios iræ, et ex eis quosdam per Christum omnes esse filios gratiæ; illos ergo esse omnes, quos per primum hominem propago peccatrix carnali generatione condemnat. Omnes enim terreni sunt, qui terreni hominis imaginem gerunt, et omnes cœlestes qui ad æternam vitam imaginem hominis cœlestis accipiunt. Iterum dicit propheta: *Omnes gentes quascunque fecisti venient, et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum*^b (Psal. LXXIV, 9). Dominus quoque suis fidelibus dicit: *Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum* (Matth. x, 22). Nunquid ergo contrariis sibi repugnat Scriptura divina sententiis? Absit. Sed et illos omnes, et istos omnes veraciter dicit, id est et omnes fideles qui nomen Domini in omnibus gentibus glorificant, et omnes incredulos qui per easdem omnes gentes in odio nominis Christi fideliumque ejus mortifera impietate perdurant.

65. Tale quiddam est etiam in Epistola quam Colossensis beatus Apostolus scribit, ubi dicit: *Quia in Christo condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates. Omnia per ipsum, 322 et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant* (Coloss. i, 16, 17). Et paulo post ait: *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliari omnia in ipsum*^c *pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris sunt, sive quæ in cœlis sunt* (Ibid., 19, 20). Nunquidnam omnia quæ in cœlis et in terris sunt per eum pacificari credemus^d? Absit. Qui enim sic sentire voluerit, bicipitem laqueum geminæ impietatis incurret, ut aut diabolum et angelos ejus per Christum creatos esse neget, aut eos reconciliandos per sanguinem crucis ejus affirmet. Verumtamen quisquis harum sententiarum pravitate qualibet involvitur, caveat ne cum ipso diabolo atque angelis ejus æternæ combustionis punitione damnatur. Unius enim ejusdemque impietatis est reus, si quis diabolum aut non a Christo creatum, aut reconciliationi Christi credat quandoque reddendum. Cum utique si eum Christus Dominus non creasset, ejus damnabilis a Christo

A discessio non fuisset; et si eum Christus quandoque salvaturus esset, non ore Christi pronuntiaretur ejus æterna combustio. Omnia ergo per Christum et in Christo creata sunt, quia nihil est quod non per Filium et in Filio creaverit Pater. Et omnia per ipsum atque in ipso reconciliantur, quia nullus est hominum qui sine cruce Christi^e reconciliationis beneficium consequatur.

66. Ex hac igitur regula quæ cœlestibus inserta monstratur oraculis, sic intelligamus omnes homines quos vult Deus salvos fieri, ut noverimus omnes qui salvantur, non nisi ex ejus gratuita bonitate^f salvari. Ut enim quisque salvetur, nulla præcedunt humanæ voluntatis bona merita, sed sola Dei voluntas humanæ salvationis est causa. *Ira enim in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus* (Psal. XXIX, 6). Ira igitur ejus nostræ iniquitatis est meritum, vita vero nostra voluntatis ejus est donum. *Sicut enim Pater suscitavit mortuos et vivificavit, sic et Filius quos vult vivificavit* (Joan. v, 21): eosdem autem vivificari vult quos vult salvos fieri. Sic ergo quos vult salvat, quemadmodum quos vult vivificat. Nihil namque voluit et non fecit qui, Scriptura teste, *omnia quæcunque voluit fecit* (Psal. cxiii, 11). Proinde non indigne dicimus aliquid Deum nolle quod possit; nefas est autem si quis omnipotentem dicat aliquid facere non posse quod velit: *Voluntati enim ejus quis resistit* (al. resistet) (Rom. ix, 19). Nemo utique, quia non est aliqua natura quæ ab ejus creatione sit aliena. Et sicut nihil naturaliter subsistit quod ille non fecerit, ita nihil provenit in salutem hominum, quod ille non in æterna bonæ voluntatis suæ dispositione faciendum prædestinaverit, a quo et fides gratis infunditur, per quam bene ambulemus; et perseverantia donatur, per quam ad speciem pervenire possimus. Hæc autem dona sua semper Deus in æterna atque incommutabili habuit^g voluntate disposita, in qua præordinavit atque præparavit et quæ daret, et quibus daret. Ipse enim 323 prædestinando præparavit gratiæ donum, qui gratiam donando implet prædestinationis effectum.

EPILOGUS. — 67. Habetis, dilectissimi fratres, tam de incarnatione Domini nostri Jesu Christi quam de gratia paucis expressam fidei nostræ confessionisque sententiam, qua certissime continetur, Unigenitum Deum de Deo Patre naturaliter sine initio natum, ex virgine naturaliter secundum carnem progenitum. Unus enim idemque est Deus Verbum, quem prima nativitate cœternum sibi genuit æternitas Patris, e^h quem temporaliter conceptum secunda nativitate filium hominis protulit uterus virginalis. Cujus gratia nobis, et initium bonæ voluntatis donatur ad fidem, et ipsi voluntati adjutorium tribuitur, ut quod bene vult bene operetur, Deus enim, qui hominem condidit

^a Sic ms. At editi, *quosdam ex illis omnibus. Omnes istos itaque.*

^b In editis deest *Domine*, additurque *in æternum*. Ms. autem addit *Domine*, nec habet *in æternum*.

^c Ms., *in ipso*. Editi, *in ipsum*, juxta Græcum sig. *ἐν αὐτῷ*.

^d Sic ms. At editi, *Nunquid diabolum et angelos ejus pacificari credemus?*

^e Ms., *sine cruce Christi fide*.

^f Ms., *voluntate*.

^g Editi, *habet*.

ipse prædestinatione sua et donum illuminationis ad credendum, et donum perseverantiæ ad proficiendum atque permanendum, et donum glorificationis ad regnandum quibus dare voluit, præparaverit, qui que non aliter perficit in opere quam in sua sempiterna atque incommutabili habet dispositum voluntate. Cujus prædestinationis veritatem, qua nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur Apostolus (*Ephes. i, 4*), si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante ultimum diem vitæ præsentis impietatis suæ contumaciam, qua Deo vivo et vero rebellis obstitit, non abjecerit, manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit et prædestinavit ad regnum. Pro quibus tamen nec oratio fidelium debet desistere, nec caritas aliquando torpere, ut Deus eis gratiam suæ illuminationis donet, per quam in ipsis semen divini sermonis fructificet, qui frustra exterioribus auribus sonat, nisi Deus spiritali munere auditum hominis interioris aperiat.

EPISTOLA XVIII.

Fulgentius Regino comiti, respondens ad priorem propositam ab ipso questionem: Utrum caro Christi corruptibilis an incorruptibilis fuerit. Posteriori, quia morte præventus satisfacere non potuit, satisfacit Ferrandus a epist. ad eundem de septem Regulis Innocentiæ.

CAPUT I. — Accipiens litteras tuas, filii carissime Regine, et sollicitudinem cordis tui agnoscens, Dominum collaudavi, qui potest utrumque, et bonum conferre servandum, et servare collatum. Utrumque enim pertinet ad medelam animarum nostrarum, quo gaudeamus in beneficiis quæ nobis infirmis medici **324** nostri non desinit ineffabilis operari benignitas, ut spiritali profectu et augeatur in nobis sanitas, et minuatur infirmitas. Modus vero infirmitatis nostræ duplici qualitate consistit: si vel per ignorantiam minus aliquid in fide noverimus, vel aliquid habeamus in operibus nostris, quod non conveniat regule veritatis. Quoniam igitur corpus quod corrumpitur, aggravat animam (*Sap. ix, 15*), ideo nos utraque conturbat infirmitas. Sed ille qui nos fecit, et gaudere præcepit quia vicit mundum (*Joan. xvi, 33*), speramus quia nos in fide, quæ per caritatem operatur, perficiet.

2. Dicis ergo quod nuper in Orientis partibus nova est orta inquisitio, aliis asserentibus incorruptibile fuisse corpus Christi ab ipso conceptionis exordio, aliis autem contrarium fatentibus, corruptibile ante passionem, incorruptibile vero post resurrectionem. Tu tamen in utraque parte valde hæsitans, nec respondere sciens, instas ut quid tenere debeamus commoneam. Hæc sunt quæ interrogas. Superius autem tuæ gratulationis indicio insinuas te meis litteris recreatum. Quoniam igitur interrogatio tua recti cordis tramitem tenuit, quo primitus quod ad fidem, deinde quod ad opera pertinet, apprehendit, quia

fidem, quæ per caritatem operatur, commendat apostolus, illo scilicet nostræ salutis obtentu, quod fides sine operibus mortua est in semetipsa (*Jac. ii, 26*).

CAP. II. — 3. Volo itaque, carissime, ut scias non uno modo dicere corruptionem, sed duobus modis, sicut dicimus infirmitatem, et similiter mortem. Dominus enim mortem inquit esse perpetrationem criminis, et mortem in qua retributio nihilominus intelligitur ultionis. Dicitur etiam infirmitas hominis, ejus scilicet qui exhibet peccato servitium, et ejus qui portat peccati supplicium. Utrumque ad infirmitatem pertinet peccatoris, et delectatio in peccatis, et afflictio pro peccatis. Sic etiam corruptionem dupliciter dicimus, cujus una pars in sola hominis culpa, altera invenitur in pœna. Ad culpam quidem pertinet illa corruptionis pars quam Apostolus ostendit, ubi dicit: *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem* (*II Tim. iii, 8*). Ad hanc partem corruptionis pertinet quod alio loco dicit, *Corrumpunt mores bonos colloquia prava* (*I Cor. xv, 33*). Ista corruptionis pars primo animam capit, et per animam carnem in peccatum trahit. Hæc pars corruptionis mentem superbientis angeli primo invasit, ac deinde primum hominem, postmodum totum genus humanum.

4. Primam ergo corruptionis partem, quæ consistit in concupiscentia vel perpetrato peccati, secuta est illa pars quæ constat in retributione supplicii, quæ duobus tenet animam et corpus hominis peccatoris. In ipsa quoque retributione quædam sunt in quibus pœna peccati simul sit et ipsum peccatum: alia vero sunt, in quibus solum sit peccati supplicium. In illis ergo in quibus reperitur pœna simul et culpa, opere quo reatus in peccatore punitur, Deo derelinquente, augetur homine delinquente. Hæc est illa pars corruptionis per quam sic peccata puniuntur in homine ut non desinant, sed ut crescant: sicut est libido **325** cordis et corporis, quæ cum ex pœna peccati eveniat, peccatum multiplicat, et animam punitioni subditam noxia delectatione captivat. Tertiam quoque punitionem huic secundæ retributam Apostolus dicit: *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt* (*Rom. i, 28*). Non ergo ut patiantur tantum, sed ut faciant unde peccata multiplicentur, divina in reprobum sensum damnatione traduntur. Verumtamen hæc traditio, non in operatione Dei, sed in desertione consistit. Quosdam enim tradit Deus, nec dimittit: quosdam vero in eo quod tradit dimittit. Bonos sic tradit paterna benignitate, ut non deserat paterno juvamine. Ac per hoc tradit eos ad patiendâ mala quibus ipsi perficiantur, non ad faciendâ quibus deteriores existant. Malos autem ad hoc tradit Dominus, et dimittit, ut, ipso deserente, dum non Dei voluntatem, sed suam sequuntur, sua turpitudine delectentur, nec pœnam suam portent inviti, sed sequantur illecti.

CAP. III. — 5. Hæc est iniquorum corruptio, quæ a sic est pœna peccati, ut sit et ipsa peccatum. Alia corruptionis pars est quæ nec animam nec corpus fidelis hominis polloit, sed affligit: quia nec ad inquinandum hominem, sed ad humiliandum militat peccatorem. Hac itaque discretione retenta, dum corruptionem voluntariam a corruptione pœnali discernimus, ipsiusque pœnalis corruptionis unam partem cum peccato, alteram sine peccato inesse hominibus invenitur, talis autem corruptio cordis nihil aliud est, nisi privatio sanitatis, quia nulla ex hac corruptione contrahitur iniquitas, licet insit infirmitas: facillime invenimus quam partem corruptionis suscepit Christus in corpore. Nam quamvis carnem pro nobis susceperit, tamen accepit immunem ab omni peccato originali et actuali. Ipsam tamen carnem, non solum infirmam, sed etiam veraciter cognoscitur accepisse mortalem. Procul dubio in quantum corpori ejus inerat suscepta mortalitas, in tantum ei potuit inesse corruptionis infirmitas. Illius scilicet corruptionis quæ abest ab omni peccato.

6. Ad talem corruptionem pertinet fames et sitis. Facile siquidem esuriendo et sitiendo corpus mortale corrumpitur, quando per hæc etiam ad ipsius mortis exitum pervenitur. Per quam mortem venit ad corruptionem, dum, deserente anima, in tantum corpus corrumpitur, ut in putredinem ac pulverem redigatur. Hanc corruptionem caro Christi non vidit, quæ die tertia resurrexit. Famem tamen, sitim, fatigationem corporis ac dolorem veraciter sensit: quæ omnia pertinent ad illam partem pœnalis corruptionis quam sic ex peccati pœna supplicio trahimus, ut ex ea nullum peccati supplicium contrahamus. Esurisse Christum, sitisse fatigationemque sensit Evangelium docet (Marc. xi, 15), quem manifestum est esurisse, quando ad siculneam venit, nec in ea fructum invenit. Fatigatus etiam ex itinere sedit super puteum (Joan. iv, 6). In cruce etiam dixit, Sitio (Joan. xix, 28). Dolorem etiam sustinuit, sicut dicit Esaias: *Vulneratus est propter iniquitates nostras; infirmatus est propter scelera nostra* (Isa. lxxv, 5). Hanc infirmitatem in Domino non putativam, sed veram docet Apostolus: *Nam etsi crucifixus est, inquit, et infirmitate, sed vivit ex virtute* 326 *Dei* (II Cor. xiii, 4). Infirmitatem non aliud dicit, quam corruptibilitatem.

CAP. IV. — 7. Restat itaque ut et Christum fuisse in aliqua corruptione ad quam non rediit, et non fuisse in ea quam non vidit, per sacram Scripturam diseamus. Ad corruptionem pertinet corporis animalis, et mors quæ præcedit putredinem, et putredo quæ sequitur mortem. Proinde Christi corpus, quod est vere mortuum, et die tertio sine aliqua putredine suscitatum, unam partem corruptionis vidisse, aliam non vidisse dicendum est. Fuit quippe in corruptione mortis, sed non in corruptione putredinis: quando caro Christi sic est mortua, ut nulla fuisset membrorum putredo, vel dissolutio subsecuta. Christus ergo non revertetur in corruptionem, quia *surgens a mortuis, iam non moritur, et mors illi ultra non do-*

tur (Rom. vi, 9). Christus ergo non vidit corruptionem, quia nullam sensit caro ejus putredinem. Hoc autem non ejusdem carnis incorruptibilitas, sed resurrectionis celeritas fecit. His omnibus in quibus nostræ seminationis ac resurrectionis certissimam qualitatem verbis apostolicis sanctus Augustinus ostendit, dicens: *Constat itaque, neque ullo modo dubitandum est, corpus Christi, quod licet corruptionem putredinis in sepulcro non senserit, quia scriptum est, « Non dabis sanctum tuum videre corruptionem (Psal. xv, 10), » clavus tamen et lancea corrumpi potuit, nunc omnino in incorruptione persistere; et quod in contumelia passionis mortisque seminatum est, nunc esse in gloria vitæ æternæ; et quod ex infirmitate potuit crucifigi, nunc in virtute regnare; et quod erat corpus animale, quoniam ex Adam sumptum est, nunc spiritale esse, quoniam spiritui nunc inseparabiliter copulatum est* (Epist. ad Consentium, alias 146, nunc 205).

8. His verbis Augustinus ostendit quale corpus Christi post resurrectionem sit, et quale ante passionem fuerit. Evidenter confirmat corpus Christi omnino nunc in incorruptione persistere, nunc etiam in gloria vitæ æternæ, nunc in virtute regnare, nunc spiritale esse. Sed corpus non est omnino incorruptibile, quod dolorem potest per vulnera sentire. Quocirca apparet Christum ante passionem, imo usque ad passionem et mortem, mortale atque animale corpus habuisse; et pro nobis in eodem corpore veram famem, veram sitim fatigationemque sensit, vera clavorum ac lanceæ percepisse vulnera; et ex hoc verum dolorem non necessitate, sed voluntate sensit, veræque mortis acceptance pro nobis animam suam propria potestate posuisse. Consequens est ut idem Christus ex infirmitate mortuus, ex virtute autem Dei suscitatus, nostris inveniatur exemplum præbuisse corporibus. Humiliavit enim se Christus usque ad susceptionem totius infirmitatis nostræ: ut, sicut ait Apostolus, *reformetur corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ* (Philip. iii, 21).

9. Hinc ergo manifestissime apparet quid de animalis ac mortalis corporis qualitate debeat omnis Christianus firma credulitate sentire: impossibile ut corruptibilitas esse negetur, ubi animalis corporis mortalitas invenitur. Christus ergo in sola carne portavit nostram corruptionem, in qua veraciter nostram portavit et mortem. In anima vero sic perfectam incorruptibilitatem servavit, sicut peccatum nec propagine 327 traxit, nec contagione contraxit. Unde et infirmitates animarum nostrarum quas in sua rationali anima portavit Christus sine ulla corruptione portavit. Nullus quippe potuit defectus inesse virtutis, ubi infirmitatis susceptione indefessa permansit perfectio caritatis, quæ Unigenitum Deum fecit usque ad mortem pro nobis accedere, et confusione contempta crucis opprobrium sustinere.

10. Propter quod tristitiam, mœrorem, vel quas nostrarum animarum infirmitates habuit Christus, veras quidem, sed voluntarias habuit. Veras scilicet

liet, ut manifestum in se animæ rationalis monstraret affectum; voluntarias, ut nostris infirmitatibus adfuturum ostenderet suæ virtutis auxilium; ut agnosceremus nos ipso adjuvante in infirmitatibus, quas necessitate patimur, fulciendos. Qui propterea voluntate nostras infirmitates acciperet, ut et in hac viâ infirmitatum necessitate turbatis auxilium contulisset, et post hanc vitam omnem a nobis infirmitatis necessitatem misericorditer abstulisset. Ac sic

A omnis fidelis agnoscens Christum participem humanæ infirmitatis, certissime speraret participem se fore divinæ virtutis, nec se ambigeret illius virtute firmandum, quem pro se cognovisset non necessitate, sed voluntate turbatum; in ipso habiturum æternam lætitiâ, cui suam voluntate videret inesse tristitiâ, qui sicut mansit in tribulatione tranquillus, in morte securus, sic in infirmitate fortissimus, et in humilitate altissimus.

S. FULGENTII AD FELICEM NOTARIUM, DE TRINITATE LIBER UNUS.

328 CAPUT PRIMUM.

Quoniam me, filii carissime Felix, fidei calore succensus sæpius percunctaris, quomodo de sancta Trinitate, quæ Deus est, credere debeas, vel qualiter possis fidem catholicam atque orthodoxam contra hæreticorum errores, præsertim quorum societate frueris, Domino auxiliante defendere, ac per hoc eorum insidias evitare; necessarium tibi que commodum duxi tuis petitionibus respondere. Sed utinam tam congrue ac convenienter, quam mihi est velle, ipsa scilicet incommutabilis Trinitas, in cujus manu sunt et nos, et sermones nostri, ad annuntiandum se et sermonem rectum, et fidem sinceram tribuat, quatenus sancto desiderio tuo, studio discendi flagranti ad plenum satisfacere valeam. Illam itaque fidem crede sincerissimæ menti tuæ nos velle notescere, per quam justificati sunt patriarchæ, prophetæ, apostoli, martyres coronati, quam hactenus per totum orbem sancta tenet Ecclesia, cujus splendor credentium mentes illustrans æternæ vitæ facit esse participes. Quæ usque nunc per successionum seriem in cathedra Petri apostoli Romæ vel Antiochiæ, in cathedra Marci evangelistæ in Alexandria, in cathedra Joannis evangelistæ Ephesi, in cathedra Jacobi Hierosolymæ, ab episcopis ipsarum urbium prædicatur. Coge ergo Arianos, Donatistas, Nestorianos, Eutychianos, Manichæos, et reliquas hæreseon pestes hisce communicare Ecclesiis quibus apostoli præcederunt. Non consentiunt, quia per pravitatem fidei ab Ecclesiæ unitate divisi in parte esse voluerunt. Unde et Joannes apostolus ait: *Ex nobis exierunt*; **329** *sed non erant ex nobis. Quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum* (1 Joan. xi, 19). Ex nobis utique exierunt, quia se ab Ecclesiæ unitate corde insanissimo separaverunt. Non erant ex nobis, scilicet prædestinatis, et ad æternam videlicet vitam electis. Non erant quippe ex his de quibus Dominus dicit: *Ego elegi, et posui vos ut eatis, et fructum plurimum afferatis, et fructus vester maneat* (Joan. xv, 16). Sed nec in Abrahamæ semine benedicuntur, secundum quod Dominus ad Abraham ait: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (Genes. xxvi, 4); et Apostolus subnectens adjungit: *Non in seminibus*

B quasi in multis, sed in semine tuo, quod est Christus (Galat. iii, 16). Cum omnes gentes in Christo et per Christum in unitatem fidei benedici mereantur, hæretici non sunt benedicti, quia non habent unitatem fidei, sed erroris pastu saginati, per superbiam facti sunt, non filii Dei, sed filii diaboli. Unde et obscuratos habentes cordis oculos, nequeunt cernere totum mundum sanguine Christi redemptum, et in fidei unitate concordem, secundum quod de primatiua Ecclesia designatur: *Erat illis, inquit, cor unum et anima una in Deum* (Act. iv, 32). Sic totus mundus redemptus, sic totus mundus in cunctis gentibus nuncupatur redemptus. *Et timebunt gentes, inquit, nomen tuum, Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam* (Psal. ci, 16). Et iterum: *Omnes gentes quascunque fecisti venient, et adorabunt coram te, Domine* (Psal. lxxxv, 9), et rursus: *Commemorabuntur, inquit, et convertentur ad Dominum universi fines terræ; et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium. Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium* (Psal. xxi, 28, 29). Quid infelices dicant qui præcisi ab Ecclesia Dei, corde impœnitenti ipsi Ecclesiæ contradicunt; et dum eandem, quæ tunica Domini est inconsutilis, scindere nituntur, ipsi facilius scissi sunt? Hi percunctentur sigillatim. Ille dicit sanguine Christi se esse redemptum. Ergo solum pro Arianis, aut tantum pro Donatistis effusus est sanguis Christi? Absit. Non sic dicit Veritas. Non sic dicit Deus ad Abraham: *In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes* (Genes. xxvi, 4). Non una gens, sed omnis. Non illa et illa, sed cunctæ. Sed neque in diversa fide, sed in una: dicente Apostolo, *Una fides* (Ephes. iv, 5). In una scilicet fide salvantur credentes: per unitatem fidei Ecclesia catholica habet cor et animam unam in Deum. Hæc fides recta, quæ facit diversa corda credentium unum esse, Pauli apostoli ore laudatur. *Gratias, inquit, ago Deo, quia fides vestra annuntiat in universo mundo* (Rom. i, 8). Fides una, quæ in totum mundum annuntiat, ipsa laudanda ac prædicanda est.

CAPUT II.

Accipe fidem, in qua jam olim renatus es credere

in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Pater Filius non est, Filius Pater non est, Spiritus sanctus nec Pater nec Filius. Et cum tres sint, quod est, rogo, nomen unum Patris et Filii et Spiritus sancti in quo nos oporteat baptizari, nisi illud scilicet nomen Deitatis, quod triplicari non potest? Quamvis enim dicamus Patrem Deum, Filium Deum, Spiritum sanctum Deum, tamen non dicimus tres deos, quia scriptum est: **330** *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est (Deut. vi, 4)*. Unus est igitur Deus in natura, non in persona: quia alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. Pater a nullo est genitus, Filius a Patre est genitus, Spiritus sanctus a Patre Filioque procedens est. Pater non sibi est, sed Filio; Filius non sibi est, sed Patri; Spiritus alicujus est aspirantis: ergo ad Patrem Filiumque refertur. Ista itaque relativa nomina Trinitatem faciunt; essentialia vero nullo modo triplicantur, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus sanctus. Pius Pater, pius Filius, pius Spiritus sanctus. Justus Pater, justus Filius, justus et Spiritus sanctus. Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens et Spiritus sanctus. Et tamen non dicimus nec tres Deos, nec tres bonos, nec tres pios, nec tres justos, nec tres omnipotentes, sed unum Deum, bonum, pium, justum, omnipotentem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum: ubi est una natura, essentia, vel substantia. Quodlibet enim de his nominibus in illa sancta summaque Trinitate dixeris, unum idemque significat. Non est diversa Patris et Filii et Spiritus sancti essentia. Quod si esset, nec veraciter Filius a Patre gigneretur, nec Spiritus sanctus a Patre Filioque procederet. Sed quia verus est Filius, id est de essentia Patris genitus, verus est et Spiritus sanctus, a Patre Filioque procedens. Quod si Filius aut Spiritus sanctus alterius generis sunt quam Pater, nec Filius veraciter Patris est, quem extraneum facit differens essentia; similiter nec Spiritus sanctus a Patre Filioque procederet, quod dementis est dicere: quia sancta Scriptura, et Filium a Patre genitum, et Spiritum sanctum a Patre procedentem fidei manifestat narratione.

CAPUT III.

Ergo sunt tria quædam cœterna, consubstantialia, coessentialia. Sed cum quæreretur a Patribus, et diceretur: Quid tria? nec essentias, nec substantias, nec naturas dicere ausi sunt; ne aliqua forte diversitas crederetur essentialium, aut naturarum, aut substantiarum: sed dixerunt tres personas, unam essentiam: uti una essentia declararet Deum unum, tres autem personæ sanctam Trinitatem ostenderent. Nec hoc dicimus, quod tantummodo Deus Trinitas sit, et non unaquæque persona. Nam et Pater solus Deus est, et Filius solus Deus est, et Spiritus sanctus solus Deus est. Solus dico, quia Pater non est Filius et Filius non est Pater, et Spiritus sanctus non est Pater aut Filius. Cæterum Trinitas inseparabilis, incommutabilis, infinita non recipit tres deos, sicut

non recipit tres esse. . . .s, aut substantias, aut naturas, et idcirco nullatenus dicendus est Filius in id quod æqualis est Patri, aut creatus ex aliquo, aut de nihilo substitutus: quia quod est Pater hoc genuit, Deus Deum, lux lucem, incommutabilis incommutabilem, infinitus infinitum, æternus cœternum. Similiter et de Spiritu sancto credimus quia hoc est quod ille a quo procedit. Videamus igitur deinceps utrum hæc quæ diximus sanctarum Scripturarum **331** testimoniis approbemus. Primum etiam quærendum est si Deus Trinitas sit. *Faciamus, inquit, hominem ad imaginem et similitudinem nostram (Genes. 1, 26)*. Et rursum, *Venite, descendamus, inquit, et confundamus ibi linguas eorum (Genes. xi, 7)*. *Nostram* vero, et *descendamus*, pluralitatem personarum, non deorum insinuat. Similiterque Abrahæ visio trium virorum et unius Domini deprecatio. *Et: Pluit Dominus a Domina super Sodomam et Gommorrham sulphur et ignem a Domino (Genes. xix, 24)*. *Et: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis (Psal. cix, 1)*; *Et: Verbo Domini cæli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum (Psal. xxxii, 6)*. Quid aliud hæc quam Trinitatem ostendunt? Apertiusque sane Dominus in Evangelio: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (Matth. xxviii, 19)*. Et rursum: *Facta est vox de cælo dicens: Hic est Filius meus dilectus: ipsum audite (Matth. xvii, 5)*. Identidemque ait, *Vidit Spiritum Dei descendentem, et manentem sicut columbam in ipso (Joan. 1, 32)*.

CAPUT IV.

En habes in brevi alium esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum sanctum: alium et alium in persona, non aliud et aliud in natura; et idcirco *Ego, inquit, et Pater unum sumus (Joan. x, 30)*. Unum, ad naturam referre nos docet, *Sumus*, ad personas. Similiter et illud: *Tres sunt, inquit, qui testimonium dicunt in cælo, Pater, Verbum, et Spiritus, et hi tres unum sunt (I Joan. v, 7)*. Audiat Sabelhus *sumus*, audiat *tres*, et credat esse tres personas, et non sacrilego corde blasphemet, dicendo ipsum sibi esse Patrem, ipsum sibi Filium, ipsum sibi Spiritum sanctum: tanquam modo quodam seipsum gignat, aut modo quodam a seipso ipse procedat; cum hoc etiam in naturis creatis minime invenire possit, ut aliquid seipsum gignere valeat. Audiat scilicet et Arius, *Unum*, et non differentis Filium dicat esse naturæ, cum natura diversa unum dici nequeat. Filius itaque clamat, *Ego et Pater unum sumus (Joan. x, 30)*; et: *Qui me videt, videt et Patrem (Joan. xiv, 9)*. Et Apostolus de eo: *Qui cum in forma Dei, inquit, esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (Philip. ii, 6)*; et: *Propterea, inquit in Evangelio, quærebant Judæi Jesum interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo (Joan. v, 18)*. Et Arius blasphemus spiritu contradicit: Non sunt unum, non sunt æquales, quia ipse Filius de se dicit: *Pater major me est (Joan. xiv, 28)*; et *missum sese*

sæpenumero a Patre testatur. O infelix error pestiferaque doctrina, ignorans dispensationem hominis ob salutem generis humani temporaliter factam! Rogo, secundum quid major est Pater Filio? secundum substantiam, an secundum potentiam, an secundum bonitatem, an secundum incorporalitatem, an secundum æternitatem? Si innascibilis Dei Patris Unigenitus Deus imago est, perfectæ atque absolutæ in eo substantiæ veritas inest, per quam efficitur esse eum imaginem veritatis. Potens est Pater, sed si infirmus est Filius, imago jam non est potentis. Bonus est Pater, sed si in diversi generis divinitate Filius est, boni imaginem mali natura non reddit. Incorporeus Pater est, sed si Filius secundum spiritum circumscriptus est corpore, jam incorporei non est forma corporeus. Æternus **332** est Pater, sed si Filius non est cœternus, temporaliter Patri nomen paternitatis accessit; et jam non omnia per Verbum facta sunt, quia reperitur tempus ante Verbum anterius, quando Pater fuerit sine Filio. Sed imaginem Dei Patris Verbum, et omnia per ipsum facta Scriptura evidenter declarat. An forte ad hoc impiæ professionis suæ sensum propagat, ut Spiritum sanctum bonum quidem, sed Filium meliorem, et Patrem optimum esse credat, aut Spiritum sanctum potentem, sed Filium potentiorum, et Patrem potentissimum sensu sacrilego astruat; aut sanctum Spiritum justum, sed Filium justiorum, et Patrem justissimum blasphemando edoceat? Ergo non tenetur sub unius Dei professione, sed ethnicorum more plurimorum deorum cultui mancipatur, dum Deum Patrem majorem, Filiumque minorem, et Spiritum sanctum plusquam minorem præsumptione temeraria suspicatur. Deum majorem, et Deum minorem habeat error eorum qui Israel esse nolunt, nec obturatis auribus audiunt: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est (Deut. vi, 4)*; et illud: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies (Ibid., 13)*.

CAPUT V.

Sed ne forte cæcato corde Filium, aut Spiritum sanctum Deum esse non credant, et more Judæorum blasphemantium Deum esse abnegent, sacrarum Litterarum testimoniis convincantur. *Quorum Patres, inquit Apostolus, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est benedictus Deus in sæcula (Rom. ix, 5)*. Et rursus Joannes apostolus: *Ut simus, inquit, in vero Filio ejus Jesu Christo. Ipse est verus Deus, et vita æterna (I Joan. v, 20)*. Et de Spiritu sancto Joannes evangelista: *Spiritus, inquit, Deus est (Joan. iv, 14)*. Et Apostolus dum Spiritum sanctum inhabitatorem Ecclesiæ diceret: *Nescitis, inquit, quia membra vestra templum est Spiritus sancti? Glorificate et portate Dominum in corpore vestro (I Cor. vi, 19, 20)*. Et in Actibus apostolorum: *Anania, inquit Petrus, cur tentavit cor tuum Satanas mentiri te Spiritui sancto (Act. v, 3)*? Et paulo post subjungit: *Non es hominibus mentitus, sed Deo (Ibid., 4)*. En habet Filium Deum, Spiritum sanctum Deum. De Patre quod Deus sit, non opus est approbare, quem

ille sine ambiguitate Deum credit. De Filio autem vel de Spiritu sancto omnis pene hæc sancta Scriptura resonat; sed pro brevitate sermonis pauca inde decerpimus. Minorem autem, aut missum Filium secundum id credimus quod et Apostolus ait, *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege (Galat. iv, 4)*. Factum autem ex muliere, id est de Virgine Maria natum: quia ille qui erat natus ex Patre sine initio de matre nascendo accepit certum temporis initium. *Qui etiam cum in forma Dei esset, inquit Apostolus, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo, humiliavit se usque ad mortem, mortem autem crucis (Philip. ii, 6)*. *Qui cum in forma Dei, ait, esset, id est cum substantia Deus esset, non rapuit deitatem, quam naturaliter habebat cum Patre; sed semetipsum exinanivit, id est, non in id quod Deus est, et æqualis Patri, generi humano apparuit; sed homine assumpto, non Deo consumpto, in unitate personæ, et in hoc **333** mundo apparuit, et passiones sustinuit, et affectiones humanas, quas decuit et voluit, sine vitio transcurrit. Secundum hanc formam humanam non est æqualis Patri, dicente ipso, *Pater major me est (Joan. xiv, 28)*. Secundum illam vero qua æqualis est Patri, ait: *Ego et Pater unum sumus (Joan. x, 30)*. Secundum formam humanam, venit in mundum peccatores saluos facere (I Tim. i, 15); secundum divinam, in mundo erat, et mundus per ipsum factus est (Joan. i, 10)*. Et idcirco duas substantias sive naturas, sive formas (quodlibet de his dixeris, idem est), credere nos oportet in uno Filio Dei; unam profecto Dei, alteram hominis, ut credatur Deus verus, et homo verus unus Filius Dei: ne, sicut Nestorius, hominem ex Virgine Maria natum quartam personam introducentes, a Trinitate excidamus; neque, ut Eutyches, hominem verum non credentes, Filium Dei sine hominis assumptione, id est unius substantiæ esse credamus; aut certe ex duabus substantiis unam fieri potuisse substantiam arbitremur. Quia Filius Dei, ut diximus, in unitate personæ suæ totum hominem assumpsit, id est animam rationalem, et carnem, secundum quod dictum est per Prophetam: *Ecco virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabitur (al. vocabitis) nomen ejus Emmanuel (Isa. vii, 14)*, quod est interpretatum, *Nobiscum Deus (Matth. i, 23)*. Homo igitur et Deus est, qui de Maria natus est; homo et Deus est, qui crevit ætate; homo et Deus est, qui cruci affixus est, qui etiam resurrexit, cælosque ascendit, sedetque ad dexteram Patris. Et quamvis propter unitatem personæ Deus homo sit, et homo Deus sit, tamen secundum hominem Deus dicitur crucifixus, Deus dicitur passus, Deus dicitur mortuus. Nam secundum id quod Deus est, impassibilis immortalisque rite creditur.

CAPUT VI.

Ergo manet in Christo utraque natura veritatem servans, ita ut nec humana in divinam translata de-

cinat esse homo, nec divina in humanam transferatur, et desinat esse Deus. Sic igitur ut una genita, creata altera; una intemporalis, altera temporalis; una sine initio, altera cum initio. Et quamvis illa genita et intemporalis ad Patrem et Spiritum sanctum pertineat; temporalis tamen et creata nullo modo: quia revera quidquid naturæ est Patri, gignendo dedit Filio; quidquid naturæ ex tempore aut extrinsecus accessit Filio, non redundat ad Patrem neque ad Spiritum sanctum. Et cum sit una substantia tota Trinitas, non ad totam Trinitatem homo Christus pertinet, nisi tantum ad Filium. Nec enim fas est credere Patrem aut Spiritum sanctum hominem assumpsisse, aut secundum hominem passos fuisse. Spiritus autem sanctus, quanquam minor nusquam in Scripturis reperitur, tamen missus evidentissime reperitur scriptus. Pro qua re sibimet hæretici collum ligant, et coarctato ac potius suffocato intelligentiæ suæ spiritu, creatorem suum sanctum Spiritum non agnoscunt, dum cum creaturam esse definiunt. Si creatura esset, creator utique esse non posset, quia creatura creaturam non format de nihilo. Et cum in Genesi hominem Deus ad imaginem suam dicat esse formatum (Gen. 1, 27), et Job sese **334** a sancto Spiritu narret esse plasmatum: *Spiritus, inquit, divinus qui finxit me (Job xxxiii, 4);* liquide claret cooperatorem esse Patri ac Filio Spiritum sanctum, et in hominis formatione, et in angelorum similiter substitutione, secundum illud Psalmographi: *Verbo Domini cæli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum (Psal. xxxiii, 6).* Si Deus est, si creator est, si baptismum consecrat, quare missus dicitur? Missus quippe in eo quod super Christum in columbæ specie venerit in flumine, quod supra apostolos venerit in igne. Ipsa quippe apparitio missio est. Nam ubi mittitur, qui ubique est? *Spiritus, inquit, Domini replevit orbem terrarum (Sap. 1, 7).* Et rursum: *Domine, quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam. Si ascendero in cælum, tu ibi es; et si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas in directum, et habitavero in novissimo maris: etenim illic (al. illic) manus tua deducet me, et continebit me dextera tua (Psal. cxxxviii, 7 et seq.).* Nihil scilicet prætermisum est mundi, ubi non præsentiam totius Trinitatis esse monstraret. Quo modo Filium credimus missum secundum hominem, ita missum Spiritum sanctum propter columbam vel ignem. Sed Filius assumptum hominem propter hominem ita suæ personæ conjunxit, ut esse semper habeat, nec unquam desinat, aut aliquando finem accipiat; Spiritus vero sanctus, ita columbam vel ignem, ut factæ illæ visiones ex tempore esse postea desinerent.

CAPUT VII.

En habes propter quid dicatur missus Spiritus sanctus. Sed jam satis sint ad corroborandam fidem tuam hæc pauca quæ diximus; quia Pater et Filius et Spiritus sanctus unus Deus sit. Non est certe creata natura, non terra, neque aqua, neque aer, neque ignis. Ex his enim elementis animalium compacta sunt corpora.

A Non est certe spiritus irrationalis, sicut est in pecoribus; neque spiritus rationalis, sicut est in hominibus aut angelis; sed est Deus Trinitas immutabilis, creans omnia per bonitatem suam, creatus a nemine. Quis itaque potest ut dignum est, et ut se habet illa infabricata forma, a quo formata sunt universa, vel mente percipere, quanto magis eloquio proferre, nisi quod ita creditur ac dicitur Trinitas Deus? Hæc autem Trinitas increata, creaturæ suæ indidit Trinitatis qualiacunque vestigia. Sic enim scriptum est, quod *omnia in numero, in mensura, et pondere, disposuerit (Sap. xi, 21).* Omne scilicet corpus, sive parvum, sive magnum sit, et numerum habet pro quantitate partium, et mensuram habet, et pondus; nec esse posset numerus sine pondere, aut mensura sine pondere et numero. Ubicumque enim fuerit unum horum, sine duobus esse non potest. Sed ecce in corporeis rebus facile approbantur pondus, numerus, et mensura: quomodo in incorporeis rebus reperiri queat videamus. Igitur in anima hominis memoria inest, consilium, et voluntas. Hoc enim cogitas quod vis, quod etiam memoria tua continet. Voluntas enim tua amor tuus est. Hoc enim recordaris, quod amando in cogitatione tua adducis. Tria sunt, memoria, consilium, et voluntas, quam diximus esse **335** amorem, et inseparabilia sunt, et unum sunt, et alterum sine altero esse nequit. Quidam etiam Patrum elegantior hæc tria inesse dixit animæ, cum Deum oraret: « Meminerim te, intelligam te, diligam te; » et in his Dei imaginem esse docuit. Imago quippe Dei humana anima, non genita, sed creata; non æqualis, sed similis.

CAPUT VIII.

Hæc propterea breviter insinuavi caritati tuæ etiam in rebus creatis aliqua signa esse illius summæ Trinitatis, ut evidenti ratione pateat quantus sit error hæreticorum, ut cum in rebus creatis et Trinitas et unitas sit, ipsam Trinitatem quæ Deus est in unitate naturæ esse non credant. Hujus scilicet æternæ atque incommutabilis Trinitatis potentia creata sunt omnia; sed excellentiorem ac primam in creaturis ortam reperimus rationalem angelorum naturam, de Dei sui dono beatam, et per liberum arbitrium beatificatam non jugiter adhærentem. Ex quibus quedam pars angelorum, nolens sui creatoris facere voluntatem, ab ejus contemplatione dejecta servatur in judicio punienda, Petro apostolo dicente: *Deus angelis peccantibus non pepercit; sed catenis inferni detractos in tartarum tradidit in judicium reservari cruciandos (II Petr. ii, 4).* Merito quippe pœna ignis æterni in perpetuum punientur: quia si voluissent in sua perseverare beatitudine, suffragabatur eis utique voluntas libera. Per quam voluntatem ad seipsos, non ad Deum conversi, effecti per superbiam tenebrosi et in hujus aeris ima detrusi servantur in judicium puniendi: nullum in eis voluntatis bonæ remansit vestigium. Illi autem qui servaverunt id quod facti sunt per idem liberum arbitrium, Deo scilicet creatori suo incessanter adhærentes, per id quod steterunt gratia Dei beatiores effecti sunt: sic etiam ut volun-

tas eorum, nec velle habeat peccare, nec posse; quoniam quamvis mutabiles facti fuerint per naturam, immutabiles sunt facti per gratiam: stabiles etiam et certi de sua beatitudine nullatenus amittenda, fruuntur Deo, cujus contemplatione beati sunt.

CAPUT IX.

Plane ex duplici eos esse substantia asserunt magni et docti viri, id est ex spiritu incorporeo, quo a Dei contemplatione nunquam recedunt, et ex corpore, per quod ex tempore hominibus apparent, approbantes hoc ex illo loco psalmi ubi dicit: *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem* (Psal. ciii, 4). Corpus ergo æthereum, id est igneum, eos dicunt habere; angelos vero malos, id est dæmones, corpus aereum. Ergo post lapsum malorum, et stabilitatem bonorum, placuit omnipotenti Deo aliam condere creaturam rationalem, libero arbitrio exornatam, per quam numerus ille angelorum de caelo labentium qui perierat suppleretur. Hominum dico primorum, secundum animam ex nihilo, secundum corpus ex limo substitutorum: secundum animam, rationalem et immortalem; secundum corpus **336** vero si non peccasset, immortalem; si autem peccasset, mortalem, talem scilicet quod mori posset, dicente Apostolo, *Corpus quidem mortuum est propter peccatum* (Rom. viii, 10): quoniam pœna peccati mors inflictæ est corpori. Excepta enim spiritus morte in id quod deseruit a Deo, hanc etiam accepit in carne: quia sicut vita est animæ beate vivere, id est frui Deo; ita mori est corpore ab anima deseri. Harum mortium disparem pœnam expertus non esset, si non peccasset. Factus itaque homo rectus, et ad imaginem Dei sui secundum rationem et intellectum fictus atque formatus, legem accepit, quam non transgrediendo beatus esset, quoniam habebat liberum arbitrium, ut posset bonus esse si vellet, non quidem sine gratia Dei qua ipsa regebatur voluntas, ut vellet; et tamen in potestate ejus erat ipsam gratiam deserere cum voluisset. Quia voluit et peccavit, ob hoc etiam merito damnaretur in æteram, atque omnis stirps ejus in perpetuum cum angelis prævaricatoribus puniretur, nisi gratia superveniret per Jesum Christum Dominum nostrum. Ipsius enim mors humanum genus a potestate diaboli liberavit, quod quadam justitia Dei ei traditum fuerat possidendum, et dominabatur in eis, ut in filiis diffidentiae, sicut Apostolus ait (Ephes. v, 6). Ergo mors Christi quam sine peccato suscepit, vitam tribuit peccatori. Suscepit hominem Unigenitus Dei, et Verbum caro factum est, qui inter Deum et homines mediatoris fungere officio: ut quia per liberum arbitrium reverti ad Deum minime poteramus, per Deum hominem factum reverti possimus. Per hunc mediatorem a diabolo gratis occisum ipse diabolus auctor mortis amicit quos idem mediator judicio judicavit occulto.

CAPUT X.

Non igitur gloriatur homo de meritis suis, sed qui gloriatur, in Domino gloriatur (II Cor. x, 17)? Quid enim habet, quod non accepit? quod si accepit, quid

A gloriatur quasi non accepit (I Cor. iv, 7)? Sic enim ipse Dominus ait: *Si vos Filii liberaveris, tunc vera liberi eritis* (Joan. viii, 36). Liberatio nostra in ejus arbitrio, in ejus sita est voluntate. *Quoniam ira in furore ejus, et vita in voluntate ejus* (Psal. cxxix, 6), ait Psalmographus. Unde quod damnatur reus, suis deputet meritis; quod liberatur, gratiæ Redemptoris. Nec hoc dicimus, quod liberum arbitrium perdiderit humanum genus. Habet enim, antequam liberetur gratia Salvatoris, ad malum, non ad bonum proclive. Quapropter ipsum liberum arbitrium gratia Dei liberatur, ut bonum velit et possit. Ita enim quidam ex Patribus (Augustin. Ench. c. 32) ait, quod gratia Dei præveniat nolentem ut velit; subsequatur volentem, ne frustra velit. Ac sic homo antequam sit fidelis, **B** habet liberum arbitrium ad malum, habet fidelis liberum arbitrium et ad bonum, gratia Dei scilicet liberatum. Non utique immerito, ut pro malo opere pœnam, et pro bono vitam consequatur æternam.

337 CAPUT XI.

Gratiam igitur quam primus homo habebat ante peccatum, et gratiam qua nunc redimuntur homines a massa damnata peccati, quidam discernens sic ait: *Prima est enim ut habeat homo justitiam si velit; secunda ergo plus potest, qua etiam fit ut velit, et tantum velit tantoque ardore diligit, ut carnis voluptatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. Nec illa quidem parva erat qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrii: quoniam sic adjuvabatur, ut sine hoc adiutorio in bono non permaneret, sed hoc adiutorium si vellet desereret. Hæc autem tanto major est, ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem; parum sit denique non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur ut velit* (Augustin. de Corr. et Gratia, c. 11). Quid igitur in hac gratia prius est nisi fides, quæ nos ductura est ad speciem, ut scilicet id quod credimus videamus? Hanc etiam fidem non accipiet homo, nisi baptizatus fuerit in nomine Trinitatis: ut fidelis effectus, sciat quid vel unde petat, quærat et pulset, ut invenire valeat, Domino in Evangelio admonente: *Petite, et accipietis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis* (Matth. vii, 7). **D** Non introducuntur nisi fideles, nisi baptizati fuerint in nomine Trinitatis. Nec omnes tamen qui baptizantur fideles salvi erunt: quoniam revera multæ hæreses hoc Trinitatis baptismo gloriantur, et eodem modo ut Ecclesia catholica baptizari videntur; sed magno errore tenentur, dum fidei unitatem scindunt, et toto orbi communicare nolunt, ac per hoc merito damnabuntur. Nihil ergo cis prodest tingui in nomine Trinitatis, qui ipsum nomen deitatis individuum dividere temeraria præsumptione nituntur. Sane cum compuncti corde ad Ecclesiam catholicam humilii pietate revertuntur, non in eis iteratur baptismus quem jam acceperunt, sed per impositionem manus Ecclesiæ catholicæ conciliantur. Quoniam sic custoditur illa sententia Domini, *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (Matth.

xxviii, 19), ut quamvis foras Ecclesiam, aut certe in Ecclesia a malo et perverso sacerdote secundum hanc regulam baptizentur, in eis nullatenus iteretur. Fides quippe, quæ per dilectionem operatur, a sancta Ecclesia catholica habetur. Quam hæretici nullatenus habere probantur : quia revera fides sola non sufficit, nisi Deum credens diligas Deum, præceptisque ejus obedias. Obedire præceptis ejus est non facere malum, et facere bonum, pugnare contra diabolum, qui cursum nostrum ad Deum tendentem impedire momenti singulis nititur. Unde juxta Apostolum, *tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret (I Petr. v, 8)* : cui resistendum est in fide fortiter.

338 CAPUT XII.

Et licet quoad in hoc mundo mortaliter vivimus, sine peccato esse non possumus; tamen ne ullis criminibus implicemur, ut ad ejus servitium redeamus, et vasa ejus effecti, rursus incipiat habitare in nobis; quæ sint criminalia peccata, et Scriptura divina, et mundanæ leges publice puniunt; sed et conscientia tua quæ ab alio non vult pati, non nescit; sed si forte post baptismum aliquibus criminibus involuti sumus, non pigeat pœnitentiam agere, et contrito corde et corpore a Deo indulgentiam postulare. Nam qui sibi peccata impune videntur committere, dum fortasse aliquas eleemosynas in pauperes faciunt, multum falluntur. Nesciunt enim quod opus misericordiæ primum sit seipsum Deo offerre, et sic in alio misericordiam facere. Sic enim Scriptura ait : *Miserere animæ tuæ placens Deo (Eccli. xxx, 24)*; et iterum : *Qui sibi nequam est, cui bonus (Eccli. iv, 5)*. Ergo faciendæ sunt eleemosynæ, sed ante sunt vitia relinquenda. Multum igitur differunt ab his qui vestem suam candidam servaverunt, qui tales ut renati sunt, auxiliante Domino, usque ad finem exitus perseverant : quibus quotidiana oratio sufficit ad solvenda minima delicta, quæ in hoc corpore mortali subrepunt; de quo se Apostolus liberari exoptat dicens : *Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (Rom. vii, 24)*. Nam et Dominus in Evangelio (*Math. xiii, 23*) tres fertilitates terræ ostendit, id est tres gradus honorum in Ecclesia demonstravit, tricesimum, sexagesimum, et centesimum. Unde et arca Noe, quæ significavit Ecclesiam, bicamerata tricamerataque fuit; significans, ut diximus, tres gradus, aut ordines, quos tractores Ecclesie ad conjugatos, continentes et virgines retulerunt. Tricesimum scilicet ad conjugatos,

sexagesimum ad continentes, centesimum ad virgines. Ita etiam Ecclesia catholica in his gradibus constituta est, ut quamvis tres sint gradus, multæ tamen differentie meritorum. Neque enim aut omnes virgines æqualiter accipiunt præmium regni cælorum, aut omnes continentes, aut omnes conjugati : sed unusquisque propriam mercedem accipiet, ait Apostolus, *secundum suum laborem (I Cor. iii, 8)*. Et quantum amplius alius alio obediens Deo fuit, tantum amplius mercedis accipiet. Et quæ erit ista merces, vel præmium, nisi ipse Deus præmium virtutis erit? Dixit quidam : *Is qui virtutem dedit, qui dedit certantibus victoriam, ipse procul dubio erit corona*. Quod intelligimus, tantum amplius alius alio in illa vita Deum videbit, quantum amplius in hac vita eum dilexit, præceptisque ejus obediens fuit.

CAPUT XIII.

Sed et in ipsa carne resurgentium mortuorum multæ erunt differentie claritatis, dicente Apostolo : *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. Stella enim ab stella differt in claritate, 339 ita erit et resurrectio mortuorum (I Cor. xv, 41)*. Igitur quæcunque corpora aut ignis consumpsit, aut bestia devoravit, aut aqua absorbit, illo momento temporis atque ictu oculi resurgent, in sexu uniusquisque quo mortuus est; masculus itaque in masculino, et femina in feminino. Quod vero resurgent mortui, Dominus in Evangelio ait : *Non legistis quod dicit Dominus ad Moysem de rubo : Ego Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob (Luc. xx, 37)*? Et subnectens adjungit : *Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Omnia enim vivunt ei (Ibid., 38)*; et iterum : *Tunc omnes, inquit, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et resurgent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii (Joan. v, 28, 29)*. Nam et alibi (*Math. xxv, 46*) misericordis opera numerans, bonos et malos redarguens, hos dicit ire in supplicium æternum. Bonos etiam suscipiet gaudium sempiternum; ubi cum Deo suo sine fine regnabunt, et de sua stabilitate securi, nihil eos indecens delectabit. Ubiunque enim eorum spiritus erit, protinus in cælo novo et terra nova. Malos autem suscipiet ignis æternus, quos in perpetuum cruciabit. *Ubi vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur (Marc. ix, 44)*. Ideoque, carissime, satagendum est, et jugiter Dei misericordia imploranda, ut sobrie, pie, juste vivamus in hoc sæculo, quatenus possimus cælorum pervenire in regn

S. FULGENTII CONTRA SERMONEM FASTIDIOSI ARIANI, AD VICTOREM, LIBER UNUS.

340 CAPUT PRIMUM.

Cum tuas litteras, carissime filii Victor, fidei et caritatis odorem suavissimum continentes, tota dele-

ctatione atque alacritate animi recenserem, subjectum reperi, quem mihi refellendum destinasti, Fastidiosi sermonem. Quo recensito, tanto dolui perditum.

quanto magis sum compulsus exhorreere blasphemum; quem novimus post Christianam fidem, post monachi professionem, post presbyterii honorem, quem in conspectu hominum cepit, et coram Domino non habuit, a via veritatis aversum, et suæ prorsus redemptionis oblitum, factum fuisse fornicationis ac luxuriæ servum, et ex hoc respere majestatis divinx servitium. Inde est quod ex catholico factus hæreticus, ac de malo thesauro cordis sui proferens mala, contra rectam fidem, contra catholicam veritatem non immerito illum sermonem veneno impietatis crapulatus evomat, quando panem vitæ respuit, et salubrem veræ fidei cibum sui nominis indicio fastidiosus abjecit. In illo autem profano sermone vocans nos Homosianos, quod nos Ariani assolent nuncupare, hæc verbâ posuit : *Homousianis*, inquit, *asserentibus inseparabilem atque individuum Trinitatem, nec Patri Filium fuisse minorem, nec Patrem ingentum Filii sui esse factorem.* Attende, quæso, in istis Fastidiosus verbis quædam sic male posita, ut nunquam possint bene asserti; quædam sic ab illo impie dicta, ut et bene possint, si tamen adsit pietas, et dici pariter et audiri. Illud enim quod nos arguendos putavit, quia inseparabilem atque individuum Trinitatem dicimus, ita male atque impie protulit, ut hoc quisquam **341** bene proferre non possit. Quis enim non videat, quanta impietate ab Ariani Trinitas separabilis asseratur? Beatus Apostolus de nobis dicit : *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an periculum, an fames, an persecutio, an gladius (Rom. viii, 35)?* Et paulo post : *Certus sum quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia; neque futura, neque fortitudines, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro (Ibid., 38).*

CAPUT II.

Cum ergo beatus Apostolus per gratiam Dei non nos posse ab ipsius separari caritate confidat, quomodo se non sentiant laqueo mortifero impietatis innexos, qui sanctam Trinitatem separatam prædicare non dubitant, cujus opera in aliquo separabilia demonstrare non possunt? Nam in eo quod evangelista de Filio dicit : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (Joan. i, 3);* et in eo quod beatus David canit : *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti (Psal. ciii, 24);* Christum autem Dei virtutem et Dei sapientiam beatus profitetur Apostolus, de quo dicitur : *Quia in ipso condita sunt universa in cælis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, annu per ipsum, et in ipsa creata sunt (Coloss. i, 16);* manifestum est omnia opera Patris eadem esse opera Filii, eademque esse opera Spiritus sancti. Inseparabiliter quippe sancta Trinitas operatur : nec est opus quod fecerit Pater, et non fecerit Filius; aut quod fecerit Filius, et non fecerit Spiritus sanctus : Scriptum est enim, *Verbo Domini cæli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis*

A virtus eorum (Psal. xxxii, 6). De sapientia quoque quam nos in angelis creatam dicimus, in Ecclesiastico libro scriptum legimus : *Prior omnium creata est sapientia, et intellectus prudentiæ ab ævo (Eccli. i, 4).* Ut ostenderet Verbo Dei, per quod facta sunt omnia, etiam angelos factos, continuo sancta Scriptura subjunxit : *Fons sapientiæ Verbum Dei, et ingressus illius mandata æterna (Ibid., 5).* Et paulo post, ut ostenderet angelos ad opera Spiritus sancti pertinere, ita dicitur : *Unus altissimus creator omnipotens est, Rex potens, metuendus nimis, sedens super thronum illius et dominans. Deus creavit illam Spiritu sancto (Ibid., 8).* Quid igitur ab Spiritu sancto factum negabitur, a quo virtus cælorum firmata legitur, et cujus opera creata sapientia prædicatur? Nam et de divinis donis quæ Deus Ecclesiæ suæ tribuit, cum beatus loqueretur Apostolus et dixisset : *Divisiones autem gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministracionum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus (I Cor. xii, 4);* enumerata deinde donorum diversitate cælestium, intulit : *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult (Ibid., 12).* Quid autem in omnibus creaturis, in quibus sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap. viii, 1*), ab operatione sancti Spiritus inveniri poterit alienum, cum se in Spiritu Dei ejicere dæmonia Christus, qui est Dei **342** virtus, et sapientia, protestetur? Ipse enim dixit : *Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia, ergo pervenit in vos regnum Dei (Matth. xii, 28).* Quomodo ergo Fastidiosus Trinitatem inseparabilem negat, cum opera Trinitatis eadem atque inseparabilia esse in creaturis omnibus nemo negare audeat Christianus? Inseparabiliter quippe operatur unus Deus, videlicet Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Eadem namque opera sua esse quæ Patris sui, Dei Unigenitus protestatur, dicens : *Quæcumque enim Pater facit, hæc eadem Filius similiter facit (Joan. v, 19).* Et tamen quæ Filius facit, in Spiritu sancto facit, in quo dæmonia ejicit.

CAPUT III.

Ne vero, pro eo quod diximus quod et Filius ex (*forte in*) Spiritu sancto facit quæcumque facit, aliquam diversitatis velint Ariani asserere quæstionem, putantes minorem debere accipi eum in quo aliquid sit ab eo qui facit, audiant Salvatorem nostrum huic perversitati omnimodo resistentem in eo quod dicit : *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur ejus opera, quæ in Deo sunt facta (Joan. iii 20).* Illic eligant Ariani quomodo velint accipere Deum in Filio nominato, utrum Patrem, an Filium, an Spiritum sanctum? Si enim Patrem putaverint accipiendum esse, in quo bona opera ab hominibus fiunt, ipsi destruunt quod personæ Spiritus sancti blasphemantes objiciunt. Neque enim Patrem audebunt minorem dicere, cui secundum divinitatem nolunt æqualem Filium prædicare. Ac per hoc, cum in Patre homo bona opera facit, et in Spiritu sancto Christus ejicit dæmonia, cognoscant æqualitatem Patris, et Spiritus sancti. Si vero Filium hic acci-

picum dixerint ex hoc quod in Filio et in Spiritu sancto bona opera fiant, non solum compelluntur Filium et Spiritum sanctum æquales fateri, verum etiam fatebuntur eadem atque inseparabilia esse opera Patris, et Filii, et Spiritus sancti : *Omnia enim operatur unus atque idem Spiritus* (I Cor. xii, 12), sicut beatus Apostolus testatur. Si vero Spiritum sanctum æstimant Ariani, necesse est ut ex hoc loco compellantur Deum fateri Spiritum sanctum. Non enim dixit spiritus Domini, Qui fecit veritatem, ut manifestentur ejus opera, quæ in Spiritu sancto sunt facta; sed, Quæ in Deo sunt facta, quæ nos non in solo Patre, nec in solo Filio, nec in solo Spiritu sancto facta dicimus, sed in ipsa Trinitate sancta, quæ unus Deus est, veritatem ab homine fieri confitemur, in quo virtutem a fidelibus fieri beatus David insinuat dicens : *In Domino faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos* (Psal. lxx, 14). Ipse enim est unus Deus de quo beatus Apostolus dicit, *Quoniam ex ipso et in ipso omnia sunt : ipsi gloria in sæcula* (Rom. xi, 36).

CAPUT IV.

Quomodo igitur sancta Trinitas ab impiis separabilis dicitur, cum inseparabiliter operatur, a quibus, quantum datur intelligi, nec in spiritu quod dicitur separari, sicut rei veritas exigit, cogitur? **A 343.** Deo enim nostro, id est ab ipsa Trinitate sancta, nihil potest localiter separari, quia idem Deus summus, verus et bonus, sicut omnia fecit, sic omnia continet et replet immensus. Non est autem corporalis, neque localis, et ideo nec ipsa corporalia possunt a Deo localiter separari; quia in loco est omne corpus, et sine Deo nullus est locus. Deus enim sic nullo continetur loco, ut ipse contineat omnem locum; in quo moles est nulla, et cujus est virtus immensa. Cum igitur corpora, quæ sine loco esse non possunt, non possint a Deo localiter separari, procul dubio neque spiritus quos Deus creavit a Deo localiter separantur. Omnis enim spiritus quem creavit Deus in quocunque loco sit, ibi est Deus : qui licet in spiritibus malis non sit per gratiam, per quam quibus ipse vult vitam sanctam beatitudinemque largitur, per potentiam tamen naturalem in omnibus creaturis suis sic semper est, ut nulla creatura vel particula creature inveniri possit in qua Deus per potentiam non sit. Illa igitur natura separari potest a Deo, quæ potuit aut potest subjacere peccato. Nec est alia res quæ possit a Deo discedere, nisi substantia quæ potest aut potuit propria voluntate peccare. Dicit enim Esaias : *Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat; sed iniquitates vestra dividunt inter vos et Deum vestrum* (Isai. lxx, 1, 2). In libro quoque Sapientie ostenditur homines a Deo, non locis, sed pravis cogitationibus et iniquis actibus separari. Ibi enim dicitur : *Perversæ enim cogitationes separant a Deo. Probata autem virtus corripit insipientes : quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec inhabitabit in corde subdito peccatis; Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt*

A *sine intellectu* (Sap. i, 3, 4, 5). Hic autem quis non videat trinitatem personarum proprietatibus intimatam? Dicitur enim quoniam *perversæ cogitationes separant a Deo*, quo nomine persona Dei Patris agnoscitur. Deinde adjectum est, quoniam *in malevolam animam non introibit sapientia*, quo nomine Christus ostenditur, quem Dei virtutem et Dei sapientiam Paulus appellat. Deinde dictum est quoniam *Spiritus sanctus effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu*. Ne quis autem putaret quolibet iniquos aut impios ab ista sancta Trinitate, quæ unus, verus, et bonus est Deus, localiter posse separari, paulo post Scriptura sic loquitur : *Humanus est enim Spiritus sapientiæ, et non liberabit maledictum a labiis suis, quoniam renum illius testis est Deus, et cordis ejus inspector verus, et linguæ illius auditor*. **B** *Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (Ibid., 6, 7). Immensitatem itaque sanctæ Trinitatis divina non cessant eloquia profiteri. Hanc utique beatus David certissime noverat, et ideo dicebat : *Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades* (Psal. cxxxviii, 7, 8). De Sapientia quoque, id est Dei Filio, Scriptura dicit, quoniam *attingit a fine usque ad finem, et disponit omnia suaviter* (Sap. viii, 1). Quoniam igitur a sancta Trinitate, quæ ubique tota est, nulla res localiter separatur, sed sola separant a Deo, sicut jam diximus, iniquitates et perversæ cogitationes; quibus Trinitatem **344** separabilem conatur asserere, necesse est dicat, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum **C** pravis cogitationibus et iniquitatibus posse naturaliter subjacere. Quis autem seipsum laqueo tantæ impietatis evolvat, ut aliquam separationem in illa Trinitate, ubi naturalis est unitas, suspicetur, cum per acceptam gratiam, sicut est superius a nobis demonstratum, confidat Paulus fidelis a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro, posse nullatenus separari? Beatus autem Joannes apostolus et caritatem ex Deo esse, et caritatem Deum esse confirmat his verbis : *Carissimi, diligamus invicem, quoniam caritas ex Deo est, et omnis qui diligit ex Deo est* (I Joan. iv, 7); et, *Deus est caritas* (Ibid., 16). A seipsa utique se arari non potest, quia inseparabilis est. Nam cum homines qui a se possunt invicem separari, non solum ipsa inseparata possideat, sed ex multis **D** cordibus atque animabus unum cor unamque animam faciat; quæ dementia est ipsam caritatem separabilem dicere, quæ separatas mentes inseparabili solet amore sociare? Hinc est utique quod Paulus dicebat : *Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens et videns ordinem vestrum* (Coloss. ii, 5). Et in Actibus apostolorum scriptum est quia *multitudinis credentium erat cor et anima una* (Act. iv, 32); quod utique non scit nisi spiritus fidei et caritatis. Caritas enim Dei diffusa est in cordibus nostris (Ephes. iv, 4). Et per ipsum Spiritum fit ut omnes credentes, sicut Apostolus ait, sint unum corpus et unus spiritus. Unde ipse alio loco dicit : *Et enim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive su-*

dei, sive gentiles, sive servi, sive liberi, et omnes in A
 uno spiritu potati sumus (I Cor. xii, 13). Baptizari au-
 tem omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spi-
 ritus sancti unigenitus Dei Filius ore suo mandavit.

CAPUT V.

Cum ergo baptismus datur in nomine Trinitatis, in
 unum corpus fideles omnes baptizari facit, ut ex hoc
 unum corpus omnes efficiantur, dicente beato Apo-
 stolo, quia unum corpus sumus in Christo, singuli au-
 tem alter alterius membra (Rom. xii, 5). Multitudinis
 quoque credentium fuit cor et anima una per carita-
 tem, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum
 sanctum, qui datus est nobis. Profecto apparet quanta
 impietate Trinitas ipsa separabilis dicatur, cum uti-
 que a Deo quælibet creatura, non loco, non tempore, B
 sed solis iniquitatis separetur. Inde est quod de
 quibusdam dicit Deus : *Populus hic labiis me honorat,
 cor autem eorum longe est a me (Matth. xv, 8)*. Et ta-
 men ipse dicit : *Ego sum Deus approximans, et eorum
 Deus a deo longinquo. Si absconditus fuerit homo, ego
 non ridebo eum? nonne cælum et terram ego impleo
 (Jer. xxiii, 23, 24)?* Ipse tamen David dicit : *Ecce
 quæ se elongant a te peribunt (Psal. lxxii, 27)*. Et ut
 ostendat quid sit elongare a Deo, adjecit, *Perdidisti
 omnes qui fornicantur abs te (Ibidem)*. Corde igitur
 receditur a Deo, ad quem et corde acceditur. Nam
 manifestum est Deum ubique totum esse, sed loco
 345 nullatenus contineri. Spiritus est enim Deus,
 creator utique, non creatus, omnium corporum om-
 niumque spirituum factor incommutabilis, æternus, C
 immensus, justus et bonus. Qui ab omnibus rebus
 quas fecit, nunquam discedit per immensitatem nat-
 uræ. Neque enim fieri potest ut alicui rei quæ habet
 a Deo ut sit, ipse Deus per potentiam derit. Et tamen
 per misericordiam et iudicium, quo et cantare non
 desistit Ecclesia (Psal. c, 4), non incongrue dicitur,
 et fidelibus adesse, et infidelibus longe abesse. Nam
 quod attinet ad naturam, quia totum quidquid crea-
 tum est, sive corporale, sive spiritale, sola sancta
 Trinitas, id est unus Deus, qui est Pater, et Filius, et
 Spiritus sanctus, una voluntate, una operatione, una
 virtute, una benevolentia, unaque omnipotentia fe-
 cit : sicut totam creaturam implet Pater, utique vir-
 tute, non mole; sic totam implet Filius, sic totam
 implet Spiritus sanctus. Neque enim totam creaturam
 sic implet Trinitas, ut partem impleat Pater, partem
 Filius, partem Spiritus sanctus, nec tamen tota im-
 pletur a solo Patre, neque a solo Filio, neque a solo
 Spiritu sancto. Quis enim sic de Trinitate, id est de
 uno Deo audeat sentire, non dico stultus, sed om-
 nino sacrilegus; cum virtus Dei atque divinitas ne-
 cesse est ita sit naturaliter immensa, sicut est natura-
 liter sempiterna? Sed homines carnalibus sensibus
 dediti etiam ipsum Deum non possunt nisi carnaliter
 cogitare. Et existimant Patrem, et Filium, et Spi-

tum sanctum sic posse ab invicem separari, sicut a se
 homines separantur; qui sicut distinguuntur modo
 et quantitate uniuscujusque corporis, necesse est ita
 discernantur et locis. Tales autem dum in luto carnis
 animasvolvunt, creatis phantasmatis suis, et gra-
 vati pondere vanitatis, quanto magis in illarum re-
 rum cogitatione versantur quæ corporeis oculis cor-
 poream ingerunt molem, tanto minus possunt ad in-
 telligendam conscendere deitatem. Nec attendunt a
 Domino Deo per sanctum Esaiam præcipi, ne de illo
 sic cogitare velimus, sicut de creaturis, quas ab eo
 factas novimus; quia nec ipse sic cogitat, sicut nos
 homines cogitamus. Unde dicit Esaias : *Non enim
 cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ meæ
 viæ vestræ, dicit Dominus : quia sicut exaltantur cæli
 a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et
 cogitationes meæ a cogitationibus vestris (Isai. lv, 8)*.

CAPUT VI.

Deus itaque Pater, et Verbum ejus, et Spiritus
 sanctus, id est sancta Trinitas, solus, unus, verus et
 bonus Deus, sicut non est in eo cogitatio, quæ tem-
 poris volubilitate varietur (neque enim, sicut homi-
 nes, aliter cogitavit priusquam mundum faceret, ali-
 ter cogitat postquam mundum fecit, aut aliter cogi-
 taturus est, postquam mundi hujus figura transierit;
 quia *consilium Domini manet in æternum [Psal. xxxii,
 11]*); sic est inseparabilis, sicut incommutabilis. Tri-
 nitas enim unus Deus, nec corpus est, nec creatus
 spiritus; quia corpus loco concluditur, et omnis spi-
 ritus qui creatus est, naturæ suæ modulo terminatur.
 Trinitas autem unus Deus, sicut est æternus, et nulla
 illi coæterna sunt tempora; sic est immensus, quæ
 nulla potest 346 concludere creatura; et quia im-
 mensus, ubique totus; quia nec continetur loco, nec
 distenditur, aut contrahitur spatio. Deus itaque sa-
 pientia est, Deus veritas est, Deus caritas est. Hoc
 Pater, hoc Filius, hoc Spiritus sanctus, hoc ipsa Tri-
 nitas, qui unus, verus et bonus est Deus. Si quis
 ergo docere potest, sive in sapientia, sive in veri-
 tate, sive in caritate aliquam divisionem esse, audeat
 indubitanter et asserere Trinitatem. Si vero nec
 sapientia, nec veritas, nec caritas aliquatenus divi-
 ditur, ex hoc utique Trinitas indivisibilis atque inse-
 parabilis agnoscitur. Apparet igitur magnam fuisse
 Fastidiosi impietatem, qua nos in eo putavit omnino
 culpandos, quia fatemur inseparabilem atque indivi-
 duam Trinitatem : cum utique, sicut præcedens dis-
 putatio docuit (quam non solum ratio, sed et testi-
 moniorum sufficiens divinorum copia roboravit), nec
 loco contineri queat natura Trinitatis immensa, nec
 peccato subjacere possit quælibet in Trinitate per-
 sona : quia ipsa Trinitas est naturaliter æterna, per-
 fecta, incommutabilisque justitiæ. Minorem vero Fi-
 lium hæretica quidem pravitas male asserere nititur :
 pietate vero servata, catholica veritas æqualem con-

quia paulo post dicitur, *Trinitas indivisibilis atque in-
 separabilis agnoscitur.*

* Legendum et non Deus, sic enim supra pluribus
 in locis.

† Manifeste deest hic divisibilem et separabilem;

fitetur. Hæretici quippe incorpoream divinitatem non nisi corporaliter cogitantes, cum secundum naturam dicunt Filium minorem, sub imagine Christiani nominis, quam fallaciter prætendunt, idololatriæ nefando crimine semetipsos involvunt. Quid est enim deum majorem, et deum minorem in singulis personis dicere, nisi diversi generis diversæque virtutis idola, non in parietibus, sed, quod deterius est, in cordibus collocare? Hinc enim se duos deos colere Ariani evidenter ostendunt, dum æqualem Patri Filium negant; et cum (*al. eum*) minorem, non assumptione carnis (quod fidei veritas habet), sed natura immensæ divinitatis asseverant, cum de ipso dictum sit, qui sapientia Dei est, qui *candor est lucis æternæ* (*Sap. vii, 26*). De quo in Epistola ad Hebræos dicitur: *Qui cum sit splendor gratiæ^a, et figura substantiæ ejus* (*Hebr. i, 3*). Attendant autem candorem lucis æternæ, et agnoscant quia, sicut illa lux æterna est et immensa, ita suum quoque candorem nec posteriorem naturaliter habet aliquatenus, nec minorem; sed æternitas immensitatem, æternitatem immensitas æqualem.

CAPUT VII.

Fides igitur Christiana, quæ novit Unigenitum Deum, et de Patris natura solum natum, et de Virgine Maria creatum, cognoscens in eo veram manere utramque substantiam, sic eum vere de Patre Deo Patri constitetur æqualem, ut sine mendacii atque impietatis crimine prædicet et minorem. Nam quia una est illi naturalis cum Patre divinitas, et una cum matre naturalis humanitas, in eo est æqualis Patri Filius in quo de Patre verus est Deus, et in **347** eo est Pater major Filio in quo ipse Unigenitus Deus verus est homo. Ipsa est ergo fides vera, ipsa pietas sancta, ipsa credulitas Christiana, in uno eodemque Dei Filio, et naturam paternæ divinitatis credere, et maternæ humanitatis substantiam non negare; nec diversam credere divinitatem Filii a divinitate Dei Patris, nec separari humanitatem Filii ab humanitate Virginis genitricis, sed in eodem vero Deo veram totamque credere nostri generis humanitatem, in eodem vero totoque homine veram plenamque paternæ naturæ credere deitatem. Qui enim substantiæ Patris in Filio denegat unitatem, Ariana impietate polluitur; qui autem negat veritatem carnis in Unigenito Deo, Manichææ pestis crimine profanatur; qui vero negat in eodem Dei Filio humanam, id est rationalem animam, Apollinaristarum sacrilegio protinus inquinatur.

CAPUT VIII.

Quocirca paternæ maternæque naturæ in Unigenito Deo veritate ad plenitudinem credita, et in una Christi persona geminæ substantiæ naturali proprietate servata, pie vereque Patri Filius æqualis et minor dicitur, pie vereque cœternus et posterior prædicatur, pie vereque et semper natus, et in tempore natus, et semper incommutabilis et in tempore mutatus asseri-

tur. Et itaque Filius æqualis Patri, quia hoc semper habet ex Patre. Est etiam Patre minor, quia hoc temporaliter accepit ex Virgine. Quocirca sicut pie Filius æqualis dicitur Patri quando in eo humanitas, qua Patre minor est, non agnoscitur: sic impie minor idem Filius dicitur quando in eo naturaliter cum Patre divinitatis unitas et æqualitas denegatur. Dicimus ergo Filium naturaliter æqualem, dicimus et minorem. Dicimus secundum formam Dei æqualem natum, secundum formam vero servi habitu minoratum. Dicimus æqualem Patri, in quo cognoscimus sine initio natum de Patre; dicimus et minorem, quia cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex matre, factum sub lege (*Gal. iv, 4*). Proinde, sicut indubitanter prædicamus natum, sic utique prædicamus et factum. Dicimus enim sine initio natum de corde Patris, dicimus in tempore factum opere Trinitatis. Filium enim suum proprium, et de sua natura Pater genuit, et de natura virginis fecit. Quidquid autem fecit, cooperante Filio et Spiritu sancto fecit. Filium ergo suum solus quidem Pater genuit, sed non solus fecit. In Filio enim Unigenito solius æterna generatio Patris, et in eodem Filio facta una totius operatio est Trinitatis. Creator quippe hominis Unigenitus Deus, creatus est homo, et idem qui de viro mulierem fecit, de muliere vir factus est. Unde apparet quia testimonia quæ de Evangelio et de Actibus apostolorum, ac Salomone, Fastidiosus impie protulit, non unitatem Paternæ nature Filio adimunt, sed sacramentum divinæ incarnationis ostendunt. Quod certissime sciens Joannes Baptista, dixit: *Hic est de quo dixi: Post me venit qui ante me factus est* (*Joan. i, 15*). Cujus sacramenti veritatem prædicans Petrus apostolus ait: *Certissime* **348** *itaque sciat omnis domus Israel quia et Deum illum, et Christum Deus fecit hunc Jesum quem vos crucifixistis* (*Act. ii, 36*). Digne utique dixit factum, quem prædicat crucifixum, Deus quippe Unigenitus, incomprehensibilis et immortalis, a nullo factus, et rerum omnium factor æternus, suo dignatus est opere Christus fieri, ut Judæorum posset opere crucifigi: quia Redemptorem mundi traditum crux nulla ratione portasset, nisi mundi factorem conceptum virginis uterus edidisset. Ipse igitur etiam per Salomonem generationis creationisque suæ insinuans veritatem, dixit: *Dominus creavit me initio viarum suarum in opere suo* (*Prov. viii, 22*). Sed antequam hoc diceret, manifestum futuræ incarnationis suæ præmisit indicium, dicens: *Si nuntiavero vobis quæ quotidie fiunt, commemorabo quæ a sæculo sunt* (*Ibid., 21, juxta LXX*). Enumerans deinde subjunxit: *Dominus creavit me initio viarum suarum in opere suo*. Hæc utique creatio a sæculo est, non ante sæculum. Nam postmodum dicit, *Ante sæcula fundavit me*; et paulo post: *Ante omnes colles genuit me*. Hic quod dicit, *ante sæcula, et ante omnes colles, æternitatem voluit intelligi nativitatis divinæ. Et ante sæcula, et post sæculum æternitas est. Et sic æternitas Filii*

Dubio procul erratum est hic, legendumque *splendor gloriæ*, ut superius, non uno in loco; et in

textu Apostoli, τῆς δόξης.

Dei autē sæculum non habet initium, sicut æternitas A
ejus post sæculum non habet finem. Sic autem pro
tempore futuro præteritum ponens, dicit Sa-
pientia, *Dominus creavit me*, pro eo quod est, creatu-
rus est me; et ita dixit tanquam factum quod utique
erat faciendum: sicut per beatum David dixit:
*Foderunt manus meas et pedes meos: dinumerave-
runt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et con-
spexerunt me. Diviserunt sibi vestimenta mea, et in
vestimentum meum miserunt sortem (Psal. xxi, 18, 19).*
Dicens itaque, *Dominus creavit me*, ostendit quem-
admodum fuerit factus. Dicens etiam, *Foderunt ma-
nus meas et pedes meos*, ostendit quemadmodum fue-
rit crucifixus. Sicut autem hoc utique futurum erat,
quod tanquam factum de sua passione per David
Dei Filius cecinit; ita futurum erat quod tanquam
factum de sua incarnatione per Salomonem ipse qui
est Dei sapientia prophetavit. Nam ipse Salomon
paulo prius ait: *Sapientia ædificavit sibi domum, et
subdidit columnas septem (Prov. ix, 1)*, quod ad in-
carnationis Dominicæ pertinet ortum. Esaias quoque
de Christi passione loquitur sic, ut quod futurum pro-
phetat tanquam præteritum dicat. Ipse enim dicit de
Christo: *Sicut ovis ad immolandum ductus est, et sic-
ut agnus coram tondente sine voce, sic non aperuit os
suum (Isai. liii, 7)*. Nam et ipsam Unigeniti Dei
secundam carnem de Virgine nativitatem, non solum
aliquando tanquam futuram prædicit, sed aliquando
tanquam præteritam dicit. Denique quodam loco ait:
*Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium (Isai. vii,
14)*. Alio item loco tanquam factum atque transac-
tum insinuans ait: *Puer natus est nobis, et filius da-
tus est nobis (Isai. ix, 6)*. Quis ergo non videat illud
totum quod de humanitate et passione Unigeniti Dei
dictum est per prophetas, eodem tempore sic fuisse
in veritate futurum, sicut nunc est in veritate præ-
teritum. Ad ostendendam vero incommutabilitatem di-
vini consilii, factum est ut prophetica Scriptura tan-
quam præteritum sit diceret in sermone quod futu-
rum expectabatur **349** in opere. Deus enim, de quo
hic dicit propheta, *Qui fecit quæ futura sunt (Isai.
xlv, 11, sec. LXX)*, ideo quæ facienda fuerant, tan-
quam facta narrare voluit, quia quæ in tempore
mutabiliter sunt, incommutabili dispositionis æter-
nitate firmavit. Itaque et his in quibus necdum est
effectus operis, firma permanet in æternitate dispo-
sitione creatoris. Sic ergo Dei Filius cum suo esset
opere creandus, se dixit creatum, sicut crucifigen-
dus non se dubitavit dicere crucifixum.

CAPUT IX.

Adhuc autem corde perverso atque ore sacrilego
Fastidiosus inaniens ex hoc voluit asserere Filium a
Patre et Spiritu sancto separatum, quia solum con-
stat thalamum uteri virginalis ingressum. De quo in
libro Psalmorum dicitur: *Et ipse tanquam sponsus
procedens de thalamo suo (Psal. xviii, 6)*. Cupiens
deinde perversitatis suæ firmare sententiam, etiam

illam non dubitavit asserere blasphemiam, dicens
quod se nullatenus potuit Trinitas separare, quam con-
stat omnino non diridi. Ergo tota Trinitas carnem as-
sumpsit, tota Trinitas passionum injurias sensit, tota
Trinitas in sepulcro jacuit, tota Trinitas infernum pe-
netravit, tota Trinitas tertio die a mortuis resurrexit,
tota Trinitas quadragesimo die in celos ascendit? Ad
cujus dexteram tota Trinitas sedet, vel quem Spiritum
die Pentecostes tota Trinitas in apostolos misit, aut
cui Deo tota Trinitas in cruce dicere potuit, « Deus
meus, Deus meus, quare me dereliquisti; » vel cui Pa-
tri tota Trinitas ait: « Pater, in manus tuas com-
mendo spiritum meum, » si possunt, edicant. Quod si
dicere nequeunt, ipsi se propriis jaculis perimunt, qui
Trinitatem inseparabilem esse contendunt.

CAPUT X.

Hactenus in illo profano sermone contra catho-
licam fidem Fastidiosus verba tenduntur. In quo tamen,
exceptis his quæ in sanctæ Trinitatis contumeliam
blasphemavit, pene omnia, sive præcedentia, sive
subsequentia, de aliorum dictis nequissimus usurpa-
vit. Denique omnia quæ adversus Donatistas posuit,
de quibusdam duabus epistolis furatus est, in quibus
contra Pelagianos atque Donatistas cum nobis in
exsilio Sardinia constitutis ad religiosam Ecclesie
filiam Stephaniam esset ab omnibus rescribendum,
ipso prorsus verborum ordine quo illa idem nequis-
simus fraudulenter sub nomine suo posuit, inveniuntur
inserta. Ut autem tibi non deesset rei hujus agni-
tio, * duas epistolas quas ad nos memorata Stepha-
nia destinavit, et quas ei nos rescripsimus, huic feci
opusculo subijci. Ut agnoscas in illo sermone ea tan-
tum fuisse Fastidiosus, quibus in ipsius sanctæ Trinita-
tis injuriam cæco corde prosiliens catholicam oppug-
nare conatus est veritatem.

350 CAPUT XI.

Nunc itaque blasphemias ejus, Domino adjuvante,
respondeo. Non tota Trinitas carnem assumpsit, nec
tota Trinitas passionum injurias sensit, neque tota
Trinitas in sepulcro jacuit, neque tota Trinitas in-
fernum penetravit, neque tota Trinitas tertio die a
mortuis resurrexit, et si qua sunt alia quæ convul-
cantur in sacramento illo incarnationis ad solius Fi-
lii pertinere personam. Hæc enim quæ catholicæ ve-
ritati Fastidiosus plena falsitatis et perversitatis ob-
jecit, non nisi Sabellianis, id est Patripassianis pos-
sunt veraciter objici, in quibus revera illi conclusi
atque convicti deficiunt, qui sanctæ Trinitatis, sicut
unam naturam, sic unam personam prædicare con-
tendunt. Ubi eos sua perversitas consequenter ad
hanc absurditatem præcipitat, ut nativitatem quidem
divinam nullatenus credant; naturam vero secundum
carnem, nihilominus passionem ac mortem, resurrec-
tionem quoque ab inferis, et ascensionem in cælum,
et omnia illa quæ in sacramento incarnationis ad
personam unius Filii pertinent, Patri consequenter
assignent. Catholica vero Ecclesia divinitus inspirata,

* E; istolæ istæ non existant.

tenens fidei veritatem, sicut novit unam naturam sanctæ Trinitatis asserere, ita cautissime sua tribuit unicuique personæ. Filius ergo Dei nos misericorditer redempturus, in eo recte creditur solus assumpsisse, quia humanam naturam non ita suscepit, ut una in eo fieret natura divinitatis et carnis. Neque enim in Christo hoc deitas potuit esse, quod caro, quia utraque natura retinente proprietatem suam, fieri non potuit ut quælibet earum aut esse desineret, aut in alteram omnimoda prorsus abolitione transiret. Quod si fieret, digne diceretur a tota Trinitate carnem susceptam, quando carnem suam Filius in illam converteret divinitatem, quam ei cum Patre et Spiritu sancto profitemur manere communem.

CAPUT XII.

Nunc vero, quia in Christo alteram divinam, et alteram humanam dicimus esse naturam: propterea utique humanam naturam, id est carnem rationalemque animam, non a tota Trinitate, sed a solo Filio credimus confitemurque susceptam. In unitatem quippe personæ, non in unitatem naturæ Deus Unigenitus carnem suscepit et animam: quia utique persona Filii non est eadem quæ Patris est aut Spiritus sancti. Unitas ergo personæ, manente duntaxat utriusque proprietate substantiæ, sicut in Christo personam non fecit duplicem, sic humanæ naturæ suspensionem non fecit sanctæ Trinitati communem. Filio enim Dei non sicut est una communisque cum Patre et Spiritu sancto natura, sic et una communisque persona.

351 CAPUT XIII.

Proprium est itaque solius Filii servilem formam misericorditer accepisse. Ad personam quippe Dei Verbi (*ad. vera*) acceptio illa servilis formæ pertinuit, quæ non in divinam naturam confusione transivit. Ideo illius formæ servilis acceptio, secundum quam Dei Filius, qui est omnium rerum Dominus, et in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis, verus et plenus factus est homo, nihil ei divinæ plenitudinis abstulit, nihil dominationis ademit: quia in ipsa una persona sine confusione mansit divina humanaque natura. Hinc est quod in uno eodemque Christo, et humanæ naturæ veritas claruit, et divinæ naturæ incommutabilitas æterna permansit. Neque enim vel imminutum est in illo aliquatenus, vel mutatum, quod naturaliter habuit in æternitate, per illud quod accepit ex tempore. Factus est quippe habitu servus, sed Dominus rerum omnium naturaliter esse non destitit. Et factus est secundum carnem pauper: nihilominus tamen secundum divinitatem ditissimus mansit. Hinc est quod beatus Apostolus Christianos asserit paupertate ditatos, dicens: *Nostis gratia Domini nostri Jesu Christi, quia propter nos egenus factus est cum esset dives, ut illius paupertate vos divites essetis* (II Cor. viii, 9). Nos autem divites sua paupertate nullatenus faceret, si pauper factus naturalis

A divinitatis in se divitias non haberet. Pauper ergo factus est secundum formam servi, dives permansit secundum formam Dei. Paupertas itaque formæ servilis non est illi cum Patre et Spiritu sancto communis; quia post naturæ humanæ paupertatem in unitate personæ susceptam, dives in eo permansit divina substantia. Quæ fuit autem divitis Filii Dei paupertas, nisi nostra infirmitas nostraque mortalitas? Quidquid autem in infirmitate ac morte secundum carnem Deus Unigenitus pertulit, divinitas non sensit. Misit enim Deus Filium in similitudinem carnis peccati (Rom. viii, 3), in quo fuit vera caro, sed nulla fuit peccati pollutio. Similitudo ergo carnis peccati illa fuit in carne Christi, cum illa non esset caro peccati, quod fuit infirma, quod passibilis et B mortalis, quod vulnere subdita dolorique subjecta. Verumtamen hæc omnia non substantialiter, sed personaliter divinitati Christi humanitæque communia. Persona vero Christi a persona Patris et Spiritus sancti omnino discernitur. Quæ una persona divinitatis atque humanitatis in Christo sic permanet, ut nec alteram naturam separari ab altera sinat, nec confundi utramque permittat. Christus igitur, qui est via, veritas et vera vita, via nobis est, quia veram infirmitatem in veritate carnis habuit; et vera vita nobis est, quia vera virtus in ejus vera divinitate permansit. Hoc Apostolus discernens ait, *Nam etiam crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei* (II Cor. xiii, 4).

352 CAPUT XIV.

C In uno ergo eodemque Christo, sicut humanæ carnis infirmitas non sibi potuit vitam vel dare, vel reddere, quia potestas illa ponendi animam et sumendi non fuit ex infirmitate humana, sed ex virtute divina; ita divinæ virtutis æternitas, cui proprium naturaliter est incommutabiliter atque indeficienter vivere, nihil infirmitatis aut mortis potuit in cruce sentire. Unigenitus itaque Dei Filius in eo ex Patre natus Deus verus, et de matre factus homo verus cognoscitur, quia et indicia infirmitatis in veritate carnis ostendit, et documenta virtutis in divinitatis veritate monstravit; ostendens scilicet in unitate personæ aliud sibi nobiscum, aliud cum Patre et Spiritu sancto naturaliter esse commune. Christo enim nobiscum naturalis est communio animæ et carnis; cum D Patre autem Spirituque sancto naturalis est ei communio deitatis. Quomodo igitur quæ carnis sunt, cum Patre et Spiritu sancto communia Dei Filius habere potuit*, qui carnem suam nullatenus cum sua divinitate confundit: ita non præjudicat catholicæ fidei, quod credimus nostram naturam in unitate personæ ab unigenito Salvatore susceptam, cum fateamur unam sanctæ Trinitatis manere substantiam. Illam quippe humanitatem Filii tota Trinitas fecit, sed non sicut tota Trinitas fecit, sic Trinitas tota suscepit, quia personæ, quæ non est Filio cum Patre et Spiritu sancto communis, ipsa in Christo una est divinitatis et carnis. Ubi autem sive personarum, sive substantiarum

* Forte non potuit.

invenitur ulla discretio, non semper ad communionem acceptionis refertur quicquid in communiōe operis invenitur. Quod quia obscurum videtur, dum solo profertur eloquio, melius est ut intelligendi facilitas apto, quantum res permittit, præbeatur exemplo.

CAPUT XV.

Est quidem similitudo ad cognitionem fidelibus prompta, quam in sua Deus similitudine collocavit. Imago autem ista mens humana est. Legitur enim dixisse Dominum: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Genes. 1, 26). In quo sermone multum dolendi sunt hæretici Ariani, qui Scripturas sanctas legunt, nec intelligunt; et cordis cæcitate confusi, unitatem naturalem in sancta Trinitate non agnoscunt, in qua personas Patris, et Filii, et Spiritus sancti, prædicatione discernunt. Cum utique in eo testimonio, quod supra posuimus, ipsa Trinitas, quæ est Deus unus, verus, et bonus, et unitatem suæ divinitatis ostendat, et trium personarum evidenter demonstret iudicium. Dixit enim, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, ne in tribus personis unitas substantiæ negaretur; nec dixit: *Faciam hominem ad imaginem et similitudinem meam*, ne in illa divina natura una tantum crederetur esse persona; sed singulari **353** numero pluralem salubriter miscuit, et cum Deum dicentem, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* legimus, hoc quod singulariter dicimus esse nature. pluraliter in personis esse definimus. Hæc itaque imago, id est interior homo, tria quædam secum habere naturaliter invenitur, memoriam, intelligentiam, et voluntatem. Memoria igitur est vis animæ qua reminiscimur. Intelligentia est, qua illa quæ memoria concepimus cogitatione versamus. Voluntas est, qua vel appetimus aliquid, vel vitamus: hoc est, qua invenimur vel diligere aliquid, vel odisse. Hæc itaque tria, licet proprias personas in homine non habeant, discretione tamen ab invicem distant; et sic in tribus istis est unius hominis una persona et humanæ mentis una substantia, ut tamen in ipsa natura rationalis animæ, in qua Dei constat esse imaginem, aliam inveniamus memoriam, aliam intelligentiam, et aliam nihilominus voluntatem. Nam licet nihil cogitare, vel diligere, vel odisse possimus, quod in memoriâ non habeamus, quia quod oblivio abstrahit de corde, non ibi potest cogitatio aut voluntas aliquatenus invenire; tamen ad agnoscendam discretionem memoriæ, cogitationis, et voluntatis, plerumque reminiscimur quod nec versamus cogitatione, nec appetimus voluntate; item cogitamus aliqua quæ non diligimus. Cogitatio itaque nostra, quæ in memoria nascitur et formatur, digne verbum interius dicitur. Quid enim est cogitatio, nisi interna locutio? Propter quod scriptum est: *Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini* (Psal. 14, 5). Nam et in Evangelio, cum Dominus Jesus illi paralytico quem sanavit, dixisset, *Remittuntur tibi peccata tua* (Luc. 7, 20); Lucas evangelista subiunxit, dicens: *Et cœperunt cogitare scribæ et Pharisei di-*

centes: Quis est hic, qui loquitur blasphemiam? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Ut cognovit autem Jesus cogitationes eorum, respondens dixit ad illos: Quid cogitatis mala in cordibus vestris (Ibid., 21, 22)? Quod autem Lucas dixit, *Cœperunt cogitare scribæ et Pharisei dicentes*; hoc Matthæus ait, *Et ecce quidam de scribis dicebant intra se: Blasphemat. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris* (Matth. 12, 3, 4)? In libro quoque Sapientiæ dicitur de quibusdam: *Dixerunt intra se cogitantes non recte* (Sap. 11, 4). Manifestum est ergo hoc esse cogitare, quod est intra se dicere. Ibi ergo invisibiliter cogitatur. Sine strepitu ergo vocis corporeæ unusquisque quod cogitat dicit, quod tamen ad alterius auditum non nisi corporea locutione perducit.

CAPUT XVI.

Illud itaque verbum quod ex memoria natum est, secundum solam naturam, qua de memoria invenitur nasci, non potest ad aures cujuslibet hominis sine corporea voce perducit. Proinde ut proferri ad alios possit, habitu corporeæ vocis induitur. Cui verbo ex ore vox corporea copulatur. Atque ita fit ut illud verbum, quod totum in mente spiritaliter fuit, et ad alios per corporalem vocem veniat, et ab **354** animo, de quo et in quo spiritaliter permanet, non recedat. Totum enim necesse est ut permaneat in mente, etiam quando totum profertur in voce. Nec tamen possumus dicere illam prolationem solius verbi a memoria vel a voluntate non fieri. Omnis enim qui loquitur, et meminit utique, et cogitat quid loquatur; et propterea loquitur, quia illam locutionem cum memoria et cogitatione voluntas pariter operatur. Nam in tantum quicquid homo loquitur sciens, non utique loquitur nisi volens, ut quicquid homo invitus dicere compellitur, non dicat, quandiu voluntas ad loquendum nullatenus inclinatur. Inde est quod non solum illi, qui nunc rerum temporalium, tribulationum, vel tormentorum timore sive dolore compressi, veritatem catholicæ fidei relinquentes, ad impietatem ac perfidiam transierunt, nullam excusationem invenire poterunt, ut dicant quod inviti negaverint veram fidem, cum hoc eos propria fecisse appareat voluntate. Etsi enim vel tribulatione, vel tormento ad negandam fidem perductus est animus, non eam tamen negavit invitus. Ut enim fidem negaret, prius cogitavit et voluit, et sic illam negationem protulit: quia hoc ut fieret, cogitatio simul cum voluntate decrevit.

CAPUT XVII.

Ut ergo ad illud quod agebam redeam, in ipsa imagine Dei, hoc est in ipsa mente hominis, cogitatio quæ ex memoria nascitur atque formatur, et recte verbum dicitur, solam corpoream vocem accipit, ut audiri corporeis auribus possit. Sic ergo in illa sancta ac divina Trinitate, solum Patris Verbum, quod est Speculum sine macula, et Imago honoris Dei (Sap. 7, 26), splendor scilicet et figura substantiæ ejus (Hebr. 1, 3), cum in forma Dei esset, non raptam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetip-

sum exinanivit, formam servi accipiens (Philip. II, 6). Solus ergo Filius accepit carnem, ut possit corporeis oculis videri, manibus contractari; solus humanam naturam sic accepit, ut suam faceret, et per illam divinitatis quoque suæ notitiam misericorditer infunderet. Qui tamen revelans seipsum, in seipso utique revelavit et Patrem. Tribuens quippe agnitionem suæ divinitatis, simul agnitionem donavit et Patris. Divinitas enim quæ una est Patris et Filii, facit et Filium sine Patre, et Patrem sine Filio non agnosci. Inde est quod ait: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem* (Joan. XIV, 9). Sic ergo Filius, qui carnem solus accepit, in seipso Patrem jure unius divinitatis naturaliter ostendit; sicut sermocinator, dum veritatem quam meminit loquitur, quod a se prolatum indicat, hoc intus in mente repositum monstrat. Vox autem illa corporea qua spiritale verbum induitur, ut ad audientium notitiam proferatur, simul sit a memoria, et a cogitatione, et a voluntate; sed a sola cogitatione, id est interiore suscipitur verbo, ut ad corporeas circumstantium aures interioris cogitationis procedat augurio. Illud autem verbum, sicut habitu corporeæ vocis accepto totum ad audientes egreditur, sic in corde totum cum memoria et voluntate spiritaliter invenitur. **355** Proinde quisquis hanc imaginem in mente hominis conspexerit, hæreticorum vaniloquia citius irridebit; qui carnaliter de spiritalibus sentientes, nolunt credere in illa sancta Trinitate aliquid a tribus factum, quod ab una persona tantum fuerit divina dispositione susceptum: cum illa humana natura totius quidem Trinitatis opere sit facta, a solo tamen Filio fuerit in unitatem personæ suscepta. Sicut enim certum est quia *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (Joan. I, 1); ita certum est quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Ibid., 14). Quid autem accepimus? Domini Verbum et Deum apud quem erat Verbum, non Patrem et Filium.

CAPUT XVIII.

Nomine itaque Verbi ostenditur discreta Patris Filiique persona: sed quia Deus erat, docetur una Patris Filiique substantia. Non ergo Patris, neque Spiritus sancti, illa quæ solius Verbi est caro: quia Deus Verbo non est cum Patre et Spiritu sancto unius personæ cōmunitio. Secundum operationem quippe divinitatis communem, in qua est trinitas personarum, sicut eam accepit Filius, sic accepit Pater, et Spiritus sanctus. Illum enim Filium qui secundum divinitatem naturaliter solus de solo natus est Patre, ipsum utique secundum carnem naturaliter nasci decebat ex Virgine. At in illa Trinitate, sicut non sunt duo Patres, neque duo Spiritus sancti, sic non erunt etiam duo Filii. Illa enim Trinitas unum habet in se Patrem, unum Filium, unum Spiritum sanctum. Sed unum Patrem, et unum Spiritum sanctum secundum divinam naturam; unum vero Filium, secundum divinam humanamque substantiam. In personis itaque discreta est Trinitas, quamvis in natura non sit di-

visa vel separata Trinitatis una divinitas. Ideo in solius Filii persona humanitas invenitur assumpta. Propter naturam ergo una semper est sanctæ Trinitatis operatio; propter personas. autem, solius Filii est humana susceptio. Verumtamen dum ista ad instructionem fidelium disputamus, debemus cogitare etiam hæreticos utique carnales atque animales, et ob hoc rerum spiritalium incapaces, de quibus dicit Apostolus: *Animalis autem homo non percipit quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritaliter examinatur* (I Cor. II, 14). Carnales autem, sive animales maxime hæreticos esse apostolica testatur auctoritas. Beatus enim Paulus inter opera carnis et hæreses ponit. Beatus quoque Judas apostolus eos qui se ab Ecclesia segregant animales appellat, dicens: *Hi sunt qui segregant seipsos, animales, spiritum non habentes* (Jud., 19). Hoc est utique quod beatum Paulum dixisse monstravimus: *Animalis autem homo non percipit quæ sunt spiritus Dei*. Non sit ergo mirum quia intelligere divina non valent qui spiritum Dei non habent. Scriptum est namque in libro Sapientiæ: *Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis* (Sap., 17)? Inde est quod etiam sanctus Apostolus ea quæ Dei sunt, non nisi a Spiritu sancto asserit revelari, dicens: *Nobis enim revelavit Deus* **356** *per Spiritum suum* (I Cor. II, 10). Et paulo post ait: *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis* (Ibid., 11). Verumtamen bonum est ut et nos, in quantum divinitus adjuvamus, beatum imitantes Apostolum, omnibus omnia fieri studeamus, ut omnes lucrifaciamus (I Cor. IX, 20).

CAPUT XIX.

Quoniam igitur non captus Ariani quod diximus, in illa una natura divina aliquid a tota Trinitate factum, quod non a tota Trinitate fuerit susceptum, nec creditur possibile quod carnem illam tota Trinitas fecerit, quam tamen una ex Trinitate persona suscepit, efficiamur, sicut Apostolus ait (I Thess. II, 7), tanquam parvuli in medio eorum, et hoc illis proponamus exemplum, ad intelligentiæ spiritalis latitudinem nutriendam, quod hæretici cordis non fatiget nec perturbet angustiam. Scimus illam solam esse divinam, inseparabilem atque indivisam Trinitatem, cujus neque una natura possit personarum Trinitate dividi, neque tres personæ possint naturæ indivisibilis unitate confundi. Nam et ipsa mens hominis, in qua imaginem Dei esse diximus, sic accipit ut habeat in se quoddam sanctæ Trinitatis indicium, ut distinctionem in se trium non habeat personarum. Hoc enim sibi proprium Trinitas divina servavit. Unde quamvis sit in hominis mente memoria, intelligentia, et voluntas; tria quidem illa sunt, sed tamen personæ tres esse non possunt: quia in unoquoque homine, in cujus mente, vel cujus mens est imago divina, non solum ipsius mentis, sed animæ simul et carnis una invenitur naturaliter esse persona. In creatura igitur, quantum tantæ rei de-

qua loquimur magnitudo permittit, requirentes exemplum, in naturis tale aliquid forsitan invenimus, quod in personis invenire non possimus. Diximus enim quod humanitatem Filii Dei tota Trinitas fecit, quam tamen non tota Trinitas, sed solus Filius in suam personam accepit. A tota quippe Trinitate, id est a Patre Verbo, et Spiritu sancto, facta est illa caro; sed solum Verbum factum est caro. Quoniam igitur, sicut superius diximus, quantum attinet ad creaturam, tres personas in una mente, id est in una carne invenire non possumus, duas saltem naturas in una persona non laboramus ut invenire possimus. Uniuscujusque enim persona viventis hominis ex anima rationali constat et corpore: a quo tamen multa ita fiunt, ut quamvis ab anima et corpore simul stant, ad solam tamen animam aut ad solum corpus aliquando pertineant. Quis enim nesciat solum corpus cibo carnali refecti atque nutrir, in cujus comestione communis operatio est carnis et animæ? Anima enim per corpus, imo cum corpore facit, quando corpus comedit; et tamen solum corpus accipit, quod ut accipiatur, anima simul cum corpore facit. In illa itaque comestione, una est animæ carnisque operatio, sed solius est carnis acceptio. In tantum quippe sola caro cibo corporali pascitur, ut sola, si eum acceperit, pinguescat. Animæ autem refectio atque pinguedo, non in pane corporali, sed in pane spiritali **357** consistit. Non enim in pane solo vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei (Matth. iv, 4). In cujus tamen verbi perceptione, ut cibo suo anima pascatur, caro illi in opere sociatur. Hoc enim agitur, quando aut aures corporales admovet anima verbis, ut audiat, aut oculos corporales admovet scripturis, ut legat. Ecce et in hoc simul est carnis et animæ operatio, ubi est animæ solius acceptio. Ista in creaturis videant Ariani, et non dubitent sanctæ Trinitatis unam esse divinam naturam, et fieri potuisse, imo factum esse, ut illa caro totius Trinitatis uno atque inseparabili opere fieret; in sacramento vero incarnationis ad solam personam Dei Unigeniti pertineret.

CAPUT XX.

Non ergo tota Trinitas carnem assumpsit, nec tota Trinitas passionum injurias sensit, neque tota Trinitas tertio die a mortuis resurrexit, neque tota Trinitas quadragesimo die in cælum ascendit; sed, sicut superius ostendi, unus solus Filius carnem assumpsit: in quo quia una utriusque naturæ manet inconfusa proprietas, adeo unus idemque est, qui et secundum veram divinitatem impassibilis omnino permansit. Naturaliter enim divinitas illa nihil patitur, sicut naturaliter non mutatur. Mutabilis autem naturæ est subiacere passionibus. Nulla ergo illi naturæ passio accidere potuit, cui mutatio naturalis inesse nequivit. Solus etiam Filius jacuit in sepulcro, sed illa Unigeniti Dei natura potuit sepeliri, quæ potuit mori. Secundum naturam itaque carnis Deus Unigenitus jacuit sepultus in lapide, secundum quam clavis affixus pependit in cruce.

Quomodo enim divinitas ejus poterat concludi sepulcro, quæ nec terra potest concludi, nec cælo? Illam ergo passionem illamque sepulturam unitas personalis unam in Christo fecit esse divinitatis et carnis; sed proprietas utriusque in Christo substantiæ fecit solam carnem Christi passioni et morti naturaliter subiacere, permanente impassibilitate atque immortalitate divinæ incommutabilisque substantiæ. Christus itaque, qui non est Trinitas, sed una ex Trinitate persona, sic secundum veritatem carnis vere in cruce pependit, et in sepulcro mortuus jacuit, Apostolo dicente quia *Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit a mortuis tertio die, secundum Scripturas* (I Cor. xv, 3). Quæ omnia secundum personæ unitatem totus Christus pertulit, secundum naturalem proprietatem, ad solam carnem pertinent veritatem. Ita secundum solam animam ad infernum descendit. Uno quippe eodemque tempore quod invenitur inter mortem Christi resurrectionemque distare, unus idemque Christus, et secundum veritatem carnis vere in sepulcro jacuit, et secundum veritatem animæ rationalis, vere in infernum descendit. Ac per hoc secundum veritatem humanæ naturæ, ex quo Christus in cruce suspensus inclinato capite emisit spiritum, quoadusque recepto spiritu resurrexit a mortuis, non ubi fuit secundum carnem, ibi fuit secundum animam. Secundum carnem quippe in sepulcro mortuus jacuit; secundum animam vero rationalem ad **358** infernum descendit; secundum divinitatem vero, qua cum Patre et Spiritu sancto unus est Deus, totam creaturam replevit immensus. Secundum carnem ergo sic fuit in solo sepulcro, ut secundum animam in solo fuisset inferno; secundum divinitatem vero, qua nullo loco concluditur, sed ubique (al. utrobique) totus ineffabiliter invenitur, ita carnem suam non dereliquit in sepulcro, neque animam suam deseruit in inferno, sicut nec terræ potest aliquando deesse, nec cælo. Idem quoque Dei Filius qui secundum carnem in sepulcro jacuit, et secundum solam animam in infernum descendit, quoniam ipse dixerat de anima sua: *Potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (Joan. x, 18), posteaquam posuit animam et resumpsit, secundum totam humanitatem suam in cælum ascendit, et in dextera sedis Dei sedet, sicut Marcus evangelista testatur dicens: *Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, et sedet a dextris Dei* (Marc. xvi, 19). Hæc autem omnia, quæ partim secundum solam animam, partim secundum solam carnem, partim vero secundum animam simul et carnem, in Unigenito Deo temporaliter facta sunt, sicut digne referuntur ad unam, quæ in Dei Filio est divinitatis humanitatisque personam, sic ad illius divinam nullatenus possunt referri substantiam. Ac per hoc nihil horum potest personæ Patris, vel sancti Spiritus deputari, quia non est una persona Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Nec quisquam potest passionem assumptionemve carnis Patri sive sancto Spiritui ascribere, quia ne-

fas est divinam naturam mutabilem in aliquo aut passibilem prædicare : secundum quam Christus et sine initio semper natus de Patre permansit, quando de matre initium conceptionis et natiuitatis accepit; et incomprehensibilis, quando se comprehendi permisit; et impassibilis, quando passionis injurias sensit; et immortalis, quando morti subjacuit; et indivisus, quando secundum carnem in sepulcro jacuit, et secundum animam in inferiores partes terræ descendit; et immensus, quando ad altitudinem cœli de hujus terræ humilitate conscendit.

CAPUT XXI.

Istam fidem si miser Fastidiosus non negaret, sine dubio non periret. Sed quoniam et factis eam negavit et dictis, mirum non est, quia opere pessimus factus est, et jam sermone perversus, et ambulans in tenebris inimicus exstitit lucis. Fornicatio quippe corporalis, quæ illius primo mentem carnemque possedit, ipsa eum consequenter ad præcipitium spiritalis fornicationis attraxit. Tulit enim membra Christi, et fecit membra meretricis. Et ideo non dubitavit castitatem fidei perdere, quia non se doluit castitatem corporis amisisse. Ecce quantum malum luxuria carnis, quæ illum miserum usque ad negationem potuit perducere veritatis! Hæc fuit, hæc fuit tempestas, quæ paleam de area dominica rapuit, et vepribus hæreticæ impietatis infixit. Hæc illum fecit contra suam conscientiam loqui, et in contumeliam ipsius Trinitatis perverso sermone versari. Neque enim verum credebat esse quod dixit, sed jam duplici corde maluit **359** aliud dicere quam credebat. Qua desperatione possessus, ut ipse sibi auferret spem remissionis, voluit per licentiam implere delectamenta libidinis. Ex ore itaque suo quo justificari debuit, augmentum condemnationis accepit, quando lingua ejus, quæ debebat poenitentiae verba proferre, protulit verba blasphemiae. Illuc itaque miser Fastidiosus maluit transire, ubi et contra Deum sacrilega proccitate latraret, et in suis fornicationibus, quia timorem Dei non habuit, etiam hominem non timeret. Væ illi misero, qui ad hoc ecclesiastico voluit privari

A consortio, ut nunquam possit carere supplicio: et ad hoc se voluit sine aliquo timore peccare, ut sine fine mereretur ardere.

CAPUT XXII.

Ubi sunt nunc duo anni illi quos Fastidiosus quasi felices habuit, quia eos, sicut voluit, libidinosus in fornicatione consumpsit? Quam celeriter transierunt! Qui etiam non solum ducenti, sed etiam duo millia si essent, cum celeritate transiissent. Quid autem miser faciet, cum ad iudicium illius venerit, quem negavit? quid recipiet pro talibus factis et dictis? quid ille recipiet, ille corpore luxuriosus, corde cæcus, errore blasphemus? qui prius in se templum Dei fornicatione violavit, deinde corpore quoque ab Ecclesia separatus exivit. Quid recipiet ab illa sancta Trinitate, qui maluit servus esse luxuriæ atque perfidiæ? Quid utique nisi ignem æternum, quem talibus constat operibus præparatum? Et in hoc quidem tempore cito finita est Fastidiosi fornicatio, cujus tamen in illo igne non finietur æterna combustio. Fugiant ergo Christiani utramque fornicationem, quam miser Fastidiosus incurrit; ut custodientes animas suas, castitatem servent et cordis et corporis. Teneant intra Ecclesiam catholicam fidem. Credant et confiteantur inseparabilem atque individuam Trinitatem; quæ in sua divina natura nihil habet factum, nihil aliquatenus inchoatum; cujus uno atque inseparabili opere facta sunt omnia in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia. Credant nihilominus et confiteantur C Unigenitum Deum, solum secundum veram divinitatem natum de Patre, solum secundum veram humanitatem creatum ex Virgine; ac per hoc, opere Trinitatis carnem atque animam rationalem in unitate personæ pro mundi salute susceptam. Hoc firmissime retinentes proferant et perseverent in operibus bonis. In Christo enim Jesu sola valet fides quæ per caritatem operatur (*Gal. v, 6*), a qua si qui discesserit, ipse suæ animæ reus erit. Omnis autem qui in ea perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth. x, 22*).

S. FULGENTII DE REMISSIONE PECCATORUM, AD EUTHYMIUM LIBRI DUO.

LIBER PRIMUS.

360 CAPUT PRIMUM.

Explicare nequeo verbis, Euthymi carissime, quantum studio tuo congaudeam: quod non solum in domo tua positus cœlestibus animum Scripturis indulges, sed etiam sanctam vigili corde frequentas ecclesiam, ut cum divinis eloquiis corporis exterior pulsatur auditus, interior animæ tæx pascatur affectus. Gratia quippe divinæ opus agnoscitur, quod in domo

D Dei illorum colloquio spiritaliter frueris quos in amore divinæ legis fervere cognoscis; nec cum quibusdam delectaris inutilem miscere sermonem, qui ad vitale cœlestis verbi convivium sine sua utilitate conveniunt, et, secundum veracem coarguentis apostoli Pauli sermonem, a veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur (*II Tim. iv, 4*). Quos non immerito dixerim similes illis quorum stoma

chus, mortifero superatus fastidio, inedia magis invenitur delectari quam cibo; et ob hoc frustra sibi medicinales divitias appositas cernunt; quas dum recusant percipere, nec virtutis aliquid inde, nec sanitatis acquirunt; atque in domo medici spernentes oblatum medelæ spiritualis sibi antidotum, ad hoc cum infirmitatibus suis intrant, ut deterius infirmi recedant. Quibus tamen potens est Dominus verbi sui delectationem cognitionemque largiri, ut honorum inflammentur exemplis. Quibus admoniti negligentiam suæ cunctationis abjiciant, et effectum salutis in ipsius medici salubribus præceptis quærant: ut cum his qui, perscrutantes testimonia Domini, exquirunt eum, ipsi quoque pro salute sua non desistant quærere quod possit a quærentibus inveniri.

361 CAPUT II.

Epistola itaque quam mihi misisti, licet de corde tuo non aliquid nobis intimarit incognitum, cordi tamen nostro magnum incrementum lætitiæ in Domino subrogavit. Cognitum quippe nobis est, divinam in te gratiam misericorditer operari, te sæpe ac multum de remissione peccatorum cogitare. Verumtamen ideo nostram dixi crevisse lætitiæ, quia sic adipisci remissionem peccatorum desideras, ut ejusdem remissionis effectum frequenter ac vigilantè inquiras. Dicis igitur inter vos natam esse quæstionem, quam licet ipse recolat, malui tamen verba quæ in tua continentur epistola, ipso quo a te sunt tenore posita huic opusculo inserere: ut non solum tu ex propria dictatione recognoscas, sed etiam quisquis alius legerit, dum cognitionis percunctatione imbuitur, ad intelligentiam responsionis commodius instruat. Quæris itaque *utrum rerum conditor Dominus in hoc sæculo tantummodo quibus voluerit peccata dimittit, et sic hinc quisquam solutus exeat; an per omnipotentiam suam quibus in sæculo præsentis non dimisit, exentibus de corpore ante diem judicii peccata dimittat, vel in eodem die futuri sæculi.* Hæc nempe verba quæ posui recordaris profecto tuis, ut jam dixi, contineri

CAPUT III.

In hujus absolute quæstionis flagitare vos video parvitatæ nostræ sententiam. Proinde spero in abundantia bonitatis Dei, qua sic est ille semper dives, ut exinde nostra quoque possit ditari pauperies, et ex qua cæteris quantum vult sic donat, ut in ea plenius ipse permaneat; quia talia nostro cordi spiritualiter dignabitur infundere, quæ et nobis dicere prosit, et vobis audire. Sermo enim quem vobis in Dei gratia ministramus, tunc etiam nobis prodest, si quod vobis pro salute verbo styloque foris dicimus, nos intus mites et humiles audiamus. Non enim frustra David sanctissimus dicit: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus (Psal. lxxxiv, 9).* Qui auditus proprie ad humiles pertinet. Propter quod alio loco idem propheta dicit: *Auditui meo dabis gaudium*

et lætitiæ, et exultabunt ossa humiliata (Psal. l, 10). Alio loco majestas ipsa sic loquitur: *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea (Isai. lxvi, 2)?* Nec vero iste Spiritus Dei sic super humilem et quietum requiescit, ut non ipse quietum humilemque faciat, sed tanquam humilem quietumque requieturus inveniat. In eo quippe super humilem et quietum dignatur requiescere, quia super quem requiescit, quietum et humilem facit. Hoc ergo Spiritus sanctus operatur, ut vitium superbiæ atque inquietudinis ab homine in quo requiescit, expellat; ac sic præveniente sancti Spiritus operatione, hominis voluntatem misericorditer immutante, omne præteritæ humanæ iniquitatis vinculum gratis data solvat remissio peccatorum.

CAPUT IV.

Non itaque de re parva disserimus, nec vile aliquid quærimus, cum de remissione peccatorum, quantum divina largitas adjuvat, disputamus. Per hanc enim de potestate tenebrarum eripiuntur quos Deus transferet in regnum filii dilectionis suæ (*Colos. i, 13*). Per ipsam (*al. hanc*) liberantur ab æterna pœna, ut potiantur æterna lætitiæ. Per illam deponitur onus, seu quod nativitas vitiosa traxit, sive quod iniquitas vitiosæ juventutis adjecit. Per eam Christus eos qui laborant et onerati sunt venientes ad se reficit, quibus lenè (*al. leve*) jugum levemque sarcinam suæ caritatis imponit (*Matth. xi, 28*). Per ipsam gratia justificatur (*al. justificabitur*) impius, ut reputetur fides ejus ad justitiæ. Per illam caret mala vita, qua fuerat implicatus; et accipit gratis bonam, qua fuit indignus. Per ipsam fit ut in bona vita deinceps, dono misericordiæ prævenientis illuminatus ambulet, et in ea deductus misericordiæ subsequentis non mere perseveret: ut indebita gratia bene vivendi donum inchoet in homine, peccatorum remissione donata; quod perficiat perseverandi virtute concessa. Per remissionem peccatorum gratis homines discernuntur ab illis qui cruciabantur in æternum cum diabolo, et adjunguntur his qui sine fine regnabunt cum Christo. Postremo talis est remissio peccatorum, ut pro ipsa fieret homo Unigenitus Dei, pro ipsa etiam sanguis ejus fuisset effusus. Unum horum vox angelicæ visionis aperuit; alterum vero ipse Dominus indicavit. Nam cum desponsata esset Maria mater ejus Joseph, et, sicut evangelista testatur, priusquam convenirent, inventa esset in utero habens de Spiritu sancto, conceptionis illius causa nescienti Joseph istis est verbis ab angelo nuntiata: *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (Matth. i, 18, et seq.).* Quid vero aliud est a peccatis salvare, nisi peccata dimittere? Nam et ipse Salvator noster, qui venit salvum facere quod perierat (*Matth. xviii,*

^a Ms. et editi, *verbi tui*, sed manifesto errore.

^b Edd., et si

^c Ms., *vitiosæ juventutis*.

^d Ms., *in bona via*.

41), ob hoc se venisse testatur, ut vocaret peccatores in poenitentiam.

CAPUT V.

Vocationis autem hujus ad poenitentiam principale est beneficium, gratuita remissione peccatorum. Pro qua idem Redemptor noster, peractis paschalis cœnæ convivio, sanguinem suum enuntiat effundendum. *Bibite, inquit, ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum (Matth. xxvi, 28).* **363** Hanc igitur, sicut arbitror, aut omnes, aut pene omnes qui quolibet modo appellatur Christiano nomine, invenire desiderat; sed interest ubi quisque, vel quando, vel qualiter quaerat. Neque enim ad remissionem peccatorum poterit pervenire, si quis aut veram non teneat fidem, aut negligat bonæ operationis officium, aut rectæ credulitatis bonæ operationi concessum divinitus tempus mortifera preoccupatus vanitate contemnat. Hæc namque tria, id est, fides, opus et tempus, ita sunt simul hominibus in hac vita necessaria, ut si cui unum ex his tribus in præsentis sæculo defuerit, æternæ vitæ participans esse non possit; ac per hoc nec remissionem peccatorum consequetur, per quam ad æternæ vitæ præmium pervenitur. Quod necesse est, Domino adjuvante, divinatorum testimoniorum attestations monstramus.

CAPUT VI.

Præ omnibus itaque, nobis est firma credulitate retinendum, misericordem et justum esse Dominum Deum nostrum. Hinc enim facile potest inquirere appa- **C** rere, qualibus peccata Deus dimittat, ubi dimittat, quando dimittat. Quibus cognitis, nec pravam quisquam retineat de Deo sententiam, nec conversionem suam negligat, nec a catholica Ecclesia discedat; aut si quis discessit, celeriter revertatur; nec de tempore sibi velit insulsa cogitatione blandiri, si ad Deum in hac vita quisquam converti nolens, et usque ad mortem iniquitatibus serviens, post hanc vitam se credat adepturum remissionem peccatorum, quando jam præjudicatus a tempore tribulationis (forte retributionis) divinæ non peccatum possit vitare conversus, sed supplicii maneat æternitate damnandus. Multis enim multiplicibusque fraudibus viam cœlestis itineris diabolus claudere nititur et cœ- **D** lare, cuius hoc est incessabile studium, ut ad cruciatu sui societatem miserorum turbam, quantumcumque potuerit, vel trahat illectam, vel cogat invitam. Nonnullos quippe facit, abjecta consideratione divinæ justitiæ, solam Dei misericordiam cogitare; ut conversionem suam negligent, existimantes se, etiamsi usque in finem criminosam duxerint vitam, remissionis beneficio potituros esse. Alios autem (al. aut) cogit aut illicit, Ecclesiæ catholicæ gremio derelicto, ad hæreses vel schismata depravati cordis cæcitate transire. Quorum animos deceptione falsæ promissionis illaqueat, ut vel putent se recto sulchri dogmate, vel sperent sibi pro sola cordis credulitate futuram remissionis beneficium, etiamsi ficto animo, pro temporis vel commoditate vel metu, mortifero

hæreticorum consortio usque ad mortem teneantur innexi; minus considerantes illam Salvatoris nostri sententiam dicentis: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, constebor et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est; et qui me negaverit coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est (Matth. x, 32).* Et alio loco: *Qui me erubuerit, et sermones meos, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum angelorum (Luc. ix, 26).* Perisicis vero humani generis inimicus ad hoc peccatorum **364** suorum recordationem molitur ingerere, ut vel obduratis desperationem remissionis injiciat, et eos remedio conversionis excludat. Hæc autem omnia non ob aliud fraudulenta semper agit oblectus fallacia, nisi ut opportunitatem temporis adimat, qua conversis potest donari remissio; ac sic, quantum ad ejus attinet malignitatem, si fieri possit, nemo perveniat ad salutem. Deum namque misericordem justumque esse cognoscit, nec ignorat quod peccatorum remissionem sola de Deo possit elicere cordis vera conversio. Scit etiam quod non alibi quam in solo gremio Catholice Matris dimitti possint peccata conversis; nec eum latet in præsentis tantum sæculo remissionem omnium peccatorum conversis posse concedi: ubi humanum genus, per coconstitutum divinitus ordinem recessione morientium, successionemque nascentium, carnalis nativitatis nexu non injuste constringitur, atque spiritali nativitate gratis enodatur: ubi etiam omnem reatum aut solvit conversio, aut insolubilem facit, seu vanæ spei neglectio nutrita, sive desperatione roborata et usque in finem retenta cordis obdurati nequitia.

CAPUT VII.

Sed jam suscepti operis compellit instantia ut omnia quæ superius intimavi, debita disputatione atque Scripturarum sanctarum attestations perdoceam. Enimvero utriusque veridica series Testamenti cuncta quæ ad proventum pertinent humanæ salutis non tacet; ut nihil sit quod in posterum contemptor damnandus excuset. Principaliter igitur omnis Scriptura divinitus inspirata unum verum ac solum Deum, illam scilicet Trinitatem, id est, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, tam misericordem prædicat esse quam justum. Ipsi enim ex persona Ecclesiæ dicitur: *Misericordiam et iudicium cantabo tibi, Domine (Psal. c, 4).* De isto etiam cantatur: *Misericors Dominus et justus, et Deus noster miserebitur (Psal. cxxiv, 5).* Alio quoque loco: *Quoniam justus Dominus et justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus (Psal. x, 8).* Denuo dicitur: *Universæ viæ Domini misericordia et veritas (Psal. xxiv, 10).* Et rursus: *Quoniam misericordiam et veritatem diligit Dominus (Psal. lxxxiii, 12).* In primo quoque decalogi præcepto justum se idem Dominus (al. Deus) misericordemque sic intimat: *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus zelans, qui reddo peccata patrum in filios, in tertium et quartam progeniem, in his qui oderunt me; et faciens misericordiam in millia millium his qui*

amant et custodiunt præcepta mea (Exod. xx, 5). Propterea Moyses dicit : *Dominus Deus indulgens et misericors, patiens et multæ misericordiæ et verax, justitiam custodiens et misericordiam in millia, auferens iniquitates et injustitias et peccata. Et non purificabit reum, adducens peccata patrum in filios filiorum in tertiam et quartam progeniem (Exod. xxiv, 6). Per Esaiam quoque suam Dominus misericordiam justitiamque commemorat, dicens : Ego Deus, et non alius præter me, justus, et salvans : non est alius præter me. Convertimini ad me, et salvi eritis (Isai. xl.v, 21).*

365 CAPUT VIII.

His igitur atque innumeris hujusmodi testimoniis, quibus Dominus Deus auster misericordiam prædicat et justus, ostendit quantum diligenda sit ejus misericordia, quantumque justitia metuenda monstratur. *Misericors enim et miserator Dominus, patiens et multum misericors et verax, sicut novit a converso submovere supplicium, sic in eo qui converti noluerit, nullatenus sinit inultam remanere peccatum. Idcirco si quos in præsentis sæculo pia Dei bonitas a dominatione peccati non liberat, ipsos in futuro severitas justa condemnat. Hinc est quod divinis indesinenter eloquiis mali salubriter admonentur, ne remaneant in servitute peccati, sed misericordiam justæ Dei, dum sunt in hac vita, requirant. Bonis quoque præcipitur (Psal. ii, 11, 12, 13), ut servientes Domino in timore, et exultantes ei cum tremore, apprehendant disciplinam; ne quando irascatur Dominus et pereant de via justa. Ipse itaque Deus qui est misericors et justus, sicut admonet, ut propter justitiam et misericordiam timeatur et diligatur a malis, ut conversi careant poena quam justitia minatur, et accipiant indulgentiam quam misericordia pollicetur, sic admonet et propter justitiam et misericordiam diligatur et timeatur a bonis, quo possint qui ejus præventi misericordia boni sunt, et dilectione misericordiæ in bonis operibus permansere, et timore justitiæ a peccatis semetipsos sollicitè custodire; et consideratione propriæ infirmitatis instructi aequanimè de suis viribus confidant, sed divini virtutis auxilium jugiter et humiliter peccant.*

CAPUT IX.

Debet ergo et a bonis et a malis tam misericordia diligi quam justitia formidari : ne vel boni diligentes misericordiam Dei, justitiam non timeant, et laqueos diaboli seducentis incurrant; vel mali solam justitiæ severitatem considerantes, non quærant, cum invenire possunt per conversionem, misericordiæ beneficium, ac sic obdurati non solum remissionem peccatorum denegent, quin etiam peccata multiplicare non cessent. Hoc enim duplici laqueo frequenter diabolus captivat incautos; ut aut spe vana futuræ remissionis obtusi, nolint justitiæ timore converti; aut remissionem omnimodis desperantes, conversionem ne-

^a Forte melius expungeretur particula *cum*, quæ habetur in editis et ms.

gligant, et habenas iniquitatibus relaxantes, dum desperant indulgentiam, currant præcipites in gehennam. Ac sic ille callidus humani generis inimicus, alios desperationis temeritate præcipitat, alios autem fallacis spei deceptione supplantat. Propter quod beatus Paulus (II Cor. xiii, 3), in quo locutus est Christus, bene viventibus scribens, sic eorum commendat obedientiam, ut cum metu et tremore salubris operationis jubeat talibus inesse cautelam. Dicit enim Philippensibus : *Itaque, carissimi mei, sicut semper obedistis, non ut in præsentia mea (al. mei) tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur 366 in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate (Philip. ii, 12).* His verbis beatus Paulus justum utique Deum insinuat, cum metum tremoremque servandum fidelibus præcepit in operibus bonis. Misericordem quoque prædicat, quem in eis operari dicit et velle et perficere, pro bona voluntate. Neque enim a bene operantibus juste timeretur, si justus non esset; nec omne bonum voluntatis et operis ipse in eis operaretur, si misericors non fuisset. Hunc justitiæ divinæ timorem terribili denuo prædicatione justis vehementer apostolus Paulus inculcat, dicens : *Qui se existimat stare, videat ne cadat (I Cor. x, 12).* Et rursus : *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris (Galat. vi, 1).* Ipsi quoque apostolis cum magisterio cælesti denuntiatur infirmitas propria, cum ^a congrui timoris demonstratur in humilitate cordis cautela retinenda, dicente Domino : *Vigilate et orate, ne veniatis in tentationem. Spiritus quidem promptus, caro autem infirma est (Matth. xxvi, 41).*

CAPUT X.

Verumtamen quia cuncta quæ divinis continentur eloquiis, ad custodiam vel reparationem dicuntur humanæ salutis; providit sermo divinus, ne dum justis divinæ metus indicitur æquitatis, e contrario mortifera peccatoribus desperatione nasceretur, si apud indulgentiæ minime monstraretur. Ipsa enim errantes ad viam veritatis revocat, dum propitiatione divina converso relaxandum promittit, quidquid mali, priusquam converteretur admisit. Ideo apostolus Paulus in Epistola quam ad Romanos scripsit, sicut fideles et bonos ad insinuationem severitatis divinæ terrificat, sic infideles et malos ad conversionem apercissima supernæ bonitatis invitat, ut scilicet tam boni discerent non altum sapere, sed timere, quam mali possint remedium salutis æternæ sine quolibet impedimento dubitationis acquirere. Dicit igitur beatissimus Paulus : *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate : alioquin et tu excideris; et illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim Deus iterum inserere illos*

^b Ms. non habet *est*, nec textus evangelicus. Antwerp. habet.

(Rom. xi, 22, 23). Itaque cum dicat Apostolus illum A excidendum qui in bonitate non permanserit, et illum qui in incredulitate non permanserit inserendum; quis homo justus non tremefactus justitiam metuat, vel quis iniquus non ad Dei misericordiam confirmatus accurrat? Quis non compellatur bono cuiuslibet impii, si toto corde conversus fuerit, audeat desperare, cum cœlestis medicina præceptis salubribus æqualiter sanis consulat et infirmis; illis timorem justitiæ indicens, tanquam salutis acceptæ custodem; istis misericordiæ beneficium pollicens, ut, spei remedio sublevati, recipientiam quam perdidierant sospitatem. Timor enim justitiæ præcipitur sanato, cui **367** dicitur: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* (Joan. v, 14). Spes quoque misericordiæ demonstratur infirmis, cum dicitur: *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus: non veni vocare justos, sed peccatores in penitentiam* (Luc. v, 32). Sermo quoque propheticus misericordiam Dei justitiamque commendare non desinit, sic Deo per Ezechielem prophetam dicente: *Iniquus si se convertat ab omnibus iniquitatibus suis quas fecit, et custodierit omnia mandata mea, et fecerit justitiam et misericordiam, vitu vivet, et non morietur. Omnia delicta ejus quæcunque fecit, non erunt in memoria. In sua justitia quam fecit, vivet. Nunquid voluntate volo mortem peccatoris, dicit Dominus, quam ut avertatur de via sua mala, et vivere eum* (Ezech. xviii, 21)? Ostenso itaque ad impios convertendos divinæ longanimitatis ac benignitatis beneficio, ad justos quoque deterrendos ita propheticus sermo dirigitur: *Cum se autem averterit justus a sua justitia, et fecerit iniquitatem, secundum omnes iniquitates quas fecit ille iniquus, omnes justitiæ ejus quas fecit, non erunt in memoria. In delicto suo quo deliquit, et in peccatis suis quibus peccavit, in ipsis morietur* (Ibid. 24).

CAPUT XI.

Innumerabilia sunt divinarum testimonia Scripturarum quibus Deus misericors prædicatur et justus, nec est aliud quod omnis textus agat cœlestis eloquii, nisi ut malos admoneat timore justitiæ Dei celeriter malis operibus finem ponere, et bonos in bonis operibus sollicitè atque humiliter permanere. Ut scilicet et omnis iniquus æquitatem Dei metuens, ad misericordiam currat justæ bonitatis, et omnis justus, de Dei misericordia gaudens, judicium benignissimæ non negligat æquitatis. Quia ubi est misericordia justitiæque perfecta, nec favorem potest justus peccatis impendere, nec indulgentiam conversis misericors abnegare. Ex hoc igitur quod justus et misericors prædicatur, facillime cognoscitur (al. cognoscimus) non nisi conversis remissionem tribui peccatorum, nec nisi permanentibus in peccato supplicium sempiternæ damnationis inferri. Propter quod Psalmista sic canit: *Nisi convertamini, gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis*

(Psal. vii, 13). Per Esaïam quoque non dissimilis adversus contumaces et divinæ clementiæ contemptores lata reperitur ore divino sententia, in qua cognoscitur, nec inaniter quemquam divinis imperiis obedire, nec impune in iniquitatibus permanere. Sic ergo dicit: *Lavamini, mundi estote, auferte nequitias vestras ab animis vestris e conspectu oculorum meorum; desinite a malitiis vestris, discite bonum facere, inquirete judicium, eripite injuriam accipientem, judicate pupillo, et justificare viduam, et venite disputemus, dicit Dominus. Et si fuerint delicta vestra ut phœnicium, ut nivem dealbabo. Si autem ut coccum, ut lanam candidam efficiam. Et si volueritis et obaudieritis me, quæ bona sunt terræ, edetis. Si autem nolueritis, neque obaudieritis me, gladius vos comedet. Os enim Domini locutum est hoc* (Isa. i, 16 et seq.). Quis rogo est tam durus aut omnino stolidus, qui in hoc sermone monitionis supernæ, si ad conversionem non invitatur **368** delectatione promissi, non saltem compellatur terrore supplicii? Contemptorem quippe divini sermonis non excipiet salus, sed comesturus est gladius. Hinc est quod alio loco in ejusdem prophetæ volumine demonstratur, quia nisi per conversionem nemo perveniet ad salutem. Sic enim dicitur: *Si conversus fueris et ingemueris, salvus eris* (Isai. xxx, 15, sec. LXX). In hoc testimonio conditionali Deus et præcepto nititur, et promisso. Dicens quippe, *Si conversus fueris et ingemueris, salvus eris*, ostendit ex conversionis conditione promissionem salutis omnino pendere. Hæc est igitur inter Deum hominemque conditio, id est, inter præcipientem Dominum servumque poscentem, inter judicem qui sine justitia misericordiam prærogat, et peccatorem qui misericordiam juste judicantis exspectat. Dicit igitur iste Dominus, misericors et justus, severus et pius: *Si hoc feceris, hoc habebis; si quod dico custodieris, dabo quod poscis; ego tibi præcipio conversionem, tu poscis a me salutem; si parueris præcepto, poteris beneficium; si justa fieri videam, postulata concedam: Si conversus fueris et ingemueris, salvus eris.*

CAPUT XII.

Cum dicitur ergo peccanti beneficium salutis accipere cupienti, quia si conversus fuerit et ingemuerit, salvus erit; consequenter intelligitur quia, ETIAMSÌ IN-
GEMUERIT, tamen conversus non fuerit, salvus non erit. Non enim frustra utrumque divinus sermo complexus est, nisi ut hæc duo, id est conversionem et gemitum, necessaria cognosceremus ad consequendum salutis effectum. Nonnulli enim scelerum suorum consideratione perterriti, pro iniquitatibus quidem suis in oratione gemunt, nec tamen ab iniqua operatione discedunt. Fatentur se male fecisse, nec ullum finem volunt malis factis suis imponere. Accusant humiliter in conspectu Dei peccata quibus tenentur oppressi, et eadem peccata quæ humilitate sermonis accusant, corde perverso contumaciter cumulant. In indulgentiam quam lacrymosis gemitibus poscunt, ipsi

• Hunc locum non paucis verbis mancum restituere non licuit ope edd. aut nss. codd.

sibi pravis operibus adimunt. Medelam postulant a medico, et in perniciem suam subrogant adjutorum morbo. Ac sic iuaniter verbis quæerunt placare justum iudicem, quem factis iniquis magis irritant ad furorem. Tales enim nunquam diluunt gemendo peccatum, quia non desinant peccare post gemitum. Pro criminibus namque gemunt; et post gemitum ad crimina redeunt. De talibus in libro Ecclesiastico Scriptura divina sic loquitur: *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus? Sic homo qui jejunit pro peccatis suis, et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationem ejus quis exaudiet (Eccli. xxxiv, 30, 31)?* Rectissime igitur dicit Deus homini: *Si conversus fueris et ingemueris, salvus eris.* Apud Deum quippe severum et bonum tunc oratio gementis auditur, tunc poscentis fletus attenditur, tunc sienti conceditur salus, si fuerit ad Deum contriti cordis humilitate conversus. Necessè est enim ut Deus peccatori misertus ignoscat, si tamen peccator iniquitatem suam conversus agnoscat. Denique divinam misericordiam **369** propterea David sanctus efficaciter invenit, quia conversus per humilitatem contriti cordis, quod male fecerat agnoscendo damnavit, nec distulit punire pœnitendo mali operis cupiditatem in qua fuerat lapsus; quia si non puniret unde reus tenebatur, procul dubio ipse puniretur. Suum ergo facinus agnovit conversus in pœnitentiam, metu it ne damnatus agnovisset pœnani. Ipse in se pœnitens vindicabat agnoscendo, quod ignosci sibi volebat a Domino. Denique cum dixisset: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam; Magis magisque lava me ab injuriis meis, et a delicto meo munda me (Psal. l, 1, 2);* statim secutus adjunxit: *Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, delictum meum coram me est semper (Ibid., 4).* Agnoscebat iniquitatem suam, non ut peccando magis auget, sed ut pœnitendo dilueret; atque ita dominationem peccati, quam delectatio culpabilis invexit, conversio vera submovit. Et quia ingemuit David ex toto corde conversus, continuo salvus est factus, atque ita in eo completum est quod per prophetam præcipitur: *Si conversus fueris et ingemueris, salvus eris.*

CAPUT XIII.

Porro conversio et ab impietate et ab iniquitate præcipitur. Utraque enim adversum se iram Dei provocant: quia utrumque Deus exsecratur et damnat, licente Paulo: *Revelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem et injustitiam hominum (Rom. 1, 18).* Et Salomon ait, quod etiam beatus Petrus suis licitis inseruit: *Si justus vix salvabitur, peccator et impius ubi parebunt (Prov. xi, 31, juxta LXX; 1 Petr. v, 18).* Unde non immerito Vas electionis, quod diuine plenum erat caritatis, sicut pro his qui in fide

peccabant tristitia magna concutiebatur et dolore cordis, sic illos qui, intra Ecclesiam constituti, et impudice luxurioseque viventes pœnitentiam non agebant, lugere se testatus est. De Judæis enim quos increduli cordis impietas possidebat ita dicit: *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea, in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi est magna, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ (Rom. ix, 1, 2, 3, 4).* De illis vero qui intra Ecclesiam positi malis operibus insistebant, sic ad Corinthios loquitur medicinali sermone: *Ne iterum cum venero humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam, super immunditia et fornicatione et impudicitia quam gesserunt (II Cor. xii, 21).* Nec istos utique tristes doleret, nec illos humiliatus doleret Apostolus, si impiis et iniquis exacerbantibus divinam justitiam sine conversione cordis remissionem peccatorum crederet conferendam; cum ipsa remissio peccatorum non nisi in conversione cordis sortiatum effectum; in illis duntaxat qui propriæ jam voluntatis utentes arbitrio, divini muneris opitulatione conversi mutata in melius vita, non desistunt ad poscendam remissionem peccatorum currere, ad quorum **370** perpetrationem sive nescientes ignorantia impulit, seu, quod est deterius, scientes contumacia voluntatis illexit. Propter quod Propheta orat Deum: *Delicta juventutis et ignorantia meæ (al. ignorantias meas) ne memineris (Psal. xxiv, 7).* Et Salvator noster ait: *Servus nesciens voluntatem domini sui, et faciens indigna (al. digna), vapulabit paucis, et servus sciens voluntatem domini sui et faciens indigna, plagis a vapulabit multis (Luc. xii, 47).* Unde et Apostolus in ignorantia se peccasse confiteatur his verbis: *Gratias ago ei qui me confortavit Christo b Jesu Domino nostro; quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio, qui prius sui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate (I Tim. i, 12, 13).* Ne quis ergo sibi de ignorantia blandiatur, attendendus est Apostoli sermo, qui se ignorantia quidem fecisse pronuntiat, sed tamen se peccasse non negat; imo primum se dicit (*Ibid.*, 15) omnium peccatorum: primum scilicet, non temporis cursu, sed iniquitatis excessu. Misericordiam itaque in hoc consecutus est, ut peccata quæ in ignorantia fecerat, illuminatus agnosceret, et conversus protinus abdicaret. Hoc autem fit, ut, sicut nos docet apostolus Jacobus, omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum descendere a Patre luminum (*Jac. i, 17*) cognoscamus. Qui cum in peccatore hoc inveniat pro quo debeat juste damnari, conversionem ipse gratis tribuit peccatori, per quam justæ damnationis possint tormenta submoverti.

^a Sic ms. Abest vox *plagis* ab editis. At in textu evangelico paulo aliter habetur, nempe, *faciens digna plagis, vapulabit multis.*

^b Aut., *in Christo*; ms. omittit *in*, et ipse textus Apostoli.

CAPUT XIV.

In omni ergo peccatore qui arbitrio jam propriae voluntatis utitur, per conversionem cordis beneficium divini muneris inchoatur. Cæterum parvulos novimus non propria voluntate, sed fidelium pro eis confitentium recta credulitate salvari. Convenit enim iudicio veritatis parvulos ministerio alienæ confessionis absolvi, quos vinculo constat alienæ iniquitatis obstringi: ut, aliis spiritaliter confitentibus, accipiant justificationis beneficium, qui, aliis carnaliter generantibus, portant originale peccatum; et sicut ad primam nativitatem obfuit nondum natis nec aliquid agentibus parentum carnalis concubitus, sic eis nescientibus proat ad secundam nativitatem fidelium pro eis confitentium spiritalis affectus. Quantum ergo ad illos attinet qui propriorum jam possunt actuum reddere rationem, nullus efficietur beatus, nisi qui malis actibus renuntiatis, ad Deum fuerit tota cordis humilitate conversus. *Beati enim quorum remissa sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (Psal. xxxi, 1).* Quisquis igitur propriae voluntatis et operationis iniquitatem portat, non potest aliquam accipere beatitudinem, nisi fuerit ad ipsam conversus beatitudinis largitorem.

371 CAPUT XV.

Peccatis enim excæcatur cor, remissione vero illuminatur. Quia sicut nihil est aliud excæcari quam lumine privari, ita curatus oculus in quantum potiri valet visione luminis, in tantum caret vitio cecitatis. Qui tamen oculus videre lumen nullatenus valebit, nisi se illi tamen infuderit. Oculis igitur per luminis infusionem potest percipere luminis visionem. Sic et remissio peccatorum cum hominibus datur, procul dubio cæcitas cordis expellitur, ut lumen justitiæ oculo interiore cernatur. Cæterum quomodo fieri potest ut obscuritas tenebrarum removeatur, si luminis infusio non donetur? Deus ergo quibus propria peccata dimittit, lumen veræ conversionis infundit. Quocirca sicut cæcus quilibet, quandiu cæcus est, non potest lumen videre; sic iniquus quilibet aut impius remissionem non accipit peccatorum, nisi præventus gratuita justificationis munere toto corde convertatur ad Deum: ipse enim remissionis effectus in cordis conversione consistit. Cæterum cui conversionis gratia non conceditur, peccatorum remissionem consequi, nisi a peccati dominatione liberari? *Omnis enim (sicut Veritas dicit) qui facit peccatum, servus est peccati (Joan. viii, 34).* Quomodo autem potiri creditur splendens liberationis munere, qui peccati non caret teterrima servitute? Propter quod eorum qui dicunt: *Faciamus mala, ut veniant bona (Rom. ii, 8),* justam esse damnationem, Magistro gentium docente, cognovimus, quo prædicante similiter audivimus: *Quia neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque luxuriosi, neque ebriosi, neque maledici, neque rapa-*

ces, regnum Dei possidebunt (I Cor. vi, 9, 10). Galatæ quoque sic idem doctor eximius monet: *Manifesta autem sunt (inquiens) opera carnis. Quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitia, emulationes, ira, rixæ, discusiones, hæreses, invidia, homicidia, ebrietates, comestiones, et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequuntur (Gal. v, 19 et seq.).* Quia igitur justus est Deus, quandiu isti talia agunt, regnum Dei non consequuntur; quoniam vero idem Deus misericors est, propterea mali, si talia agere desinant in quibus Deum contumaciter exacerbant, et humiliati atque correcti ad Deum convertantur, regnum Dei sine dubio consequuntur. Sicut enim opus justitiæ non vincitur, sic nec opus misericordiæ submovetur. Et ideo sic Deus possessionem regni sui disposuit, ut eam, quia justus est, impio et inique non donet; quia vero misericors est, omni veraciter converso non denegat.

372 CAPUT XVI.

Conversio autem tunc vera probatur in homine, si impietas et iniquitas pellatur ex corde. Verumtamen inter impietatem et iniquitatem hæc solet pronuntiari differentia, quod impietas, aut pravam in Deum fidem gerit, aut nullam; iniquitas autem malis moribus polluit vitam. Blasphemat impietas Deum, lædit iniquitas proximum. Impietas autem ex humilitate carnis mentitur (*forte metitur*) altissimum, nitens sacramentum pietatis invictæ ad divinæ naturæ contumeliam prædicare, aut in humana carne Deum Dei Filium conceptum natumque denegat, et Deo vero non carnis veritatem, sed ostentationem solar falsæ visionis assignat: aut ita carnem Christi fateatur de carne Virginis, ut eam neget in carnis susceptione conceptam; aut eundem Patrem quem Filium Spiritumque sanctum dicit confusione impia; aut Patris, et Filii, et Spiritus sancti diversas naturas inducit separatione perversa, aut non credit carnem Filii Dei de carne Mariæ Virginis sumptam, sed de caelo non dubitat asseverare depositam; aut aliquid humanæ naturæ vult Christo subtrahere, ut accepta humana carne animam rationalem, id est animam plenam hominis Unigenitum Deum denegat accepisse. Impietatis est crimen, si quis dicat, non omnem spiritalem corporalemque a Deo bonam conditam naturam; sed ex adverso propriam mali velit assignare substantiam: cum omne malum, non ex ortu neque sita naturalis proprietatis existat, sed ex defectu voluntariæ cogitationis eveniat: non quia bona natura malam naturam recipit, cum mala natura nulla sit, sed quia dilectionis ordine derelicto, creatura rationalis, quæ ad dilectionem Creatoris facta est, dum contempto Creatore, aut rebus inhæret creatis, aut cogitationibus falsis, deterior facta, temporalia sempiternis, ima summis, mutabilia immutabilibus anteposit. Similiter illi qui justos et iniquos, non ex operum diversitate, sed ex sacramentorum dicunt

* Ant., Confessionis; sed melius et congruentius ipsi contextui quod substituímus ex ms.

communione censendos, nihil volentes unicuique A
 prodesse, si inter injustos juste vivat in Ecclesia
 catholica tanquam unumquemque non pro qualitate
 facti, sed pro societate sacramenti aeterna retributio,
 sive supplicii sit exceptura, seu regni. Hæc ergo quæ
 sunt a nobis superius intimata, et alia multa quæ
 adversum catholicam et apostolicam fidem ab hære-
 ticiis atque schismaticis proferuntur, impietatis vitio
 deputantur. Ipsa enim separatio impios ostendit,
 quæ tales ecclesiastico corpori, non socios, sed ad-
 versarios facit. Neque enim a conventu ecclesiasticæ
 unitatis corpore separarentur, ac loco, nisi prius ab
 ecclesiastica fide descenderent (forte discederent)
 corde corrupto; neque a legitimo verbi Dei conjugio
 aperta impietate se jungerentur, nisi perfidas ac per-
 versas cogitationes adulterina diabolice constupra-
 tionis seminatione conciperent; quas nequiter interno
 loventes assensu, ad hoc postmodum nefaria locu-
 tione parent, ut viperæ similitudine propriis
 disruptis fetibus interfrent. Viperis quippe hoc est
 parere, quod perire. Quarum illi, sicut fertur, dis-
 ruptis quibus sunt concepti visceribus, sic egrediun-
 tur **373** in lucem, ut parentibus inferant mortem.
 Cum igitur impia quælibet pravitas, vel assensu concipitur,
 vel etiam professione generatur, aeterna
 morte animam interficit. Quæ corruptioni consen-
 tiens, ob hoc internæ conceptu infidelitatis inflatur,
 ut suo postmodum rupta partu moriatur. Tales apo-
 stolica his verbis designat auctoritas: *Sicut autem
 Jannes et Mambres resisterunt Moysi; ita et hi resi-
 stant veritati, homines corrupti mente, reprobi circa
 fidem* (II Tim. iii, 6). Si quis igitur contraria dispu-
 tans, et a bonitate semelipsum segregans, ecclesia-
 sticæ fidei perversus obsistit, iste procul dubio impius
 dicitur. Si quis autem in corpore unitatis catholicæ
 perseverans sacramentorum societate conjunctus,
 flagitiis et criminibus deditus, is solet iniquus vo-
 cari, non impius. Unde nobis nunc non est disputan-
 dum. Hoc tamen dicimus, quia non omnis iniquus
 est impius, licet omnis impius sit iniquus.

CAPUT XVII.

Conversio ergo illa in conspectu Dei grata est et
 accepta, in qua simul et fidei recitudo servatur, et
 vitæ bonæ regula custoditur: id est, ut principaliter
 recta teneatur de Deo sententia, deinde proximo ex-
 hibetur caritas divinitus imperata. Tunc enim se
 homo recte diligit, cum dilectionem Dei sibi devotus
 et humilis anteponit. Tunc etiam diligit proximum,
 si proximo, quantum potest, consulat, ut ad Deum
 recta fide et bonâ conversatione perveniat. Proximi
 autem caritas duplici est ratione servanda, ut scilicet
 nec alii inferat quidquam quod sibi nollet inferri;
 nec indigenti opem boni operis in quantum potest
 denegat, quia nec sibi vellet negari, si similiter indi-
 geret. Unde Salvatoris nostri sic nos agnoscimus in-

formari sermone dicentis: *Quæ vultis ut faciant vobis
 homines, eadem et vos facite eis. Hæc est enim lex et
 prophetæ* (Matth. vii, 12). Non dixit Christus, quæ
 vobis fecerint homines, eadem et vos facite eis; ne
 malum crederemus pro malo reddendum ei qui nobis
 mali aliquid fecit, aut cuiquam negandum putaremus
 beneficium, a quo nobis nihil beneficii sciremus im-
 pensum: cum debeat Christianus omni homini be-
 nevolentia adiutorium, vel prærogare, vel reddere;
 ut et bono bonum reddat, et malum bonitate præve-
 niat. Dicitur enim nobis a Domino: *Diligite inimicos
 vestros, benefacite his qui vos oderunt, et orate pro
 persecutibus et calumniantibus vos, ut sicut filii pa-
 tris vestri qui in cælis est, qui solem suum facit oriri
 super bonos et malos, et pluit super justos et injustos*
 (Matth. v, 44, 45). Boni autem fideles, non solum
 ab illis persecutionem patiuntur qui foris positi la-
 tratibus perfidis ac perversis Ecclesiæ catholicæ do-
 gmatibus obnituntur; sed etiam ab illis qui videntur
 quidem intra Ecclesiam esse, sed male viventes in-
 veniuntur ecclesiasticæ traditioni non ore, sed opere
 repugnare. Quos cum boni conspiciunt, graviter ge-
 munt, et sancto affectu permotus cruciatur bonus
 animus, quando alienæ perversitatis non fugit sensum,
 quamvis tenere non possit assensum.

374 CAPUT XVIII.

Intra catholicam quippe Ecclesiam in presenti
 sæculo justus et iniquus tenentur admixti sacramen-
 torum scilicet communione, non morum, id est societa-
 te credulitatis, non similitudine conversationis.
 C Non ergo corde, sed corpore^b; quia professio, non
 opus. Nunc igitur quædam, secundum beati Pauli
 prædicationem, in magna domo non solum sunt vasa
 aurea, sed et lignea et ficticia, et quædam quidem sunt
 in honorem, quædam vero in contumeliam^c (II Tim. ii,
 20); intra Ecclesiam quidem sunt iniquus et justus,
 extra Ecclesiam vero nullus est justus. Et intra domini-
 cam aream, donec ventilatoris metendus expectatur
 adventus, et discreto ventilationis novissime differ-
 tur, palea frumento locali communione miscetur.
 Quisquis autem extra domineam aream locus est,
 quamvis sibi vocabulum nominetur agricolæ, sola ibi
 potest quæ vento raptatur palea residere. Verum
 quia tanta est agricolæ nostri omnipotentia, ut nul-
 lus valeat ejus vincere voluntatem; quisquis in præ-
 senti vita conversus recurrerit ad aream dominicæ lo-
 cuti legitimum, si perseveranter teneat in fide recta
 bonæ vitæ propositum, non erit palea, sed frumen-
 tum, nec ignibus tradetur arsurus, sed in horreo
 congregabitur placitis Deo fructibus opimatus.

CAPUT XIX.

In sola ergo Ecclesia catholica datur et accipitur
 remissio peccatorum, quam ipse sponsus unam dicit
 esse columbam suam, unam electam suam, quam super
 petram fundavit, cui claves regni cælorum de-

^a Ms.. justis et iniqui.

^b Sic ms. unus. Ms. alter et editi, non corpore;
 sed male.

^c Ant., in honore, quædam vero in contumelia, sed
 ms., in honorem... in contumeliam, juxta textum
 ipsum, εἰς τιμὴν, εἰς ἀτιμίαν, et Vulg. vers.

dit, cui etiam potestatem ligandi solvendique concessit, sicut beato Petro Veritas ipsa veraciter reprobavit, dicens: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non prævalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque alligaveris super terram, erit ligatum et in cælo; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælo* (Matth. xvi, 18, 19). Ab hac Ecclesia quæ claves regni cælorum accepit, quisquis foris est, non cæli viam graditur, sed inferni; nec tendit ad æternæ vitæ domum, sed currit ad mortis æternæ supplicium; non solum si remaneat sine baptismo paganus, sed etiam si in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizatus perseveret hæreticus. Neque enim per baptismi meritum adipiscitur veram vitam, si quis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sive intra Ecclesiam, sive extra Ecclesiam baptizatus, non tamen intra Ecclesiam catholicam terminavit hanc vitam; nec vivit per ecclesiastici baptismatis sacramentum, qui non tenuerit ecclesiasticæ **375** fidei caritatisque consortium. Ille enim salvatur sacramento baptismatis, quem intra Ecclesiam catholicam usque ad obitum præsentis vitæ tenuerit unitas caritatis.

CAPUT XX.

Cæterum si quis aut de Ecclesia baptizatus egreditur, aut extra Ecclesiam in Patris, et Filii, et Spiritus sancti nomine baptizatus, si ante finem præsentis vitæ non fuerit catholice restitutus Ecclesiæ, non carebit morte, sed requie: quia et tempore diluvii si quis in arcam Noe (Genes. vii, 21) non est ingressus, non est salvatus diluvio, sed necatus, nec salutem invenit in aqua, sed mortem. Aqua quippe illa, in qua præfigurabatur baptismatis sacramentum, quoscunque in arca reperit, a terra suspensos ad cælestia sublimavit; residuos autem oppressos occidit, quos foris invenit. Et pereunte Hiericho, si quos domus Raab meretricis inclusit, incolumes Jesus servare præcepit (Josue vi, 25); reliquos vero quos illa non continebat domus, unius mortis consumpsit interitus. In illa igitur arca, et in illa domo una eademque præfigurabatur Ecclesia; sed in his qui extra arcam diluvio perierunt, et in eis qui extra illam domum gladio mortui sunt, geminæ significationis potest considerari mysterium. Existimo enim quantum mihi nunc interim videtur, non incongrue credi in diluvii significatione præcessisse baptismum Christianæ confessionis; ut agnoscamus hæreticos, si extra Ecclesiam permanserint, baptismum pœnam mereri, non vitam, et eos qui Christum negantes de Ecclesia catholica discedunt, æterno supplicio perituros. Arcæ quippe sacramentum beatus Petrus his verbis exponit: *In diebus quando expectabat Dei patientia in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam: quod et vos nunc similis formæ baptismum salvos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio*

in Deum (1 Petr. iii, 20, 21). Ubi est autem conscientia bona, nisi ubi est et fides non ficta? Docet enim apostolus Paulus: *Quia finis præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (1 Tim. i, 5). Quid ergo aqua diluvii non salvavit extra arcam positos, sed occidit? Sine dubio præfigurabat omnem hæreticum, licet habentem baptismatis sacramentum, non aliis, sed ipsis aquis ad inferna mergendum, quibus arca sublevatur ad cœlum. Neque enim ob aliud eis interitus per aquam nascitur, nisi quia eos arca non continet sinus: in quo solo potest vivere quisquis non vult aquis vitalibus interire.

CAPUT XXI.

Hujus arcæ mysterium Cyprianus beatissimus martyr scribens in libro de Simplicitate prælatorum, vel potius secundum vetusta exemplaria de Unitate catholice Ecclesiæ, exponit: *Adulterari non potest sponsa Christi: incorrupta est et pudica; unam domum novit, 376 unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo servat, hæc filios regno quos generavit assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus, adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur: nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit (al. relinquit) Ecclesiam Christi: alienus est, profanus est, hostis est. Habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Sicut non potuit evadere quisquis extra arcam Noe fuit, sic et qui extra Ecclesiam foris fuerit, non evadet. Certum est igitur tam prædicatione beati apostoli Petri quam expositione sancti martyris Cypriani, in arca Noe figuram Ecclesiæ, et in aquis diluvii figuram baptismatis exstitisse. In illa quoque domo Raab meretricis, quæ, pereunte Hiericho, sola est jubente Jesu cum omnibus quos intra se habuit incolumis reservata, in sacramento Christianæ confessionis, quantum mihi videtur, catholica ex gentibus significabatur Ecclesia. Quæ scilicet rejecta pristinæ fornicationis illuvie, duos exploratores Jesu latenter excepit: hoc est, sive utriusque Testamenti castam cognitionem, sive Dei et proximi caritatem: quia et in illis duobus Testamentis Dei et proximi caritas intimatur, et in his duobus præceptis tota lex cum prophetis pendere cognoscitur (Matth. xxii, 40). Hæc quæ prius idolis prostituta fuit meretrix impia, suscipiens exploratores Jesu, facta est fidelis et casta: quos custodiens a persequentibus inimicis, non in inferioribus depositos obruit, sed in solarium domus suæ levatos latenter abscondit. Solarium vero propterea dicitur, eo quod solis lumine perfundatur. Quis est autem sol humani cordis, nisi ille de quo dictum est per prophetam: *Timentibus autem nomen meum oriatur sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus* (Malac. iv, 2)? De ipso sole oriente Zacharias in Evangelio sic prophetat: *Quia visitavit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent* (Luc. i, 78, 79). Nam et Abacuc prophetæ Christi ascensionem et ordinis ecclesiastici firmitatem*

^a Ms., et ut dicam.

sub nomine solis lunæque sic prædicat: *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo* (*Abac. iii, 11, sec. LXX*). Cor ergo uniuscujusque fidelis non incongrue spiritale solarium dicitur, quod solis illius superni radii salubriter illustratur. Raab itaque meretrix quos exploratores Jesu in solarium suæ domus abscondit, atque in superioribus, hoc est spiritali scientia illuminati cordis intima dilectione continuit, ut propheticum illud eloquium operis veritate cantaret: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi* (*Psal. cxviii, 11*). Vera itaque fides, quæ divinis eloquiis intimatur, tunc persequentibus non traditur, tunc in corde fidelium inviolata et incolumis custoditur, si non terrenis, et caducis, atque carnalibus, sed cælestibus et spiritalibus promissis animus perseveret affixus, nec contempletur quæ videntur, sed quæ non videntur: *Quæ enim videntur temporalia sunt, sicut ait Apostolus; quæ autem non videntur, æterna sunt* (*II Cor. iv, 18*). Cæterum quisquis propterea Christianam fidem tenet, ut res terrenas et transitorias acquirat, iste exploratores Jesu, non in superioribus domus suæ, sed in inferioribus collocat; ubi cum fuerint positi, facilius et inveniri possunt ab inimicis et perimi. Omnis enim persecutor et inimicus **377** Ecclesiæ illos spiritaliter interimit, et ipsi ingerit æternæ mortis interitum, quorum cor invenerit terrenis et caducis rebus innexum. Hi enim dum terrenas divitiâs, aut perdere metuunt, aut acquirere concupiscunt, præcepta Christi, hoc est exploratores Jesu non abscondunt in solarium cordis, sed tradunt persequentibus inimicis, aut metu scilicet terri, aut igne prævæ cupiditatis accensi. Nec funiculum coccineum, in cujus signo domus illa salvata est, habent per fenestram domus suæ suspensum, qui fidei suæ non confitentur, sed denegant sacramenta. Funiculus enim coccineus sanguinis Christi mysterium præferebat: quem ille per fenestram domus suæ suspensum habet, qui fide contra paganos seu contra quoslibet hæreticos Deo protegente firmatus, ac fidem suam sollicitè custodiens, Christi se redemptum sanguine confitetur. Propter quod ipse Salvator ait: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in cælis; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui est in cælis* (*Matth. x, 32*). Quamvis igitur inimicus persecutor exploratores Jesu in inferioribus conetur occidere, id est robor Christianæ fidei terrenis molitur promissionibus sive terroribus enervare; si quis tamen Trinitatis fidem, qua Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unum Deum substantialiter credit, in superioribus habuerit collocatam, omnes persequentis atros errores (*forte terrores*) omnesque seductoris insidias non timebit.

CAPUT XXII.

Proinde non solum quos iterati baptismi tenet reatus innexos debent celeriter ad Ecclesiam recurrere, et Deum lacrymis ac elemosynis pro tanto scelere deprecari; verum etiam si qui forsitan sine iteratione baptismatis delectatione munerum seu timore pœna-

rum negantes catholicæ fidei sacramentum, ad hæreticorum sunt mortiferum dilapsi consortium, resumant fidem quam negaverunt, et ad Ecclesiam celeriter revertantur, ut Jesu veniente, intra illam domum possint inveniri extra quam nullus potest ab interitu liberari: quia sicut in Hierichō quisquis extra illam domum fuit nullum potuit adipisci vite subsidium, sic extra Ecclesiam catholicam nullus accipiet indulgentiam peccatorum; et sicut intra Ecclesiam catholicam corde creditur ad justitiam, ora autem confessio fit ad salutem (*Rom. x, 10*), sic extra eandem Ecclesiam mala credulitas non reputatur ad justitiam, sed ad pœnam, et prava confessio non acquirit salutem contenti, sed ingerit mortem. Extra hanc Ecclesiam nec Christianum nomen aliquem **B** juvat, nec baptismus salvat, nec mundum Deo sacrificium offertur, nec peccatorum remissio accipitur, nec æternæ vitæ felicitas invenitur. Una est enim Christi Ecclesia, una columba, una dilecta, una sponsa: in qua Trinitas unus Deus, unius naturæ atque substantiæ creditur; in qua nec Filio, nec Spiritui sancto contumelia minorationis ingeritur; in qua unus atque idem cultus, et honor unus uni Trinitati, quæ Deus verus est, exhibetur. Hæc est una vera **378** Ecclesia, quæ sic credit et prædicat unam Trinitatis essentiam, ut in tribus unam quamlibet non audeat alteri præferre personam. Sic enim nihil se diversum colere in substantia divinitatis ostendit, ut Patrem et Filium, et Spiritum sanctum, hoc est ipsam Trinitatem unum verum et solum confitens Deum, nec in unitatis nomine Sabellianæ confusionis incurrat errorem, et in Trinitatis vocabulo meminerit Arianæ diversitatis mortiferam vitare perniciem. Apostolicæ quippe prædicationis retinens normam, quemadmodum Trinitatem cognoscit in personis Patris, et Filii, et Spiritus sancti; sic unius Dei rectam prædicat fidem, quia in Patre, et Filio, et Spiritu sancto naturalem prædicat unitatem.

CAPUT XXIII.

Ab hac Ecclesia si qui foris sunt in diversis erroribus constituti, tunc accipient indulgentiam peccatorum, si ad eandem Ecclesiam, dum sunt in hoc sæculo constituti, recta credulitate fuerint et contriti cordis humilitate conversi. Ergo currant, dum tempus est, ad legitimam matrem, quæ, sicut ex utero suo natos filios continet diligenter et nutrit, sic ex ancilla natos, non solum redeuntes non respuit, quin etiam misericordiæ visceribus errantes inquirat, et pro affectu incessanter invitat, quos in societatem paternæ hereditatis inducat. Neque enim in eis attendit ancillaris uteri conditionem, sed paterni recognoscit seminis veritatem. Quæ est enim veritas paterni seminis, nisi baptisma perceptum in nomine Trinitatis? Hoc illa in quocunque repererit, tanquam legitima mater sui juris esse cognoscit. Novit enim, sicut Rachel (*Genes. xxx*), non solum proprio utero filios parere, verum etiam ex ancilla progenitos suo nomine tanquam genitrix legitima vindicare. Hoc opus est, ut illi non negligant fraternam societatem

repetere, si volunt paternæ hereditatis munere non carere. Igitur hæresim relinquentes ad catholicam Ecclesiam celeriter revertantur; nec de hereditatis possessione dubitent, nec de peccatorum remissione desperent. Qui enim non credit intra Ecclesiam catholicam cuncta relaxari posse peccata, ipse sibi remissionem peccatorum denegat, si de hoc sæculo in eadem cordis impenitentis duritia perseverans, alienatus ab ecclesiastica societate discedat.

CAPUT XXIV.

Talis igitur adversus Spiritum sanctum dicit verbum, quod neque in hoc neque in futuro sit sæculo remittendum (*Matth. xii, 32*). Caritas enim Dei, quæ cooperit multitudinem peccatorum (*I Petr. iv, 8*), diffusa est, sicut Apostolus dicit, in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom. v, 5*). Hæc caritas, quia incorruptum tenet unitatis fraternæ consortium, propterea multitudinem peccatorum cooperit, et in unitate ipsa certissima perseverantes ponere non sinit. Si quis igitur tenens fidem, quæ per caritatem operatur (*Galat. v, 6*), sic agit penitentiam **379** pristini cujuscumque erroris, ut eum nec erroris ulterior societas teneat, nec cæcæ mortiferæ desperationis obstringat, liber erit ab illo verbo quod adversus Spiritum sanctum dicitur, quod dicenti non dimittitis, neque in hoc sæculo neque in futuro. Hæc enim verba Dominus et Salvator noster non aliqua peccata insinuavit in futuro seculo dimittenda quæ in hoc sæculo dimissa non fuerint; sed bene intelligentibus ostendit non alia, sed illa tantum in futuro seculo dimittenda quæ in hoc sæculo in una et vera Ecclesia catholica fuerint utriusque dimissa. Solum enim illi Dominus ligandi solvendi que tribuit potestatem, dicens: *Tibi dabo claves regni cælorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis* (*Matth. xvi, 19*). Quod ergo sancta Ecclesia in hoc sæculo non solverit ita insolubile permanet, ut etiam in futuro seculo solvi nullatenus possit. Ligatus est autem omnis homo quem ista non solverit; nec consequetur aliquod solutionis beneficium, qui non conversus ad penitentiam in Ecclesia sibi dandam speraverit indulgentiam peccatorum. Ille igitur dicit irremissibile verbum adversus Spiritum sanctum, qui divitias bonitatis Dei, et patientiæ, et longanimitatis contemnens, secundum duritiam suam et impenitentem conthesaurizat sibi iram in die iræ et revelationis justi iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua (*Rom. ii, 4*).

CAPUT XXV.

Etenim sive caritas, et ea de corde puro, sive unitatis fraternæ communio, sive hereditatis cælestis paternæ possessio, in sancti Spiritus donatione consistunt. De caritate quippe Doctor gentium dicit: *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom. v, 5*). Unitatem quoque Spiritus cum eadem caritate commendat, di-

A cens: *Obsecro itaque vos ego vinculus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in (al. cum) caritate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis* (*Ephes. iv, 1, 2, 3*). Ipsam quoque communionem Spiritus sancti esse confirmat, dicens: *Gratia quoque Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis* (*II Cor. xiii, 13*). De hereditate quoque nostra sic loquitur: *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ* (*Ephes. i, 13, 14*). Spem quoque ipsam, quæ vitium desperationis expellit, sancto Spiritui beatus assignat Apostolus dicens: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti* (*Rom. xv, 13*). Ille itaque cælestis hereditatis adipiscitur perenne consortium, qui intra Ecclesiam catholicam fraternæ caritatis custodiens unitatem, priusquam præsentem linat vitam, deponit mortiferam cordis impenitentis duritiam, nec desperat in Ecclesia una et vere catholica remissionem omnium peccatorum conversis dari per Spiritum sanctum. **380** Quod etiam ipse Salvator noster ostendit. Postquam enim resurrexit, insufflans in discipulos, et eis donum sancti Spiritus tribuens, remittendorum eis potestatem tribuit peccatorum, dicens: *Accipite Spiritum sanctum. Si cujus peccata dimiseritis, dimittentur ei; si cujus retinueritis, retinebuntur* (*Joan. xx, 22, 23*).

CAPUT XXVI.

C Non itaque adversus se mortifera desperatione claudant ostium indulgentiæ, qui, ab Ecclesia catholica segregati, cujuslibet hæresis sive schismatis tenentur errore obstricti. Deponant duritiam cordis, si nolunt inanis interminabilibus cruciari. Scriptum namque est quia *Cor durum male habebit in novissimo, et qui amat periculum in illo peribit* (*Eccli. iii, 37*). Quid autem periculosius quam divinis obedientiam non exhibere sermonibus, et vocantis Dei spernere voluntatem? Propter quod in libro sancti Job, sicut his qui convertuntur æternitas promittitur gloriosa, sic impiis, pro eo quod non obediunt, salutis munera denegantur. Sic enim scriptum est: *Qui convertuntur ab iniquitate, si audiverint et servaverint, complebunt dies suos in bonis, et annos suos in gloria. Impius vero non facit salvos, eo quod noluerunt scribere Deum, et cum morerentur, inobedientes erant* (*Job xxxvi, 41 et seq.*). Non ergo spernant obedientiæ tempus indultum, sed ad Ecclesiam catholicam revertantur; in qua sola per sancti Spiritus donum caritas cooperit multitudinem peccatorum (*I Petr. iv, 8*). Si qui etiam in Ecclesia catholica sunt, et male vivunt, priusquam istam vitam liniant, festinent ut a mala vita discedant; nec sibi putent ad salutem sufficere catholicum nomen, si Dei non faciant voluntatem. Dicit enim Salvator noster: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui fecerit voluntatem*

* Sic ms. et ed. At ms. habet emendatum alia manu, *ezeat de corde puro*.

*Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum (Matth. vii, 19). Nam et in libro Psalmorum scriptum est: Quia prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate; voluntatem timentium se faciet, et preces eorum exaudiet, et salvos faciet eos (Psal. cxlv, 18, 19). Propter quod et in Proverbiis unusquisque nostrum et timere Dominum jubetur, et a malo discedere. Ibi quippe dicitur: Time Dominum, et declina ab omni malo, et erit pax corpori tuo, et diligentia oculis tuis, (Prov. iii, 7, 8). Nam et in libro Ecclesiastico, ne mala faciat unusquisque fidelium sic admonetur: Noli facere mala; et non apprehendent te. Discede ab iniquo, et discedent mala ab te. Ne semines mala in culcis injurias, et non metes illa in septuplum (Eccli. vii, 1, 2, 3). In eodem libro rursus ne quamquam peccata peccatis adjiciens de misericordia Dei velit sibi vana cogitatione blandiri, hujuscemodi verbis doctrina salutaris occurrit: Ne adjicias peccatum super peccatum, et dicas: Misericordia Dei magna est; misericordia enim et ira ab illo, et in peccatores respiciet ira illius (Eccli. v, 5, 6, 7). Et rursus sanctus Job dixit: Nonne perditio erit iniquo, et alienatio scientibus iniquitatem (Job xxxi, 3)? In Proverbiis scriptum est: Iniquitates suae capient impium; funiculo autem peccatorum suorum unusquisque constringitur. Hic moritur cum indisciplinatis, **361** de multitudine autem vitae suae projectus est, et perit pro insipientia (Prov. v, 22, 25).*

CAPUT XXVII.

Et ne quis putet aliqua peccata hominum latere Deum posse, sancti Job sermonibus instruemur dicentis: Cogitationes meas dinumerasti, et nihil te latuit peccatorum meorum. Signasti quasi ^a in sacco iniquitates meas, adnotasti si quid inivus erravi (Job xiv, 16, 17, juxta LXX). Ne vero aliquis impunitum esse futurum putet, si converti noluerit, ejusdem sancti viri verbis intentus auscultet dicentis: Imo vero nullus confidat cum sit nequam, se impunitum futurum, quidquid in iracundia provocet Deum, tanquam inquisitio in eo non sit futura. Propter hoc in Ecclesiastico salubris deprompta monitio, ut nec conversio nobis desit qua vitentur peccata, nec deprecatio, qua possint dimitti praeterita. Sic enim dicitur: Fili, peccasti? Ne adjicias iterum; sed et de primitiis deprecare, ut tibi dimittantur. Quasi a facie colubri fuge peccata. Si accesseris ad illa, suscipient te, et quasi dentes leonis in rorando interficient te (Eccli. xxi, 1, 2). Sed nec illud siletur, quod impii et peccatores qui poenitentiam impietatis sive iniquitatis agere noluerint, aeternis sint in fine deputandi supplicii, misericordiam vero his qui poenitentiam gesserint Dominus noster largiatur. Quippe in libro Ecclesiastico sic positum est: Quoniam et Altissimus misertus est poenitentibus, et impiis et peccatoribus reddet vindictam (Eccli. xii, 7). Rursus in eodem volumine sic dicitur: Memento quoniam ira non tardabit. Humilia valde spiritum tuum, quoniam vin-

dicta carnis impii ignis et vermis (Eccli. vii, 18, 19). Esaias quoque dicit: Quia ignis eorum non exstinguetur, et vermis eorum non morietur (Isai. lxvi, 24). Rursum in Ecclesiastico positum est: Stuppa collecta synagoga peccantium, et consummatio eorum flamma ignis. Via peccantium plena offensis, et in fine illorum inferi, et tenebrae, et poenae (Eccli. xxi, 10, 11).

CAPUT XXVIII.

Haec est mors, quae secundum carnem viventes excipiet, sicut beati Pauli praedicatio sancta testatur, ita dicentis ^b: Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis (Rom. viii, 12, 13). Facta autem carnis sequitur, si quis aut obsequitur desideris saecularium, aut in impietate vult remanere captivus: cum nos non aliud doctrina spiritalis erudiat, nisi ut abnegata impietate, desideria quoque saecularia deponamus. Quod gentium Doctor his verbis insinuat: Apparuit autem gratia Domini omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei; et Salvatoris nostri Jesu Christi (Tit. ii, 11 et seq.). Illorum **382** est igitur spes beata, illorum expectatio certa, illorum felicitas futura, qui abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et juste et pie vixerint in hoc saeculo. Sobrietas itaque et justitia et pietas debent a Christianis intentissime custodiri. Sobrietatem autem custodit quisquis mores suos vitamque componit. Et ille juste vivit, qui proximo nec mali aliquid ingerit, et in quantum potest, adjutorium bonae operationis impendit. Ille etiam pie vivit, qui perversum aliquid nec credit de Deo, nec dicit. Quisquis ergo vult ad regnum pervenire caelorum, vivat sobrius in semetipso, justitiam servet in proximo, pius perseveret in Deo.

CAPUT XXIX.

Haec autem tunc in futura vita proderunt, si in vita saeculi praesentis habeantur. Hoc enim beatus et sciebat et docebat Apostolus, qui praecipiebat ut sobrie et juste et pie vivamus in hoc saeculo (Ibid.): docens scilicet illos adepturos in judicio misericordiam, qui ante judicium in hoc saeculo justam gesserint vitam. Propter quod nos in libro Ecclesiastico divina praemonet Scriptura, dicens: Ante judicium para justitiam tibi, et in conspectu Dei invenies propitiationem (Eccli. xviii, 19). Debet itaque hic sibi justitiam praeparare, quisquis in conspectu Dei propitiationem desiderat invenire. Quod enim in praesenti saeculo sibi homo non thesaurizaverit, futurae retributionis tempore non habebit. Quod ut divinae testimoniis Scripturarum quantum sat est possit ostendi, primum terminemus librum, ut consequenter parti residuae quaestionis congruum dare possimus exordium.

^a Ms. unus omittit quasi, nec legitur apud LXX; sed habetur in ms. altero et edd.

^b Ms. unus, ita scribentis.

LIBER SECUNDUS.

383 CAPUT PRIMUM.

Non ignoro libri superioris initio sic nos questionem de remissione peccatorum tractandam in Dei nomine atque adiutorio suscepisse, ut trina fieret disputationis inchoatæ partitio. Etenim cum Domino nostro, hoc est Deo vero, nec misericordiam deesse, nec justitiam diceremus (quod etiam Scripturarum divinarum manifestissima curavimus attestatione monstrare), hinc diximus facilius veritatem posse querentibus apparere, qualibus Deus peccata dimittat, ubi dimittat, quando dimittat. Hujus tripartitæ divisionis cum jam geminam persolverim partem, tertiæ me non nescio debitorem. Qualibus etenim Deus peccata dimittat, et ubi dimittat, quantum nobis Deus suæ pietatis condonavit auxilium, arbitror superiore libro competenter ostensum. Constat ^a namque peccatorum remissionem non tribui nisi conversis intra Ecclesiam catholicam constitutis. Ibi enim potest conversio esse vera, ubi fides vera comitatu sanctæ conversationis ornatur, et bene vivendi studium nulla præ credulitatis maculatione polluitur. Vita enim bona non veraciter dicitur, quæ perversæ credulitatis vitio depravatur; neque sufficit ad salutem fides recte credentis, si conversatio moribus atque operibus turbatur obscenis. Propter quod sicut mortuam sine operibus fidem beatus Jacobus prædicat (*Jac. ii, 17*), sic omne quod non est ex fide peccatum esse Paulus sua prædicatione confirmat (*Rom. xiv, 23*).

384 CAPUT II.

Nunc autem in quantum nobis a luce vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan. i, 9*), donatur illuminationis auxilium, aggredimur ostendere quando pœnitentibus detur remissio peccatorum. Sterilis enim pœnitentia remissionis fructu privabitur, si divinitus indulti temporis opportunitas omittatur. Propter quod beatus Petrus dicit: *Non tardat Dominus promissum suum, sicut quidam tardantem existimant* ^b, *sed patienter fert propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam converti* (*II Petr. iii, 9*). Obsecro, Euthymi carissime, ne te pigeat intenta consideratione pensare quantum sit ponderis in hac apostolici virtute sermonis. Neque enim debet tanquam leve contemni quod beatus Petrus ob hoc dicit Deum patienter ferre, quia non vult aliquem perire, sed omnes in pœnitentiam converti. Hic enim prodest pœnitentia peccatori, ubi Deus peccantem damnare non festinat, ut remissionem peccatorum ad pœnitentiam converso concedat. Quia si etiam post hanc vitam iniquorum pœnitentia possit esse aliquatenus fructuosa, non diceret beatus Petrus, propterea Deum patienter ferre, quia non vult aliquem perire, eorum scilicet

^a Ms., *constitit*.

^b Sic edd. cum uno ms. Ms. alter, *tarditatem exi-*

A quos præsciit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii ejus (*Rom. viii, 29*). Istorum nemo perit. *Voluntati autem ejus quis resistit?* Isti ante finem presentis vitæ Dei misericordia gratis præveniuntur, ipsi corde contrito et humiliato salubriter compunguntur, et omnes ad pœnitentiam divino munere convertuntur, ad quam sunt divinitus prædestinati per gratuitam gratiam, ut conversi non pereant, sed habeant vitam æternam. Hi procul dubio sunt omnes quos secundum beati Pauli præconium *Deus vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire* (*I Tim. ii, 4*). Quia enim ille hoc vult qui omnia quæcunque voluit fecit, quod vult semper insuperabiliter facit. Hoc utique in eis impletur quod omnipotentis Dei voluntas incommutabilis et insuperabilis habet; cujus sicut mutari voluntas non potest in dispositione, ita nec prohibetur nec impeditur potestas in opere: quia nec æquitatem illius valet quisquam juste reprehendere, nec misericordiam ipsius potest aliquis obviare. Unde Salvator noster incredulæ civitatis malevolentiam talibus verbis objurgat: *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas missos ad te* ^c, *quotiens volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, et noluisti* (*Matth. xxiii, 37*)! Hoc autem dixit Christus, ut alius malam voluntatem ostenderet qua insuperabili voluntati divinæ frustra resistere nitebatur, cum bona voluntas Dei nec ab eis possit vinci quos deserit, nec aliquid non possit operari quod velit. Illa igitur Hierusalem, quantum ad ejus attinet voluntatem, **C** suos filios ad Salvatorem congregari noluit, sed tamen ille omnes quos voluit congregavit. Ac per hoc illa resistere voluit Omnipotenti, nec valuit: quia Deus qui, sicut scriptum est, *Omnia quæcunque* **385** *voluit fecit* (*Psal. cxxxiv, 6*), quoscunque voluit ad se gratuita justificatione convertit, præveniens scilicet superabundantis gratiæ munere quos posset utique si vellet justo damnare. Ergo cum Petrus apostolus dicit quia Deus patienter fert, nolens aliquem perire, sed omnes in pœnitentiam converti (*II Petr. iii, 9*), non sic accipiamus omnes dictos, tanquam nullus sit qui congrue pœnitentiam non sit acturus; sed illos hic omnes accipere debemus, quibus sic Deus pœnitentiam hic donat, ut etiam perseverantiam donet: hoc est, qui sic divina præveniente misericordia convertuntur, ut eadem misericordia subsequente ad crimina quibus renuntiant nullatenus revertantur. Hi sunt quibus, sicut Paulus ait, *dat Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, ut respiciant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem* (*II Tim. ii, 25*). Hanc pœnitentiam quisquis curaverit in hoc sæculo gerere, ipse apud Deum pœnitentiæ suæ fructum poterit invenire.

stimant, juxta Græcum textum *ῥαδόντα*.

^c Ms., *lapidas eos missos ad te*.

CAPUT III.

Cæterum legimus in libro Sapientie quosdam in die iudicii habituros quidem pœnitentiam, non tamen indulgentiam divinitus accepturos. Scriptum denique sic habetur: *Tunc stabunt iusti in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes inter se, pœnitentiam habentes, et per angustiam spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem impropertii; nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est* (Sap. v, 1 et seq.)? Nemo autem, cum legit dictum quia mali mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, existimet illis qui in criminibus præsentem finiunt vitam, quandoque insperatam salutem divino munere conferendam. Justorum namque insperata salus, quæ licet desperatur ab iniquis danda, tamen permanet sperantibus iustis. Unde beatus David unam psalmi loco spem justorum cecinit et salutem, dicens: *Salus autem justorum a Domino, et protector eorum est in tempore tribulationis: et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos, et eripiet eos a peccatoribus, et salvos faciet eos, quoniam speraverunt in eum* (Psal. xxxvi, 39, 40). Hinc est quod iniqui æternis deputandi tormentis dicturi sunt de iustis: *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem impropertii; nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore.* Hæc est insperata salus, quoniam vitam justorum insaniam æstimabant; et cum ipsi essent insani, sanos se esse credebant, nec sperabant retributionem divinæ iustitiæ, et propterea vitam suam corrigere negligebant. Etenim delectantur hic luxuriose vivere diebus paucis, nec se credebant postmodum æternis cruciandos esse suppliciis. Propterea cum justos viderint in illa gloria filiorum Dei de qua dicit beatus Paulus: *In qua stamus et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei* (Rom. v, 2); tunc iniqui mirabuntur in gloria justorum, hoc est filiorum Dei; quia ipsi iusti sunt filii Dei. Propterea iniqui pœnitentiam steriliter quia intemporaliter habentes, et per angustiam spiritus gementes: *Quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est?* Insperata ergo salus, id est quæ sperata non est ab iniquis, profecto iustis dabitur, non iniquis. Non enim dabitur illis qui eam desperando male vivunt, sed illis qui eam bene sperando, et a desideris carnalibus abstinendo, beati Petri salubria mandata custodiunt, dicentis: *Carissimi, obsecro tanquam advenas atque peregrinos abstinere vos a carnalibus desideris, quæ militant adversus animam; conversationem vestram inter gentes habentes bonam* (I Petr. ii, 11). Per ipsam bonam conversationem iusti exhibent corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem (Rom. xii, 1), quia per bonam conversa-

tionem ipsi sunt etiam templum Dei. Quod esse fideles testatur Apostolus dicens: *Nescitis quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis* (I Cor. iii, 16)? Hoc templum ne malis operibus polluitur, non solum diligenter præmonet, sed etiam vehementer nostros animos terret, dicens: *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Nemo se seducat* (Ibid., 17, 18). Quis enim, rogo, male vivens, cum audit ab Apostolo, *quia si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*, si conversus in hoc tempore non fuerit, aliquam sibi spem remissionis futuræ promittere audeat? Quis non tremefactus concidat? Quis non ante finem vitæ præsentis ad pœnitentiam compunctus et humiliatus accurrat? Clamat Apostolus: *Quia si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*, et vanus homo seducit sese cogitatione nequissima, dicens: *Etiam si templum Dei violaverit, et usque in finem male vixero, salvus ero.* Nunquid non talibus dicit Apostolus, quia dicunt: *Faciamus mala, ut veniant bona, quorum damnatio justa est* (Rom. iii, 8). Nonne hi sunt quos sancta Scriptura infelices appellat, spemque illorum vacuum omnino pronuntiat, dicens: *Sapientiam et disciplinam quæ abjicit infelix est, et vacua est spes illorum, et labores sine fructu* (Sap. iii, 11)?

CAPUT IV.

Salus illa igitur non dabitur iniquis, sed iustis: ante finem scilicet hujus vitæ correctis atque conversis. Salus illa bonis dabitur, qui ad amicitiam Dei cucurrerint per conversionem, non malis, qui permanentes amici mundi, apostolica increpatione inimici Dei merentur congrue nuncupari. Tales enim beatus Jacobus subjurgat: *Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Deo? Si quis ergo voluerit amicus esse hujus mundi, inimicus Dei constituetur* (Jac. iv, 4). Quisquis igitur declinans a malo et faciens bonum, pro suis iniquitatibus in presenti vita pœnitentiam gesserit, et conversus ad Deum toto corde malis operibus renuntiaverit, spes ipsius vana non erit. Cæterum frustra seipsum seducit, quisque per latam et spatiosam viam se perverentium arbitrat ad vitam: cum Dominus per arctam viam nos jubeat ambulare, atque angustæ portæ nobis demonstrat introitum, **387** per quem venit ad regnum. Dicit enim: *Intrate per angustam portam. Quam lata porta et spatiosa via quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per ipsam! Quam angusta porta et arcta via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam* (Matth. vii, 13, 14)! Via nostra præsens vita est, in qua si quis positus verbo Dei non consenserit, non accipiet remissionem peccatorum; sed in fletu et stridore dentium lugebit sine fine supplicium^b: nec immerito nunquam merebitur carere tormento, qui quandiu hic vixit, noluit renuntiare peccato.

non addunt æternum.

^a Ms. unus, post modicum.

^b Ms. unus, æternum sine fine supplicium. Cæteri

CAPUT V.

Propter hoc unumquemque nostrum Salvator præmonet, dicens : *Esto consentiens adversario tuo citodum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius iudici, et iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas novissimum quadrantem* (Matth. v, 25). Adversarium sibi quippe facit homo Dei verbum, quandiu illa facit quæ divinus sermo prohibet. Cui dicitur in psalmo : *Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos post te* (Psal. XLIX, 17). Huic sermoni divino si quis in via, hoc est si quis in hac vita cito consentiens non fuerit, missus in carcerem ignis æterni ultra requiem non habebit. Bonus enim adversarius iste, qui salubri adversitate jugiter instat, ut a nobis adversitatem mortiferæ iniquitatis expellat. Hinc est quod nos in alio loco Scriptura divina, ut celeriter convertamur, hortatur, ne tarditas mortifera perditionem differenti pariat, non salutem. Ait igitur : *Ne tardaveris converti ad Deum, et ne differas de die in diem; ne subito veniat ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te* (Eccli. v, 8). Ostendit utique sermo divinus quia cum vindictæ tempus advenierit, non jam conversio malum punitione subtrahet, sed ira vindex debita condemnatione disperdet. Illud etenim tempus non erit remissionis, sed retributionis; nec indulgentiæ, sed vindictæ. Quæ ideo divina longanimitate differtur, ut sanctorum numerus impleatur. Hanc enim vindictam beatus Joannes in Apocalypsi sanctos memoratur postulasse, quorum hæc verba sunt : *Quousque, Domine, sanctus et verus, non iudicas, et non vindicas sanguinem nostrum de his qui in terra habitant* (Apoc. vi, 10)? Et ut doceret pro his qui eorum sunt consortio copulandi, tempus vindictæ superna ordinatione differri, sequitur dicens : *Et datæ sunt singulis stolæ albæ, et dictum est eis ut requiescerent brevi adhuc tempore, donec impleatur numerus conservorum et fratrum eorum* (Ibid., 11). Noverat etiam beatus Paulus præsentis sæculi futurique distantiam. Sciebat in præsentis posse tantum beneficium salutis acquiri; in futuro autem non nisi mercedem justitiæ singulis, pro bonorum seu malorum operum qualitate restitui. Unde cum propheticum posuisset testimonium quod dicit Deus : *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te* (II Cor. vi, 2); continuo ipse subsequens adjungit : *Ecce nunc tempus* **328** *acceptabile, ecce nunc dies salutis* (Isai. XLIX, 8). De futuro autem dicit : *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum* (II Cor. v, 10).

CAPUT VI.

Non ergo in futuro tribuitur vita æterna, nisi fuerit in hoc sæculo peccatorum donata remissio; neque hic accipiet remissionem peccatorum, nisi qui suis peccatis renuntiat, et ad Deum summum ac verum cordis vera conversione festinat. Illud etenim tempus non erit remissionis, sed retributionis. Non ibi mi-

A sericordia justificabit impium, sed justitia discernet justum et impium. Scriptum namque continetur in psalmo : *Dominus interrogat justum et impium* (Psal. x, 6). Et ut ostenderet in iniquitatibus perditionem esse animæ, non salutem, sequitur dicens : *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam*. Ne vero aliquam sibi misericordiam repromittant qui usque in finem præsentis vitæ in iniquitate perdurant, subsequenter de Deo sic loquitur : *Pluit super peccatores laqueos, ignis, sulphur et spiritus procellarum, pars calicis eorum : quoniam justus Dominus justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus* (Ibid. 7, 8). Quisquis igitur hæc audiens in præsentis tempore misericordiam Dei noluerit per conversionem quærere, in futuro eam nunquam poterit invenire. Hoc enim justus iudex per beatum nobis apostolum Jacobum denuntiari præcepit, eodem dicente : *Judicium sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam* (Jac. ii, 13). Ordo autem misericordiæ continet, ut misericordiam quam homo impendere jubetur alteri, prius exhibeat sibi, dicente Scriptura : *Miserere animæ tuæ placens Deo* (Eccli. xxx, 24). Proinde si quis placere Deo non vult, animæ suæ misericordiam denegat; et qui animæ suæ misericordiam in præsentis sæculo noluerit donare, nullatenus apud Deum misericordiam poterit invenire. *Judicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam*. Ac per hoc, quod subsequenter dicitur : *Superexaltat autem misericordia iudicium* (Jac. ii, 13) ^a, in illo fiet qui nunc miseretur animæ suæ placens Deo. Ipse namque Dominus dicit : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (Matth. v, 7). Nam cum beatus Apostolus moneat, *ut omnia honeste et secundum ordinem fiant* (I Cor. xiv, 40), propter quod et in Cantico canticorum dicitur : *Ordinate in me caritatem* (Cant. ii, 4) : quomodo dicendus est aut caritatis aut misericordiæ ordinem tenere, qui, non dico quemlibet hominem alium, sed ipse corpus suum reficit cibo, ne deficiat; munit indumento, ne algeat; dum est sanum, cavet ne infirmetur; dum est infirmum, satagit ut sanetur; carni suæ alimentorum incessanter, vestimentorum, medicaminum ministrat sollicita intentione subsidium; et animæ suæ male vivendo conquirat interitum : carnem suam necessariis cibis nutrit, et animam suam operibus malis interficit; carni suæ noxios cibos negat, et animæ suæ opera mala, tanquam venena mortifera subministrat; carni suæ vitam prolongare desiderat, quæ finitur diebus paucis, et animæ suæ procurat mortem, **389** *cujus in supplicio non erit finis*? Ac per hoc qui animam suam odisse convincitur, etiam animæ suæ crudelis adversarius invenitur : quia sicut boni actus faciunt carnem cum anima cœlesti beatitudine perfui, sic opera mala faciunt æterno igni animam cum carne torqueri. Ipse sibi ergo est perniciosissimus inimicus, quisquis male vivens, vitam non mutat antequam finiat.

^a Ms. unus, misericordiam iudicio.

CAPUT VII.

Ex hujus enim vitæ sine illius vitæ pendet initium, in qua quidquid retribuitur non finitur. Cum autem digne ab apostolo Joanne dicatur : *Qui odit fratrem suum, homicida est, et scitis quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem* (I Joan. III, 15). Cumque sanctus David dicat : *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam* (Psal. X, 6) : si homicida est qui fratrem suum odit, quid est qui diligit iniquitatem et odit animam suam? et si ille qui odit fratrem non habet vitam æternam in se manentem, quomodo ille qui in dilectione iniquitatis odio animæ suæ finit istam vitam, pervenire poterit ad indulgentiam peccatorum, per quam venit ad vitam? cum ipse Dominus noster evidenter ostendat qualiter ad vitam unusquisque perveniat, dicens : *Si vis venire ad vitam, serva mandata* (Matth. IX, 17). Ille igitur venit ad vitam qui mandata servat. Quis autem servat divina mandata, nisi qui ad Deum conversus ante finem vitæ præsentis discesserit ab iniquitatibus pristinis? Propter quod beatus Paulus nos admonet, *ut discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini* (I Tim. II, 18). Hoc autem dicebat, sciens quia in hoc tempore pœnitentia fructuose agitur, in quo pœnitentibus indulgentia condonatur. Cæterum in futuro erit iniquorum pœnitentia, sed fructuosa non erit : quia iniquorum conversio nulla erit. Mittentur enim in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium. Ibi sine fine cruciabantur non solum gehennali supplicio animæ simul et corpora, sed etiam ipsis tenebris pessimæ voluptatis. Hic erit enim talibus mala ipsa voluptas ad supplicii cumulum, pro qua manet eorum sine fine tormentum. Spernunt enim nunc opportunitatem temporis accepti; et in die salutis non quærunt divinitus adjuvari. Quod tempus ita Deus prophético nobis insinuavit eloquio, dicens : *Tempore accepto exaudi te, et in die salutis adjuvi te* : Hoc testimonium in Epistola sua cum beatus Apostolus indidisset, secutus adjunxit : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (II Cor. VI, 2). Hoc tempus alio loco sic evidenter idem commendat apostolus, ut quisquis divino illuminatus munere intente legerit et competenter intellexerit, non se decipiat, nec aliud sibi tempus conversionis aut remissionis inquirat : sciens quia quisquis in hoc tempore indulgentiam noluerit quærere, nullatenus post istam vitam poterit invenire. Scribens ergo beatus Paulus ad Galatas hæc loquitur : *Nolite errare : Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus : tempore* **390** *ossim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes; maxime autem ad domesticos fidei* (Gal. VI, 7 et seq.). His Apostoli verbis quis piger ad operis boni non excitetur affectum? Quis errans a Deo non rectam viam tremefactus inquirat? Quis non seminationi bonæ delectetur insistere, quando se non aliud quam quod seminat recepturum cognoscit in messe?

A

CAPUT VIII.

Oportet igitur ut hunc apostolicæ prædicationis sermonem paulo diligentius attendamus. Neque enim frustra cum tanto pondere præmonet dicens : *Nolite errare*; ac deinceps adjecit : *Deus non irridetur*. Postmodum vero aperuit, in quo nonnullos errare cognovit, inquires : *Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet*. Errat ergo quisquis se in retributione futura mesurum putat quod in hujus temporis operatione non seminat. Verum quia ipsius seminationis ac messis diversitas fuit evidenter intimanda, idcirco eam subsequenter verbis peritus discernendi agricola subjungens, hæc ait : *Quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam*. Ille est ergo error quem in hujus sermonis interdixit exordio, quo se unusquisque aliud existimat mesurum esse quam seminat. Errat igitur quisquis in carne seminat, de qua corruptio metitur, existimat mesurum se vitam æternam, quæ in spiritu seminantibus reservatur. Sequitur vero Apostolus dicens : *Bonum autem facientes, non deficiamus : tempore enim suo metemus non deficientes*. Hæc (forte Hic) evidenter ostendit seminis nomine uniuscujusque opera designari. Superius enim dixerat : *Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet*. Nunc dicit : *Bonum autem facientes, non deficiamus : tempore enim suo metemus non deficientes*. Vere Veritatis discipulus, et ob hoc magister egregius gentium, qui sicut justitiam non defuturam in retributione operum docuit, sic tempus seminationis et messis, id est operationis retributionisque discrevit : ne quis inepta cogitatione tempus seminationis et messis confundens, aut tempore seminationis deponat futuræ messis effectum, aut tempore messis concedendum sibi speret bonæ seminationis initium; ac sic iners operarius et ignavus pigritiæ vinculis irretitus, imo, quod est deterius, studio mortiferæ seminationis intentus, non gaudeat in messe, sed lugeat, dum cœperit suæ seminationis condigna tunc metere, quando jam non poterit qualitatem mali seminis immutare. Est præterea diligentius attendendum tria quidem nobis in hoc loco apostolicæ doctrinæ sermonis ostendi : hoc est, ut bonum faciamus, et ut non deficiamus, quia tempore suo metemus non deficientes. Horum trium duo in præcepto sunt operis, tertium in promissione mercedis. Duobus labor operarii indicitur, tertio spe futuræ messis laborantium animus sublevatur. Assolet enim qui certam sperat pro sui laboris qualitate mercedem, sumere magis ex labore virtutem. Bonæ igitur operationi Apostolus perseverantiam jungit, ut non deficiat in semine quisquis in messe delectatur sine fine gaudere. Proinde secundum dictum beati Apostoli ille necesse est ad **391** futuræ messis gaudium perveniat, qui præsentis tempore in bonæ operationis semine perseverat. Cæterum multum seipsum seducit, sive qui nulla mittens usque in finem præsentis vitæ semina operum honorum, putat bona quandoque mesurum; seu qui depravatus caret perseverantia bonæ operationis, et lætitiâ sperat in

retributione mercedis : cum beatus Apostolus hoc unumquemque recepturum testetur in messe quod perseveranter præmittit in semine. Talis namque est ille peritissimus ventilator (*Matth. iii, 12*) qui permundabit aream suam, ut in discretionem tritici atque palearum nulla subreptione fallatur; nec in horreum mittit paleas ignibus dandas, nec tradit flammis frumenta quæ sunt horreo deputanda. Futuræ quippe messis tempore boni seminatores, illi scilicet qui nunc perseveranter seminantes in lacrymis in gaudio metent, quique nunc euntes flent mittentes semina sua, tunc autem venientes venient in exultatione portantes manipulos suos (*Psal. cxxv, 5, 6*). Sicut ille privabitur gaudio consortioque messorum qui, licet aliquando bona seminaverit, perseverantiam tamen bona seminandi non tenuit : sic etiam ille nec indulgentiæ nec letitiæ poterit participatione gaudere, quem seminatori nocturno, id est diabolo, in tantum famulari favereque delectat, ut usque in mortem non quiescat illa seminare quæ angelorum mentium discretionem collecta et in fasciculos colligata, Domini iudicio, sine commutabili præcepto, inexstinguibili deputentur incendio (*Matth. xiii, 25*) : quia et subsequenti vitio iniquitatis præteritis justis frustratur omnis labor bonus, et iniquitatis meritum permanet, cuius labor est omnis malus. Dicit enim Apostolus : *Quia unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem* (*I Cor. iii, 8*). Illum scilicet in quo unusquisque invenitur, quando de præsentem sæculo transire præcipitur. Proinde sicut Apostolus monet : *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* (*Galat. vi, 10*).

CAPUT IX.

Nam et in Epistola quæ ad Hebræos scripta est, non solum conversio in præsentem tempore significatur necessaria, verum etiam præcipitur usque in finem perseverantia retinenda. Ait enim : *Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo, sed hortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ usque ad finem firmum retineamus* (*Hebr. iii, 12 et seq.*). Quis autem non ipsius exemplo terreatur Apostoli, ut a malis operibus discedens, in pœnitentia et conversione (*al. conversatione*) currat ad Deum, et sollicitus caveat ne tenore perseverantiæ derelicto, reprobus fiat? Considerandum namque est cunctis fidelibus qua sollicitudine ipse beatus Paulus cucurrerit, qua vigilantia pugnaverit, qua severitate corpus suum castigaverit. Ait ergo : *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans : sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo; ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* (*I Cor. ix, 26, 27*). Hæc autem dicebat, sciens per **392** Ezechielem divinitus dictum : *In eo cum converterit se justus a sua justitia, et faciat delictum, et moriatur; in suo delicto quod fecit, in ipso*

moriatur (*Ezech. xviii, 24*). Frustra igitur sibi peccatorum remissionem vanis cogitationibus somniat, quisquis non usque in finem præsentis vitæ in mandatis Domini perseverat, vel quisquis ante finem vitæ præsentis non discedit ab itineribus pessimis. Oportet enim ut omnis iustus cum timore et tremore suam salutem operetur (*Philip. ii, 12*); et omnis iniquus desinat exhibere membra sua arma iniquitatis peccato; sed exhibeat semetipsum tanquam ex mortuis viventem, et membra sua arma justitiæ Deo (*Rom. vi, 13*), ac desinat talia operari, quorum stipendium mors est, dicente Paulo apostolo : *Stipendium enim peccati mors* (*Ibid., 23*). Hæc mors, etiam futura ira Dei dicitur, quæ iniquis et in malo perseverantibus inferetur. Unde et Joannes Baptista Pharisæos Sadducæosque sic increpat, ut etiam Christianos male viventes sua increpatione perstringat. Dicit namque : *Genimina viperarum, quis vobis demonstravit fugere ab ira futura? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ* (*al. pœnitentiæ*) : *et ne velitis dicere : Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham. Jam enim securis ad radices arborum posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur* (*Luc. iii, 7 et seq.*). Ista cum Præcursor dominicus diceret, procul dubio iniquis dicebat et malis, quos etiam propter imitationem serpentium, hoc est diabolici operis, *Viperarum genimina* nuncupabat. Quibus tamen ostendit quid in hoc sæculo facerent, quid etiam in futuro iudicio formidarent. Præcipiens enim ut facerent fructus dignos pœnitentiæ, ostendit hic mutari posse homines, et a supplicii merito ad meritum regni, pœnitentis animi conversione transire. Adjungens autem, quia *omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur*, tempus prænuntiavit futuri iudicii, quo malis usque in finem criminosa ducentibus vitam, sicut infructuosis arboribus, non remissio peccatorum misericorditer donabitur, sed æterna combustio juste reddetur. Ideo quoque Salvatorem nostrum prædicit ad discretionem tritici palearumque venturum : *qui habens ventilabrum in manu sua, permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inexstinguibili* (*Ibid., 17*). Informat omnem præterea Christianum tenore evangelicæ lectionis, ut discretionem habita consideret quid in primo Salvatoris adventu fuerit unicuique piissima largitate donatum, quid etiam singulis expectetur in secundo, justa retributione reddendum.

CAPUT X.

Ipse enim noster Salvator et iudex, qui nunc venit ut salvet, tunc est autem venturus ut iudicet; qui nunc venit ut bonos ex malis pia remissione faciat, tunc autem venturus est ut malos a bonis iusta examinatione discernat. Primi adventus sui demonstrat beneficium dicens : *Venit enim Filius hominis querere et salvum facere quod perierat* (*Luc. xix, 10*). **393** Secundi vero adventus metuendam sic intimat æquita-

tem : *Veniet Filius hominis, et tunc reddet unicuique secundum opera sua* (Matth. xvi, 27). Primi adventus misericordiam rursus ostendens, ait : *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* (Joan. xiii, 6). Secundi vero adventus iudicium sic pronuntians, dicit : *Multa habeo de vobis loqui et iudicare* (Ibid., viii, 26). Et alio loco : *Sermo quem locutus sum vobis, ipse iudicabit vos* (Ibid., xii, 48). Et alio loco : *Sicut audio iudico, et iudicium meum verum est* (Ibid., v, 30). Rursus beneficium primi adventus sui, quo nullum inveniens vivum gratis suscitavit mortuos, quos utique facit ex impiis justos, talibus intimat verbis : *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent* (Ibid., v, 25). Secundi vero adventus examen, quo iudicaturus est vivos et mortuos subsequenter prænuntiat, dicens : *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, quando omnes qui in monumentis sunt audient vocem ejus : et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui autem mala egerunt, in resurrectionem iudicii* (Ibid., 28, 29). Præsentis itaque vocis ejus auditus donat vitam mortuis, cum lidei gratiam largitur incredulis, et quos malos invenit, bonos facit; præsentis autem vocis ejus auditus impios pie justificat, peccatores misericorditer salvat, cæcos clementer illuminat. Secundæ autem vocis ejus auditus, sicut justis coronam justitiæ reddet, sic iniquis pœnam pro iniquitate retribuet. In primæ vocis ejus auditu, prævenit peccantes misericordia redimentis; in secundæ vocis auditu, subsequetur operantibus a retributio iudicantis. Hic omnibus dicitur : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam* (Matth. xi, 28). Illic autem dextris tantum dicitur : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (Matth. xxv, 34); sinistris vero dicitur : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (Ibid., 41). Ubi est meritorum tanta certissima cognitio pastoralis, qua segregabuntur oves ab hædis; ut ita nullus hædus ponatur ad dexteram, sicut ovis nulla collocabitur ad sinistram. Illa quippe merita cum quibus homines ex hac vita discédunt, ipsa cum eis in illa vita indesinenter atque incommutabiliter permanebunt, sive bona quæ hic divina pietas contulit, seu mala quæ hic humana iniquitas comparavit. Ac per hoc nulla ibi erit promotio malorum, quamvis futura sit bonorum promotio meritorum. Illa enim manebunt in pœna, ista perficentur in gloria. Istud est tempus quo Deus, sicut in psalmo scriptum est : *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundum altitudinem cæli a terra, confirmavit Dominus misericordiam suam super timentes eum. Quoniam sicut distat ortus ab occasu, elongavit iniquitates nostras a nobis* (Psalm. cii, 10, 11, 12). In illo autem iudicio coronam justitiæ reddet justus iudex, sicut Apo-

stolus ait, his qui diligunt adventum ejus (II Tim. iv, 9); operantibus autem iniquitatem, sicut psalmus (xxvii, 4) ostendit, dabit **394** secundum opera eorum, et secundum nequitiam studiorum ipsorum, et secundum opera manuum eorum tribuet illis, reddet retributionem eorum ipsis : ea scilicet causa, quia qualis unusquisque de hac vita egreditur, talis futuræ vitæ sine dubitatione reddetur; nec de corruptione in incorruptionem in illo justo mutabitur iudicio, qui ab iniquitate ad justitiam, et a mala vita ad bonam vitam non prius in hoc sæculo fuerit immutatus.

CAPUT XI.

Propterea Paulus dicit : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (I Cor. xv, 51). Quod cum beatus dixisset Apostolus, ne sensus sermonis ejus apud aliquos penderet incertus, seivit subsequenter fidelibus ostendendum, quosnam futuræ resurrectionis tempore dixerit imitandos. Profecto enim si dixisset : *Omnes resurgemus, sed non immutabimur, nullius immutatio futura crederetur. Et iterum si dixisset : Omnes resurgemus, et immutabimur; sicut omnes creduntur resurrecturi, omnes etiam crederentur similiter immutandi. At cum omnium futuram resurrectionem prædixerit, nec tamen omnes asseveraverit immutandos, admonuit nos sollicite scrutari quinam sint in resurrectione futuri examinis immutandi. Hoc autem nolens relinquere beatus Paulus ambiguum, ne licentius iniqui delinquerent, si commune sibi cum justis munus futuræ mutationis audissent, sequenti sermone curavit ostendere illius mutationis donum : *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba : canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti : et nos immutabimur* (Ib., 52). Cum dicit, *nos*, ostendit illos secum futuræ mutationis potituros dono, quos in hoc tempore cum Paulo sociisque ejus tenet ecclesiastica recteque vivendi communio. Ipsius vero mutationis insinuans qualitatem dicit : *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (Ibid., 53). Ut ergo in talibus tunc sequatur mutatio justæ retributionis, nunc præcedit mutatio gratiæ largitatis. Quam mutationem beatus propheta David ostendens, ait : *Dixi, nunc capsi : hæc mutatio dexteræ Excelsi* (Psalm. lxxvi, 11).*

CAPUT XII.

His ergo qui in præsentis vita de malo in bonum fuerint immutati futuræ mutationis retributio promittitur : qua fiet ut quisquis hic ad meliora conversus mutaverit vitam, in illa quoque mutatus retributione, donum potiatur æqualitatis angelicæ; quam ipse Salvator, qui fidelis est in verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis (Psalm. cxliv, 13), non iniquis aut impiis, sed solis promittit bene viventibus ac justis. Quia nec justus est qui bene non vivit, nec injuste puniuntur, qui Deum diligentes b mandata ejus contemnunt, quem **395** illi diligunt, qui ejus mandata custodiunt : sicut ipse Dominus dicit : *Qui diligit me, mandata mea custodit* (Joan. xiv, 23).

a In ms. legebatur olim operantes. Quæ vox alia manu fuit mutata.

b Forte non diligentia.

Deum igitur, qui nec injuste diligi, nec juste potest aliquando contemni, illi vere diligunt qui ojus præceptis obediunt. Isti sunt qui secundum sermonem Domini (*Matth. xii, 30*) mutabuntur, et æquales angelis Dei, incorruptibiles scilicet atque immortales munere illius mutationis effecti, quorum non anima sola mutabitur in melius, ut jam peccare non possit, sed etiam caro quam corruptibilem atque mortalem habuerit, sic in resurrectione mutabitur, ut ipsa quidem sit quæ nunc est, sed neque corruptibilis, neque mortalis possit esse, quod nunc est. Ac per hoc, caro et iniquorum et justorum, quæ nunc moritur, ipsa est resurrectura. Resurget autem iniquorum in æterno dolore, justorum vero in æterna felicitate mansura. Et sicut illa resurget ad cruciatum, sic ista resurget ad gaudium. Illa ob hoc animabitur, ut in æterna morte cum anima torqueatur; ad hoc ista vivet, ut cum anima perennis vitæ beatitudine fruatur. Justorum ergo corpus, secundum Apostoli prædicationem: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione^a; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spiritale (I Cor. xv, 42 et seq.)*. Hoc ergo in eis agitur per gratiam, ut primum hic in eis per justificationem, in qua spiritualiter resurgitur, mutatio divini muneris inchoetur, et postmodum in corporis resurrectione, qua justificatorum immutatio perficitur, in æternum manens perfecta glorificatio non mutetur. Ad hoc enim illos primum gratia justificationis, deinde glorificationis mutat, ut in eis ipsa glorificatio incommutabilis æternaque permaneat. Mutantur hic enim per primam resurrectionem, qua illuminantur ut convertantur; qua scilicet transeunt de morte ad vitam, de iniquitate ad justitiam, de infidelitate ad fidem, de malis actibus ad sanctam conversationem. Ideo in illis secunda mors non habet potestatem. De talibus in Apocalypsi dicitur: *Beatus et sanctus^b qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem (Apoc. xi, 6)*. In eodem rursus libro dicitur: *Qui vicerit, a morte secunda non lædetur (Apoc. ii, 11)*. Sicut ergo in conversione cordis prima consistit resurrectio, sic mors secunda in supplicio sempiterno. Festinet itaque hic primæ resurrectionis particeps fieri, omnis qui non vult secundæ mortis æterna punitione damnari. Si qui enim in præsentī vita timore divino mutati, transeunt a vita mala ad vitam bonam, ipsi transeunt de morte ad vitam, qui etiam postmodum de ignobilitate hantur in gloriam.

CAPUT XIII.

Cæterum miserorum atque infelicitium, qui de malo ad bonum negligunt istius vitæ tempore commutari, sicut David sanctissimus contumaciam culpatur; sic futuram pœnam divinæ retributionis **396** prænuntiat dicens: *Non enim illis est commutatio, et non timuerunt Deum (Psalm. ltv, 20)*. Ac ne sibi qui commutari noluerint, frustra promittant peccatorum

A indulgentiam, transacto hujus vitæ limine conferendam, secutus adjunxit: *Extendit manum suam in retribuendo (Ibidem)*. Hujus retributionis initium est cum iniquus, mercedem quam oportuit erroris sui in semetipso recipiens, justo judicio in suis iniquitatibus igne torquebitur sempiterno. Neque etiam ista parva putanda est retributio, qua iniquus justitiæ luce privatus in suis tenebris errare permittitur, præjudicatus non carne, sed cæcitate cordis: ubi etiam illud ad cumulum retributionis pertinet, si cæcus lumen non solum non queat recipere, verum etiam cum delectatione studeat tenebras suæ cæcitatē augere. Talibus dicit Dominus in Psalmis: *Et non audivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi; et dimisi illos secundum desideria cordis eorum, et ibunt in voluptatibus suis (Psalm. lxxx, 12, 13)*. De talibus etiam Doctor gentium dicit: *Propterea tradidit illos Deus^c in passionem ignominie (Rom. i, 26)*. Et rursus: *Propterea tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniant (Ibid., 28)*. Traduntur ergo tales primum desideriis suis injustis, tradendi postmodum supplicii justis. Traduntur hic convenientibus factis, tradendi postmodum convenientibus pœnis. Neque enim quia delectabiliter peccat malus, ideo æstimandus est à tormento retributionis extraneus: quandoquidem graviter ipsa delectatione peccandi jam punitur, qui tali delectationi consensione subjicitur, ex qua meritum punitionis augetur. Ubi quanto magis perficitur quod injuste delectat, tanto magis recepturus est injustus quo amplius doleat. Si quis ergo hic noluerit ad Deum converti et a mala vita ad bonæ vitæ studia commutari, nec illic immutabitur, ubi feliciter mutatis justis immortalitas et incorruptio confertur. Proinde iniqui vel impii, hoc est vel qui perverse credunt, sive qui nequiter vivunt, nec ante præsentis vitæ finem a sua infidelitate sive iniquitate discedunt, in futura retributione, nec immortales nec incorruptibiles erunt; sed corrumpentur, nec consumentur; morientur, nec extinguentur. Permanebit enim cruciamentorum perennis sensus in mortuis, ubi miseris mori non conceditur in pœnis. Ibi mors miserorum talis erit, quæ non animam de corpore dolentis excludat, sed in dolenti corpore ad hoc jugiter teneat, ut animam simul et corpus æternitate doloris affligat. Ac per hoc semper cum corpore suo morietur anima; cum quo sine fine cogetur æterna communicare tormenta. Ibi mors animæ corporisque non moritur, quia cruciatus corporis et animæ non finitur. Hæc quippe erit æterna mors iniquorum, ut in igne non moriantur æterno, ne quandoque possint carere supplicio. Nec ibi ardenti corpori aliquid demitur, quamvis infelix anima in suo corpore jugiter exuratur; sed ut totum corpus ardere non desinat, totum cum anima jugiter in incendio perseverat. In quo enim corpore anima juste vixerit, aut inique, in ipso recipiet æternam pœnam, aut sine fine lætitiā.

^a Ms. et Ant., in incorruptionem.

^b Ms. omittit et sanctus. Ant. habet beatus sanctus.

^c Quæ hic aberant ab editis supplevimus ex mss.

397 CAPUT XIV.

Expedi igitur unicuique, priusquam presentem finiat vitam, futuri supplicii timore converti, si vere non vult post hujus vite finem sine fine torqueri. Quapropter inaniter in conspectu Dei malorum hominum permanens iniquitas remittenda creditur; in ejus conspectu inulta esse honorum operum sterilitas non sinetur. Neque enim dicitur quisquam positus ad sinistram idcirco iturus in ignem æternum, quia panem comedenti abstulit, sed quia esurienti non dedit; nec quia vestitum exspoliavit, sed quia vestimenta non tribuit; nec quia de domo propria quemquam pepulit, sed quia unum ex Christi minimis hospitio non recepit. Si ergo ibit in combustionem æternam qui panem suum esurienti non dedit, quid recipiet qui alienum abstulit panem? Et si mittetur in stagnum ignis et sulphuris qui nudum vestimento non tegit, quid passurus est qui vestimento crudelis exspoliat? Et si rerum suarum avarus possessor requiem non habebit, quomodo alienarum rerum insatiabilis raptor, si in hac vita converti noluerit, postmodum sibi de iudice justo indulgentiam frustra promittit? Consideremus divitem miserum purpura quondam byssoque vestitum, non ob aliud inextinguibilibus flammis ardentem, nisi quia Lazaro pauperi continua esurie laboranti nunquam voluit saltem micas convivii sui mortifera præditus iniquitate largiri. Qui cum interminabili cruciamento damnatus, etiam digiti pauperis in æterna requie lætantis refrigerio remaneret indignus, evidenti responsione Abraham patriarcha monstravit post hanc vitam, nec bonos posse ad iniquos aliquatenus transmeare, nec malos a pœnis ad beatorum requiem posse quandoque transire. Sic enim dicit: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hinc qui volunt transire ad vos, non possint, neque huc inde transmeare* (Luc. xvi, 25, 26).

CAPUT XV.

Proinde bonum nobis est ut nunc operemur bonum, dum tempus est operis; et ut simus in messe ditissimi, nec segnes debemus remanere, nec steriles. Bonum est unicuique ut nunc vulneribus suis adhibeat conversionis ac pœnitentiæ remedium, dum conversus remissionem potest accipere peccatorum: quoniam futuri temporis pœnitentia talis erit, ut indulgentiam mereri non possit. Neque vero tunc illi acturi sunt pœnitentiam, quos Deus prædestinavit ad vitam. Ipsorum enim in presenti tempore, secundum Apostoli dictum, quæ secundum Deum est tristitia, stabilem salutem operatur (II Cor. vii, 10), ut in hoc tempore pœnitentibus atque conversis, in futuro stabilis salus ac sempiterna reddatur. Illorum autem

A pœnitentia non desinit in futuro, qui pœnitentiam in presenti vita non egerunt. Talis pœnitentia non erit **398** ex largitate Dei, sed cruciatione supplicii. In tali pœnitentia luctus æternus erit, quia fructus ibi pœnitentiæ nullus erit. Non enim ibi mala voluntas ad bonum converteretur pœnitendo; quando ad hoc tantummodo pœnitentiam habebit iniquus in pœna, ut nec pœnitentia aliquando possit carere, nec pœna. At sic illa voluntas quæ hic iniquum usque in finem tenuit obduratum, ad hoc sine fine pœnitentiam habebit de sceleribus suis, ut nec possit ultra converti, nec æternitate valeat carere supplicii. Neque enim omnis pœnitentia, ^a ubi peccator gratia miserantis Dei præventus sic pœnitendo peccata sua pronuntiat, ut per conversionem gratiam remissionis inquirat. Cæterum sic est quem pœnitet pro malis quæ fecit, nec tamen ad Deum conversione mutatus accipit, quomodo si quis in vulnere positus graviter doleat, et beneficium medici non requirat. Pronuntiat quidem dolorem quem patitur, sed non consequitur remedium quo sanetur. Propterea non omnis qui confitetur peccatum remissionem accipit, quia Deus noster non tantum attendit quod corde ^b gestamus. De ipso enim psalmus dicit: *Scrutans corda et renes Deus* (Psal. vii, 10). Dicit etiam Salvator: *Quid autem dicitis mihi, Domine, Domine, et non facitis quæ dico* (Luc. vi, 46)? Inde est quod in Scripturis divinis quosdam legimus æqualiter peccata sermone ^c consecutos. Rex enim Saul ad prædandum Amalech a Deo directus (I Reg. xv, 3), peccatum incurrit quia præceptum Domini minime custodivit. Ad quem increpandum cum propheta Samuel advenisset, ille perterritus peccatum suum confessus est, nec tamen est indulgentiam consecutus: *quia cor ejus non erat rectum coram Deo* (Ibid., 24). Illa enim peccati confessio ex timore fuit supplicii, non ex horrore peccati. Non odit quod fecerat, sed timuit quod nolebat; nec culpam suam conversatione (forte conversione) culpavit, sed ad præsens divini furoris percussus terrore contremuit. David quoque rex carnalis concupiscentiæ devictus illecebra (II Reg. xi, 4), non solum militis sui adulteravit uxorem, sed ipsum quoque maritum peremit insontem, nec solum nullius ^d criminis sui reum, quin etiam conculcatæ uxoris ignarum. Ad quem tamen cum Nathan propheta destinaretur a Domino, ille prophetica increpatione perterritus exclamavit: *Peccavi* (Ibid., xii, 13). Cui sic propheta respondit: *Et Deus abstulit peccatum tuum, et non morieris* (I Reg. xv, 30). Ecce Saul dixit: *Peccavi*. David quoque dixit: *Peccavi*. Cum ergo in confessione peccati utriusque una vox fuerit, cur non una est utriusque concessa remissio? nisi quia in similitudine confessionis videbat Deus dissimilitudinem voluntatis; nec sonum sermonis attendit, sed intentionem cordis in utroque discrevit. Unus enim conversus peccandi protinus abiecit desiderium, et pœni-

^a Desunt hic quædam verba; forte hæc, *fructuosa est; sed illa tantum ubi, etc.*, aut non dissimilia.

^b Legendum *quod ore*, aut certe locus nuncus est et imperfectus.

^c Ms. addit hanc vocem *sermone*. Sed non videtur plenus sensus nisi suppleatur *et indulgentiam* aut quid simile, ut patet ex subsequentibus.

^d Ms. et editi, *nonnullius*, sed errore manifesto.

tendo ipse suum punivit admissum; alter vero confessionem quidem peccati sui verbo protulit, sed affectum peccandi perversi cordis obstrictus vitio non abiecit.

393) CAPUT XVI.

Tunc ergo prodest peccati confessio, si confessus peccator quod male fecerat, ultra non faciat, et bonorum studio operum præteritorum criminum merita superare contendat; ut secundum Apostoli dictum, ubi abundavit peccatum, superabundet gratia (*Rom. v, 21*). Nonnulli præterea virtutem pœnitentiæ nescientes, non ad hoc pœnitentiam gerunt, ut sperantes opem divinæ misericordiæ convertantur; imo pœnitendo deterius peccant, cum de peccatorum remissione desperant. Talis fuit pœnitentia Judæ traditoris (*Matth. xxvii, 3*), quæ pœnitenti non acquisivit salutem, sed procuravit desperanti perniciem. Denique deteriore semetipsum vinculo iniquitatis obstrinxit, cum se occidit nocentem, quam tum cum Christum tradidit innocentem. Peccatum enim traditionis Christi poterat Judæ, si vivens converteretur, dimitti; occisio vero sua nullatenus relaxatur extincto. Post traditionem igitur Christi habuit traditor tempus quo per illum sanguinem qui effusus est in remissionem peccatorum, ipsius quoque Judæ possit remitti peccatum: quoniam Christus, qui pro impiis mortuus est, non denegasset suo traditori remissionem beneficium, si non ille sibi desperando adimeret tempus remissioni concessum. Non ergo recte pœnitentiam gessit, nec justum vindicem se aut sceleris pertulit. Auxit quippe, non abstulit supplicium meriti criminis sui ultor injustus, qui occisori suo tempus conversionis ademittit occisus. Ac per hoc quia ipse se occidit, ipse sibi utique tempus conversionis se occidendo subtraxit. Miserrimus Judas, qui cum male crimen traditionis admiserit, pejus illius criminis pœnitentiam gessit, quia penitus indulgentiam non quæsit: ac sic illa gravis culpæ pœnitentia deterior est inventa quam culpa. Illud etenim dominicæ traditionis peccatum habuit posterius tempus quo possit abluï; illam vero punit sententia, quæ non conversionem habuit, sed desperationem. Ideo pœnitentem non adjuvit, sed peremit: quia sibi conversionis tempus occisione abstulit, et indulgentiam desperatione subtraxit.

-CAPUT XVII.

Tantum igitur valet opportunitas concessi temporis ad indulgentiam peccatorum! Et cum multo gravius sit Christum tradidisse quam quemlibet hominem occidisse, occisores tamen Christi, quicumque sunt in præsentis vite toto corde conversi, remissionem peccatorum ipsius Christi sunt sanguine consecuti; quisquis autem, non dico hæreticus seu paganus, de quibus nulla est dubitatio quod igne punientur æterno, quo etiam Christianus catholicus, si homicidium admittat, aut adulterium faciat, alienave diripiat, vel si juramentum perjurio violet, aut falsum testimonium dicere non dubitet, nec ante præsentis vite finem convertatur, cum multo minus videatur pec-

A casse, 400 quam ille qui occidit Christum: tamen occisor Christi, si convertatur in præsentis vite, salvabitur; ille autem pro eo quod in præsentis vite non convertitur, post hujus vite finem tormentis deputabitur quæ non habent finem. Hoc autem fit, non quia iste plus peccavit quam ille impius qui Christum occidit, sed ideo ille consequetur vitam æternam, quia omnipotentiam boni medici recognoscens, congruo tempore ad remedium sanitatis advenit; ille autem propterea morte condemnatur æterna, quia desperans benevolentiam: atque ita cum ejus peccatum comparatum occisioni Christi levius crimen pronuntietur, ipse tamen in eodem leviori crimine multo deterius invenitur: quia licet non occiderit Christum, in eo tamen deterius peccavit quam si Christum occidisset, in quo tempus neglexit congruum quod est remissioni peccatorum divina longanimitate concessum. Ita cognoscitur nec remissionem peccatorum dari, si pœnitentia in hoc tempore non agatur; nec in hoc tempore pœnitentiam prodesse, si peccatorum remissio desperatur: in futuro vero nullam malis conversionem futuram, et talium pœnitentiam continuam fore, sed vacuum. Sicut enim eis nunquam remissio dabitur, sic eorum nunquam pœnitentia finiatur. Negligunt enim tempus in quo pœnitentia salubriter a peccatoribus agitur, et in quo peccatorum remissionem pietas divina largitur. Propter quod et ipse Dominus in Apocalypsi Joannis fideles suos consolans, et iniquis pœnam futuræ punitionis intentans, ita loquitur: *Qui nocet, noceat adhuc; et qui in sordibus est, sordescat adhuc: justus autem adhuc justiora faciat, et sanctus sanctiora. Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum facta sua. Ego sum alpha et omega, primus et novissimus, initium et finis. Beati qui laverunt stolam suam, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem sanctam: foris autem remanebunt canes, malefici, fornicarii, et homicidæ, et servientes idolis, et omnia qui amat et facit mendacium* (*Apoc. xii, 11 et seq.*). Quis, rogo, tam duræ possit cervicis esse, aut quis ita incircuncisus corde reperiat et auribus, qui verbis istis non terreatur, non prosternatur, non convertatur? Quis non fleat? Quis non intimis visceribus intremisat? Quis non timore illius justi iudicii ad conversionem tremefactus accurrat, ut remissionem peccatorum et gratiam perpetuæ salutis inveniat? Væ illi qui ante tempus novissimi ventilabri non festinaverit ex palea triticum fieri! Væ illi qui, antequam veniant messorum angeli de medio frumentorum comburenda zizania collecturi (*Matth. xiii, 39*), non curaverit ex zizaniis in frumenta converti! Neque enim divinæ Scripturæ benigna debet contemni monitio, quæ nobis et celeritatem conversionis salubriter imperat, et tardantibus iram futuram vindictæ divinæ commendat. Sic enim dicit: *Ne tardaveris converti ad Deum, et ne differas de die in diem, ne subito veniat ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te* (*Eccli. v, 8*).

401 CAPUT XVIII.

Ut autem plenius agnoscamus præsentis tantum sæculi tempus humanæ conversioni concessum, illos attendamus operarios quos Dominus vocavit ad vineam (*Matth. xx, 6*). Quorum vocationem licet diversis horis egerit (*al. egerint*), hora tamen undecima, hoc est ante finem diei consummavit. In illis autem horis quibus vocati sunt operarii, cognoscuntur mundi hujus ætates, quibus Deus ad opus bonum vocavit quos ad se gratuita justificatione convertit. Accipitur enim mane hujus diei ab initio mundi usque ad diluvium; tertiæ horæ quippe vocatio fuit a diluvio usque ad Abraham; sextæ horæ vocatio, ab Abraham usque ad David; a David vero usque ad transmigrationem populi in Babyloniam, hora nona completa est; deinde hora undecima fuit in primo adventu Christi, quo venit humilis in carne mortali, in qua pro peccato mundi dignatus est immortalis occidi. Hæc est operariorum postrema vocatio, quæ nunc agitur usque ad præsentis sæculi finem, id est ab adventu humilitatis ejus usque ad adventum celsitudinis; ab adventu quo bonus venit judicandus a malis, ut misericorditer de malis faceret bonos, usque ad adventum quo juste judicaturus est et malos et bonos; ab adventu piæ remissionis, usque ad adventum justæ retributionis; ab adventu quo ex usuris et iniquitatibus liberavit animas pauperum (*Psal. LXXI, 14*), usque ad adventum quo venit cum usuris exigere pecuniam suam, a quibus eam invenerit consumptam, aut nullo boni operis studio duplicatam (*Matth. xxv, 27*). Hæc est hora quam novissimam beatus Joannes appellat: *Pueruli, novissima hora est* (*I Joan. II, 18*). Post hujus horæ consummationem non ad vineam Dominus operarios vocat, sed veniet ut unicuique mercedem sui operis reddat, sicut ipse ait: *Ecce venio cito, et merces mea mecum est* (*Apoc. XXII, 12*). Ille sibi ergo speret divinæ retributionis denarium tribuendum, qui antequam dies præsentis sæculi finiatur, in dominica vinea laudabiliter operatur. Neque enim aliud est illa operatio, nisi cordis vera conversio: ille vero sicut oportet ad Deum convertitur in quo est, sicut Apostolus dicit, fides quæ per caritatem operatur. Illa quoque horarum diversitas digne accipitur, sicut superius posuimus, ætatum mundi distinctio. Non tamen incongrue possumus in hac horarum diversitate etiam uniuscujusque hominis ætates accipere: ut mane sit hominis quousque finiatur infantia, deinde pueritiæ finis consummet tertiam, adolescentiæ terminus peragat sextam, juvenutis consummatio perficiat nonam, gravitatis cursus peragat undecimam, et deinceps senectus tendens ad terminum, totius diei consignet occasum. In quacunque igitur vitæ præsentis ætate omnis iniquus aut impius toto corde fuerit conversus ad Deum, statim præteritorum omnium remissionem accipiet peccatorum.

A

402 CAPUT XIX.

Quisquis autem potest invenire in Evangelio aut docere, post finem diei quemlibet operarium vocatum ad vineam, digne speret et certissime prædicet cuilibet iniquo qui in præsentis sæculo conversus non fuerit, facultatem boni operis aut gratiam remissionis futuri sæculi tempore concedendam. Item quisquis ostenderit cuilibet ad operationem vineæ dominicæ ante finem diei non vocato denarium jussu Domini datum, digne congrueque speret cuilibet ante finem præsentis vitæ non converso regnum cælorum largitate Domini conferendum. Si vero illos quos diurni operis in vinea pius labor exercuit, ipsos tantum post finem diei denarii merces exceptit; nos quoque si ad denarium æternæ vitæ pervenire volumus, in vinea Dominica præsentis tempore laboremus; nec contemnamus imperium vocantis, si nolumus a largitate remunerantis excludi. Qui enim ante finem diei non operatur in vinea, finito die non poterit denarium accipere: quia tunc non erit tempus, cum unusquisque ad operationem vineæ misericorditer vocetur, sed quo merces præterita operatione (*forte præteritæ operationi*) reddatur. Non ergo ibi erit pia vocatio, sed justa redditio. Ille denarius nec otioso dabitur, nec ei qui extra vineam foris operatur. Otiosus est autem catholicus qui non vult bene operari: *Quia fides sine operibus, otiosa et mortua est in semetipsa* (*Jac. II, 17*). Extra vineam vero ille operatur, qui constitutus in qualibet hæresi, bonorum quidem operum gerit studium, sed ipse sibi male credendo denegat salvationis effectum. Dicit enim beatus Paulus apostolus, *quia omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom. XIV, 23*); et: *Sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr. XI, 6*). Uterque igitur sibi admittit denarium, uterque se ab operariorum consortio efficit alienum: iste quidem quia intra vineam dominicam constitutus noluit esse studio operationis attentus; ille vero quia foris operatus est quod ante finem diei intra vineam dominicam debuit operari. Ac per hoc ille, quia non est operatus unde salvari possit; ille autem, quia non ibi operatus est, ubi donum salutis acciperet: et idcirco finito die nec ille ad vineam intrare permittitur, et illi facultas bonæ operationis aufertur; quia catholicus quidem malus in convivio Domini vestem nuptialem non habuit (quod Paulus fidelibus intimat formidandum, dicens: *Si tamen vestiti, non nudi inveniamur* (*II Cor. V, 3*)): hæreticus vero ad ipsum convivium tempore acceptabili venire contempsit. Et ideo ille projicietur, et illi facultas ingrediendi non dabitur. Nunc itaque tempus ut palea mutetur in triticum; nunc tempus ut omnis iniquus festinet ex zizaniis triticum fieri, si non vult inexstinguibilis ignis æternitate comburi. Si quis enim presentis temporis gratiam respuens, quo Dominus non ad judicandos, sed ad salvandos peccatores venire dignatus est, in suis crediderit iniquitatibus perma-

⁴ Quæ sequuntur ad hæc verba, *Illam quoque*, habuimus ex mss. duobus. Absunt vero ab excusis.

nendum, nullam inveniet misericordiam in futuro A
 iudicio : quia nec tempore ventilationis paleam
 frumento misceri ventilator ille permittet, nec tem-
 pore reddendæ rationis 403 talenti potestatem pi-
 gro, inutili famulo, severitas divina concedet ; sed
 sicut paleas tunc inextinguibilis ignis exuret, sic
 nequam pigrumque servum tenebris exterioribus de-
 putatum fletus et stridor dentium æternus excipiet.
 Qui est enim aliud quod ille servus ligari manibus
 jubetur et pedibus, nisi ut in manibus inali operis
 reatus, in pedibus autem malæ voluntatis puniendus
 ostendatur affectus ?

CAPUT XX.

Hujus opportunitatem temporis sanctus Isaias di-
 vinitus informatus agnovit, qui nos ad conversionem
 his verbis hortari non desinit : *Quærite Dominum* B
dum inveniri potest, invocate eum dum prope est.
Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogita-
tionem suam ; et convertatur ad Dominum, et miserebitur
ejus ; et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad
ignoscendum (Isai. LV, 6, 7). Nunc ergo Dominus
 quærendus est, cum potest a quærentibus inveniri.
 Nunc invocandus, cum est proximus invocanti. Nunc
 impietatis via, nunc est iniquitatis cogitatio relin-
 quenda. Nunc est necessaria conversio peccatoris,
 qua potest beneficio divinæ remissionis reatu totius
 carere peccati. Cæterum bona Dei non videbit in
 terra viventium (Psal. xxvi, 13), si quis in hac terra
 morientium remissionem non acceperit peccatorum.
 Hoc enim ipse præordinavit hominum Salvator et
 iudex, ut quibus peccata dimittit, in hac terra dimittat. C
 Propter quod Judæis incredulis dicit : *Ut autem*
sciatis quia potestatem habet Filius hominis in terra
dimittendi peccata (Matth. ix, 6). Quod non ideo dixit,
 quia transeuntibus hominibus de hac terra, hujus
 temporis peccata, si quibus vellet, relaxare non pos-
 sit : sed ut homines agnoscerent tempus remissionis
 et retributionis divina incommutabiliter constitutione
 discretum, nec audire humana inaniter speraret va-
 nitas quod divina promitteret (forte non promitte-
 ret) veritas. Hinc est quod etiam beato Petro, hoc est
 Ecclesiæ suæ, in terra ligandi solvendique tribuit
 potestatem : ut agnosceremus in tempore hujus vitæ
 gratuitam tribui in peccatorum remissione miseri-
 cordiam, in futuro autem justam cunctis mercedem
 pro factorum qualitate reddendam ; nec ambigere-
 mus nunc omnia posse peccata dimitti, et nunc quæ-
 cumque non fuerint dimissa, tunc exigi. Quod etiam
 beatus David sancti Spiritus revelatione cognoscens,
 cui, sicut ipse testatur, incerta et occulta sapientiæ
 suæ manifestaverat Dominus (Psal. I, 8), priusquam
 de hoc sæculo eat (al. exeat) remissionem postulat
 peccatorum, dicens : *Remitte mihi ut refrigerer,*
priusquam eam, et amplius non ero (Psal. xxxviii, 14).
 Beatus utique propheta non tam sollicitè postularet
 ante vitæ præsentis terminum remissionem sibi tribui
 peccatorum, si sciret post hanc vitam vel cuiquam
 profuturam pœnitentiam, vel remissionem peccato-
 rum tunc pœnitentiam agentibus divino munere con-
 cedendam.

404 CAPUT XXI.

Equidem post hanc vitam, licet pœnitentia futura
 sit iniquorum, non illis tamen peccatorum remissio
 dabitur, sed ipsa quoque pœnitentia punitiois ge-
 nerabit augmenta. Valebit enim ad cumulum crucia-
 tionis æternæ ; ubi duritia perversi cordis, quæ ante
 finem præsentis vitæ non fuerit salubri confessione
 abolita, cum flammis ultricibus sine fine graviter
 uretur, sua gravius pœnitentia punietur. Quid enim
 deterius quam sic de præterito jugi pœnitentia cou-
 teri, ut nunquam possit pœnitens a tormento com-
 missi criminis liberari ? Neque enim hoc in homine
 præsentem vitam in suis malis operibus finiente con-
 siderabitur, ut quia finita videbuntur ejus opera
 mala, finiantur ejus quandoque tormenta : sed atten-
 detur in eo iniquæ voluntatis perversitas, quam usque
 in finem præsentis vitæ diligit et tenet iniquus, licet
 ipsam vitam, quam pessime gerit, amittat invitus.
 Qui dum malam voluntatem ante finem præsentis vitæ
 mutare non curat, ostendit proculdubio sic se iniquita-
 tes suas diligere, ut si posset hic sine fine vivere, sine
 fine vellet in iniquitatibus permanere. Non ergo prop-
 terea cuilibet iniquo parcetur, quia jam desideria malæ
 voluntatis implere non poterit ; sed ideo sine fine
 torquetur, quia quandiu hic peccare potuit, peccare
 non destitit. Et ob hoc nullus dabitur iniquo termi-
 nus punitiois, quia priusquam terminaret hujus
 vitæ cursum, non posuit criminibus suis terminum.
 Quamvis enim vitam suam malam quantum vellet
 proloagare non posset, quisquis hic noluit converti
 dum viveret, eandem, tamen si vellet, mutare posset
 in melius, priusquam malam vitam finiret invitus, in
 malis gehennæ sine fine mansurus. Ut hac ergo in
 combustione æterna crucientur qui præsentem vitam
 in malis moribus et operibus finiunt, ad justitiam per-
 tinet justis Judicis reddentis unicuique secundum
 opera sua. Cujus utique non est injusta reductio,
 qua fit ut iniqui nunquam careant supplicio, quorum
 voluntas in hac vita noluit carere peccato. Tales
 enim magis delectantur peccare quam vivere ; nec
 ob hoc peccant, ut semper vivant, sed ideo hic sem-
 per vivere cupiunt, ut nunquam desinant peccare dum
 vivunt. Nemo autem securus præsentem vitam ter-
 minat, nisi priusquam vitam finiat, ab iniquitate
 discedat ; ne tunc inaniter sua velit deslere scelera,
 quando nullatenus poterit vitare tormenta. Non ergo
 inaniter in præsentis sæculo pœnitentia universis indi-
 catur, neque frustra in hac vita conversio prædicatur.
 Hic enim pœnitentia remissionis invenit fructum, si
 peccator, dum hic vivit, peccandi deponat affectum.
 Præsentis namque sæculi tempus misericors Domi-
 nus et justus solum remissionis beneficio deputavit :
 futurum vero justæ retributioni servat, quo unus-
 quisque pro qualitate credulitatis et operis condignæ,
 sed non finienda recipiat.

405 CAPUT XXII.

Proinde nunc omnis iniquus intra Ecclesiam posi-
 tus malam conversationem respuat, et bonæ vitæ
 cursum festinet arripere, ut ad æternam vitam valeat
 pervenire. Nunc omnis impius pravam fidei senten-

tiam deponat, et ad Ecclesiam venire non differat. Nunc sibi omnis homo dextræ partis comparet meritum, si non vult sinistræ partis perferre tormentum. Nunc ambulet justitiæ viam, ut ad patriam veniat, in qua requiem habeat sempiternam. Nunc omnis qui Deum malis operibus exacerbatur, transeat ad vitam bonam, per quam propitius Deus acquiritur, ut accipiat vitam æternam, quam Deus bonis sine fine largitur. Nemo desperet misericordiam Dei, considerans atrocitatem cujuslibet criminis; nec tamen aliquis sub spe misericordiæ Dei permaneat in peccatis, sed confidentia sperantis ita sine dubitatione petat pœnitentiæ portum, ut humilitas pœnitentis fugiat desperationis lethale naufragium. Et sic Dei misericordiam diligat, ut ejus consideret cum timore justitiam. Totum sibi speret relaxari posse converso, nec dimitendum tamen aliquid existimet obdurato. Hoc tempore mutet iniquus vitam, et non inveniet pœnam. Fugiat culpam, et accipiet veniam. In hoc enim tempore beneficii remissionis acquiritur, quando mutationem voluntatis, meriti quoque mutatio comitatur. Nunc omnis qui laborat et oneratus est, ad Deum vocantem reficiendus veniat: nunc super se lene (al.

* Ms., redire.)

A leve) jugum Salvatoris levemque sarcinam tollat; nunc ab eo discat quia mitis est et humilis corde, si animæ suæ requiem desiderat invenire; nunc aversus ad conversionem currat; nunc iniquus ab iniquitate discedat, nunc errans ad viam veritatis redeat. Modo quærat Domini misericordiam, qui non vult pati sine fine miseriam. Modo quærat æternam vitam, qui non vult in æternum mori. Nunc præveniat in confessione faciem Dei, qui non vult sempiterna punitione damnari. Nunc enim fructuose pœnitentia geritur, nunc remissio peccatorum pœnitenti conceditur; nunc converso regni cœlorum possessio non negatur, in qua sine fine vivitur et sine fine gaudetur: ubi nec mors lætantibus adimit vitam, nec mœror viventibus potest auferre lætitiæ. In quali enim fide et opere unumquemque hominum vitæ hujus invenerit finis, talis ei retributio dabitur, cujus non erit finis. Quia sicut omnis qui ante finem vitæ præsentis conversus non fuerit, et in malis suis finierit, ultra requiem non habebit: sic omnis qui in hoc tempore divinis præceptis obediens, a malis suis conversus fuerit, si in fide recta et bona vita intra Ecclesiam catholicam perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Amen.

S. FULGENTII

DE INCARNATIONE FILII DEI ET VILIIUM ANIMALIUM AUCTORE, AD SCARILAM, LIBER UNUS.

406 1. Lectis litteris quas misisti, fili carissime Scarila, gavisus sum in Domino, et exsultavit anima mea in Deo salutari meo, quia induit vos studium salutis, et cordi vestro desiderium justitiæ clementer infudit, quo veram fidem cognoscere cupiatis. Per hanc enim vitæ largitas ad homines venit, quod per prophetam Deus ipse testatus est dicens: *Justus autem ex fide vivit* (Rom. 1, 17); fides autem illa vera appellanda est, quæ est vera, non ficta, quam sanctus commendat Apostolus dicens: *Finis autem præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (I Tim. 1, 5). Nam quia idem beatus Paulus gratia nos dicit salvos factos esse per fidem, quam non ex nobis, sed Dei asserit donum (Ephes. 2, 8), utique vera salus non erit ubi vera fides non fuerit; quæ cum divinitus infunditur, procul dubio gratuita largitate donatur; et ubi per veram fidem veritas fuerit credulitatis, veritas utique comitabitur et salutis: quisquis autem a vera fide deviaverit, veræ salutis gratiam non habebit. Proinde torpere non debet fidelis animus ad quærendum si quid in sacramentis fidei sibi cernit ambiguum: maxime in mysterio dominicæ incarnationis, per quam justitia impiis, vita mortuis, salus infirmis, et veræ libertatis est gratia donata captivis.

2. Scripsisti ergo, ut tuis utar verbis, quod dum ad mensam Christiani Ecclesiæ catholicæ filii mei Eventi de Dei incarnatione locutio nasceretur, unus ex vobis hoc de ipsa incarnatione asseruit quoniam non Deus Pater carnem induit, sed solum Dei Filius. Et alius dixit: *Ipse Deus, qui unus est in tribus, dignatus est carnem* **407** *assumere, ut nostram servitutem qua per transgressionem patris nostri Adæ obligati detinebamur, ad libertatem perduceret.* Deinde dicis vos scire cupere si ipse Deus Pater descenderit et carnem assumpserit, an ipso residente, Verbo mandaverit quod carnem assumpserit. Dicis nos etiam scire quoniam Verbum caro factum est, ut ipse habitaret in nobis. Ubi etiam hæc verba subvertis dicens: *Sed inter Verbum, quod Deus est, et Patrem, qui Deus est, una utrorumque descenderit ad induendam carnem majestas, quia legimus, inquis: « Hic Deus noster, et non æstimabitur alius absque illo: post hæc in terra visus est, et cum hominibus conversatus est* (Baruch III, 36). Adhuc addis et dicis, quod cum istud testimonium in medium proferretis, hoc ille e contrario locutus est: *De Filio hoc dixit, non de Patre: et tu ei ad præsens locutus es, ut quod simul pariter ignoratis ad nos recursum faceretis.* Huic interrogationi quam prima pars continet tuarum litterarum reddenda nunc est a nobis,

* Emendamus, ex ipsa epistola quæ habetur supra 40: legebatur enim non dixit, sed male.

Deo donante atque adjuvante, responsio ; qua finita, alteri quoque respondere, quantum Deus donaverit, non pigebit.

3. Principaliter itaque scire debet omnis catholicus Christianus unum esse Deum sanctam Trinitatem, id est, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum ; ipsam vero Trinitatem quæ unus est Deus, unam quidem esse naturam, non tamen unam esse personam. Quia et quod dicitur unus Deus esse Trinitas, verum est ; unus Deus est enim Trinitas, quia non aliam naturam habet Pater, et aliam Filius, et aliam Spiritus sanctus, sed una natura est ipsa Trinitas Deus ; nec tamen una persona est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, sed persona Patris solius Patris est, et persona Filii solius Filii est, et persona Spiritus sancti solius Spiritus sancti est. Personaliter ergo qui est Pater non est ipse Filius, et qui Filius est non est ipse Spiritus sanctus. Quod vero naturaliter est Pater hoc est Filius, hoc est Spiritus sanctus, quia naturaliter ipsa Trinitas unus est Deus : ubi major minorque non dicitur, quia nec prior alius alio, nec posterior invenitur. Ibi æternitas atque immensitas tanta est uniuscujusque personæ, quanta trium naturaliter personarum. Solus tamen Pater est qui Filium genuit ; solus est Filius qui de Patre natus ; solus est etiam Spiritus sanctus, qui nec natus est de Patre, nec Filium genuit, sed a Patre Filioque processit. Pater ergo solius est Pater Filii, et Filius est solius Filius Patris, sanctus autem Spiritus non Patris solius, nec Filii solius, sed simul Patris et Filii unus et communis est.

4. In hac itaque Trinitate sunt quædam singularum personarum propria. Quid si tamen propriis personæ monstrantur, sed non separantur, quarum natura ut, cum inseparabiles sint, confundi non possit, sed ad hoc in singulis personis singula maneant, ut et naturalem unitatem veræ Trinitatis, et personalem Trinitatem veræ unitatis ostendat ? Proprium est ergo solius Patris, quod non est natus ipse, sed genuit ; proprium est et Filii quod non genuit ipse, sed natus est ; proprium **408** vero est et Spiritus sancti, quod nec genuit ipse nec natus est, sed de genitore genitoque procedit. Sicut est autem sine initio æterna generatio Patris, et sine initio æterna nativitas Filii ; sic naturaliter sine initio est æterna processio Spiritus sancti. De Dei enim Patris æternitate quæ sine initio manet, talis est utique nativitas Filii, et processio Spiritus sancti, ut et illa nativitas, et illa processio coæterna sit illi origini, in qua initium nullatenus potuit inveniri. Quoniam ergo hoc in se habet naturalis illa unitas Trinitatis, ut natum esse soli sit proprium Filio, ille qui solus in se habet veram nativitatem humanitatis ex Virgine ; hujus etenim fuit secundum carnem veram habere naturaliter matrem, qui secundum divinitatem verum habet naturaliter Patrem : proinde qui est de æterno Patre sine initio genitus, ipse est de temporali matre temporaliter natus ; et ideo non solum in divinitate, verum etiam in carne veraciter Unigenitus Dei Filius dici-

tur, qui et secundum divinitatem, et secundum carnem solus genitus invenitur.

5. Solius itaque unigeniti Dei propria est utraque nativitas, una scilicet ex veritate nature divinæ, altera vero ex gratia humanitatis assumptæ. Propter quod evangelista Joannes unigenitum a Patre asserit plenum gratiæ et veritatis (*Joan. 1, 14*). Proinde cavenda est illa mortifera et omnimodis diabolica blasphemiam qua creditur vel dicitur simul ipsa Trinitas carnem assumpsisse, quod catholica fides non recipit, sed nequitia Sabelliani erroris invenit. Sabellius quippe, qui Patrem et Filium et Spiritum sanctum non tres deos, sed unum Deum verum prædicari cognovit, sic audivit quod verum est, ut sibi generaret ipse quod falsum est. Denique quia sic unam Patris et Filii et Spiritus sancti cognovit esse naturam, ut ejusdem nature unam non dubitaret prædicare personam, ad hoc est insania sui præcipitatus erroris, ut ipsum Patrem natum de Virgine assereret. Necessario autem consequens fuit, ut cui dabat veritatem humanæ nativitatis, ipsi deputaret veritatem passionis et mortis. Unde sectatores ejusdem Sabellii non solum Sabellianos, sed etiam Patripassianos Ecclesia catholica nominavit, et vinculo anathematis cum suo auctore damnavit.

6. Absit igitur a fidelibus ista perversitas, nec quemquam redemptum sanguine unigeniti Filii sui permittat Deus isto mortifero sensu perfidiæ profanari. Magnæ quippe impietatis est si aliquis in Patre et Filio et Spiritu sancto, aut propter unam naturam velit unam prædicari personam, aut propter tres personas, tres asserat et naturas. Quandoquidem ille qui unam personam Patris et Filii et Spiritus sancti asserit, laqueo Sabelliani erroris innectitur ; qui vero tres naturas Patris et Filii et Spiritus sancti esse confirmat, Ariane perfidiæ nexibus obligatur. Et quamvis utriusque infidelitatis divisa videatur assertio, una tamen est impietatis utriusque damnatio. Impie namque personarum proprietas propter unitatem nature confunditur ; impiæ nihilominus naturalis unitas propter personas ipsas separatur. Unum habet Pater verum naturaliter Filium, et de se sine initio, et de Virgine temporaliter natum. Ipsum misit in mundum ut salvaretur mundus per ipsum. **409** Quod idem Filius ostendens ait : *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicaret mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum non judicatur, qui autem non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei* (*Joan. 3, 16, 17, 18*).

7. Ecce isto loco ipse Salvator noster tertio se Filium dicit, et secundo Unigenitum nominavit, et se a Patre, ut mundum salvaret, missum esse asseruit ; cum utique si simul ipsa Trinitas in carne venisset, non se Filius missum a Patre dixisset : sed mentiri non potuit Christus : sine dubio personaliter alter misit, et alter est missus. Misit autem verus Pater Veritatem, quam genuit ; misit Sapientiam, in qua

omnia fecit; misit Verbum, quod corde ructavit. Proinde in alia (*forte* illa) missione non est localiter æstimandus adventus, tanquam Filius Dei de cœlo fuerit missus ad terras, ut aut in terra non fuerit prius quam carnem acciperet, aut cœlum deseruerit, quando carnem pro nostra salute suscepit. Cum itaque ipse sit Sapiencia Dei de qua dictum est: *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap. viii, 1*); divinitas illa quæ naturaliter una est Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sic non est localiter, sicut non est temporaliter; sic loco non concluditur, sicut nec tempore variatur. Illa divinitas quæ naturaliter immensa est et æterna, nec cœpit initio, nec concluditur loco: ideo ipse unus Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus totum implet, totum continet: sic totus in singulis, sic totus in cunctis, sic totus in parvis, sic totus in maximis creaturis: ita per naturam, non ita per gratiam; ita dum homines creat, non ita dum salvat; ita dum facit, non ita dum reficit; ita dum solem istum facit oriri super bonos et malos, non ita dum Sol justitiæ illis oritur, quibus vita non carnis, sed cordis, dono misericordiæ prævenientis infunditur. Non enim sicut cunctorum nasci per naturam, sic cunctorum est renasci per gratiam. Quoniam ergo Pater et Filius et Spiritus sanctus naturaliter unus est Deus, æternus et immensus, nihil in cœlo, nil in terra, nil supra cœlum, nil in qualibet natura quam fecit non factus Deus, ubi deesse possit idem unus Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; in quo sicut nulla est mutabilitas temporum, sic nulla est capacitas et locorum. Quod Salomon in dedicatione dixisse veraciter invenitur his verbis: *Si enim cœlum et cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi* (*III Reg. viii, 27*).

8. Deus itaque ineffabilis, et omnino mirabilis, ineffabiliter ac mirabiliter ipsa sue immensitate naturæ, et est totus in singulis, et non concluditur universis. Ita solus Pater, ita solus Filius, ita Spiritus sanctus solus, ita simul Trinitas unus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus: quia nec solus Pater sine Filio, aut Spiritu sancto, nec solus Spiritus sanctus sine Patre, vel Filio. Proinde sollicite cogitandum est, quomodo Filius in mundum mitti potuit, qui mundo deesse non potuit; aut quomodo in mundum venit, unde nunquam recedit: cum utique cui naturale est, totusque implere, nec recedere possit aliquatenus, nec venire. Natura quippe illa divinitatis immense, nec extenditur ut impleat quod antea vacuum erat, nec contrahitur ut evacuet quod prius impleverat. Talis autem est virtus Creatoris, talisque conditio totius creaturæ, ut quemadmodum, nisi ille conderet, nulla substantia possit existere, ita nisi ille contineat, nulla possit substantia permanere. Proinde quia secundum divinitatem Deus de loco non transit ad locum, hoc habet veritas fidei Christianæ, ut in eo Filius Dei credatur in mundum venisse, in quo servi formam cognoscitur accepisse. Dei enim Filius tunc in mundum venit, quando salva æqualitate paternæ naturæ, particeps fieri dignatus est maternæ substan-

tiæ, quando factus est salva sua divinitate homo, salva sua æternitate temporalis, salva sua immensitate localis, salva sua incommutabilitate mutabilis, salva sua immortalitate mortalis.

9. Non autem adventus Filii Dei uno eodemque modo semper accipitur. Aliter namque venit mittente Patre, aliter dignatur venire cum Patre. Etenim cum Patre venire dignatur æqualis, a Patre autem missus venit minoratus paulo minus ab angelis; missus a Patre semel venisse cognoscitur, cum Patre autem innumerabiliter venire dignatur. Neque enim modum aut numerum veniendi posuit, quando ait: *Si quis diligit me sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan. xiv, 23*). Proinde ille adventus quo solus Filius a Patre semel venit in mundum, non solis est bonis exhibitus, sed et malis: aliis ut crederent, aliis ut crucifigerent; aliis ut liberari a peccato possent, aliis ut excusationem de peccato suo habere non possent. Credentes enim a peccato liberatos ostendit Apostolus dicens: *Nunc autem a peccato liberati, servi autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam* (*Rom. vi, 22*). Incredulos vero peccati sui excusationem habere non posse Salvator ipse monstravit, dicens: *Si non venissem, et locutus eis non fuisset, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo* (*Joan. xv, 22*). Neque enim haberent peccatum Judæi incredulitatis, si non etiam eis exhiberetur præsentia Salvatoris. Adventus ergo ille quo a Patre semel in mundum missus est Filius, fuit in ruinam et in resurrectionem multorum; ille autem quo cum Patre venit, ad resurrectionem tantum pertinet multorum, quia caritas eum meretur, quæ operit multitudinem peccatorum. Isto adventu quo a Patre missus est Filius, semel in plenitudine temporum venit; illo autem quo cum Patre venire consuevit, ab initio usque ad finem mundi, quibus oportuit, et oportet, nec destitit venire, nec desinit. Inde est quod priusquam veniret in carne, adventum ejus prophetæ poscebant dicentes: *Excita potentiam tuam, et veni ut liberes nos* (*Psal. lxxix, 3*). Qui utique futurum Filii Dei adventum nullatenus poscerent, si ejusdem venientis et manentis in se gratiam non haberent.

10. Istum Filii Dei Patris adventum a se omnino repellunt, qui æqualitatem Patris Filiique non credunt. Apud suum quippe dilectorem, unam venientes faciunt mansionem; non autem potest eorum esse una mansio, si fuerit diversa dilectio. Si autem inæquales sunt, necesse est ut inæqualiter diligantur. Inæqualibus vero non potest una in corde simplici mansio præparari. Admonet autem nos Scriptura dicens: *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum* (*Sap. i, 1*). Quomodo ergo Deus quæritur simplicitate cordis, quando Deo Patri et Deo Filio exhibetur diversitas dilectionis? aut quomodo simplex est homini erga Deum caritas, si in ipsa divinitate putatur esse diversitas? Illa utique divinitas simplici corde diligitur, quæ simplex esse naturaliter creditur; ubi autem diversa divinitas colitur, non

simplicitas cordis, sed duplicitas exhibetur: fides ergo est ibi non vera, sed ficta. Sanctus autem Spiritus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu (Sap. 1, 5). Duplex autem cor esse convincitur, si quando aliquis non unam divinitatem esse colendam a fidelibus putat, aut quando non eandem naturam Filii quam Patris existimat. Quod si quis proximo bonitatem sermonibus fingens et corde malitiam gerens, duplex corde dicitur, quomodo ille qui sub figmento veritatis falsa de Deo vel credit vel dicit, duplicis cordis crimine non tenetur? Quod enim naturaliter unum est in illa summa divinitate dividere, et Deum minorem ac majorem fingere, certissimum est ad nequitiam cordis duplicis pertinere. Sancta autem Scriptura dicit: *Væ duplici corde, et labiis sceleratis, et manibus malefacientibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis (Eccli. 11, 14)* Et quia diversam putare divinitatem Patris et Filii non est Deo credere (quia ille vere unum Deum colit qui alium omnino non colit, et ille uni Deo credit qui alium Deum esse non credit), ideo sequitur eadem Scriptura dicens: *Væ qui non credunt Deo! quia non protegentur ab eo (Eccli. 11, 15)*. Inde est quod etiam Salvator noster, unam divinitatem dominationemque commendans, ait: *Nemo potest duobus dominis servire (Matth. vi, 24)*. Legimus autem quia Dominus ipse est Deus (Psal. xcix, 3). Unde certum est, vera fide caritateque sincera, nec dominis quemquam posse servire, nec diis. Unus est enim Deus deorum, et Dominus dominorum: qui propterea solus est colendus, quia solus est naturaliter verus Dominus Deus, qui est Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus.

11. Nos itaque, ut Deum in simplicitate cordis quaeramus, diversitatem divinitatis in Patre et Filio nec corde credamus. Sed ut possit in nobis vera cordis manere simplicitas, illa in nobis maneat fides, qua sanctæ Trinitatis una creditur ac prædicatur sine diversitate divinitatis. Sic in nobis Pater et Filius et Spiritus sanctus venientes manere dignantur. Unus est apud dilectorem suum sanctæ Trinitatis adventus, quo Deus invisibilis invisibiliter venit, et mansionem invisibiliter facit. Manendo autem apud dilectorem suum, ipsa multiplicat dilectionem, quapropter facit in homine mansionem. Ob hoc quippe venit quia diligitur; hoc autem veniens facit ut amplius diligitur.

12. Hæc ideo dixi, ut noveritis qualis fuit adventus Filii, quando missus est a Patre, et qualis sit adventus Filii, quando dignatur venire cum Patre. Quia sicut in illo adventu homo factus, Patre minor agnoscitur; sic in isto adventu æqualis Patri Deus permanens invenitur. **412** Dicitur autem et Spiritus sanctus venire: cum sit etiam cum Patre et Filio unus Deus, æternus naturaliter et immensus, sine quo utique, nec Pater potest venire, nec Filius. Ille (forte illum) enim post Patrem Filiumque cognoscitur diligere, qui caritatem habet in corde: *Caritas autem Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum san-*

ctum, qui datus est nobis (Rom. v, 5). Pater ergo et Filius ad dilectorem suum sine Spiritu sancto nullatenus veniunt: quia ut veniant, caritatem, qua diliguntur, dono sancti Spiritus largiuntur. Invisibiliter itaque communis semper adventus est Patris et Filii et Spiritus sancti: non transeundo de loco ad locum, sed in eo quod ipsa Trinitas unus Deus dignatur gratiam caritatis, vel donare quam augeat, vel augere quam donat. Alio autem modo venit Filius, quando pro nobis homo factus est Unigenitus Deus. Ille utique qui in persona propria divinitatis suæ non accepit personam hominis, sed naturam. Scimus etiam Spiritum sanctum visibiliter in columbæ specie advenisse: longe utique alio modo, id est, nec illo quo Pater et Filius ad dilectorem suum non sine Spiritu sancto veniunt, nec isto quo solus Filius in mundum venit, secundum quod naturam nostram mirabiliter ac singulariter in persona suæ divinitatis accepit. Non enim sicut formam servi accepit Filius, ita formam columbæ accepit Spiritus sanctus; nec sicut factus est Filius in similitudinem filiorum hominum, ita factus est Spiritus sanctus in similitudinem columbarum. Venit ergo Spiritus sanctus in specie columbæ, non utique columbam in unitatem personæ accipiens. Neque enim sic per Spiritum sanctum redimi debuit natura columbarum, sicut per Filium natura redempta est hominum. Hanc enim in unitatem personæ suæ suscepit Filius, quam erat sine dubio redempturus. Et quoniam a Dei Filio humanitas sua nunquam sejungitur, propterea in cælo et in terra omnibus angelis omnibusque hominibus dominatur. Secundum naturam quippe humanam Filius Dei humiliavit se factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (Philip. 11, 8), secundum quam naturam eum Deus exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (Ibid., 9). Veniente ergo plenitudine temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege (Gal. 1v, 4). Cuius autem hoc fuerit factum, Apostolus subsequenter ostendens ait: *Ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*. Suscepta est itaque a Dei Filio humana natura. Ideo autem Deus Unigenitus factus est homo, ut nobis per eum divina donaretur adoptio: ut quia ille homo Deus verus est naturali veritate divinitatis suæ, nos quoque, in eo quod fratres ejus essemus, filii Dei, non nostro merito, sed ejus gratia fieremus.

13. Sanctus autem Spiritus veniens in specie columbæ, non columba factus est, sicut Filius factus est homo; sed per columbæ speciem, donandam nobis ostendit suo munere caritatem. *Caritas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (Rom. v, 5)*. Apparuit autem postmodum et in igneis linguis, sed etiam hoc ad significationem fecit ipsius quam nobis largitus est caritatis. Nam quia **413** præcepti est caritas de

corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta (I A in cœlis Patrem, ipsum nobis humana nativitas fecisset et fratrem. Tim. 1, 5); et in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per caritatem operatur (Gal. v, 6); ipsa est illa simplicitas cordis quæ significata est in columba: quia debemus id quod corde credimus ad justitiam ore confiteri fiducialiter ad salutem. Columba itaque simplicitatem ostendit fidei et caritatis, ut recte credamus in Deum, et per Deum diligamus et proximum. Lingua quoque ignea significat confessionem veræ credulitatis, et admonitionem sanctæ caritatis. Illa ergo columba in cujus specie super Christum baptizatum venit Spiritus sanctus, ad aliquid significandum facta est, et continuo resoluta. Solus enim Filius humanam carnem animamque suscepit. Ad ipsum solum enim naturaliter divina nativitas pertinebat. Et quia (al. qui) solus natus est de Patre, solus nasci potuit et de Virgine. Qui nisi homo ex homine fieret, naturæ nostræ particeps non fuisset. Ideo ergo factum est ut veram carnem acciperet de carne Virginis, ut cum illo nobis vera maneret communio naturalis. Quomodo enim vel antiquos Patres, vel cujusquam temporis homines, in consortium suæ divinitatis ascisceret, si cum eis naturale carnis consortium non haberet?

14. Filius ergo Dei non solum homo, sed etiam ex hominibus dignatus est fieri. Inde est quod ait Apostolus loquens de Christo: *Non enim angelos apprehendit, sed semen Abraham apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim quod (al. quo) passus est ipse, et tentatus, potens est eis qui tentantur auxiliari. Unde, fratres sancti, vocationis cœlestis particeps, considerate Apostolum et Pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei qui fecit illum (Hebr. 11, 16; 11, 4).* Hinc est quod alio loco rursus ejusdem Epistolæ dicit: *Omnis enim pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis (Hebr. v, 1).* Talis autem erat iste pontifex, ut ad reconciliationem humani generis semetipsum pro nobis offerret oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Inde est quod cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus (Rom. v, 10). Ut autem beatus apostolus ostenderet Christum Dei Filium ex illo uno homine traxisse originem carnis, ex quo omnes homines propagavit unitas naturalis, propterea dicit alio loco: *Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens, Nuntiabo nomen tuum fratribus meis (Hebr. 11, 14).* Ille autem hoc de nobis dicit, qui secundum carnem pronobis est et natus et passus: imo qui sic naturæ nostræ factus est particeps, ut ex illo uno fieret ex quo omnes facti sumus; ex illo uno carnis originem duceret, ex quo euncti originem ducimus. Quod si Trinitas pro nobis susciperet carnem, quoniam illi qui incarnatus est, per consortium carnis, fratres facti sumus; jam non solum filii Dei Patris, sed etiam fratres totius Trinitatis essemus; et quem habemus

in cœlis Patrem, ipsum nobis humana nativitas fecisset et fratrem.

15. Magnæ absurditatis est: illum ex tempore genitum suspicari, cui ~~414~~ ex æternitate non natum esse, sed genuisse sit proprium. Hoc itaque convenit veræ fidei, neque Patrem, neque Spiritum, sed Filium, sicut solum natum de Deo Patre, sic solum natum de Maria Virgine confiteri. Quoniam ergo solus Filius Deus carnem suscepit, ideo nos Dei filios fecit, et liberatos a servitute peccati, veræ reddidit libertati. Et quia solus est de Virgine natus, ideo solus pro nobis est traditus: testante Apostolo quia *Deus Filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (Rom. viii, 32).* Nam et de ipso Filio dicit: *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me (Gal. ii, 20).* Alio quoque loco ait: *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsentis sæculo nequam, secundum voluntatem Dei Patris nostri, cui est gloria in sæcula sæculorum (Gal. i, 3).* Sicut ergo tradidit Pater Filium, ita semetipsum tradidit Filius: et sicut seipsum Filius dedit, sic eum etiam Pater dedit, dicente Filio: *Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam (Joan. iii, 16).*

16. His itaque omnibus cognitis, quibus evidenter ostenditur solum Filium pro nostra salute carnem suscepisse, solumque pro peccatis nostris traditum, et passionis ac mortis pertulisse supplicium, absit ut quisquam fidelium dicat Deum Patrem, aut de Virgine natum, aut pro nobis traditum. Ista enim solius sunt Filii, qui sicut pro nobis temporaliter dignatus est nasci, ita temporaliter mori. Si quis autem Deo Patri susceptionem carnis assignat, illud præcipue attendat in Evangelio, quia Deus qui carnem induit, frequentissime se ipsum non solum filium hominis, sed etiam Dei Filium nominavit. Ipse quippe cæco nato quem illuminaverat dixit: *Tu credis in Filium Dei? Respondit ille, et dixit: Quis est Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum ipse est. At ille ait: Credo, Domine. Et procidens adoravit eum (Joan. ix, 35 et seq.).* Judæis quoque sic ait: *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi: Dii estis? Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura, quem Pater sanctificavit et misit in mundum, dicitis, Blasphemias, quia dixi, Filius Dei sum (Joan. x, 34).* Alio quoque loco simul se et Filium hominis, et Dei Filium nuncupavit dicens: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita oportet exaltari Filium hominis, ut omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam (Joan. iii, 14).* Ubi continuo illud quod in hoc opere a nobis ita positum est, ipse de se Salvator adjunxit, in quo se Dei Filium nominavit dicens: *Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium ut judicet mundum, sed ut salvetur mun-*

duſ per ipſum. Qui credit in eum non iudicabitur; qui autem non credit, jam iudicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei (Joan. III., 17 et ſeq.). Nam et cum ſeipſe Filium hominis nominaret, dicens diſcipulis ſuis: *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis* (Matth. XVI., 13)? et audita hominum opinione multinoda, illorum ſcilicet qui ſibi de ipſa Veritate mortiferum **415** ſingebant pro ſua voluntate mendacium, dixiſſet: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* quia reſpondens Petrus ait, *Tu eſ Chriſtus Filius Dei vivi* (Ibid., 15, 16); propterea beatus meruit appellari, ſic ipſo Domino reſpondente: *Beatus eſ, Simon Barjona, quia caro et ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cælis* (Ibid., 17).

17. Inde eſt quod etiam poſt reſurrectionem ad Patrem ſuum ſe aſcendum hoc ſermone teſtatur: *Aſcendo ad Patrem meum, et Patrem veſtrum, Deum meum, et Deum veſtrum* (Joan. XX., 17). Si ergo Deus qui carnem induit ipſe eſſe Deus Pater aſſeritur, necesse eſt ut et ipſius Patris Pater eſſe alius aſſeratur; ac per hoc et Deus Pater habuit Patrem, cui dicere: (al. dicitur), *Pater, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te* (Joan. XVII., 1). Et ex hoc ſenſu ſacrilego et blaſphemiis pleno. etiam in illud reciditur, ut jam non unus Pater æſtimetur eſſe, ſed duo; id eſt (al. idem), unus Pater Filii, quem veritas novit, et alter Pater Patris, quem vanitas fingit. Et ubi eſt quod unum Deum Patrem profitetur Apoſtolus dicens: *Nobis autem unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipſo* (I Cor. VIII., 6). Et alio loco, *Unus Deus et Pater omnium qui ſuper omnes, et per omnia, et in omnibus nobis* (Ephes. IV., 6). Cum quo licet Filius naturaliter unus ſit Deus, tamen ſecundum perſonas, alter eſt Pater, alter eſt Filius, alter eſt Spiritus ſanctus. Quas perſonas oſtendit evidenter beatus Joannes dicens: *Qui diligit genitorem, diligit eum qui natus eſt ex eo* (I Joan. V., 1). Item dicit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum* (Joan. I., 1); et paulo poſt, ut a ſolo Verbo carnem acceptam eſſe monſtraret ait: *Et Verbum caro factum eſt, et habitavit in nobis* (Ibid., 14).

18. Deus ergo Verbum factum eſt caro, non Deus apud quem erat Verbum: quia Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ſecundum quod caro eſt, plenus eſt gratiæ, et ſecundum quod Verbum eſt, plenum eſt veritatis: ipſe unus Verbum caro factum quod habitavit in nobis. De ipſo etiam dicit propheta: *Hic Deus noſter, et non æſtimabitur alius ad eum, qui adinvenit omnem viam diſciplinæ, et dedit eam Jacob puero ſuo, et Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, et cum hominibus converſatus eſt* (Baruch III., 36). Hoc teſtimonium de ſolo Filio dictum vera fides acceptit. Ipſe eſt enim ſecundum carnem in terris viſus, et cum hominibus converſatus. Unde ſanctus evangelista Matthæus prophético omnino congruens ſermoni, Jeſum dicit cum diſcipulis converſatum. Sic enim ait: *Converſantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jeſus: Filius hominis tradendus eſt in manus hominum, et occident eum, et tertia die reſurget*

(Matth. XVII., 21). Ideo ergo venerat ut occideretur pro nobis. Quomodo autem occideretur, ſi non traderetur? Aut quomodo traderetur, ſi non teneretur? Quomodo vero teneretur, ſi cum hominibus non converſaretur, vel quomodo cum hominibus converſaretur, ſi in terris non videretur? Quomodo autem videretur, ſi non naceretur? Quomodo autem naceretur, ſi non caro de carne conciperetur? Si autem omnia hæc non fierent, conſilium Domini, quod manet in æternum, nullatenus impleretur. Illo autem vacante conſilio, nulla nobis peccatoribus ſalutis gratia conferretur. Et quomodo eſſet in eo verum nomen, quo dictus eſt Jeſus? Hic enim interpretatur Salvator. Propter quod angelus dicens ad Joſeph quod **416** paritura eſſet Maria Filium Dei, etiam hoc adjunxit: *Et vocabis nomen ejus Jeſum. Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum* (Matth. I., 21). Ad ipſam vero Mariam ſic locutus eſt angelus: *Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jeſum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur* (Luc. I., 31, 32). Non igitur Deus Pater eſt de Virgine natus, quandoquidem ille quem Virgo peperit, Filius eſt Altissimi nuncupatus. Ergo quoniam unus eſt Pater, et unus eſt Filius, et unus eſt Spiritus ſanctus; propterea ille qui naturaliter eſt Altissimi Filius, de Patris æterna divinitate, idem Filius Altissimi, ſecundum veram fidem, vocatur ex Virgine.

19. Nec te moveat quod de ſolo Filio loquens propheta dixit: *Hic Deus noſter, et non æſtimabitur alius ad eum* (Baruch III., 36). Nec ex hoc quod dixit alium non æſtimari ad eum, quiſquam exiſtmet in perſona eumdem Patrem eſſe quem Filium. Beatus Hieremias ſancto Spiritu plenus, *Hic Deus noſter, ait, et non æſtimabitur alius ad eum*, ut in eo quod prius dixit, *Hic Deus*, in hoc cognoscere non æſtimari alium ad eum, quia non eſt Deus alius abſque illo. Naturaliter enim ſic non eſt alius Deus abſque Spiritu ſancto, quia non eſt alius Deus Pater, et alius Deus Filius, et alius Deus Spiritus ſanctus; ſed unus Deus eſt Pater, et Filius, et Spiritus ſanctus, et abſque hoc Deo noſtro non eſt alius Deus. Proinde, ita Deus noſter eſt Pater, ut non æſtimetur alius ad eum: ita Deus noſter eſt etiam Filius, ut non æſtimetur alius ad eum; nihilominus ita Deus noſter eſt etiam Spiritus ſanctus, ut non æſtimetur alius ad eum: quia abſque hoc uno Deo non eſt alius Deus, de quo dicit David, *Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum noſtrum* (Pſal. XVII., 32)? Et ipſe Deus dicit: *Videte, videte quoniam ego ſum Deus, et non eſt alius præter me* (Deut. XXXII., 39). De hoc et beatus Jacobus ait: *Tu credis quia unus eſt Deus, bene facis; et dæmones credunt, et contremiſcunt* (Jac. II., 19).

20. Naturaliter ergo alius Deus non æſtimatur ad Filium, quia alius Deus non æſtimatur ad Patrem, nec alius Deus æſtimatur ad Spiritum ſanctum. In perſonis vero alius eſt Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus; nec ipſe Pater quæ Filius, nec ipſe Spiritus ſanctus qui Pater aut Filius; ſed idem Deus unus,

Pater et Filius et Spiritus sanctus. Ostendit autem A ipse Filius et Patrem alium in persona, et Spiritum sanctum, dicens : *Alius est qui testimonium perhibet de me, et scio quia veram est testimonium ejus quod testatur de me (Joan. v, 32)*. Et ne de Joanne hoc dictum quisquam putaret, paulo post ait : *Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me, quia Pater me misit. Et qui me misit Pater ipse testimonium perhibet de me (Ibid., 36)*. Spiritum quoque sanctum personaliter alium ostendit dicens : *Si diligitis me, mandata mea servate, et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis (Joan. xiv, 15)* : de quo etiam alio loco dicit : *Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, iste testimonium perhibebit de me (Joan. xv, 16)*. Majestas autem Patris et Filii una est, 417 quæ de cælo non descendit ad locum. Summa quippe ac vera divinitas de loco ad locum transire non potest, quia semper ubique tota est. Eadem quippe Trinitatis est una majestas, quæ naturaliter una est immensa divinitas. Sed, ut superius dixi, sic est Trinitatis una natura, ut non sit una persona. Proinde Filius, manente immensitate majestatis suæ, quam habet cum Patre et Spiritu sancto communem, solus humanam naturam in unitate personæ suæ accepit. Cui propterea non est cum Patre et Spiritu sancto communio susceptæ carnis, quia Patri et Filio et Spiritui sancto non est persona communis.

21. Illam itaque servi formam tota Trinitas fecit, quam tamen in personam suam Filius solus accepit. Ipse enim solus est Verbum, et Evangelista veraciter dicit, *Verbum caro factum est (Joan. i, 14)*, cui tamen ut caro fieret non aliquo alio Verbo mandavit Pater : unum enim Verbum habet Pater, per quod omnia fecit et facit, per quod omnia dixit et dicit. Hoc Verbum a Patre missum est, quando Verbum caro factum est : sed ut mitteretur non ei aliquibus transeuntibus verbis locutus est Pater. Æternum quippe Verbum de Patre natum, hoc est æternum a Patre mandatum, quia æterna Filii generatio, ipsa est Patris æterna locutio. Hoc Verbum tunc ab unoquoque auditur, quando veritas divinitatis atque incarnationis agnoscitur. Nam sicut unusquisque homo verbum habet in corde, dum cogitat, quod verbum foras non educitur nisi voce corporea vestiatur, quia per vocem acceptam potest in aliorum venire notitiam ; cum vero illud verbum voce loquentis ostenditur, nullatenus de cordis intimo separatur, sed hoc mirabiliter fit ut et totum ad alios corporea locutione perveniat, et totum spiritaliter in corde loquentis permaneat ; sic etiam Verbum Dei Patris natum de Patre permansit in Patre : quod a nobis nullatenus agnosceretur, nisi carnis substantia, tanquam voce corporea vestiretur. Ita totum ad nos Verbum, quando Verbum caro factum est, venit, totum apud Patrem spiritale permansit : æquale Patri de quo semper est natum, et ut a nobis percipi posset, carnis acceptæ gratia mi-

PATROL. LXX.

noratum. Ac per hoc de Domino Dominus in forma Dei Dominus mansit, et ut ad servos veniret, de ancilla veritatem formæ servilis accepit.

22. Sed hujus formæ servilis acceptæ mysterium quidam minus intelligentes, cum a nobis audiunt unam prædicari sanctæ Trinitatis essentiam, vel negant, vel dubitant potuisse fieri ut Filius, qui secundum divinitatem a Patre et Spiritu sancto inseparabilis prædicatur a nobis, et solus pro nobis veritatem formæ servilis acciperet, et nihilominus cum Patre et Spiritu sancto inseparabilis permaneret. Sed illis hoc videretur sine dubio impossibile, qui invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, quia non intelligunt, non conspiciunt. Qui si communem naturæ humanæ usum attenderent, etiam in illo magno pietatis sacramento rectas intelligentiæ lineas invenirent. Quoniam igitur una est vera divinitas quæ in seipsa tres habet inseparabiles omnino personas, propter quod ipsa Trinitas unus est Deus, et in creaturis nulla natura in tribus personis inseparabilis invenitur, attendamus quid agatur in unoquoque homine, in quo non tres personas in una natura, 418 sed duas naturas invenimus in una persona. Deus quippe mirabili virtutis opere, ex duabus naturis, hoc est anima rationali et carne, unam naturam hominis composuit, et in anima et carne unam personam hominis manere præcepit. Ecce in homine sunt duæ naturæ in una persona : sic Trinitatem dicimus tres personas in una natura.

23. Attendamus ergo hic a duabus istis naturis in una persona manentibus quædam communiter fieri, nec communiter vel accipi, vel haberi. Nempe in nobis ipsis aliquid uno fieri carnis et animæ officio invenimus, quod tamen aut carni tantum, aut animæ deputamus. Certissime namque sicut caro sola cibis corporalibus pascitur, sic anima verbo Dei spiritaliter enutritur. Et tamen ut caro quæ de terra facta est terrenis pascatur cibus, cooperante anima comedit, quandoquidem ex anima vivit, et ideo comedit quia vivit, utiliter habens in seipsum operantis alterum secum animæ cooperantis officium, cui simul inest et ex vita ut comedat, et ex cibus ut vivat. Cum ergo cibus sumitur, communis est operatio carnis et animæ : qui tamen cibus ad solam invenitur carnem proprie pertinere. In percipiendo quoque verbo Dei, quo spiritali cibo anima sola pascitur, ut ad eundem perveniat cibus, utitur officio aut oculorum aut aurium. Ac per hoc ut interius ipsa pascatur, non sine carnis operatione perficitur. Sicut ergo hic utriusque naturæ invenitur operatio, cum sit unius acceptio, ita credamus humanam naturam Unigeniti Dei simul a Patre, et Filio, et Spiritu sancto factam, sed a solo Filio pro nostra misericorditer salute susceptam.

24. Addis interea quemdam ex vobis in illo postmodum dixisse convivio, *quod muscas, pulices, scorpiones et cimices Deus non fecit, sed post dejectionem angeli illius indigni diaboli, hæc omnia ab ipso diabolo facta sint. Et dum diceretis quia omnia Deus fecit, et hæc bona valde, dixit quod me de hoc consulere*

deberetis, ut de hoc eis satisfaciam, si ante transgressionem, quando Deus omnia fecit, tunc ista facta sint; an post transgressionem Adæ. Hæc sunt verba quibus tua terminatur epistola. Hujus autem interrogationis duæ sunt partes. Nam et utrum Deus illa omnia fecerit, et quando fecerit, inquisistis.

25. Prius itaque, utrum ea Deus fecerit video discernendum. Ubi nobis beatus Joannes evangelista quid sentire debeamus ostendit dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (Joan. 1, 1, 2, 3). Vide sanctum evangelistam Spiritu Dei repletum paucis verbis non solum Creatorem, sed etiam creaturam nobis salubriter intimasse. Nam quod ait, *In principio erat Verbum*, duobus modis recta fides intelligit: id est, vel quod in Patre erat Filius, quia naturaliter unum principium est, Pater et Filius; vel quod sine initio est non solum Pater, sed etiam Filius. Hoc enim certissime verum principium dicitur, quod nullo existendi principio prævenitur: quidquid autem in principio esse cœpit, factum est opere Dei creantis, nec unam potest habere **419** cum Creatore naturam: hoc est enim subditum initio, quod Deus creavit ex nihilo. Proinde illud recte dicitur in principio esse, cui naturale est absque existendi initio semper esse: quæ sine initio æternitas, ipsa est vera Divinitas. Hæc autem in uno Filio, qui de Patre natus est, et in uno Spiritu sancto, qui de Patre Filioque procedit, naturaliter invenitur. Tale est ergo quod evangelista dicit, *In principio erat Verbum*, quasi diceret, Semper erat Verbum: quodcumque enim voluerit homo principium cogitare, non invenitur aliquando illud Verbum cœpisse, sed semper in principio esse. Deinde dicens, *erat Verbum apud Deum*, ostendit naturam Verbi, nec temporalem esse utique, nec localem. Nihil enim habet de initio temporis Verbum, quod in principio erat: nihil habet de spatio loci, quod ante omnem creaturam temporibus locisque subjectam apud Deum erat. Dicens deinde, *Deus erat Verbum*, ostendit unam Patris Filiique naturam, dum Verbum quod erat apud Deum non aliud naturaliter dixit esse quam Deum. Evangelista quippe Verbum prius dicens, vocabulum personæ veraciter existentis expressit, quod utique non est Patri Filioque commune. Solus enim Filius dicitur Verbum.

26. Exigebat autem naturalis significatio ut sicut personæ, sic etiam naturæ nomen ostenderetur in Verbo. Ideo beatus evangelista subsequenter adjunxit: *Et Deus erat Verbum*, atque ita non solum personali, sed et naturali insinuatione unigeniti Filii Dei officium sanctæ prædicationis explevit; ut et Verbum nuncupans personali nomine, Filium Patris ostenderet; et Deum nominans communi vocabulo, naturæ vnius esse cum Patre monstraret. Deinde ut ex unitate operis magis commendaretur unitas naturalis, evangelista beatus adjecit: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*. Quis hoc dixit? Nempe ille qui, super pectus Sapientiæ Veritatisque

A discumbens, veram scientiam incomprehensibilis Majestatis accepit; qui, sicut noverat unum Deum esse Patrem et Filium, sic etiam omnia facta noverat a Patre per Filium. Unde illa omnia quæ per Filium facta sunt ita sanctus Joannes universaliter comprehendit, ut diceret: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*. Quisquis ergo muscas, pulices, scorpiones, cimices, vel si quæ alia quibus mortalis sensus offenditur a Deo facta negare contendit, aut dicat ea omnino non facta, aut si facta dicat, non tamen a Patre per Filium, quid aliud restat nisi et evangelistam Joannem dicat in sua prædicatione mentitum? *Omnia enim, inquit, per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*.

27. Non est ergo aliquid quod Pater non fecit, qui omnia fecit: nec est aliquid quod Pater non per Filium fecerit, sine quo factum est nihil. Proinde quidquid est naturaliter aliquid, necesse est ut inter quæ opera deputetur per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil. Plenus veritatis evangelista testatur quod in doctrina sancti Spiritus nihilominus etiam Paulus vas electionis et doctor gentium in fide et veritate vobis non destitit intimare, dicens quod superius jam posuimus: *Nobis autem unus Deus Pater, ex quo omnia, et **420** nos in ipso; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (1 Cor. viii, 6). Eadem (al. Et adhuc) omnia curavit alio loco manifestius explicare, dicens: *Quia in ipso condita sunt omnia in cælo et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant* (Coloss. i, 16, 17). Ne quis autem audiens, in cælo et in terra omnia per Christum et in Christo creata, quia hic mare non nominatur, et ea quæ in aquis sunt ab opere divinæ creationis æstimet aliena, primitus ipsius Genesis attendat initium, ubi præcipiente Domino prodixerunt aquæ reptilia animarum, et aves quæ volant super terram (Genes. i, 20), et agnoscat ipsum esse in aquis creatorem piscium et avium, qui creator est in terra lignorum et herbarum, similiter in cælo luminarium et stellarum; et sicut cognoscit Deum prius fecisse cælum in quo luminaria et stellas faceret, prius fecisse terram quæ ipso jubente herbas lignaque produceret; ita fecisse aquas, de quibus ipso dicente reptilia et volatilia pariter exstitissent. Nec enim de aquis aliquid Verbo creasset, si eandem aquas Verbo antea non fecisset. Inde est quod beatus David universaliter cælum, terram, mare, cum omnibus quæ in eis sunt a Deo facta esse non tacuit dicens: *Beatus vir cuius Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius qui fecit cælum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt* (Psal. cxlv, 4, 5). Quomodo (forte Cum) ergo prophetica testetur auctoritas cælum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, a Deo facta esse, Paulus quoque apostolus asserat in Christo creata esse omnia in cælo et in terra, visibilia et invisibilia, sive Thronos, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; qua ratione aut qua veri-

tate a Deo aliquis non vult credere creatas in terra A muscas atque scorpiones, pulices et cimices, a quo negare non potest creatos esse in cœlestibus Thronos, Dominationes, Principatus et Potestates? Ergone Deus ille qui super cœlum creans constituit angelicas legiones, negandus est in terra facere scorpiones, in qua fecit homines, fecit bestias et pecora, fecit aves et pisces?

28. Quid, quæso, in iis scorpionibus displicet, ut eos quisquam existimet a Deo non factos? Nihil est enim in corpore scorpionis quod non laudem insinuet Creatoris. Primitus ipsa compages adunata et modificata membrorum, congruentia et paritas partium, deinde anima vivificans, et sensibilis corpus; quæ omnia bona esse quis ambigat? Sed profecto vis illa veneni quæ invenitur hominibus perniciosa, B ut putatur in corpore scorpionis horrenda, ubi utinam discerent homines poenam suæ transgressionis attendere, et desinerent bona Dei opera diabolo mendaciter assignare! Minus enim attendunt quantum inter opera Dei valeat congruentia naturalis, quantumque prosit rebus singulis modus, vel quantum noceat inmoderationis excessus: (*textus depravatus*) quæ cum multum non sivit esse omnipotens Deus, qui non etiam in ipsis famulis (*forte flagellis*) laudet opera Dei, quando videt peccatorem divino verberere castigari? Fecit enim Deus, sicut scriptum est (*Eccle. vii, 50*), hominem rectum, quem rerum omnium quas in terra et mari creaverat ita dominum constituit, 421 ut suæ tantum faceret potestati subjectum; ab ipso exigens obsequium debitum servitutis, cui liberum donavit arbitrium voluntatis. Qui donec suo Domino congrua devotione servivit, etiam in his quibus fuit ipse superior potestatem inconcussæ dominationis obtinuit; nec aliquid perdidit eorum quæ acceperat, donec ipse plene reddidit quod debebat. Offendens autem Dominum transgressionem mandati, contumeliam quam Deo exhibuit, in suo corpore statim contemptor invenit: ut disceret quam malum esset boni Creatoris præcepta contemnere, quando ipse, postquam malus esse cœpisset, potestatem suam in membris genitalibus perdidisset. Quomodo ergo illorum omnium quæ a Deo acceperat permanere dominus posset, qui Dominum contemnens dominationis jura in suo primo corpore perdidisset? Hinc jam ipsum quoque corpus habere cœpit infirmitatibus mortique subjectum: unde justa consequentia vindicta factum est ut qui mortem animæ non timuit in peccato, mortem corporis metueret in supplicio; et amissa requie qua beatus potiebatur, a innumeratissimis animalibus miserimus turbaretur.

29. Hinc est quod post peccatum primi hominis, quo est humana natura universaliter regno peccati mortisque subjecta, camelis, equis, bobus, elephantibus, cæteri que grandibus quadrupedibus homo dominatur, et morsu cimicis pulicisque conculitur; cumque omnia illa quæ sunt grandiora corpore et fortiora virtute mansueti serviant homini, hæc mi-

nutissima, quæ facillime possunt duobus tantum digitis compressa interimi, nullatenus possunt ad mansuetudinem pervenire, id est revocari. Hoc autem propterea divino factum constat esse iudicio, ut ex iis quibus dominatur homo, cognosceret quantam dignitatem ante transgressionem habuit; et ex iis a quibus turbatur et leditur, agnosceret ad quantam dejectionem transgressionem pervenit; in cuius potestate Deus majora dimisit, minoram subtraxit: simul ostendens quid contulit Creatoris bonitas homini, et quid intulit iniquitas propria peccatori. Per transgressionem itaque primorum hominum, ex merito tanti criminis accidit humano generi vehemens infirmitas naturalis; ut non quibusdam naturis malis homo cederet, sed ex bonarum inconvenientia naturalium supplicia et pericula infirmitas humana sentiret. Quod ergo pulex hominem cruciat, et scorpium necat, non creati malorum est, sed bonarum inconvenientia naturalium, quæ subsecuta est ex æquitate iudicis, quando præcessit iniquitas hominis contumacis. Deus enim, cujus vera opera, et rectæ viæ sunt. sanctus Zacharias in sua oratione rectissime confitetur, quia qui summe bonus est, omnia quæcumque facit ^a.

30. Inde est quod mirabili opere etiam ipsa inconvenientia naturalium, qua puniuntur humana peccata, convenienter utitur, dum hoc agit iustitia incommutabilis, quæ sua cuique tribuit, ut inconvenientiam alterius ad alterum cujusque naturæ suis faciat universaliter operibus convenire. Natura vero quælibet, dum naturæ alteri minus convenit ad 422 salutem non ex illo mala putanda est quia nocet (omnis enim natura secundum quod natura est bona est), sed plerumque ideo ex natura quælibet alteri naturæ inferitur adversitas, quia incongruentiæ cedit et succumbit infirmitas. Nam plerumque etiam res ipsæ, id est ipsæ naturæ in quibus solis indubitata solet pernicietas inveniri, si moderatione congrua ex aliis temperentur, ex periculo mortis in salutis remedia convertuntur: quod in ipsis primitus venenosis animalibus invenimus. Dicunt enim quidam quod ignis acet quotiens in corpore nascitur, scorpionibus tuncis et appositis celeriter extinguatur. Sed etsi hoc forsitan ab aliquibus aut ambiguum putetur, aut falsum, illud certe nemo negare permittitur, quod admirabile in serpentibus invenitur. Viperas quippe naturaliter venenosas esse nullus ignorat, quam venenoso aculeo scorpiones occidant (*forte cum... occidant*); et tamen ut ostendatur quod non naturalium malitia, sed incongruentia noceat, novimus viperarum carnibus, aliarum rerum congruentia temperatis, contra viperarum morsus medicamina confici; nec solum his qui a scorpionibus percutiuntur, verum etiam illis qui mordentur a viperis salubriter adhiberi. Quis hic Dei sapientiam non miretur? Quis non ejus bonitatem magnificet, prudentiamque colaudet? qui non continens in ira misericordias suas, unde pericula fecit peccatoribus nasci, inde statuit auxilia periclitantibus subrogari: ut qui incommoda

^a Supplendum hic *bona facit*, aut aliquid ejusmodi.

pro nostra iniquitate sentimus, ex ejus bonitate com-
moda sentiremus. Quis laudem Creatoris sufficienti-
bus explicet verbis, quando unam eandemque vipe-
ram sic creavit, ut simul in se et exitium et reme-
dium gerat; et quæ vivens ingerit mortem, mortua
reparet sanitatem; perniciemque vitæ et inferat et
repellat; et venenum quod dente serpentis infunditur,
ejusdem serpentis carnibus extinguitur? quo fit ut
vipera quæ vivens infirmitati humanæ militavit ac
morti, mortua vitæ militet et saluti. Quis, quæso,
ista facit, nisi cui misericordiam et judicium (*Psal.*
c. 1) cantat Ecclesia?

31. Species quæ dicitur scammonia, quis ignorat
quantum obsit sanis, si sola sumatur; et quantum
prosit infirmis si speciebus aliis congrue misceatur?
Et ut de his loquar quæ semper ab omnibus appe-
tuntur, et quorum quotidiano usu non solum infirmi-
tas, sed etiam ipsa invenitur vitæ humanæ sanitas
indigere, panem attendamus et vinum, quorum neu-
trum convenit febricitanti. Nam videmus a medicis
quod semper quidem potus, nonnunquam vero etiam
panis cibus interdicitur ægrotis. Ideo autem hoc fit,
non quia panis aut vinum mala sint, sed quia infirmo
non congruunt. Nam consequenter cum congruere
coperint, et nutriunt fortitudinem, et custodiunt
sanitatem: quorum tamen immoderata perceptio
fortibus virtutem adimit, dum sanos infirmari com-
pellit. Ecce quantum valet in Dei creaturis modus et
congruentia rerum, quibus immoderatio atque incon-
gruentia invenitur esse contraria: quibus dum
naturale dicitur, non naturalis malitia, sed accidens
infirmitas invenitur, quod in omnibus creaturis facile
reponit quisquis a summo bono creata bona sic con-
siderat, ut in eis inexplicabilem atque inenarrabilem
laudem Creatoris agnoscat; 423 ac per hoc sit ipse
præ omnibus diligendus, qui etiam in his quæ pœ-
nalia pro nostra iniquitate sentimus et misericors
invenitur et justus, dum inde sublevat fragiles, unde
comprimit contumaces; et quia præcedente superbia
continuo est in homine consecuta miseria, misericors
Dominus et justus, unde superbix pondus imponit,
inde misericordix levamen apponit.

32. Verumtamen quisquis est Ecclesix filius qui,
ut dicit, illa proposuit, asserens muscas, scorpiones,
pulices et cimices, non a Deo, sed a diabolo facta,
cautelam gerat ne Manichæorum mortifera fallatur
ac decipiatur astutia, qui deum lucis, et deum tene-
brarum, ipsi in tenebris constituti nituntur inducere,
et duo naturaliter sibi contraria principia prædicare.
Unde quia naturam lucis dicunt bonam, naturam
vero tenebrarum malam, illuc proprio ducuntur er-
rore, ut in omnibus rebus quæ in mundo sunt, quas-
dam bonas, quasdam vero malas naturas non cuncten-
tur asserere: illas dicentes malas quibus sensus eo-
rum offenduntur, illas bonas quarum dilectione mul-
centur: non intelligentes, sicut Apostolus ait, neque
quæ loquuntur, neque de quibus affirmant (*1 Tim.* 1, 7).
Ut enim de luce ac tenebris, quarum principaliter
naturas putant esse contrarias, aliquid dicam, nonne
primum in eo mendax illorum invenitur assertio, in

A quo tenebræ, quas luci naturaliter dicunt esse con-
trarias, nullam inveniuntur habere naturam? Neque
enim duæ naturæ sunt lux et tenebræ; sed ubi lux
non est, ibi ipsa lucis absentia tenebrarum nomine
nuncupatur; sicut vocis absentia silentium dicitur,
sicut vestimenti absentia nuditas appellatur, sicut inane
vas dicitur cui nulla substantia sive liquoris sive rei
alicujus infunditur: sic in nobis ipsis fames appellatur,
ubi cibus non est; sitis dicitur, ubi potus nullus est.

33. Hæc itaque omnia quæ commemoravi, et his
similia quæ pro custodienda disputationis modera-
tione nunc tacui, sunt quidem sine dubitatione con-
traria, non tamen per proprias naturas, sed per ha-
bitum et privationem, id est per eam contrarietatem
qua vel habetur aliquid, vel aliquid non habetur.

B Proinde licet sint contraria, non tamen eorum con-
trarii semper inveniuntur effectus: nam lux ista
corporis, quam Manichæi principale bonum æstinant,
cum bona sit quidem, quoniam a summo bono creata
est, in tantum tamen fit bona, ut ei naturaliter vitæ
sit præferenda substantia; licet ergo sit bona, non-
nunquam tamen illis qui ea incongrue utuntur non
salubris efficitur, sed pœnalis: sanos quippe oculos
vegetat, infirmos excruciat; incolumes reficit, do-
lentes obtundit. Econtrario autem oculi in dolore
positi ex tenebris aliquam consequuntur requiem, et
clausis januis ac fenestris sentiunt aliquod levamen
illius doloris quem ex lumine patiuntur, et ad viden-
dam lucem quadam tenebrarum congruentia nutriun-
tur. Ecce lux quanto minus congruit, tanto magis

C lædit; et tenebræ quanto magis congruunt, tanto
magis prosunt; et sicut oculos sanos lucis adjuvat
claritas, ita dolentes adjuvare tenebrarum consuevit
obscuritas; ac per hoc dum congrue utrumque accipi-
tur, lucis ac tenebrarum effectus in juvandis oculis
invenitur. Sicut enim lumine 424 juvantur sani, sic
tenebris reficiuntur infirmi. Nam et cum fatigati
clauduntur in somnum, quodammodo tenebris adju-
vantur ut videndæ luci denuo validi fortesque red-
dantur. Tale est autem oculis infirmis ac fatigatis a
bono lumine pro reparanda salute ac fortitudine re-
moveri, quale est toto corpori, si quando infirmatur,
a consueta ciborum perceptione suspendi: qui non
propterea contrarii sunt infirmis et noxii quia natu-
raliter mali sunt, sed quia eorum infirmitati non con-
gruunt: non enim omnia quæ capit sanitas sustentat
infirmitas. Unde nonnunquam in iisdem rebus quibus
sanum corpus reficitur, infirmitas corporis prægra-
vatur: ita ut aliquando ipsum quoque sanum corpus
rerum quarum juvatur usu lædatur excessu, et dum
aliquid incongrue accipitur, ubi custodienda quæri-
tur sanitas, infirmitas invenitur. Ipse quoque vesti-
mentoribus usus si fuerit incongruus, non salubris
invenitur esse, sed noxius. Quis enim, sive qualibet
inopia, sive infirmitate corporis, non perniciose vel
cum æstuat hiemalibus indumentis, vel cum alget
utatur æstivis?

34. Longum est autem congruentix judicium mul-
tis exemplis ostendere, cum intuentibus deesse non
possint. Proinde omnes naturæ quæ sunt, quæ vi-

vant, quæ sentiunt, quæ intelligunt, quoniam a Deo, A id est a summo honore factæ sunt, bonæ sunt : quæ si a summo bono non fierent, bonæ non essent; et si bonæ non essent, in seipsis boni aliquid non haberent. Ac primum, quia vita bonorum aliquid est, et tale bonum quod ab hominibus viventibus diligitur, si aliqua natura esset quæ a summo bono non fieret, nullatenus viveret. Hoc autem de animalibus dico, id est de substantia quæ vivit et sentit; sed et illæ naturæ quæ nec vivunt nec sentiunt, hoc ipsum quod sunt ex illius creatione habent qui summe est: quia non solum vivere, sed etiam esse bonum est, et quod summe est, summum bonum est.

35. Nulla est itaque natura mala sive vivens, sive non vivens; ac per hoc omnes naturæ in eo quod naturæ sunt bonæ sunt. Sed quædam earum cum bonæ sint ex creatione Dei, pœnales factæ sunt homini, ex punitione peccati; non propter suam naturam, sed propter hominis culpam. Ubi ostensum est homini facto ad imaginem Dei quantum sibi intulerit malum, qui ad hoc perductus est, ut ei a brevibus bestiolis inferatur mortis exitium. Quapropter in omnibus animalibus, in omnibus herbis, et cunctis universaliter creaturis, quicquid sibi homo cernit esse mortiferum, non illis malam naturam inesse dicat, sed ultionem in eis suæ iniquitatis agnoscat. Facti enim sumus pulicibus et cimicibus similes, postquam Deo exstitimus contumaces; et scorpionis aculeus mortalis factus est homini, postquam sponte maluit mortis aculeo vulnerari. *Aculeus enim mortis peccatum est* (I Cor. xv, 56): quæ aculeo sic se prius homo percussit ad mortem, ut eum faceret per suam quoque pertransire progeniem: ita ut etiam illis in quibus gratia Dei facit non regnare peccatum, non desit frequens et multiplex ex pœna peccati periculum. Inde est enim quod etiam justis hominibus, sanctæque viventibus, in hac vita mortali ab hujuscemodi non sunt molestiis ac periculis alieni: quia quandiu mortaliter vivunt, sine peccato non **425** sunt. Unde dicit beatus Joannes: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (I Joan. 1, 8). Sanctus quoque apostolus Jacobus testatur quia *in multis offendimus omnes* (Jac. 1, 2).

36. Sed non talia sunt peccata sanctorum qualia sunt iniquorum. Peccata enim sanctorum levia, peccata iniquorum gravia sunt. In peccatis iniquorum, aut de Deo male sentit humana perversitas, aut hominem ad (al. per) desideria carnis ducit humana cupiditas, aut proximum lædit humana crudelitas. De his enim qui in Deum peccant Sapientia dicit: *Qui autem in me peccant, impie faciunt in animas suas; et qui me oderunt diligunt mortem* (Prov. viii, 36). De his autem qui luxuriose vivunt dicit Apostolus: *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Nemo vos seducat* (I Cor. iii, 17, 18). De odio quoque fratris beatus Joannes loquens ait: *Qui dicit se in lumine* (al. luce) *esse, et fratrem suum odit,*

in tenebris est usque adhuc. Nam qui diligit fratrem suum, in lumine permanet, et scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit ubi ambulat, quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus (I Joan. ii, 9, 10, 11).

37. Peccata ergo iniquorum, tribus (al. omnibus) modis fiunt. Aut enim sacrilegiis, aut flagitiis, aut facinoribus implicantur. Sacrilegia admittunt quando de Deo non recte sentiunt, et a vera fide sive timore temporalium commodorum ^a, sive sola cordis cæcitate ac perversitate discedunt. In flagitiis vero peccant quando in seipsis immoderati atque obsceni turpiter vivunt. In facinoribus vero tunc peccant quando alios aut damnis, aut quibuslibet oppressio-nibus crudeliter lædunt. Utrosque autem, sive in fide, sive in operibus capitaliter peccantes, reprobos appellat beatus Apostolus, dicens de illis qui veræ fidei contradicunt: *Sicut autem Jamnes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi qui resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem* (II Tim. iii, 8). Illos autem qui sub professione veræ fidei in malis operibus et criminibus vivunt similiter objurgans, ait: *Omnia munda mundis: coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum; sed polluta sunt eorum et mens et conscientia. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominati, et incredulibiles, et ad omne opus bonum reprobi* (Tit. 1, 15, 16). Dum autem peccant sancti, sic in quolibet peccato humana infirmitate apte humana delectatione (al. dilectione) succumbunt, ut nec veræ fidei pertinaciter contradicant, nec seipsos flagitiis polluant, nec proximos facinoribus lædant: quod ostendit beatus Apostolus dicens: *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo* (Tit. ii, 11, 12). Admonet nos quidem alio loco idem beatus apostolus, dicens: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (Rom. xii, 3). Verumtamen in hac tripartita divisione in qua dicit ut sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo, videtur mihi quia ille sobrie vivit qui non **426** sequitur delectamenta luxuriæ; juste vivit qui proximum nullatenus lædit, et ei beneficia in quantum valet impendit; pie vivit, qui a societate ecclesiasticæ unitatis nulla ratione discedit, et intra Ecclesiam positus, ea quæ certissime novit ad scientiam veræ fidei pertinere indubitanter tenet; ea vero quæ ignorat aut de quibus dubitat, humiliter ac patienter explorat, donec, si quid aliter sapit, Deo sibi revelante cognoscat.

38. Hæc autem sobrietas, justitia, et pietas (al. et pax), quæ cunctis debent inesse fidelibus, ita sibi connexæ sunt, ut si una earum defuerit, alia quæ videtur inessè, nullatenus prosit. Neque enim salvat (al. salva est) sobrietas qua quisque a flagitiis in seipso abstinere, nisi pia et justa fuerit, id est, ut et in Deum recte credat, et quod caritas poscit proximo

^a Hic deest aliquid, et legendum videtur, sive timore temporalium pœnarum, sive spe temporalium commodorum, sive sola, etc.

libenter impendat : nec fructuosa justitia est, qua unusquisque hoc impendit proximo quod sibi delectatur impendi, si sobria piaque non fuerit : pietas quoque mortua est, qua in Deum recte creditur, si vel morum sobrietas, vel proximi caritas non tenetur. Tunc igitur animæ vera salus acquiritur si et pietas in fide, et justitia in caritate, et sobrietas in castitate ac parcimonia teneatur.

39. Aliter vero sanctos, et aliter peccare iniquos divinis docemur eloquiis. Nam et Agar ancilla Saræ, nisi superbiret non expelleretur (*Genes. xxi, 11*); et ipsa Sara nisi rideret non culparetur (*Genes. xviii, 11*). Illa enim superba facta est, concepisse se videns; illa risit, concepturam se ambigens. Invenitur utraque peccasse, sed non æquale invenitur utriusque peccatum : nam in una earum humana dubitavit infirmitas; in altera vero contumaciter se extulit humana temeritas. Ideo Agar præcepto meruit divinæ severitatis expelli, Sara vero divinæ vocis meruit placida lenitate culpam. Et quia leve fuit in illa dubitatione peccatum, divinæ promissionis sermone firmata abiecit dubitationem, recepit certissimam fidem, per quam sumpsit etiam concipiendi virtutem : quod apostolica testatur auctoritas, dicens : *Fide et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit, etiam præter tempus ætatis, quoniam fidelem credidit esse qui promiserat (Hebr. xi, 11)*.

40. Invenimus alio loco sanctorum et iniquorum non æqualia esse peccata; sed illorum levia, quæ temporali egeant correptione purgari; illorum vero gravia, quæ mereantur ignis æterni perpetua combustione puniri. Ad aquam enim contradictionis aliter filii Israel peccaverunt (*Num. xx, 13*), rebelles adversus Deum omnimodis existentes; aliter Moyses, qui non per temeritatem Deo contradixit, sed per infirmitatem minus de Dei operatione præsumpsit; similis factus beato Petro, qui audivit a Domino, *Modicæ fidei, quare dubitasti (Matth. xiv, 31)*? Unde Israelitarum contumacia meruit æterna punitione damnari; in Moysæ vero usque ad hoc fuit illius peccati ultio, ut ei sola terræ repromissionis negaretur ingressio. Nam et ipse Moyses non propter suum peccatum, sed propter illos sibi iratum Dominum fuisse testatus est, dicens in Deuteronomio : *Nec mira indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit : Nec tu ingredieris illuc (Deut. i, 37)*. Nam et sanctus David propter ipsum peccatum populi ostendit Moysen fuisse vexatum **427** dicens : *Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis, et vexatus est Moyses propter eos (Psal. cv, 32)*. Populus ergo Dominum irritavit, Moyses de Domini opere dubitavit; et quia illius irritationis atque dubitationis non fuit æquale peccatum, ideo sanctus Moyses, quamvis fuerit pro eis vexatus, non tamen cum eis æterna punitione damnatus est.

41. Et ut breviter aliquid etiam in ipso usu attendamus conversationis humanæ, unde facilius sumamus exemplum, sic accipiamus baptizatorum hominum animas, sicut mulieres conjugio copulatas. Nam et ipsas conjugii inagnum sacramentum in Christo et in

A Ecclesia commendat Apostolus (*Ephes. v, 32*). Sic est ergo quælibet anima fideliter coherens Christo, sicut uxor vivens fideliter cum marito : quæ in ipsa conjugii castitate animum quidem viri sui plerumque contristat, sed tamen fidem pura castitate conservat, et mariti substantiam prudenter temperanterque dispensat; ac per hoc et peccat marito, et vivit tamen caste ac fideliter cum marito; et quam facit humana infirmitas aliquando apud maritum delinquere, conjugalis castitas facit marito dulciter inherere. Illa vero mulier quæ sive de domo mariti egressa, sive in eodem mariti habitaculo constituta, adulterio mixta fuerit, substantiam mariti disperserit, non venia judicatur digna, sed mortifero reatu tenetur obnoxia. Sic est anima quæ diabolo consentiens, aut infidelitate subvertitur, aut criminibus implicatur.

42. De talibus dicit Apostolus, quia *neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt (I Cor. vi, 9, 10)*. De his autem qui leviter peccant dicitur : *Septies cadit justus, et resurgit (Prov. xxiv, 16)*. Iste talis et peccare dicitur, et tamen justus veraciter appellatur. Non enim sic cadit, ut justus esse desinat, quia scriptum est : *Dum ceciderit justus, non conturbabitur, quoniam Dominus confirmat manum ejus (Psal. xxxvi, 24)*. Adest ergo Dominus etiam cadenti justo, quia non sic peccat, ut Dominus ab eo discedat. Habet enim concupiscentiam ex infirmitate carnis, sed concupiscentiæ non consentit, firmatus virtute gratiæ spiritualis. Ipsa concupiscentia est lex peccati etiam in membris constituta sanctorum; a qua tamen justos suos liberat gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum : qui propterea *peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut a peccatis nostris separati cum justitia vivamus (I Petr. ii, 24)*. Cum ergo cadit justus, debita contrahit; sed talia sunt debita justis quæ possint in quotidiana oratione dimitui, quando veraciter dicit : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (Matth. vi, 12)*.

43. Peccata ergo justorum sunt ex necessitate infirmitatis; peccata iniquorum sunt ex intentione pessimæ voluntatis. In illis sic peccati reperitur exortus, ut non subsequatur effectus. Quia etsi per infirmitatem nascitur, per Dei gratiam superatur. Illos autem gratiæ (al. congruæ) privatos auxilio præcipitat mala voluntas, quo duxerit prava cupiditas. Ideo culpa sanctorum peccata dicuntur esse, non crimina : pro quibus sic corripuntur a patre, ut non condemnentur a iudice : quæ tamen correptio pertinet ad iudicium, sed paternum, quo Deus filios **428** suos misericorditer et iudicat et flagellat, ut eos a supplicio sempiternæ damnationis eripiat. Hoc beatus ostendens Apostolus ait : *Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur; dum iudicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur (I Cor. xi, 31, 32)*. Hoc etiam beatus Petrus affirmat, dicens : *Quoniam tempus inchoationis iudicii ex domo Dei. Si ergo initium a nobis, quis finis eorum qui non credunt*

Dei Evangelio? Et si justus quidem vix salvabitur, peccator et impius ubi parebunt (al. parebit) (I Petr. iv, 17, 18)?

44. Nullus ergo fidelis ac sapiens sanctorum fidem dicat infirmam, si quando eis in hujus vitæ tempore cujuslibet adversitatis viderit accidisse molestiam. Communiter enim accidunt fidelibus et infidelibus, bonis et malis, corporalis sanitas atque infirmitas; et ideo communiter utrosque tangit corporeæ infirmitatis adversitas, quia nonnunquam communiter utrisque temporaliter donatur et sanitas. Justi enim ab iniquis non qualitate corporea, sed fide discernuntur et vita. Simul ergo molestias et pericula vitæ præsentis corporaliter tolerant, quas tamen diversa prorsus intentione supportant. Ideo autem in malis hujus vitæ non æqualiter gemunt, quia bona vitæ hujus non æqualiter diligunt. Iniqui enim ad hoc volunt vitam præsentem sine molestiis habere tranquillam, ut bonis caducis temporalibusque non careant: justi autem ideo pericula et molestias vitæ præsentis oderunt, ut Deum (*forte Deo*), quem diligunt, perfruantur: in ipso appetentes requiem veram, in quo habituri sunt beatitudinem sempiternam. Proinde nec bona temporalia diligunt, quæ citius desitura cognoscunt; et ob hoc in usu eorum non appetunt unde cupiditas expleatur, sed unde reficiatur caritas et sustentetur infirmitas; nec ex eis tanquam ex domestica delectatione gaudium, sed tanquam ex viatica sustentatione modestum quærunt pro rerum (*al. reorum*) opportunitate solatium.

45. Et quia de illius nunc sententia disputamus qui muscas et scorpiones, pulices et cimices, a Deo potuisse fieri non credit, hoc quoque præcavendum est, ne hunc sensum catholica fide omnimodis alienum, non ex Manichæorum errore, sed ex divinarum Scripturarum lectione conceperit. *Bona est enim lex, si quis ea legitime utatur (I Tim. i, 8)*. Ille autem legem legitime utitur qui de verbis legis non hoc sentit quod oportet ut sentiat. Hoc ideo dixi, quia legimus in Exodo (*Cap. vii, 10*) virgam Moysi quam portabat Aaron in serpentem divinæ operatione conversam; ubi dicitur (*Ibid., 12*) etiam magos Pharaonis, quos Jannem et Mambrem Apostolus vocat, fecisse similiter ut virgæ eorum in serpentes magicis incantationibus verterentur (*II Tim. iii, 8*). Deinde cum Aaron aquas fluminis percuteret, et verterentur in sanguinem (*Exod. vii, 20*), etiam illorum incantationibus similiter factum sacra Scriptura commemorat (*Ibid., 22*). Postmodum quoque cum percussis aquis Aaron ranas educeret, quæ terram Ægypti protinus operirent; illi quoque malefici nefandis artibus obniventibus similia fecisse narrantur (*Exod. viii, 6, 7*). Sed postquam ventum est ut percussa terra producerentur ciniphes (*Ibid., 17, 18*), nihil tale potuit magicæ artis operari nequitia. Ubi primum iste qui muscas a diabolo factas asserit, mendacem se esse cognoscat, quandoquidem diabolus et angeli 429 ejus, etiam si alia facere permissi sunt, in muscarum tamen opere defecerunt. Ubi quis non videat sive serpentes ex virgis, sive ranas productas ex aquis

A ideo prævaricatores fecisse, quia Deus permisit; ciniphes autem, id est muscas, ideo facere non potuisse, quia Deus non permisit?

46. Aliquando autem occulto et incomprehensibili judicio Dei permittuntur quædam facere mali angeli, ad probandos bonos et ad seducendos malos; non tamen ipsi creant quæ faciunt, sed de occulto Creatoris Dei sinu, quem nos videre non possumus, permittuntur aliquid producere quod videre possumus. Sic autem nec serpentum nec ranarum diabolus potuit esse creator, quamvis ea Deo permittente produxerit; sicut (*al. sic*) non fuit creator ignis, quando ad probandum Job, oves ejus cum pastoribus igne de cælo cadente consumpsit (*Job i, 16*); sicut nec venti fuit creator, quando spiritus magnus irruens a deserto tetigit quatuor angulos domus, et omnes filios sancti Job una simul ruina compressit. Naturas ergo diversas, hoc est elementa hujus mundi, solus Deus omnipotens creavit; in quorum secreto et abdito quædam rerum semina nobis occulta, sed angelis manifesta, constituit: ex quibus quædam, prout opportunitas operis deposcit et temporis, occulto sapientiæ suæ consilio, aut per bonos angelos Deus produci præcipit, aut per malos ostendi permittit. *Ista (al. Ita) autem permittendo demonstrat Deus quantam sanctis angelis fecerit inesse virtutem, quando etiam malis ex ipsa creatura corporali quædam mira faciendi tribuit facultatem. Inde est quod etiam Salvator noster suos fideles præmonere non desistit, dicens: Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi (Marc. xiii, 22)*. Nam et beatus Apostolus de Antichristo loquens ait: *Revelabitur ille iniquus quem Dominus noster Jesus Christus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui: cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt, eo quod caritatem veritatis non receperunt ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, et judicentur omnes qui non crediderunt (al. credunt) veritati, sed consenserunt iniquitati (II Thess. ii, 8 et seq.)*

47. His atque hujusmodi testimoniis cognoscemus D omnes naturas opere divino creatas, et ex quocunque nocemur, non natura malum debere dici, sed nobis propter infirmitatem inconveniens inveniri. Ex quo tamen nobis conveniens adhibetur monitus, ut humili corde divinæ virtutis justitiam formideamus. Naturarum vero, non solum malos, sed nec bonos angelos esse creatores, quisquam sapiens aut credit aut dicit. Deus enim, sicut superius diximus, omnia in sapientia fecit, quæ sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap. viii, 1*). Ideo autem omnia disponit, quia in ipsa Pater omnia fecit. Sicut ergo in sapientia Deus creavit in cælis angelos, sic in ipsa creavit in terra verniculos; et qui in superioribus Thronos, Dominationes, Principatus et Potestates condidit, ipse in terra scorpio-

nes, puices et cimices fecit. Qui creavit 430 gallinam, ipse creavit muscam: sed illam dedit qua confundatur homo superbus, istam qua reficiatur infirmus. Inde est quod de ista volens recipit escam, de illa nolens patitur nauseam: ut saltem non sic solum in ista solatium Dei, sed etiam in illa compellatur meritum sui videre peccati.

48. Proinde attendat iste, ut nec illo nomine seducatur quo princeps dæmoniorum Beelzebub in Evangelio nuncupatur, quod interpretatur princeps muscarum. Hoc enim non ideo dictum est quod diabolus potuit muscas creare: nam et Danieli prophætæ loquens angelus dicit: *Et ecce Michael unus de principibus primus venit in adiutorium meum* (Dan. x, 13); et paulo post: *Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester* (Ibid., 21). Nec solum angelos, sed etiam homines invenimus principes nominari. Scriptum est enim: *Principes populorum convenerunt cum Deo Abraham* (Psal. xlv, 18); et Ecclesiæ dicitur: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram* (Psal. xlv, 17). Et in libro Moysi (Genes. xxv, 16) novimus principes tribuum nominari. Nec tamen quia homines aut angeli dicuntur principes, ideo non solum angelorum aut hominum, sed etiam quorumlibet irrationabilium animarum, vel quorumlibet corporum dicendi sunt creatores. Nam et ipse Beelzebub, cujus nomen interpretatur princeps muscarum, utique princeps dæmoniorum dicitur: quibus tamen principatur, ut primus auctor incentorque nequitie, non ut creator sit conditorque nature. Mali enim angeli Deum habent suæ nature factorem; suæ vero nequitie habent diabolum principem. Tota namque refugarum angelorum multitudo bona facta est a Deo, cujus gratuita benignitate exstitit, ut esset; propria vero voluntate diabolo adhæsit, ut caderet. Proinde princeps eorum dicitur, non quia eos creavit, sed quia secum in præcipitium perditionis attraxit. In eo igitur quod diabolus dicitur princeps muscarum, princeps ostenditur iniquorum, quos alia Scriptura significat dicens: *Musæ morituræ exterminant oleum suavitatis* (Eccle. x, 1). Qui exterminant, nisi qui Spiritum sanctum aut infidelitatis crimine aut sordida immundorum operum obscenitate (al. obscuritate) contristant, dum seipos aut perversa credulitate aut prava conversatione commaculant? Quod sollicitè Apostolus interdicens ait: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis* (Ephes. iv, 30).

49. Exterminant ergo in se oleum suavitatis qui non recto vitæ ordine utuntur sacramento gratiæ spiritualis. Sic autem illis exterminantibus, ipsum oleum non potest exterminari, sicut iisdem contristantibus secundum malam voluntatem suam, non potest aliquam Spiritus sanctus sentire tristitiam. Nam et de ipso Dei Filio dicitur ad Hebræos: *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit* (Hebr. x, 29)! Filius autem Dei Christus est, Dei virtus, et Dei sapientia, quæ nullatenus conculcatur, quia nullatenus inquinatur. De ipsa quippe

A dicitur in libro (al. libris) Sapientiæ: *Attingit enim ubique propter suam munditiam; et ideo nihil inquinatum in illam incurrit. Splendor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius* (Sap. vii, 24 et seq.). Mali ergo contristant Spiritum sanctum, sed Spiritus sanctus contristari non potest; 431 mali conculcant Filium Dei, sed Filius Dei nullatenus conculcatur.

50. Tale est autem quod dicuntur mali Spiritum sanctum contristare, et Filium Dei conculcare, cum et Filius Dei et Spiritus sanctus (al. Dei) incontristabilis inconculcabiliusque permaneat; sicut ait Salvator in Evangelio: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (Matth. v, 28). Si autem illo mœchante illa permanet casta, B quanto magis malis contristantibus et conculcantibus, sine tristitia et beata manet Filii Dei et Spiritus sancti divina substantia!

51. Nullus ergo fidelium dicat aliquam naturam potuisse originaliter a diabolo creari: ne dum quælibet animalia creante diabolo exstitisse confirmat, etiam alias res de quibus originem ducunt operibus diaboli consequenter ascribat. Quædam enim genera muscarum, aut de corporum purgamentis, aut de putrefactis herbis vel carnibus oriuntur. Plerumque videmus aliquas muscas etiam ex leguminibus nasci. Nam et gurgulio solet existere de frumento. Quisquis ergo hujusmodi animalia non a Deo, sed a diabolo asserit creata, cur non etiam ligna, frumenta, legumina, herbas et carnes, de quibus nascuntur, asserat facta? Ubi consequenter cum vermes viderit non solum de humanis cadaveribus, verum etiam de vivis corporibus habere originem, qui in vermibus humanæ mortalitatis nunquam carnalis ostenditur sensus, etiam humanorum corporum sine dubio diabolus prædicabit auctorem. Sed cum bonis recte credens recteque intelligens, nec ipsis angelis bonis originem cujuslibet creature audeat assignare, quomodo isti, angelo dejecto, et a sua dignitate vitio propriæ pravitatis excluso, virtutem aut potestatem creandi cujuslibet animalis assignat? quod ei assignare nullus auderet, etiamsi in angelica dignitate ac bonitate sine aliquo vitio permaneret.

52. Non autem inaniter in ipso principio Genesis, de omnibus quæ facta sunt loquens Scriptura, Deum omnia fecisse confirmat, dicens per singula: *Et fecit Deus, et vidit Deus quod bonum est* (Gen: 1): quæ omnia die sexto perfecit, in quibus nihil deesse potuit quod postea fieret. Quia Deus præscius futurorum, sicut hominem noverat peccaturum, sic ei ex omnibus quæ fecit non solum solatia, sed etiam flagella salubriter præparavit. Una est enim boni patris manus quæ filio et cibum tribuit et flagellum: aliud ut vivat, aliud ut bene vivat; aliud ne infirmitate deficiat, aliud ne indisciplinatus paterna præcepta contemnat: *Quem enim diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit* (Hebr. xii, 6). Nec aliquid prodest abundare temporalibus bonis, si quis male vivendo careat sempiternis: quibus cum caruerit, ne-

cesse est eum malis perennibus deputari, quibus carere non possit.

53. Cohibeat igitur unusquisque temeritatem cogitationis suæ; et sicut ea quibus delectatur, sic etiã ea quibus offenditur naturaliter a Deo facta non dubitet: cujus sapientia attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter, etiã de his rebus quas **432** corruptio exterminat, pulchritudinem sui operis monstrat; in ipsis quoque minutissimis animalibus ostendens sui uniuscujusque generis decus, qui fecit minutissimas muscas magnis elephantis quanto breviores, tanto agiliores, et cum sit in utrisque dispar quantitas membrorum, non tamen dispar et operum laudatio divinatorum. Quis enim sanum sapiens, et invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciens, non ipsum Deum opificem laudet in vermiculo, quem laudat in elephanto? aut non eundem laudet in pulice, quem laudat in bove? Cum etiã illa signa quæ in gemmis artificum formare consuevit industria tanto magis laudare soleat animus, quanto minutiora intuetur aspectus.

54. Omnia itaque Deum creasse fatendum est; sed ista quibus nutu divino vapulat humana transgressio, dum quaeritur utrum antequam peccaret Adam, an postquam peccavit, fuerint a Deo creata, congrue respondetur, illa quæ vel ex aquis vel ex terra gignuntur, Deo tunc creante primordialiter instituta, ab illo utique creatore qui non solum naturam hominis quam faciebat noverat, sed etiã ipsum hominem peccatorum mirabiliter præsciebat. Nec sic illa fecit, ut ea homo ante peccatum, vel sentiret noxia, vel timeret. Sic enim eum nullius terreni animantis lædere poterat quilibet actus, sicut ipse cunctorum fuerat dominus divino munere constitutus. Hæc itaque homini noxia atque perniciose transgressio fecit ipsius hominis, non conditio Creatoris. Neque enim hoc operata est benignitas creantis, sed æquitas judicantis.

55. Illa vero quæ de corruptione carniū videmus oriri vel fructuum, non quidem tunc dicimus extitisse quando in illis sex diebus fecit Deus omnia bona valde; sed sic illa temporaliter facta sunt, ut de illis ista postmodum nascerentur. Ad quam corruptionem etiã humana devoluta est caro, quando sic scriptum est: *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (Psal. XLVIII, 13); ut jam corpus peccatoris hominis necessitas obtineret corruptionis et mortis: a quibus duobus malis corpora sunt per Dei gratiam liberanda justorum; non in hoc tempore, in quo, sicut Deus solem suum facit oriri super bonos et malos, et

A *pluit super justos et injustos* (Matth. v, 45), non solum Herodem incredulum vermibus consumi fecit (Act. XII, 23), sed etiã servum suum Job sanie ac vermibus ebullire permisit (Job II, 8); sed in futuro justorum corpora nullam sentient corruptionis mortalitatisque molestiam, quando in eis corruptibile hoc induet immortalitatem (I Cor. xv, 53). In illa bonorum vita, malorumque miseria, sive bonis, sive malis quidquid erit, plenum æternumque erit. Non ibi cruciatibus solatia miscebuntur, neque cruciatus solatiis inserentur. Ibi æternitas gaudiorum ac suppliciorum sine fine manebit; nec mali gaudia sperabunt, nec boni tristitiam formidabunt: in bonis æterna exsultatio manens semper erit, in malis autem fletus et stridor dentium semper manebit; iniquos in æternum miseros retinebit societas dæmoniorum, justos autem in æternum beatos æqualitas sanctorum suscipiet angelorum.

433 — 56. Proinde misericordiam Deo judiciumque cantantes, tempus misericordiæ non contemnamus, ut ad judicium sine formidine veniamus. Speremus judicem, quem novimus Redemptorem. Talia sint opera nostra quibus reddantur præmia sempiterna. In eo quod molestias præsentis temporis metuimus et vitamus, inde nobis considerandum est quantum pœnas æternas fugere debeamus. Declinamus ergo a malis, et faciamus bona: hoc enim omnis homo inveniet in tempore divinæ retributionis quod hic habuerit in operibus suis, dicente Apostolo: *Quæcunque enim seminaverit homo, hæc et metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem; qui autem seminaverit in spiritu, de spiritu metet vitam æternam* (Gal. vi, 8). Propter quod idem nos apostolus admonet, dicens: *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis* (Rom. VIII, 13). Hic ergo spiritu facta carnis mortificemus, et mortui peccato, Deo vivamus. Nec nos sæculi prosperitas corrumpat, nec adversitas frangat. Corde migremus de habitatione hujus mundi, de qua sumus celeriter etiã corpore migraturi: ut illa nos cœlestis domus excipiat, de qua dicit Apostolus quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis (II Cor. v, 1). De hac scriptum est: *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te* (Psal. LXXXV, 5). Ibi sicut est æterna habitatio, sic est æterna laudatio. Ibi qui habitant, semper Deum laudant, quia de Domino et in Domino semper exsultant; et sicut laudantibus suavis sanctæ habitationis æternitas, sic habitantium æterna manet laudandi suavitas.

S. FULGENTII
DE VERITATE PRÆDESTINATIONIS
ET GRATIÆ DEI,
ad Joannem et Venerium.

LIBER PRIMUS.

434 CAPUT I.—1. Deo gratias ago, sancti fratres Joannes presbyter, et Veneri diacone, cujus ope tales estis, ut pro gratia qua salvamur, magno spiritu ac fervore certetis. Contristatus autem sum, quod quidam fratres nostri sub Christiano nomine nituntur catholicæ fidei repugnare: scilicet munera gratiæ Dei ad humani virtutem vel meritum transferentes arbitrii; tanquam sine Dei auxilio noster conatus divino valeat obedire præcepto; illudque tantum sit Dei, ut nobis facienda præcipiat, nec in nobis operetur ipse quod præcipit; et si quid boni Deus a tribuit homini, non videatur donare, sed reddere. Qui usque adeo divinæ bonitatis dona putant ex humanorum actuum qualitate pendere, ut etiam parvulos asserant sic præsciri et prædestinari divinitus, ut nihil in iis qui eliguntur inveniatur supernæ collationis gratuitum^b bonum; nec misericordia quemquam gratuita dignatione præveniat, sed supplicii atque præmii æterna retributio in sola cujusque propriæ voluntatis futura^c actione consistat.

2. Illam quoque absurditatem quibusdam irrepsisse multum miror et doleo, qua gratiæ Dei in tantum inimici esse non dubitant, asserentes futurorum operum merito parvulos baptizari, ut e contrario dicant **435** illis quoque parvulis qui sine baptismate moriuntur, divina benignitate consulti; ut absque sacræ abtutionis gratia rapiantur ad pœnam, in quibus scilicet Deum futura eorum malo, si aliquanto diutius hic viverent, præscisso contendunt, et bonitate sua præripuisse presentis vitæ curriculo (*al. curricula*): quasi possit aliquis sine beneficio sanctæ redemptionis, aut supplicii perennibus subtrahi, aut muneribus æternæ vitæ potiri. Dum itaque pertinaciter contradicunt, seipsos mortifera pravitate confodiunt. Quibus videtur Esau et Jacob, geminorum scilicet fratrum ex uno semine concubituque nascentium, ita velle discernere merita, ut asserentes Esau ex futurorum operum præcognitione damnatum, Jacob quoque non gratuito divinæ bonitatis munere, sed futurorum tantum operum præscientia salvari potuisse contendant: ut sic agnoscat Deus in utroque justus, nec credatur cuilibet eorum gratuita quidquam miseratione largitus. Cum in hac præcipue quæstione

A quæ de parvulis vertitur, in qua non actualium propria cujusquam malitia^d peccatorum, sed ipsius peccatricis reatus originis intimatur, omnis qui non vult ab apostolicæ fidei veritate desciscere, qui rectitudinem catholici dogmatis, Deo illuminante, cupit inviolata credulitate confessioneque servare, omni remoto hæsitationis ambiguo, veraciter credere debeat et fateri, Deum unum^e, et verum, et bonum, id est summam et ineffabilem unius naturæ atque essentia Trinitatem, primi hominis naturam totam bonam atque integram, sine naturali malo, ac sine ullo vitio condidisse; neque carni creasse necessitatem moriendi, neque animæ maculam cujusquam inseruisse peccati; et ideo humanam naturam ex Deo habere creationis bonum, ex hominis autem primi voluntaria prævaricatione peccatum originale, in nascentibus trahere, atque ex unius transgressione iniqua, et damnatione justissima, in cunctos simul, et iniquitatis nævum, et mortis manasse supplicium. Homo enim ad imaginem Dei factus, rectitudinem accepit et voluntatis et operis.

CAP. II. — 3. Itaque talis est homo creatus, ut et peccare et non peccare posset propria voluntate; ac propterea in eo digne punitus est voluntariæ prævaricationis lapsus, quia nulla fuit ad peccandum naturali carnis aut animæ necessitate constrictus. Qui licet, sicut Apostolus docet (*I Tim. II, 14*), seductus ipse non fuerit, mulieri tamen, quæ seducta in prævaricationem fuit, prava voluntate consentiens, sic improvidus sibi mortiferum vulnus infixit, ut in illo uno homine cujus est anima mortua per peccatum, corpusque mortuum propter peccatum, omnes originaliter peccato subderentur et morti, quotquot essent ex illo primo homine peccatore, per concubitum maris et feminæ nascituri. Postquam igitur omnium hominum genitor propria voluntate peccavit, veritatem divini præcepti quod audierat, *In quacunque die ederitis ex eo, morte moriemini* (*Genes. II, 17*), et justitiam Dei ulciscens **436** expertus, uno vetitæ arboris gustu, quia reliquit justitiam, devenit in pœnam, et sponte in anima spiritaliter mortuus, supplicium quoque corporalis mortis excepit invitus.

4. Voluntaria ergo animæ mors pœnalem corpori

^a Mss. hic et infra multis locis, *Deus*, ubi edd. habent *Dominus*.

^b Sic mss. duo. Edd. non habent has voces *gratuum*; nec inferius, *æterna retributio*.

^c Edd. omitt. *futura*; sed rectius mss. addunt,

cum de parvulis agatur quibus presentis aut ante actæ vitæ opera nequaquam suffragantur.

^d Ms. unus, *macula*.

^e Sic ms. Cæteri, *Deum vivum*.

peperit mortem; et hominem primum quia possedit mors criminis, etiam mors illico subsequuta est ultimis. Inde factum est ut ejus universam progeniem non solum in iis qui proprio possent arbitrio delinquere, sed etiam in parvulis necdum propria utentibus voluntate, reatus obstringeret, et, prævalente peccato, pœnalem sibi per omnes homines mors et transitum vindicaret et regnum. Propter quod et Apostolus dicit: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors: et ita in omnes homines mors pertransiit, in quò omnes peccaverunt* (Rom. v, 12). Item dicit: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudine prævaricationis Adæ* (Ibid., 14). Peccans igitur homo totam in se peccato suo subdidit progeniem, quando delinquendo veram perdidit libertatem: *A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est* (II Petr. ii, 19); et, *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (Joan. viii, 34).

5. Ab hac servitute, qua ^a nascentes parvuli tenentur obstricti, solus unus ^b mediator Dei et hominum homo Christus Jesus liber est genitus; qui licet verus homo natus fuerit, non tamen interveniente concupiscentia carnis, nec ex concubitu maris et femine, sed de Spiritu sancto natus, ita veram carnem de carne matris accepit, ut Deus verus non culpam humanæ sumeret originis, sed naturam; et peccata in corpore suo non facienda reciperet, sed delenda portaret. Apostolicæ namque prædicationis veraciter auctoritas docet quia *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (I Petr. ii, 22); et, *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut a peccatis separati cum justitia vivamus* (Ibid., 24). Solius ejus mater sicut virgo fuit ante conceptum, sic virgo permansit inviolata post partum: quia nec libidinem sensit cum Deum conciperet in utero factum mirabiliter hominem, nec aliquam corruptionem dum in vera nostri generis carne pareret humani generis Redemptorem. Deus namque verus veram ex virgine suscipiens carnem, perfectionem ex ea humani corporis sumpsit, virginitatis ei gratiam non ademittit. Neque enim decebat ut integritatem virginitatis creator humanæ carni Deus in conditione tribueret, et idem carnis humanæ susceptor Deus, quod fecerat redempturus, virginitatem carni de qua nascebatur auferret. Ipse est secundus homo de cælo ^d inde secum voluit deponere substantiam sui corporis; sed quia nihil in se terrenæ cupiditatis forma servi habere potuit, quam in unitatem personæ Deus creator cæli terræque suscepit.

CAP. III. — 6. Non ergo cæleste corpus ad terram deposuit, sed ad cælum Deus in se naturam veram terreni corporis elevavit. Hanc terreni corporis veritatem de terreno corpore matris accipiens, in carne sua nostra ⁴³⁷ peccata portavit, cum non haberet ullam vel originis, vel operis culpam. Dicit enim

A Isaias, quia *peccata nostra ipse portavit* (Isai. liii, 11). Ut ergo in hominibus quoque, ubi abundavit peccatum superabundaret gratia, non solum illud peccatum diluit quo terrenus homo universitatem suæ propaginis inquinavit; sed etiam hujus gratia omni credenti dimittitur quidquid illi originali peccato additum voluntariis hominum motibus vel operibus invenitur. Hoc utique docet beatus Apostolus dicens: *Nam judicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem* (Rom. v, 16). Hæc est gratia Dei quæ nos liberat per Jesum Christum Dominum nostrum, cujus gratiæ opus liberator ipse nobis insinuans, ita loquitur: *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis*; et alio loco: *Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat* (Luc. xix, 10).

7. Hæc Dei gratia, qua salvamur, non alicui præcedenti bono merito datur, nec tamen nisi præcedenti malo merito denegatur. Primus enim homo transmisit in omnes homines peccati sui merita, quorum caro est de peccati lege concepta. Propter hoc in parvulis cum nullum sit ex propria voluntate peccatum, inest tamen filiis iræ carnaliter genitis macula parentalis, quæ quidem bene dispositum divinæ creationis non perturbat ordinem; sed nævo paternæ transgressionis infligit tetram nascentibus sceditatem. Ab illa igitur massa damnata nemo futurorum præscientia operum discernitur, sed miserantia figuli ope atque opere segregatur. Propterea vasa misericordiæ, quæ de eadem massa gratis in honorem fiunt, a vasis iræ in contumeliam factis gratuitæ justificationis munere secernuntur. Ad ostendendam autem gratiam, quæ gratis justificat peccatores, apostolica prædicationis non vasa justitiæ, sed vasa misericordiæ nuncupat, beato Paulo dicente: *Quod si volens Deus ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum: ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasis misericordiæ, quæ præparavit in gloriam* (Rom. ix, 22, 23). Ista misericordia neminem reperit dignum, sed omnes indignos invenit, et ex ipsis, quos voluerit, dignos facit.

CAP. IV. — 8. Hac misericordia præventus Jacob, non secundum meritum præteriti seu futuri cujusquam humani operis, sed secundum propositum Dei prædestinantis, priusquam nasceretur electus est. Dicit enim Apostolus quia, *dum nondum nati essent, aut aliquid egissent boni aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est Rebecca, quia major servie minori* (Ibid., 11 et seq.). Ut ergo minor frater majori fratri præferretur a Deo, neque præteriti fuit cujusquam meritum, neque futuri operis, quando quidem ex uno legitimo justoque concubitu reatus conceptorum manebat æqualis. Gratia igitur hoc fecit bonitatis divinæ: quæ nunquam sic data est, ut aliqua in homine bona merita reperiret, sed ut non

^a Sic mss.; tres. odd. vero totum habent singulari numero.

^b Edd. non habent, unus. Mss. habent.

habentibus ipsa conferret. Si enim cessante gratia A per solam operum præscientiam humanorum in parvulis illis unius eligendi et alterius reprobandi fuisset facta discretio, nunquam dixisset Apostolus : quia non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori. **438** Ex operibus enim sine dubio Apostolus dixisset, si futurorum saltem ibi humanorum operum bona merita cognovisset. Sed quoniam in utroque sola damnationis inesse merita scivit, electionis causam soli proposito divinæ bonitatis attribuit. Quocirca ex duobus istis fratribus, quos ex uno concubitu Isaac patris nostri unus in semine conceptus accepit, unus in lucem partus effudit, sola quem voluit a massa damnationis misericordia divina discrevit : cui patrocinata est gratuitorum prædestinatio munerum, non futurorum præscientia meritorum. Sic enim secundum electionem propositum Dei mansit, ut ex proposito Dei gratuita foret electio. Voluntas enim Dei causa est electionis, non electio causa est voluntatis. Sic autem fuit in electo gratis misericors Deus, ut in rejecto non esset injustus. Unum enim gratis assumpsit, alterum juste deseruit. Universæ quippe viæ Domini misericordia et veritas (Psal. xxiv, 10).

9. Bonitas ergo gratis miserantis Dei, et severitas B juste judicantis, fecit ut nec ambo acciperent gratuitum misericordiæ donum, neque unum simul sortirentur interitum, cum originaliter causa una fuisset amborum. Propter hoc etiam per prophetam, priusquam diceretur, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, non operis alicujus præteriti, vel futuri, sed solius C propheticus sermo præmisit generis mentionem ; ita Malachia loquente : *Nonne frater erat Jacob Esau ; et Jacob dilexi, Esau autem odio habui, dicit Dominus (Malac. 1, 2) ?* Cur igitur hic non aliqua operum diversitas, sed sola nascentium fraternitas intimatur, cum magis et illius qui dilectus est bona opera, et illius mala qui odio habitus est, commemorari debuerint, ut nec in illo qui dilectus est personalis acceptio, nec in eo qui reprobatus est injusta condemnatio putaretur ? Fraternitas enim nullam in se operum diversitatem significat, qua unum ab altero meritorum comparatione discernat. Non ob aliud ergo, absque commemoratione operum, ex duobus geminis fratribus unum se dilexisse, alterum odio habuisse Deus ostendit, nisi ut agnosceremus per D conceptionis nativitatisque consortium, quo constabat amborum fraternitas, pari merito utrumque in illa massa damnationis obstrictum, a qua misericors bonitas sic unum gratis discerneret, ut alterum ibi non injuste severitas justa ^a relinqueret. Injusta vero parvuli cujusquam causa damnationis existeret, si propago mortalis nullam peccati contagionem ex paterna radice sumpsisset. Scriptura vero divinitus inspirata testatur quod a sorde non solum nemo mundus esse possit hominum, etiamsi unius diei sit vita

A ejus super terram (*Job xiv, 4, juxta LXX*) ; sed ipse quoque generis humani legitimus nuptialisque conceptus non sit a culpa iniquitatis extraneus.

10. Sane hic nullus calumniæ veritati putet aliquatenus opponendam. Nos enim sanctorum Patrum sequentes, Deo adjuvante, doctrinam, originalis peccati maculam in conceptu esse dicimus parvulorum, non in concubitu legitimo nuptiarum, quarum bonum ab initio generis **439** humani divinitus novimus institutum. Propter hoc et apostolica doctrina honorabile connubium in omnibus et torum immaculatum sine dubitatione commendat (*Hebr. xiii, 4*). Cum igitur nuptiæ laudabiliter a Deo sibi tributari possideant in fide et caritate prolem mundam, tamen edunt peccato primi hominis inquinatam. De nuptiis ergo bonis usque adeo bonum est quod homo nascitur, ut malum non sit etiamsi de adulterio vel de fornicatione nascatur. Deus enim humanæ naturæ fecunditatis donum contulit ; libidinis vero malum non est creatura Dei, sed pœna peccati. Proinde de munditia ^b nuptiarum mundus homo non nascitur, quia interveniente libidine ^c seminatur. Quam libidinem nuptialis honestas utique non amat, sed in nuptiis mortalis propagationis necessitas tolerat. Ipsa conceptos polluit, etiamsi generantes fideles ad illicitæ commixtionis effectum trahere ac præcipitare non possit. Ob hoc sanctus David, legitimo fidelique connubio natus, non sine gravi dolore maculan carnalis generationis ita deplorat : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in deliciis (al. peccatis) mater mea in utero me aluit (Psal. l, 7)*.

CAP. V. — 11. Quæ cum ita se habeant, fieri non potest ut quisquis in iniquitatibus concipitur, sine iniquitatis obligatione nascatur. Ab hac ut absolveretur Jacob, Esau reprobato, nulla fuerunt merita hominis, sed divinæ gratiæ bonitatis. Circumcisi quidem sunt ambo in corpore circumcissione visibili, quæ in signaculum justitiæ fidei (*Rom. iv, 11*) priore tempore patribus nostris est divinitus attributa. Circumcisionem vero cordis, quæ est in spiritu, non littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est (*Rom. ii, 29*), solus Jacob a Deo gratis justificatus accepit ; Esau vero quanquam fuerit et ipse in carne circumciscus, non est tamen divinæ dilectionis et electionis dono a massa perditionis exceptus. In quo quidem circumcissio carnalis fuit ; sed idcirco non profruit, quia eum a prudentia carnis, quæ inimica est Deo (*Rom. viii, 7*), nullatenus circumcissio spiritalis exemit. In Esau igitur ante sæcula odio habuit Deus mansuram hominis terreni nequitiam, et eum juste deputavit ad pœnam. In ejus vero fratre non aliqua bona opera, quæ essent futura ex homine præcivit, ut eum eligeret atque diligeret : sed ei ante sæcula justificationis gratiam præparavit, per quam illi non solum bonæ voluntatis initium, sed etiam bonæ operationis largiretur effectum. Nec in eo bona merita reperit, sed eum

^a Ms., *justa Dei severitas.*

^b Edd. *de immunditia*; sed melius mss., *de munditia*, cum paulo superius dictum sit, quod nuptiæ tri-

butam sibi a Deo prolem mundam possideant.

^c Mss. duo, *interveniente sordida libidine.*

misericiendi gratuito beneficio liberavit. *Moysi enim dicit, Miserebor cui miserebor, et misericordiam præstabo cui miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei (Rom. ix, 15, 16; Exod. xxxiii, 19).*

CAP. VI. — 12. Gratis igitur gratiam suam tribuit Deus nato, quia gratis eam præparaverat nascituro. Bonis enim quidquid boni habent in voluntate vel opere Deus tribuit, qui etiam tributa custodit. Iniquis vero et impiis, nec præparare Deus potuit aliquando, nec dare mala **440** opera, quibus damnabiliter servirent ^a: neque malas eis voluntates inseruit, quibus injusta quæque culpabiliter vellent; sed præparavit eis ignis æterni pœnam, ut ultricem sentiant in æterna combustione justitiam. Mala ergo voluntas hominum ^b non est ex Deo; et ideo eam justus iudex in hominibus punit, quia non in ea creator bonus ordinem suæ creationis agnoscit; et (*al. sed*) perseverantia iniquitatis, atque contumacia superbæ cervicis, quia non ex largitate Dei habetur, idcirco Deo ultore damnatur. Eis autem quos Deus regni sui facit hæredes, gratis bonam voluntatem præparat, gratis donat ^c, quibus etiam perseverantiam subministrat. Gratis quippe præparavit misericorditer tribuenda merita munerum, quibus juste retribuatur munera meritum.

13. Figuram porro duorum populorum dubium non est in illis duobus præcessisse germanis: unius scilicet salvandi, alteriusque damnandi. Neque tamen isti populo sic salus est pro operibus reddita, sicut est alteri pro operibus condemnatio retributa; sed unus quod non merebatur accepit gratiæ salutaris donum, alter secundum meritum recepit justæ condemnationis interitum. In uno merita sunt damnationis inventa, alteri vero merita glorificationis gratuita sunt justificatione collata. Ille unde displiceret in se habuit, iste autem unde Deo placeret ab ipso cui esset placiturus accepit. In omnibus igitur qui gehennali traduntur ^d incendio invenit iusta severitas quod puniat meritis malum ^e, in quibusdam originaliter tractum, in quibusdam etiam vitio propriæ voluntatis adjectum. Exceptis enim parvulis, quibus ad eligendam justitiam fugiendumque peccatum necdum potest esse liberum voluntatis arbitrium, quia in ætate tenera torpet ratio consopita, cæteri qui ratione uti possunt, adjecto reatu propriæ voluntatis, aut ad fidem non accedunt, aut a fide discedunt. Ut autem fiat quis justus ex impio, amicus Dei ex inimico, absolutus ex reo, quancunque agat corporis ætatem, ab ipso nativitate exortu usque ad decrepitam senectutem, nemo justificatione invenitur dignus, sed gratuita bonitate justificatur indignus; nec de potestate tenebrarum eripitur, et in regnum filii dilectionis Dei transfertur, nisi quem Dominus gratuito gloriæ dignatus fuerit munere prævenire, qui gratis salvat, et juste condemnat. Misericors Dominus et justus voluntatem pravam, quam non misericorditer

A corrigit, juste punit, quia pravitatem in ea invenit, quam ipse non fecit. Bonam vero voluntatem ipse gratis præparat, gratis donat, ipse adjuvat, ipse consummat.

CAP. VII. — 14. Certissime itaque teneamus omnes homines per semetipsos non solum perfectionem, sed nec initium justitiæ posse contingere; sed universos qui sunt boni, divina justificatione præveniri, et ut accepta bona voluntate non decendant, opitulatione Dei profectum eis et perseverantiam tribui; nec aliquibus hominum meritis præteritis **441** aut futuris gratiam dari, sed ipsius gratiæ dono atque auxilio universa hominum bona merita et incluari et perfici. Iniquos vero, qui in sua iniquitate justo Dei iudicio derelinquuntur, etiamsi perceptione sacramenti carere dicantur peccati originalis reatu, subsequentium tamen, id est propriorum, merito peccatorum ad ignis æterni devolvi supplicium. Deus enim misericors et justus, humanæ originis voluntatisque peccata, sive in parvulis, sive in grandibus hominibus, quæ misericorditer non diluit, juste punit: quia ipse est Deus bonus et verus, qui hominem fecit, sed peccatum in homine non creavit: quique merita et opera in omnibus hominibus nunquam invenit bona, pro quibus eos salvet; sed ipse in eis et voluntates et opera mutat, quando eos gratuita miseratione justificat. Qui præscientiæ suæ certa et incommutabili firmitate in vasis misericordiæ non nisi gratiæ suæ præscivit donum, quod a se noverat tam in meritis munerum, quam in meritorum muneribus largiendum. Ipse enim et gratuitam voluntati humanæ bonitatem donat, et bonam voluntatem in operibus adjuvat. Ipse etiam in vasis iræ illa præscivit malitiæ humanæ opera quæ essent in effectu procul dubio secutura.

15. Secundum rectam itaque fidem ac perspicuam veritatem, quod attinet ad parvulum qui sine beneficio secundæ nativitatis huic vitæ subtrahitur, sicut præscisse fatendum est Deum parvuli futuram mortem, quæ vere futura erat, sic absurde dicitur Deum præscisse parvuli futura peccata, quæ futura non erant. Neque enim Deus rerum omnium conditor facienda præscisset, quæ facienda non essent. Scimus namque præscientiam Dei sic esse veram atque incommutabilem, ut quæ futura præscit, vere futura sint; nec aliquid faciendum præsciat quod non secundum præscientiam ejus fiat. Futura vero sola in se creaturæ mutabilitas recipit, quæ in Creatoris incommutabilitatem nullatenus cadit. Propterea Deo nihil est præteritum vel futurum, cui sic omnia præsentia sunt quæ facienda præscit, ut postquam facta fuerint, præterita ei (*al. Deo*) esse non possint: quoniam sicut novit præterita, sic novit et futura. Quæcumque enim cum tempore mutantur et (*al. aut*) transeunt, in ejus ^f cognitione sine temporis transitu ac mutabilitate consistunt. Rerum autem non earum quæ futuræ non sunt, sed quæ faciendæ sunt,

^a Mss., *damnabiliter viverent.*

^b Ekd. non habent *hominum*. Mss. duo habent.

^c Mss. duo, *gratia donat*

^d Mss. duo, *tradentur.*

^e Edd., *eorum malum*; mss., *meritum malum.*

^f Ms. unus, *cuncta in ejus, etc.*

præscientiam Deo inesse, liber Danielis prophetae A testatur his verbis: *Deus, qui occultorum es cognitor, qui scis omnia antequam fiant* (Dan. xiii, 42). Deus ergo hoc scit in æterna præcognitione quod futurum est, ut fiat in opere.

CAP. VIII. — 16. Absurde itaque dicitur quod præscierit parvulum, si viveret, impium futurum, quem profecto non plus quam vixit præscivit esse futurum: quem utique præscivit ad ætatem qua impie viveret non esse venturum, quia eum in ætate infantili de sæculo veraciter noverat auferendum. Et in quo nulla peccatrix præcognita est ætas, unde fieri potuit ut ætatis quæ futura non erat præsciretur iniquitas, cum ætas renati parvuli sine actu omnino peccati esse possit, 442 actus autem humani peccati: in eaque ætate esse non possit? Futuræ enim ætatis non absurde præscita dicuntur opera, vel bona vel mala; absurde autem præscientia cuiusquam humani operis in ætate asseritur, in qua futurus homo ipse non esse monstratur. Sicut autem non nisi concipiendorum exordia, ita non nisi victurorum hominum actualia recte dicimus Deum præscisse peccata. Illorum ^a igitur præscius operum recte dicitur Deus, quorum in consummatione non negatur subsequetur effectus.

17. Cæterum quisquis Deum præscium putat futurorum operum, quæ tamen futura non fuerant, restat ut præscientiæ Dei, quam utique non negat veracem, aliquam inesse, quod absit, æstimet falsitatem. Falsum est enim futurum esse aliquid quod præsens non erit. Dei autem scientia nihil in se potest habere falsi, quia falsitas inesse veritati non potest. Præscientia igitur veritatis, quæ in se non recipit falsitatem, sicut faciendum præscit quod faciendum est, ita non faciendum quod faciendum non est. Non ergo Deus in parvulo peccata ulla præscivit, quæ priusquam moreretur parvulus non admisit. Si enim facienda præscisset, utique fierent. Neque enim futura sciret, quæ non facienda præsciret. Proinde fatendum est quia, sicut parvulus mortuus est, ita eum Deus moriturum esse præscivit. Dei enim præscientia nullatenus fallitur, quia sicut faciendum præscivit mandum, et sic eum fecit quemadmodum faciendum esse præscivit: sicut in ipso quoque mundo singula quæ facta sunt, vel fiunt, vel facienda sunt, ita semper facienda fuerunt in Dei præscientia quemadmodum sunt in opere consecuta, vel etiam secutura. Non ergo Deus præscivit faciendum a quolibet homine quod facturus homo non fuit; sicut nec ejus præscientiam aliquid latuit eorum quæ homines vel fecerunt, vel faciunt, vel aliquando facturi sunt. Deus enim verus ea in operibus hominum præscire recte dicitur, quæ et rebus et personis et temporibus inchoantur. Ubi autem vel res, vel persona, vel tempus non ostenditur, nullum utique opus est quod præscitum divinitus asseratur. Non autem congruit

^a Edd., *illius*; sed minus bene.

^b Mss. duo, *parentes fideles*.

^c Restituta sunt ex mss. duobus hæc verba, *parentibus ad meritum.... pro bona voluntate*.

veritati ut in præscientia Dei dicatur esse futurum aliquid quod in tantum nihil esse convincitur, ut ex futuro præsens nullatenus fore vel fuisse monstratur: cum utique ipsum futuri nullatenus possit habere vocabulum, quod præsentis appellatione non sit quandoque censendum.

CAP. IX. — 18. A parvulo ergo qui nihil fecit nihil faciendum Deus esse præscivit. Cur autem non ab eo abstulerit originale peccatum, nos quidem scire non possumus; hoc tamen eum juste fecisse, nullatenus dubitare debemus. Licet enim nobis non solum ex nihilo creatis, sed etiam peccati gerentibus maculam (quam mortaliter viventibus Dei filiis sicut gratia subinde diluit, ita frequenter infirmitas parit) incomprehensibilis consilii Dei clausa sit altitudo, illud tamen nobis manifestum est, quia in Deo ulla iniquitas non est. De ipso enim scriptum est: *Deus fidelis, in quo non est iniquitas; iustus et sanctus* 443 *Dominus Deus* (Deut. xxxii, 4); et alio loco: *Judicia Dei vera, justificata in semetipsa* (Psal. xviii, 10). Ad quorum iudiciorum occultam profunditatem [quia *judicia Dei abyssus multa* (Psal. xxxv, 7)] credimus etiam parentum sive quorumlibet hominum negligentiam pertinere: sicut etiam pro parvulo qui ad baptismum pervenit, parentum curam non dulcitamus ad divinæ gratiæ munera referendam. Et si quidem parentes non fuerint pietate ac bona conversatione præditi, Deus, qui malis quoque bene utitur voluntatibus hominum, per malorum parentum sollicitudinem beneficium gratiæ suæ operatur in parvulo; si vero parentes boni ^b sint, non solum parvulo bona voluntas parentum proficit, sed ipsis quoque parentibus ^c ad meritum futuræ retributionis accedit. Deus enim, qui operatur et velle et perficere pro bona voluntate, parentibus in se credentibus gratiam bonæ voluntatis ipse largitur, ut pro parvulo piæ sollicitudinem gerant, donec ad sanctæ regenerationis remedium vitale perveniat. Quorum tamen nec cursus potest, nec ipsa bonæ voluntatis sollicitudo pia sufficere, nisi eum dignetur Deus suæ miserationis gratuito munere prævenire. Equidem bona voluntas, quæ a Domino pro parvuli regeneratione parentibus inspiratur, eos instigat ut currant, quatenus parvulus ad ablutionem salutaris aquæ perveniat. Verumtamen illius regenerationis effectus non ^d cuiusquam hominis volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, qui et voluntatem parentum excitat, et volentibus adiutorium donat.

19. ^a Ut ergo parvulus regenerationis opere redimatur, Redemptor misericorditer operatur; qui et opportunitates præparat, et voluntates ministrat, et personas tribuit, et loca concedit. Quique non hoc in solis parvulis, sed etiam in majoribus operatur. Denique legimus in libro Actuum apostolorum (Cap. viii, 26) quod repente Philippum in Samaria constitutum angelus monuerit ut in viam quæ ducit Hiero-

^a Locus hic ab his verbis, *Ut ergo*, ad hæc, *Qui etiam*, totus est ex mss. duobus S. Crucis. In altero vero ms. hæc tantum habentur, *Ut ergo veridici prædicatoris indulsit, qui opportunitatem quoque, etc.*

solyms Gazam descenderet, ubi transeunti spadoni, A nec tamen beneficium regenerationis aliquatenus inquirenti, non solum prædicaret fidei Christianæ mysterium, quin etiam baptismatis traderet sacramentum. Ecce quomodo Spiritus sanctus gratia sua spadonem præveniens, personam veridici prædicatoris induisit. Qui etiam opportunitatem prædicandi Philippo dedit, quando spadonis animum ad legendum Isaiam misericorditer excitavit. Ipse etiam locum tribuit, qui eos ad stagnum gratuita bonitate perduxit. Ipse in spadone opus gratiæ salutaris perfecit, quo illuminante idem spado Christum esse Filium Dei credidit, et ad stagnum veniens sacræ trinitationis effectum poposcit, nec baptizatus tantum, sed et Spiritu sancto repletus abscessit.

20. Quis etiam Cornelium centurionem, misso angelo ut apostolum Petrum accersiret, admonuit (Act. x, 5), nisi qui eidem centurioni gratis donum sui timoris ac bonæ operationis infudit? Ut enim Deus orationum 444 ejus et eleemosynarum memoriam haberet, ipsius Cornelii prius meminuit; non in ejus quolibet opere bono, sed in beneplacito suo, ut ei donum sui timoris infunderet, quo ei et eleemosynarum studium, et sacræ orationis inspiraret affectum. Ipse igitur ei placendi gratiam contulit, qui in eo quod coram se placeret invenit. Ipse est enim Deus de quo Apostolus dicit: *Deus autem pacis**, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis quod placeat coram se (Hebr. xiii, 20). In tantum autem divinæ gratiæ fuit, quod Cornelius admonitus est ut ad se Petrum accersiret, ut etiam ipsi Petro b Spiritus sanctus venientibus ad eum, quos Cornelius miserat, non solum ut cum eis iret præciperet, quin etiam formidinem totius dubitationis auferens, a se illos missos fuisse firmaret. Denique sic eidem Petro a Spiritu sancto dictum est: *Ecce viri tres quærant te. Surge itaque, descende, et vade cum eis, nihil dubitans, quia ego misi illos* (Act. x, 19). Apostolos quoque volentes ire in Bithyniam atque Asiam, vetitos a Spiritu sancto legimus (Act. xvi, 7). Et postquam Saulum Dominus sua voce prostravit (Act. ix, 4), ipse ad eundem baptizandum Ananiam visitavit, et misit (Ibid., 11). Paulus etiam Corinthiis scribens evidenter affirmat sollicitudinem sanctam Tito discipulo suo, qua pro illis satageret, divinitus inspiratam. Sic enim dicit: *Gratias autem Deo, qui dedit eandem sollicitudinem pro vobis in corde Titii* (II Cor. viii, 16).

CAP. x. — 21. Cum ergo Scripturarum attestazione sanctarum manifestum sit quod Deus, cujus voluntati nemo resistit, cujus dispositionem nemo mutat, cujus judicia nemo comprehendit, secundum abundantes divitias gratiæ suæ, quas habet in bonitate super omnes, quos de massa damnata faciens vasa miser-

cordiæ in honorem gloriamque discernit, hominibus quoque ratione utentibus congruas ad salutem personas aut procuret, aut deneget, in aliis scilicet justitiam tenens, aliis misericordiam tribuens; cur non etiam in baptizandis infantibus certissime credamus ac libere proclamemus diligentiam parentum ad gratiam redimentis, negligentiam vero ad judicantis Dei justitiam pertinere? Non quia ex Deo est boni operis negligentia, a quo nulla unquam potuit esse mali operis causa: sed quia bona voluntas, quæ a Deo tribuitur, quantum in caritate proficit*, tanto majorem pro salute cujuslibet animæ sollicitudinem gerit. Mala vero voluntas, quæ suo merito gratiam caritatis aut non accipit, aut amittit, torporem negligentiae suæ non deponit, et dum in suis tenebris derelinquitur, magis ac magis excreatur.

22. Deo igitur in hominibus misericorditer operante, providentur d etiam adjutoria personarum atque opportunitatum, et ipsa facultas operis tunc invenitur ad baptizandum parvulum, quando in eo Dominus 445 statuit opus sacræ ablutionis implendum. Deus enim, qui parvulum non volentem, neque currentem, fidei nescium, suæque salutis atque utilitatis ignarum, in quo nulla regenerationis petitio, nulla fidei potest inesse confessio, gratuita sacramenti virtute mundat; ipse pro redemptione parvulli animos parentum, sive quorumlibet fidelium voluntates excitat, ut etiam illis cum timore et tremore salutem suam operantibus proficiat ad bonæ retributionis mercedem, per quorum piam curam infans C perducitur ad salutem. Si enim mercedem suam non perdet qui calicem aquæ frigidæ uni ex minimis Christi in nomine discipuli dederit (Matth. x, 42), quo sola in homine e caro pascitur, quomodo mercedem non habebit, qui pia sollicitudine currit æsatagit ut caro infantis animaque salvetur?

CAP. xi. — 23. Quocirca etiam hæc bona voluntas divinitus dari credenda est parentibus piis, qua fructum suæ carnis, quem carnaliter editum noverunt originalis peccati contagione pollutum, non negligent spiritali regeneratione mundandum; neque tantum cupiant habere temporaliter hæredem, quantum desiderent et vigilanter satagant Christi secum fieri co-hæredem; et quem habent ex mortali semine filium mortaliter transiturum, ex aqua et Spiritu sancto D renatum fratrem habeant sub Deo Patre perpetuum. Verumtamen hanc laudabilem voluntatem illis procul dubio parentibus Deus tribuit, quibus per Spiritum sanctum gratiam sacræ caritatis infudit. Ipsi quoque ad vitam æternam perveniunt, non quia in corpore mortis hujus morituros filios gignunt, sed quia in Dei timore viventes, cum eis ad secundæ nativitatis beneficium festinare non negligunt, et donec in eis opere compleatur, Christiana dilectione parturiunt quos humana fecunditate pepererunt. Quos etiam baptizatos diffuere, per flagitia facinoræque non si-

* Sic mss., juxta textum Apostoli. Edd. non habent *pacis*.

b Mss. duo, ipsi beato Petro; et paulo post, eidem beato Petro.

* Sic mss. duo. Edd., *profuit*.

d Ita mss. duo. Edd. et ms. alter, *providente*.

e Hæc verba, *in homine* non habent editi nec manus habent mss. duo.

nunt; sed eos, secundum Apostoli præceptum, in disciplina et correptione Domini (Ephes. vi, 4) nutrire atque educare contendunt; magis eos volentes esse placitos Deo, quam divites aut claros esse in sæculo.

24. Usque adeo vero manifestum est gratiam baptismi debere filiis a parentibus celeriter afferri, ut hoc non solum boni fideles solliciti facere soleant, sed etiam illi qui ad filiorum Dei non pertinent numerum: qui scilicet cum fidelium censeantur nomine, negare convincuntur operibus fidem, dum ea gerunt quæ fidei convenire non possunt. Nam, ut de aliis taceam, nonne videmus mulierculas quasdam filios suos non de connubio, sed de fornicatione susceptos, sollicite ad baptismatis gratiam portare, multumque tueri ne qui de illis carnaliter nati sunt spiritali natiuitate priventur? Ita cum iis quos invitæ plerumque concipiunt atque pariunt volentes ad ecclesiam tremantesque concurrunt; et cum peccatum fornicationis suæ negligant, ita in iniquitatibus suis remanent, ut tamen filios suos absolvi vinculis peccati originalis exoptent. Sic Deus bonus parentum bonorum piam voluntatem non solum parvulis, verum etiam ipsis parentibus facit ad effectum gratiæ proficere; iniquorum vero parentum sollicitudinem 446 facit commodis filiorum quibus confert gratiam militare. Quia etiam illi qui in se beneficium baptismatis operibus malis evacuant, quid conferat baptismatis gratia non ignorant: et cum in carne sua mortiferæ cedant libidini, in fructu tamen carnis suæ magis cedunt agnitæ veritati.

25. Si vero aliqui parvulorum parentes Christiani (quod interim, quia multum a religione abhorret, durum est credere) Christianæ caritatis, et suæ non minus quam filiorum salutis oblitæ, curam regenerandorum non habent parvulorum, non nostram, sed Apostoli super hoc scelere sententiam audiant, et utinam contremiscant, dicentis: *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* (I Tim. v, 8). Sicut autem nullus habet ex Deo ut neget fidem, sic etiam negligentiam cuiuslibet operis boni nemo divinæ imputare permittitur voluntati. Sicut autem ad opus divinæ gratiæ pertinet, quod parentes pro regeneratione filiorum piam sollicitudinem gerunt: ita illud quoque divini iudicii est, quod Deus malas deserit voluntates, cum parentes filiorum corporalem ita salutem diligunt, ut animarum in eis negligant sospitatem; curamque gerunt ut morituri vivant, nec metuunt si filii eorum cum reatu sempiternæ damnationis intereant: ubi maximam culpam contrahunt, et crudelissimi parricidæ spiritaliter fiunt. Diabolicis enim lucris ipso neglectus sui torpore militant, et placentes hosti nequissimo, regem bonum malis operibus exacerbant. Deum igitur, *cujus universæ viæ misericordia et veritas* (Psal. xxiv, 10), sicut humiliter laudare debemus cum gratiam donat, sic nemo justè potest accusare cum denegat. Ea quippe est bonitas ejus atque justitia, ut gratuita miseratio-

ne redimi possit quemcunque voluerit: *Voluntati enim ejus quis resistit* (Rom. ix, 19)? injuste vero damnare quempiam nec velit aliquando, nec possit; quia *rectus est Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo* (Psal. xci, 16), et *iniquitas nostra justitiam Dei commendat*, nec est iniquus Deus, qui infert iram (Rom. iii, 5).

CAP. XII. — 26. Quisquis igitur gratiæ divinæ mirabilem vult atque incomprehensibilem considerare virtutem, illud potius humili pioque corde consideret, quomodo plerumque parentes pii, fideles et impigri, atque solliciti, cum parvulis suis ad baptismum velociter currant, et inter manus festinantium parentum parvuli sine baptismo moriantur. Consideremus ergo duos parvulos sine baptismo mortuos: unum quem noxia parentum neglexit incuria, alterum cui parentum quidem pia sollicitudo non defuit, sed mortis velocitate præcepto prodesse nequivit; qui scilicet inter manus portantium, quibus ad baptismum gestabatur, priusquam perveniret ad futuræ vitæ beneficium, præsentis a incurrit occasum, et ante caruit vita quam macula; priusque raptus est ad pœnaram quam perduceretur ad gratiam. Si de his duobus viri dicitur parentum negligentia nocuisse, dicatur cur alteri negatus est salutis effectus, cui nec voluntas potærit parentum prodesse, nec cursus. An etiam huic a Deo dicitur fuisse consultum, ut qui prævidebatur 447 futurus impius, beneficio putetur laudentis mortis adjutus? Quis hoc dicat? quisve non videat quod talis obitus non damnationi morientem parvulum præripuit, sed salutem? cui non est utique levigata damnatio, sed redemptio denegata; nec consultum est ut minus torqueretur, sed raptus est ne haberetur. Nonne hic et pia parentum voluntas atque cursus ex Deo fuit, sed ideo non profuit, quia ut parvulus baptizaretur ex Deo non fuit? qui profuso justoque iudicio illis quidem pro filio religiosum infudit affectum, sed parvulo vitale noluit largiri remedium. Nam et sancto David (II Reg. xviii, 5) ipse donum caritatis infudit, ut Absalon filio parcendum præciperet, ne in sua impietate moreretur; sed ex Deo non fuit, ut Absalon impius futuræ pœnitentiæ servaretur. Exhibuit ergo quod debuit hominis sancti voluntas pia; sed operata est quod oportere noverat divina justitia.

27. Illud etiam si quis pia mente consideret, nonne sicut divinæ misericordiæ suavitate mulcet, ita divini iudicii profunditate terretur? Nonnunquam enim et parvulus fidelibus nascitur, et illis, sicut jam diximus, pro redemptione filii pia fide caritateque sollicitis, ante moritur quam sacro baptismate diluatur. Alter vero de infidelibus natus, cujus salutem parentes non saltem tepide volunt, sed omnino non volunt, idem tamen parvulus supernæ dispensationis ordine, parentibus aut violenter auferitur, aut furto subripitur, et ad sanctum baptismum quorumlibet fidelium pia caritate perducitur, et mox ut baptizatus fuerit, de hac vita discedit. Si parvulorum istorum

* Edd. et ms. unus, *presentem*.

originalis attendatur causa, ambo æqualiter sunt iræ filii, quia uno simul originalis peccati nexu tenentur obstricti. Ubi autem duorum prorsus æqualis est causa, non utique possunt merita pronuntiari disparia. Nulla igitur est causæ diversitas in infantibus quæ faciat unum eligi, alterum reprobari. Si vero parentum consideretur voluntas, illi qui Christiani sunt, ut eorum filius baptizaretur sollicitè voluerunt, instantissime cucurrerunt ^a, quorum tamen filius antequam baptizaretur morte præventus, æternis est ignibus deputatus; ille vero qui de infidelibus natus est, contra voluntatem parentum perductus ad gratiam baptismi, factus est hæres Dei, et cohæres Christi. Quid in his prævidit Deus futurum, ut uni nihil conferre posset caritas parentalis; et alteri multum crudelitas prodesset hostilis? Quis istam profunditatem iudiciorum Dei penetrare valeat? Quis non tamen hic, et misericordiam gratiæ bonitatis, et iustitiam divinæ severitatis agnoscat? Ubi enim deorum parvulorum, nec in actibus aliqua sunt merita, nec in origine dissimilis causa, manifestum quidem nobis est quod ambo fuerint originalis peccati vinculis obligati, occultum vero cur non ambo fuerint absoluti.

CAP. XIII. — 28. Sciamus igitur imperscrutabile nobis esse cur, uno derelicto, alterum Deus ab illa perditionis massa gratis eripiat. Certissime tamen scire debemus quia miseratur et misericors Dominus, patiens, et **448** multum misericors, et verax, sic ei quem liberat misericordiam donat, ut apud eum quem damnat iustitiam et veritatem nulla ratione prætereat. Absolutus igitur accepit gratiam, quam semper laudet; damnatus vero invenit iustitiam, in qua non habet quod accuset, *ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo* (Rom. iii, 19), quando unus in bonis suis præcedentem Dei agnoscit gratiam, alter in damnatione sua non falsam futurorum, quæ non erat facturus, operum præscientiam, sed veram primi parentis invenit culpam.

29. Dicit aliquis: Cur non ambobus largitus est Deus gratuitam misericordiam, cum unus ambobus reatus obstrinxerit? Cui, salva incomprehensibili altitudine iudiciorum Dei, respondemus: Ideo non utrumque liberatum esse, vel utrumque damnatum; quia Deus, qui malum nec velle potest aliquando, nec facere, ab uno iusta severitate debitum præcepit exigi, alteri vero gratuita iussit bonitate dimitti. In duobus enim pariter impiis, quorum unus absolvitur, alter damnatur, in absoluto cognoscitur gratuita benignitas Dei, quæ potest absque meritis ullis operam, gratis omne relaxare peccatum; in eo vero qui damnatus est, apparet iustitia Dei, cui nullum potest aliquando placere peccatum. Nec misericors ergo absolutio culpabilis potest esse, nec iniusta punitio. Absolvit reum bonitas, quæ nulla malignitate vincitur; punit reum æquitas, quæ nullis iniquitatibus

A delectatur. Deus ergo, cum salvat homines, gratiam tribuit suis operibus bonis; et cum punit pro iniquitatibus peccatores, iustitiam retribuit humanis operibus malis: in illis utique reparans quod facti sunt, sed in istis iudicans quod fecerunt. *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei* (Ibid., 23). Quia et ii qui non peccaverunt proprietate operum, originale trahunt ^b ex primi hominis transgressione peccatum.

30. Voluntatis autem divinæ secretum, quo unum impium justificat alterumque condemnat, non ideo æstimemus injustum, quia nobis videmus absconditum; sed ideo divinum justumque nemo esse dubitet, quia hoc hominum quisquam investigare non valet. Proinde cordis humilitatem simpliciter exhibentes, misericordiam et iudicium Domino cum propheta cantemus (Psal. c, 4): intentionem nostræ scrutationis eatenus temperantes, ut discutere non velimus quod comprehendere non valemus. Admonet enim nos sancta Scriptura dicens: *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Dominus, illa cogita semper, et in plurimis operibus ejus ne sis curiosus* (Eccli. iii, 23). Revera enim frustra labor superflue scrutationis impenditur, ubi nulla inventionis copia suffragatur; et noxia curiositas in reatam protinus labitur, quando modum suum humana infirmitas non metitur. Quia potius in hoc profundissimo divinæ voluntatis arcano nihil aliud nostræ saluti congruere noverimus, nisi ut cum David unusquisque nostrum humiliter dicat: *Mirabilia facta est scientia tua ex me, confortata est, ne potero ad eam* (Psal. cxxxviii, 6). Cum beato quoque Paulo religiosi **449** clamoris jungamus effectum ^c, qui ait: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit* (Rom. xi, 33, 34)? In quo loco convenienter ^d beatus Paulus, priusquam incomprehensibilia Dei iudicia diceret, altitudinem sapientiæ ejus scientiæque præmisit. Quibus utique verbis omnem querulam ^e justoque Dei iudicio aliquatenus obultentem humanæ vocem temeritatis obstruxit. Certum enim est ad personam atque officium iudicis pertinere, ut et in cognoscenda causa scientiam non negligat, et in iudicando rectum sapientiæ tramitem non relinquit; ne quando vel adversus incognitam veritatem vincatur ignarus temere ^f iudicium ferre, vel agnitam deprehendatur insipienti perversitate comprimere. Deus igitur nec inscius est, ut temere iudicet; nec insipiens, ut aliquem iniuste condemnet; de quo prophetica clamat auctoritas: *Iustus Dominus, et iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus* (Psal. x, 8).

CAP. XIV. — 31. Proinde in omnibus operibus suis æterna laude dignus est Deus: quia cunctis quos secundum propositum vocat atque justificat, gratis

^a Sic mss. duo. At editi, *curaverunt*.

^b Mss. duo, *originale cuncti trahunt*.

^c Mss. duo, *affectum*.

^d Mss. duo, *non inxiter*.

^e Sic mss., excepto quod in unico legitur *querulam*; in reliquis *querelam*. Editi autem, *humanæ vocis temeritatem*.

^f In uno ms. non habetur *temere*.

remittit iniquitatem; in omnibus autem quos punit, A irreprehensibilem retinet æquitatem. Causa vero majorum atque parvolorum ^a qui sine baptismo cursum vite presentis in infidelitate consummant, quantum attinet ad communionem originalis peccati, una est; et ex hac utrique ibunt in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, quia in eis chirographum, quo sibi ens deceptoris nequitia subdidit, Salvatoris gratia non delevit. Sed in eo est majorum causa deterior, quia, rationis utendæ facultate percepta, respuunt aut negligunt regenerationis salutare remedium, sine quo non solum regno potiri nequibunt, quin etiam gravioribus suppliciis subiacent. Tales enim contemntes benignitatem Dei, secundum duritiam suam et impenitentem cor, thesaurizant sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua (Rom. ii, 5, 6) : ut non solum pro originali peccato æternis ignibus ardeant, quibus arsuri sunt sine baptismo morientes etiam parvuli, qui nihil boni aut mali egerunt; sed etiam pro sua voluntate mala tanto deterius torqueantur, quanto amplius propriæ iniquitatis adjiciunt. In illo quippe originali peccato mors æterna utrosque complectitur : his autem pro voluntatum actuumque malitia pœna cumulat. Deterius est enim redemptionis beneficium impia voluntate non querere, quam ad illud impedimento teneræ prorsus ætatis venire non posse; graviusque premitur qui oneri ex primis parentibus sumpto superaddit proprium, quam qui solum bajulat alienum.

32. Eos vero qui sive originalium sive etiam priorum exuuntur **450** oneribus peccatorum, gratia Dei præveniri, nullus debet ambigere Christianus. In cujus gratiæ largitate quidam, minore rerum consideratione percepta, non leviter errant, existimantes eam omnibus hominibus æqualiter dari : ita ut etiam eis qui beneficia ipsius gratiæ, tanquam ipsi ^b, multum minorant, dum non credunt ipsius gratiæ opus esse in homine, ut gratia suscipiatur ab homine : quæ non ob aliud divinitus datur, nisi ut bonam voluntatem in homine primitus operetur; tantaque sit in unoquoque qui accipit, quantum Deus gratuita miseratione cordi accipientis infundit.

CAP. XV. — 33. Dignum itaque est, carissimi fratres, ut in singulis quibusque sententiis, in quibus nullo cujusquam obscuritatis ambigimus, sanctorum Patrum definitionibus hæreamus : quos præveniens misericordia Dei gratis illuminavit, ut crederent, et sequens instruxit spiritualiter, ut docerent. Hi enim apostolicæ prædicationis tenentes per omnia veritatem, certissime cognoverunt, cognoscendumque libris et epistolis reliquerunt, gratiam Dei non omnibus hominibus generaliter dari. Gratuitum quippe donum Dei est gratia. Propter quod dicit Apostolus, quia *unusquisque proprium habet donum a Deo : alius quidem sic, alius vero sic* (I Cor. vii, 7). Ista gratia, quam Deus vasis misericordiæ gratis donat, ab illu-

minatione cordis incipit; et hominis voluntatem non bonam invenit ipsa, sed facit; atque ut eligatur, ipsa prius eligit; neque suscipitur aut diligitur, nisi hoc ipsa in corde hominis operetur. Ergo et susceptio et desiderium gratiæ opus ipsius est gratiæ. Istam gratiam nullus hominum desiderare, vel poscere, sed nec cognoscere poterit, nisi eam prius ab illo accipiat qui eam nullis præcedentibus operibus aut voluntatibus bonis ad hoc largitur, ut voluntatem in qua semper maneat ipsa præparet, ipsa donet, ipsa illuminet, ipsa excitet, ipsa conservet, ^c ipsa consummet.

CAP. XVI. — 34. Ut ergo gratia Dei cognoscatur et diligitur, desideretur ac postuletur, prius donatur homini non cognoscanti, non diligenti, non desideranti, neque postulanti. Ipsa itaque se facit cognosci, diligi, desiderari, postulari. Cum enim Dominus, sicut per Ezechielem prophetam loquitur, cor lapideum auferat ab hominibus, et dat eis cor carneum (Ezech. xi, 19), atque per gratiæ suæ illuminationem mutat hominis voluntatem. Hæc est mutatio non humani arbitrii, sed dexteræ Excelsi (Psal. lxxvi, 11); per quam filii hominum graves corde, qui diligunt vanitatem et querunt mendacium (Psal. iv, 5), ad diligendum et querendam veritatem non ipsi bonam voluntatem afferunt, sed a Domino donum bonæ voluntatis recipiunt. Scriptum est enim, quia *præparatur voluntas a Domino* (Prov. viii, 35, sec. LXX). ^d A vero enim lumine, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, bona voluntas datur, ut homo in Deum credat Deumque fideliter diligit, a quo ipsa voluntas jugiter gubernatur et regitur, ut nec fides hominis deficiat, nec caritas refrigeret. Unde Salvator Petro dicit : *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua* (Luc. xxii, 32). **451** Fides autem ipsa est sanctorum, quæ per caritatem operatur. Sicut ergo bonæ voluntatis initium nemo potest habere, nisi fuerit misericordia Dei præveniente illuminatus, quia *præparatur voluntas a Domino*, et rursus scriptum est : *Deus meus, misericordiam ejus præveniet me* (Psal. lxxvii, 11) : ita eandem voluntatem bonam nemo usque in finem poterit obtinere nisi fuerit jugiter eadem misericordia subsequente servatus. Dicit enim Deo beatus David : *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vite meæ* (Psal. cxii, 6). Misericordia igitur, quæ gratis malum hominem prævenit, ut mutetur ^d in melius, et ipsa quem bonum facit subsequendo regit, ne mutetur in pejus.

35. Omne igitur bonum voluntatis et operis tunc inesse potest homini, si prævenientis gratiæ largitate detur, ejusdemque gratiæ subsequentiæ opitulatione servetur. Quæ malum prævenit, ut bonam, Deo largiente, voluntatem habere incipiat, quam ante, quia per se habere non poterat, non habebat : subsequitur autem bonum, ut perseveret et proficiat in bona voluntate, quam ex se habere non potuit, sed gratia accipit. Prævenit ergo dirigendo cor hominis præ-

^a Sic mss. duo. At eisd., *minorum*.

^b Ms. unus, *quam ipsi*. Cæteri, *tanquam ipsi*.

^c Hæc verba absunt ab editis habentur in mss.

^d Editi, *mutet*.

vum, quia scriptum est : *Dirigit autem corda Domini* (Prov. xxi, 2). Subiequitur autem, custodiendo correctum, quia similiter scriptum est : *Iustum adiutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde* (Psal. vii, 11). Gratia igitur in utroque operatur : scilicet, et in errante, ut correctus vivat, et in correcto, ne depravatus abcedat.

CAP. XVII. — 36. Non omnibus autem istam gratiam dari, et quibus datur, non omnibus æqualiter dari, quisquis pie querit, eloquiorum sanctorum attestazione cognoscit. Quid enim prius in homine bonum potest esse, quo ad æternam vitam tendat, quam bona voluntas? de qua tamen in Proverbiis dicitur : *Præparatur voluntas a Domino* (Prov. viii, 35, juxta LXX). Dominus ergo, qui in nobis bonam voluntatem præparat, ipse nobis bonæ voluntatis initium donat. Deum quoque in nobis operari non solum ut velimus, verum etiam ut quod bene volumus faciamus, Apostolus docet, dicens : *Cum timore et tremore salutem vestram operamini. Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate* (Philip. ii, 12, 13). Hujus bonæ voluntatis initium in fide consistere, liber Cantici Canticorum (Cap. iv, 8, sec. LXX) ostendit, ubi Christus dicit Ecclesie : *Venies et pertransies ab initio fidei*. Quam tamen fidem non omnibus dari beatus Paulus asserit, dicens : *Non enim omnium est fides* (II Thess. iii, 2); et rursus : *Non omnes obediunt Evangelio* (Rom. x, 16). Quibus autem datur, non æqualiter dari, eodem docente cognoscimus, qui ait : *Dico enim per gratiam quæ data est mihi omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei* (Rom. xii, 3).

37. Ob hoc ipse apostolorum chorus, qui non spiritum hujus mundi acceperat, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciret quæ a Deo donata fuerant ei (I Cor. ii, 12), sciens a Domino collatum sibi initium fidei, ab ipso sibi eandem poscebat augeri. Lucas enim evangelista commemorat Domino dixisse discipulos : *O Domine, auge nobis fidem* (Luc. xvii, 5). Cujus si ex se voluntas hominis habere posset initium, ex se profecto sumpsisset augmentum. Sed beati apostoli unde se sciebant initium fidei accepisse quod non habebant, inde sibi ejusdem augmentum poscebant : quia gratia, quæ illis initium fidei contulerat, ipsa in eis augendæ desiderium suscitabat. In quo tamen desiderio licet jam fidelis esset voluntas, nullatenus tamen sibi sufficeret, nisi illo qui initium fidei non poscentibus dederat, augmentum quoque poscentibus benigna miseratione conferret. Ut ergo apostoli crederent, voluntas non desuit, sed in eis ipsam voluntatem Dominus præparavit. Nam ut homo non credat, ex se habet infidelitatem ; ut autem in Deum credat, a Deo accipit fidem, et ut in eo fides augmento subsequente perficiatur,

non hoc virtus humanæ voluntatis, sed divina gratia facit : quia Deus, sicut voluntatem ad credendum per gratiam præparat, sic ipsam voluntatem gratia operante consummat; et sicut fidem non habentibus ipse donat, sic in illis etiam qui habent ipse multiplicat. Propter quod in Epistola quæ ad Hebræos est scripta, sic dicitur : *Deponentes igitur omne pondus, et circumstantes nos peccatum, per patientiam curramus propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum* (Hebr. xii, 1, 2). Proinde si ex se homo fidem habet, non est auctor fidei Jesus; et si viribus suis homo fidem perficit, non est consummator fidei Jesus : apostolica autem auctoritas auctorem consummatoremque fidei nostræ Dominum Jesum constituit; certum est igitur fidem in nobis nec esse posse, nec cre cere, nisi ille nobis eam tribuat, tributam augeat, auctam perficiat, quem auctorem consummatoremque fidei apostolica profitetur auctoritas. Propter quod apostolus Paulus in Epistola quam ad Ephesios scripsit, sicut a Deo dari gratiam prædicat, ita testatur non omnibus æqualiter dari; sed prout ille misericorditer donat, qui non eam pro meritis retribuere, sed gratis tribuere, consuevit. Dicit enim : *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi* (Ephes. iv, 7). His atque hujusmodi testimoniis ostenditur, nec omnibus dari gratiam, nec quibus datur æqualiter dari, sed secundum mensuram donationis Christi. Hinc est quod eandem beatus Apostolus concludens Epistolam, pacem, caritatem, atque fidem divinitus optat tribui, dicens : *Pax fratribus, et caritas cum fide a Deo Patre, et Domino Jesu Christo* (Ephes. vi, 23).

CAP. XVIII. — 38. Ut ergo in Deum credere vellemus, ille nobis bonam voluntatem contulit; ut in eum crederemus, ipse fidem nobis donavit; ut illum etiam diligeremus, idem nostris cordibus per Spiritum sanctum gratiam suæ caritatis infudit. Non itaque quia voluimus gratiam accepimus, sed neclum volentibus nobis gratia data est. Quam ipsam gratiam habere potuimus, ut gratiam acciperemus; sed infidelibus nobis est donata fides ex gratia. Quod Vas electionis manifesto testatur eloquio, dicens : *Gratia salvi facti estis per fidem; et hoc non ex vobis, sed Dei donum est* (Ephes. ii, 8). Sola igitur gratia in nobis bonam voluntatem facit, sola fidem ipsi voluntati tribuit. Sed cum bona voluntas habuerit fidem, sine qua bona esse non potest, quia *sine fide impossibile est placere Deo* (Hebr. xi, 6), incipit operari bonum, si tamen operanti gratiæ nunquam desit auxilium. Deo enim in nobis gratia Dei bonam efficit voluntatem, ut habeat quam in nobis adjuvet; non solum volentem, sed etiam operantem; et ideo voluntati nostræ donum credulitatis infundit, ut eidem voluntati credenti operantique non desit. Ut ergo habeat fidem, non ex se, sed ex Dei gratia sibi inesse noverit ipsam fidei largitatem.

^a Mss. duo, *donata sunt*.

^b Mss. duo, *Idcirco igitur idem apostolus*.

^c Editi, *Non utique quia volumus*

^d Editi, *gratis*.

^e Mss. duo, *Ut ergo habeat voluntas humana bona merita per fidem*.

39. Parum est autem nobis fidem scire unicuique A divinitus dari, nisi certissime noverimus tantam unicuique tribui, quantum Deus donare dignatur, non quantum humana voluntas meretur. Quæ priusquam accipiat fidem, punitionem per seipsam potest mereri, non fidem. *Omne enim quod non est ex fide, peccatum est, et sine fide impossibile est placere Deo* (Rom. xiv, 23; Hebr. xi, 6). Qui autem Deo non placet, sine dubio displicet; et qui Deo displicet, non eum mitigat, sed potius exacerbat. Nullum igitur accipiendæ fidei meritum habere potest voluntas quæ non habet fidem: quia fidem non habere, hoc est Deo displicere. Infidelitatis autem malum non justificationis, sed damnationis est meritum. Gratuita est igitur divisio fidei, quæ non secundum infidelium, quæ nulla est, fidem, sed secundum justificantis Dei voluntariam unicuique tribuitur largitatem. Hoc utique Doctor gentium docens, admonet nos, *non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (Rom. xii, 3); *et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei* (I Petr. iv, 10). Beatus quoque Petrus multiformem gratiam Dei esse testatur. Propter quod unumquemque fidelem pro qualitate acceptæ gratiæ præcipit operari, dicens: *Hospitalis estote inter vos, sine murmuratione; unusquisque qualem accepit gratiam, inter vos eam administrantes, ut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei* (I Petr. iv, 9, 10). Beatus etiam Paulus dicit: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra: habentes autem donationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes* (Rom. xii, 5, 6).

CAP. XIX. — 40. Porro ne quis differentiam donationum quibuslibet humanis operibus aut meritis niteretur ascribere, ostendit idem apostolus voluntaria gratiæ spiritalis tribui largitate ^a, quæ nullum invenit meritum cui conferat donum, sed ipsa donat bonorum exordia meritorum. Ait ergo: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministracionum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus* (I Cor. xii, 4, 5, 6). Et post enumerationem charismatum dicit: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (Ibid., 11). Proinde **454** nosse debet unusquisque Christianus, neque in viribus naturæ, neque in legalibus præceptis, sed in illuminatione cordis et L voluntario divinæ bonitatis munere constare gratiæ salutaris exordium, qua fit ut quod divinitus precipitur, non solum a nobis agnosci, sed etiam diligere possit ac fieri. Neque enim ipsa natura humana per semetipsam potest aliquando bonam resumere voluntatem, qua placeat Deo, ex quo eam in primo homine perdidit, cum diabolo, depravata quam rectum divinitus acceperat voluntate, consensit. Quam tunc sic perdidit, ut eam nullus hominum deinceps ex se habere possit, nisi eam unusquisque ab illo gratis

acceperit, a quo eam primus homo, eum cederetur, accepit, quam si primus homo non perderet, omnis homo deinceps eam naturaliter possideret

41. Præcepta quoque legis sonare possunt extrinsecus auribus carnis; intrinsecus autem nullus ea cordis auditu aliquatenus salubriter percipit, nisi donum gratiæ spiritalis intus acceperit. Auget enim littera prohibendo peccatum, si desit audienti gratiæ spiritalis auxilium; et agnita lege homo prævaricator efficitur, nisi ad implendam legem voluntas a Domino præparetur: *Lex enim iram operatur, et ubi non est lex, nec prævaricatio* (Rom. iv, 15); et, *conclusis Scriptura omnia sub peccato, ut justificatio ex fide Jesu Christi daretur credentibus* (Galat. iii, 22). Lex itaque sine gratia ostendere potest ægritudinem, non

B sanare; vulnera monstrat, medicamina non ministrat: ut autem legis impleatur præceptum, gratia intus ministrat auxilium. Ac sic lex revelat culpam, gratia confert indulgentiam. Legis est igitur, quod peccata cognoscimus; gratiæ, quod vitamus. Dicit enim Apostolus: *Peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces* (Rom. vii, 7). De gratia quoque ait: *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (Ibid., 24).

Naturæ itaque depravatæ vitium est, ut homo peccet; legis officium, ut homini peccatum, quod ignorat, demonstret: gratiæ autem donum est, ut hominis vitium sanet, quod sibi natura intulit ^b, et legi agnitio cumulavit. Operatur ergo gratia, et illuminationem in hominibus, et salutem: ut mandata legis, quæ donec homo implere non poterat, non tantum inutiliter, sed etiam damnabiliter audiebat, adiutorio gratiæ præventus, non solum sancta, et justa. et bona esse noverit, verum etiam caritatem accipiat, qua possit et diligere et implere quod dicitur.

CAP. XX. — 42. Non ergo putemus gratiam Dei omnibus hominibus dari. Non enim omnium est fides, et quidam caritatem Dei non recipiunt ut salvi fiant. In quibus tamen, ut non credant neque diligant Deum, humanæ voluntatis est vitium: quæ quandiu gratia divini muneris non mutatur, aut præcepta non intelligit, aut intellecta contemnit, id est, aut nesciens peccat, aut peccatum suum vitio prævaricationis accumulatur. De iis igitur quos ignorantia circumvallat obscuritas, **455** dicitur: *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant* (Psal. lxxxi, 5). Hi, sicut Apostolus dicit, *ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitate cordis ipsorum* (Ephes. iv, 17, 18). De scientibus vero dicit quia, *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis* (Rom. i, 21). Et de contemptore servo dicitur: *Verbis non emendabitur servus durus; sed etsi intellexerit, non obediet*

^a Sic ms. unus. Editi, voluntariam.... tribui largitatem.

^b Sic ms. duo. At editi, quod sibi culpa intulit.

Priorem lectionem prætulimus, quia est ipsi contextui convenientior.

(*Prov. xxix, 19*). Quid est autem, *Verbis non emendabitur*, nisi : solo mandato legis, si gratia desit, non convertetur? Deus enim convertens vivificat nos, ut plebs ejus lætetur in eo (*Psal. lxxxiv, 7*). Ipse nobis ostendit misericordiam suam, et salutare suum ipse dat nobis (*Ibid., 8*). Ut ergo non credat in Deum homo, ex seipso habet infidelitatis vitium; ut autem credat et diligat eum, divinæ largitatis est donum. Si enim quærat quales homines invenit gratia, tales invenit utique quales designat Apostolus, id est, insipientes et incredulos, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem (*Tit. iii, 3*). Ex quibus vitiis omnibus non possibilitate nature et agnitione legis, sed benignitate Salvatoris nostri Dei nos prædicat esse salvatos (*Ibid., 4*). Cujus ope sit ut, *abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo* (*Tit. ii, 12*).

CAP. XXI. — 43. Hoc igitur agit gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum, ut ex insipientibus sapientes faciat, infidelibus fidem tribuat, errantes ad vitam non solum vocet, sed etiam a pravis desideriis revocet; terrenis desideriis expulsi, desiderium regni cælestis inspiret; ablata voluptatum carnalium cupiditate, donum spiritualis delectationis ac voluntatis infundat; exstirpet inserta bonitate malitiam; benignitatis dono pellat invidiam; odibilibus quoque et odientibus invicem donum sanctæ dilectionis attribuat^b. Ut ergo ex malis boni simus, et ut igne sanctæ caritatis flagremus, gratiæ spiritualis opere in nobis inchoatur, ejusque in nobis operatione perficitur. *Fructus enim Spiritus est caritas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas* (*Gal. v, 22, 23*), et cætera, quæ apostolica doctrina commendat. Hoc in nobis Spiritu operante salubriter facienda cognoscimus, quia ipse in nobis operatur, ut cognita faciamus. Non enim *spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis* (*I Cor. ii, 12*). Eodem quoque Spiritu agimur, ut bene agentes filii Dei simus. *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom. viii, 14*).

44. Cælestibus igitur obediens eloquiis, firmissime teneamus, omnium nobis bonorum initium divina largitate conferri. Nos autem, ut contineamus, ne mala faciamus, et ut bonum incipiamus velle vel facere, nec initium a nobis habere possumus, nec profectum. Quemadmodum enim de continentia scriptum est, quia *nemo potest esse continens, nisi Deus det* (*Sap. viii, 21*), et Apostolus eam inter fructus Spiritus enumerat (*Galat. v, 23*): sic caritas quæ non agit perperam (*I Cor. xiii, 4*), quod ad continentiam pertinet, et quæ per bona opera cooperit *invidiam peccatorum* (*I Petr. iv, 8*), per quam in nobis Deus cooperatur, non solum ut declinemus

a malo, sed etiam ut faciamus bonum; qua diligamus non solum proximos, sed etiam inimicos nostros, et (*al. ut*) beneficiamus eis qui oderunt nos, et oremus pro persequentibus et calumniantibus nos (*Matth. v, 44*); hæc ergo caritas non ex nostra voluntate aut esse incipit, aut crescit in nobis; sed, gratia Dei faciente, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

CAP. XXII. — 45. Quisquis igitur in nomine gratiæ non vult falli vel fallere, audiat Apostolum, tumoris humani superbiam, quæ sibi nititur assignare bonæ voluntatis initium, sollicitè comprimentem, qui ait: *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (*I Cor. iv, 7*)? Jacobi quoque sententiam sincera cordis humilitate sectetur, qua nos ab errore revocat, et in viam veritatis inducit, dicens: *Nolite errare, fratres mei: omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac. i, 16, 17*). Ipse quoque noster Conditor ac Redemptor, cum turbis in parabolis loqueretur, ut ostenderet interioris agnitionis facultatem illis tantum inesse quibus eam ipse largiri voluerit, quia ipse est *qui docet hominem scientiam* (*Psal. xciii, 10*), dicentibus sibi discipulis: *Quare in parabolis loqueris eis* (*Matth. xiii, 14*)? manifesta responsione donum gratiæ cælestis aperuit, dicens: *Quia vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis* (*Luc. ii, 10*). Ipsi quoque ad Patrem directa confessio evidenter ostendit, omnem sapientiam humanæ mentis ad intelligentiam divinæ prædicationis invalidam, nisi Deus, qui docet exterius per hominem loquentem, per seipsum interius docens, illuminet atque adjuvet audientem. Ait enim: *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ, qui abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth. xi, 25*). Quomodo gratia omnibus asseritur data, quæ a sapientibus et prudentibus, teste ipso donatore^d, monstratur abscondita? Nam et in subsequentibus verbis agnitionem Dei non in humana potestate, sed in divina ostendit revelatione consistere, cum ait: *Nemo novit Patrem nisi Filius, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Ibid., 27*)? Quis hic non videat hominem ab homine inutiliter sermonem doctrinæ cælestis audire, nisi ei magister Deus revelando misericorditer loquatur in corde?

CAP. XXIII. — 46. Hæc autem revelatio specialis est filiorum Dei, qua non solum cognitionis donum, sed etiam divinæ dilectionis accipiunt. Non enim talis est ista revelatio sive cognitio, qualis illorum de quibus dicit Apostolus, quia *quod notum est Dei manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit* (*Rom. i, 19*), scilicet *ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt* (*Ibid., 20, 21*). Hæc itaque

^a Sic mss. duo. At editi, *pravis desideriis*.

^b Mss. duo, *infundat*.

^c Editi *intelligentioris*; sed melius mss. tres, *in-*

terioris.

^d Sic mss. duo. Editi autem, *ipso donante*.

manifestatio qua cognoverunt Deum, qui cognitum non dilexerunt, gratiam non habuit, qua Deus sic cognoscitur ut ametur. Quia ergo gratiam non acceperunt, propterea cognoscentes Deum gratias non egerunt; et quia vasa iræ fuerunt aptata in interitum, hoc in eis operata est illa manifestatio qua Deum cognoverunt, ut cognoscendo superbirent, non ut se humiliando diligerent^a. Tali ergo cognitione ablata, excusatio est, non collata salvatio. In hac autem revelatione, quam gratia Dei in vasis misericordie operatur, simul homini divinitus agnitio Dei dilectioque confertur. Illi enim qui non sunt electi inexcusabiles sunt, electi autem i. accusabiles fiunt. Dixit enim Apostolus: *Quis accusabit electos Dei? Deus qui iustificat; quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, ino qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis (Rom. viii, 33).*

47. In vasis ergo misericordie reatus natu. als

^a Mss. duo, ut diligendam cognoscerent, non ut cognitum dilexissent.

A humili, quam gratia spiritalis donat, fide et caritate solvitur; in vasis autem iræ superba cognitione nutritur. Per illam cognitionem cæcum cor a semetipso inflatur ad mortem; per hanc autem divinitus illuminatur et humiliatur ad vitam. Illa cognitione cor obscuratur insipiens, dum quod Dei est homo sibi superbus assignat; hac autem accipit lumen, ut hoc ipsum quod Deum cognoscit ac diligit, non ex possibilitate naturæ, neque ex auditu legis, neque ex sua voluntate, sed ex Dei dono sibi inesse non ambigat; semperque humilis esse meminerit, ne superbus amittat quod indignus accepit. Cognitione ergo illa peccato adjicit prævaricationis reatum, ista removet a peccatore supplicium. Illa iuste damnat, ista gratis iustificat. Illic scientia inflans nutrit, augetque peccatum, hic caritas ædificans cooperit multitudinem peccatorum.

LIBER SECUNDUS.

458 CAPUT I. — I. Superiore libro, adjuvante gratia Dei, quæ sola potest et humano cordi donum sanctæ cogitationis^a infundere, et ori rectam loquendi tribuere facultatem, quia in manu Dei sunt et nos et sermones nostri, primitus de Jacob et Esau satis superque disserui^b: ostendens apostolicæ documento sententiæ, nullis præcedentium aut subsequentium exigentibus operum meritis, sanctum Jacob priusquam nasceretur electum, sed sola divini propositi benignitate discretum. Quod evidenter beatus Paulus illo cognoscitur asseruisse sermone, quo ait: *Dum enim nondum nati fuissent aut aliquid egissent bonum aut malum, ut secundum electionem propositum Dei maneret (Rom. ix, 11).* Quod Apostolus ideo dixit, ut non secundum hominis, sed secundum electionem vocantis propositum mansisse monstraret; neque ex nascituri quolibet merito, sed ex voluntate Dei cognosceretur electio. Revera enim vocatio Dei ex hominis merito, et non ex gratia Dei fuisset electio, si aliquid bonæ vel malæ actionis inveniretur in parvulis. Sed quia nulla fuerunt in nondum nascentibus, ex uno concubitu conceptis, operum merita propriorum, quæ diversitate sui unum facerent eligi, alterum reprobari (quia si essent, non utique secundum Dei electionem, sed secundum humana opera propositum Dei maneret); quia ergo nulla fuit in illis fratribus diversitas proprii operis boni vel mali, quæ uni electionis conferret meritum, alteri damnationis inferret supplicium; propterea secundum electionem fuit propositum Dei, quia non ex merito eligendi voluntas eligentis mansit, sed ex eligentis proposito gratuita 459 fuit electi discretio. Propter quod Aposto-

lus secutus adjunxit: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori (Ibid., 12).*

2. Ilac igitur, in quantum Dominus donavit, geminorum fratrum questione tractata, generalem de parvulis sine baptismo morientibus inquisitionem suscepti operis series subrogavit. Qua diligentius discussa, et, quantum arbitror, evidentius absoluta, ipsius demum gratiæ qua gratis præveniuntur quicumque salvantur, tractatus est a nobis sollicita inquisitione susceptus: quo patuit gratiam non omnibus universaliter dari, et quibus datur non æqualiter dari. Illius est enim, vel quibus eam, vel quantum dære, qui non eam humanis voluntatibus, aut operibus debitam retribuit, sed gratuitam illuminandis cordibus misericors ac benignus infundit. Et ideo cui voluerit, et quantum voluerit profecto largitur, quia neque ullo bonæ voluntatis exortu, neque effectu cujusquam boni operis, priusquam gratiam tribuat, invitatur.

CAP. II. — 3. Verumtamen quia plerosque novimus in questione gratiæ Dei et humani arbitrii non tenere discretionem, sed ita unam asserere, ut alterum nitantur auferre; vel cum unum audiunt asseri, alterum arbitrentur auferri; cum gratia pietatis neutrum negari sinat, sed ordinem custodiri in utriusque confessione præcipiat: nos gratiæ divinæ sulti præsidio, quo humanum et illuminatur et gubernatur arbitrium, in hoc secundo libello curavimus et gratiam Dei et arbitrium hominis sic asserere, ut neutrum tollamus, dum utrumque defendimus; sed ostendamus quid horum sit quod altero egeat, et quid se alteri gratuito munere honoris impendat; quid sit quod medelam semper exspectet, et unde beneficium medicinæ indesi-

^a Edd., cognitionis.

^b Sic mss. duo. At editi, satis superque ostendimus; sed prior lectio plenior est et concinnior.

^c Hæc habuimus ex mss. duobus, usque ad hæc verba, arbitrentur auferri.

nenter exuberet. Dicit enim Creator Salvatorque mortalium non esse necessarium sanis medicum, sed male habentibus, neque se venisse ut vocaret justos, sed peccatores ad penitentiam (*Matth. ix, 13*). Hinc itaque cognoscitur quid idem medicus in infirmis inveniat, et quid ipse sanandis impendat. Invenit liberum hominis arbitrium, in ea duntaxat ætate quæ usui jam potest servire rationis, aut suæ infirmitatis omnino nescium, aut morbo noxiæ cogitationis inflatum: dum scilicet aut quid faciendum sit nescit, aut quod faciendum scierit, suis se viribus implere confidit: ac sic, sicut homo nescius morbum amplectitur, aut plus ægrotat, dum non a medico poscit, sed ipse sibi nititur adhibere remedium. Unde consequens est ut, lethali morbo vel ignorantia vel superbia prægravatus, nec medicum requirat, nec in se effectum veræ sanitatis inveniat. Neque tamen libera voluntas ideo non est in homine, priusquam sanetur opere divinæ conversionis, quia morbo magis vult obtemperare quam medico: cum eo ipso quod obtemperat homo, vel non obtemperat, liberum sibi inesse arbitrium evidenter ostendat.

CAP. III. — 4. Est ergo non solum in hominibus justis, verum etiam in impiis liberum arbitrium: sed in istis bonitate Dei redemptoris erigitur atque dirigitur; in illis autem Dei ulciscens æquitate dederit et punitur. Ac sic in his non solum cognoscendo, sed etiam diligendo inhæret veritati; in illis vero aut ignorat mandatum, et in peccato suo non est ei peccati cognitio; aut ad hoc potest peccatum absque adjutorio gratiæ Dei cognoscere, ut dum se præsumit per semetipsum divinæ voluntatis implere posse mandata, non obtemperet humiliter voluntati Dei, sed bonum male faciens suo potius famuletur errori: dum scilicet ignorans Dei justitiam, et suam volens constituere, justitiæ Dei non est subjectum (*Rom. x, 3*): quando finis legis non nisi Christus sit ad justitiam omni credenti (*Ibid.*, 4).

5. Medicus itaque noster peritus et bonus, gratis ad vitam reducturus mortuos, ac sanitati redditurus ægrotos, ipse languentium salus, et resurrectio mortuorum, in eo vivificandis ac sanandis hominibus insuperabili bonitate consuluit, in quo medicinam se nobis idem medicus fecit. Sed ut ordinem suæ curationis Sapientia Dei sapienter expleret, prius præceptum dedit per legem justitiæ, quo suam infirmitatem ægrotus agnosceret, daturus affectum ^a per gratiam, quo infirmus suæ infirmitatis salubriter conscius, non jam confidens in virtute sua tumesceret, sed ipsum fontem vite salutisque cognoscens, ab ipso sibi sanitatis beneficium postularat: nec suam jactans superbo corde justitiam, sic se putaret alienum a morbo, tanquam non egeret curationis auxilio [unde illa vox Pharisæi est: *Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, injusti, adulteri, sicut et publicanus iste* (*Luc. xviii, 11*)]; sed vulnera sua contriti cordis humilitate respiciens, vera-

A citer exclamaret: *Ego dixi, Domine, miserere mei; sana animam meam, quia peccavi tibi* (*Psal. xl, 5*). Nec tamen medicus ille cælestis nostram infirmitatem sanaret cognitione dilectioneve mandati, nisi homini liberum dedisset arbitrium; sed multiplicata est infirmitas sola cognitione mandati, ut per gratiam inciperet sanitas fidei ac dilectionis constitui. Cognitione itaque mandati ad bene operandum hominis liberum arbitrium convenitur: non quia voluntate tantum, vel virtute tantum sua potest homo implere quod ei lex jubet, sed ut per mandati notitiam infirmitatis suæ sibi conscius fiat, et adjutorium gratiæ medicinalis exposcat. Qua percepta, potest et diligere quod jubetur, et facere, et agnoscere, vel quid possit, vel quid non possit, et ut possit exposcere, et sibi suæ infirmitatis imputare miseriam, et sanitatis gratiam beneficiis medicinalibus assignare.

CAP. IV. — 6. Hæc omnia quæ superius posuimus, dignum est ut cælestibus eloquiis asseramus. Per Isaiam sic loquitur Deus: *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis; si autem nolueritis, nec obaudieritis me, gladius devorabit vos* (*Isai. i, 19*). His verbis quibus dicitur, Si volueritis, et Si nolueritis, procul dubio libertas humani declaratur arbitrii. Velle enim et nolle voluntatis esse nullus ignorat. Quod ergo per prophetam dicitur, *Si volueritis et audieritis me*, nostra convenitur ⁴⁶¹ voluntas, qua debemus et semper bonum velle, ac bonis operibus iudicem ac libenter insistere. Cum vero Apostolus dicit quia *Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere, pro bona voluntate* (*Philip. ii, 13*), ostendit utique ipsam hominis voluntatem, et ad bene volendum non nisi divino munere dirigi, et ad bene operandum divinitus adjuvari. Dum ergo præcipitur nobis ut velimus, ostenditur quid habere debeamus; sed quia id ex nobis habere non possumus, admoneamur ut a quo nobis datur præceptum, ab ipso petamus auxilium. Quod tamen non possumus poscere, nisi Deus in nobis operetur et velle. Voluntas enim quæ in nobis bona ^b dono Dei miserantis efficitur, ipsa in nobis, ut bene operari valeat, adjuvatur. Quæ de malis in quibus ante justificationem jacet, et in eis cum delectatione deficit, non sua virtute, sed Dei prævenientis operatione consurgit: et postquam surrexerit, ut non cadat, sola sibi non potest sufficere; sed sicut ad surgendum beneficio misericordiæ prævenientis erigitur, sic ad perseverandum misericordiæ subsequentiæ juvamine custoditur.

CAP. V. — 7. Beatus itaque David, et humani arbitrii voluntatem, et virtutem divinæ gratiæ recognoscens, convenit quidem nos, ut faciamus bonum; sed quod a nobis imperat fieri, inde nobis poscit, unde nos habere posse non ambigit. Humanum igitur arbitrium ad conversionem provocans, salubri prædicatione terret, dicens: *Nisi convertamini, gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, et paravit illum* (*Psal. vii, 13*). Sed ut ostenderet quod operari

^a Sic mss. ano. F. II., *effectum*.

^b Hæc vox, *bona*, legitur in mss. duobus, non vero in editis.

præcipimur, conversionem quam nobis prædicat, dono supernæ operationis assignat, dicens : *Deus, tu convertens vivificabis nos, et plebs tua lætabitur in te* (Psal. LXXXIV, 7). Ut etiam suæ animæ unusquisque miseretur, et Deo placeat, humanum divino sermone sic admonetur arbitrium : *Miserere animæ tuæ, placens Deo* (Eccli. xxx, 24). Quia vero nemo potest animæ suæ misereri, nisi qui Dei misericordia præventus acceperit ut misericors sit, ipse misericordie largitor edocens dicit : *Misererebor cui misereor, et misericordiam præstabo cujus misererebor* (Exod. xxxiii, 19). Ideo et beatus David dicit : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me* (Psal. LVIII, 11). Et quia Deo nemo potest placere, nisi in eo Deus operetur quod placeat coram se, in Epistola quæ ad Hebræos est scripta, manifeste positum est. Ibi quippe dicitur : *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine Testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis quod placeat coram se* (Hebr. xiii, 20, 21).

8. Deo igitur non placemus nisi velimus; sed ab ipso nobis tribuitur ut velimus, a quo nisi voluntas hominis mutetur ut bona sit, aut semper appetit malum, aut nunquam bene appetit bonum; ac sic dum in rebus bonis rectum ordinem non tenet, Deo vero non bono nullatenus placet. Deo ergo non placemus, nisi in voluntate bona; sed ut ei placeamus, ipse nos aptat in omni bono. Voluntatem quoque 462 ejus cum facimus, volentes facimus; sed ut eam faciamus, ipse facit in nobis quod placeat coram se. David enim dicit : *Ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui* (Psal. xxxix, 9). Sed ad ipsam voluntatem faciendam gratiæ spiritualis poscit auxilium, qua doceatur ut sciat, et dirigatur ut faciat. Unde et in alio loco sic orat^b : *Doce me ut faciam voluntatem tuam, quia tu es Deus meus* (Psal. cxlii, 10); statimque subjecit : *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam* (Ibid.). Item Isaias præcipit, dicens : *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et convertatur ad Dominum* (Isai. lv, 7). Paulus quoque apostolus hortatur ut renovemur spiritu mentis nostræ, et induamus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanetitate veritatis (Ephes. iv, 23, 24).

CAP. VI. — 9. Verumtamen ne conversio vel renovatio nostra humano assignetur arbitrio, utramque nobis a Domino sanctus Jeremias deposcit his verbis : *Converte nos ad te, et convertemur. renova dies nostros, sicut antea* (Thren. v, 21). Rursus Psalmista dicit : *Aperi os tuum, et adimplebo illud* (Psal. lxxx, 11). Ubi intelligimus os cordis significari, non corporis. De quo ore alio loco dicit : *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati. Tunc repletum est gaudio os nostrum* (Psal. cxv, 1, 2). Et tamen ne quis sibi oris apertionem superbus

assignet, ostendit liber Actuum apostolorum, ad recipiendum Christianæ prædicationis verbum os humani cordis largitate divini muneris aperiri. Ibi enim scriptum est de quadam muliere nomine Lydia purpuraria : *Cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo* (Act. xvi, 14). Iterum scriptum est, quia *sapientia aperuit os mutum, et lingua infantium fecit disertas* (Sap. x, 21). Aperuit enim os mutum, ut increduli crederent; disertasque fecit infantium linguas, ut quod crediderant prædicarent. Unde non immerito credulitatem locutionemque suam sancti Spiritus dono Paulus ascribit, dicens : *Habentes autem eundem Spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi, propter quod locutus sum; et nos credimus, propter quod et loquimur* (II Cor. iv, 13). Voluntarie homo credit, et voluntarie loquitur; sed hoc ex se voluntas hominis habere non potest, nisi Deus det: quia ut infidelis^d credat, Sapientia os mutum aperit; et ut credens loquatur, linguas infantium disertas facit.

10. Præcepta igitur quibus per prophetas atque apostolos admonemur quid debeamus appetere, quid vitare, conveniunt nostrum arbitrium, ut Dominicis jussis voluntarie serviamus. Sed cum ipsi prophetae et apostoli, qui Spiritu sancto repleti sancte vixerunt, sanctaque docuerunt, nunquam destiterint a postulatione divini juvaminis (quippe ad implenda quæ Deus jubebat, ab ipso auxilium requirebant); procul dubio sicut non negabant inesse homini liberum voluntatis arbitrium, sic illud sine juvamine gratiæ Dei, ad ea quæ sancta sunt non solum agenda, sed etiam cogitanda insufficientis atque invalidum testabatur. Unde sanctus Apostolus ostendens in 463 homine liberum voluntatis arbitrium, Philippenses ad ea quæ sancta et justa sunt cogitanda atque agenda præceptis salutaribus hortatur, dicens : *Quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque sancta, quæcumque justa, quæcumque bonæ famæ, et qua virtus, si qua laus, hæc cogitate quæ didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me. Hæc agite, et Deus pacis erit vobiscum* (Philip. iv, 8, 9). Nonne et ut cogitent, et ut agant quæ sancta sunt, et præcepta, et tamen tam cogitandi quam agendi facultas unde nobis donetur evidenter ostendit? De cogitatione quidem dicit : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis* (II Cor. iii, 5). Quid est quod dicit, Ex nobis, nisi, ex libero voluntatis arbitrio? Unde ergo est, si ex nobis non est? Sed sufficientia, inquit, nostra ex Deo est! (Ibid.). Ad agendum quoque, Spiritu Dei nos agi sic prædicat : *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (Rom. viii, 14).

CAP. VII. — 11. Hæc igitur inter litteram jubentem et spiritum vivificantem, id est inter legem gratiamque distantia est, quia lex convenit, gratia convertit hominis voluntatem: ut bonum velimus, illa

^a Aberant ab editis hæc, sed ut ei placeamus ipse facit; habentur ex mss. duobus.

^b Mss. dup hic addunt, sic orat ipsum scientiæ et

facultatis auctorem.

^c Ms. unus; Rursus propheta.

^d Editi, ut fidelis.

clamat, nec donat; illic voluntati hominis inquit A
 iustitia divina terrorem, hic infundit misericordia
 caritatem: per illam accipit a voluntas spiritum ser-
 vitutis in timore, per istam accipit spiritum ado-
 ptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. Hæc
 ergo in nobis libera voluntas eam in se habet natu-
 raliter qualitatem, ut appetere sponte possit bona
 vel mala; sed bona proficiendo appetit, mala vero
 desiliendo. Ut autem desiliat, potest ipsa sola sibi
 sufficere; ut proficiat vero, indiget semper divina
 miserationis auxilio. Nisi enim gratia præveniente le-
 vetur, nullatenus surgit, quia *Dominus erigit elisos*
(Psal. cxlv, 8); nisi ea deducente juvetur, nullate-
 nus currit, quia de Deo scriptum est: *Deduxit me*
super semitas iustitiæ propter nomen suum (Psal. xxii,
3); et ipsi dicitur: *Domine, deduc me in iustitia tua*
propter inimicos meos (Psal. v, 9). Nisi gratia custo-
 diente perducatur, nullatenus pervenit; dicit enim
 sanctus David: *Emitte lucem tuam et veritatem tuam,*
ipsi me deduxerunt et perduxerunt in montem sanctum
tuum, et in tabernacula tua (Psal. xlii, 3). Neque
 spreto malis voluntas humana vel eligere bona quæ
 ducunt ad vitam, vel diligere poterit, nisi gratiam
 discretionis a Deo et caritatis acceperit. Spiritualibus
 enim donis discretionem beatus Paulus inseruit, dice-
 ens: *Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ,*
alii autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum,
alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanctorum in
uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetatio,
alii discretio spirituum (I Cor. xii, 8, 9, 10). Quorum
 autem discretio spirituum spiritali largitate donatur, C
 nisi honorum ac malorum? ut scilicet, illuminati at-
 que aduti gratia Spiritus sancti, noverimus atque
 possimus et dona sancti Spiritus cum timore et tre-
 more servare, et suggestiones diabolice malignitatis
 salubri discretionem repellere. Quod nos beatus Joan-
 nes apostolus observare præcipit, dicens: *Carissimi,*
volite omni spiritum credere, sed probate spiritus, si ex
Deo sunt (I Joan. iv, 1).

CAP. VIII. — 12. Ut autem sciamus quæ nobis a
 Deo donantur, non in nobis **464** operatur spiritus
 mundi, sed Dei, id est, non spiritus quem homo ha-
 bet ut nascatur in mundo, sed quem accepit ut re-
 nascatur Deo: quod Apostolus evidenter edocet, di-
 cens: *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed*
spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata
sunt nobis (I Cor. ii, 12); neque solum ut sciamus,
 sed etiam ut intelligamus divini muneris esse, Apo-
 stolus testatur, sic Timotheo scribens: *Intellige quæ*
dico (II Tim. ii, 7). Quo sermone humanum utique
 ad intelligendum convenit arbitrium; quod nisi homo
 haberet, intelligere quæ dicuntur nullatenus posset.
 Sed ut ostenderet unde intellectus humano detur ar-
 bitrio, cum dixisset: *Intellige quæ dico*, subsequenter
 adjecit: *Dabit enim tibi Dominus in omnibus intelle-*
ctum (Ibid.). David quoque sanctissimus, ut man-
 data Dei discat, a Deo sibi postulat intellectum, di-

ciens: *Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me:*
da mihi intellectum, ut discam mandata tua (Psal.
cxviii, 73). Proverbia quoque testantur quia *Dom-*
inus dat sapientiam, et a facie ejus scientia et intel-
lectus procedit (Prov. ii, 6). Et apostolus Jacobus præ-
 cipit ut si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui
 dat omnibus affluenter, et non improperat (Jac. i, 5).
 Ut autem ipsam quoque voluntatem postulandi divi-
 nitus ostenderet dari, adjecit: *Postulet autem in fide,*
nihil hæsitans (Ibid., 6). Sine fide autem Deum invo-
 cari non posse, Paulus ostendens ait: *Quomodo ergo*
invocabunt in quem non crediderunt (Rom. x, 14)?
 Quia igitur nullus invocatur priusquam credat, nec ali-
 quis in Deum credit, nisi fidem acceperit; certum est
 quoniam ille nos excitat ut sapientiam postulemus;
 qui nos illuminat ut credamus.

CAP. IX. — 13. Homo igitur bonum vult vo-
 luntate, bonum facit voluntate, sed sine dono atque
 adjutorio Dei nunquam potest bonum velle vel fa-
 cere. Equidem convenitur ut sciat, admonetur ut
 faciat, quia liberum habet semper arbitrium volun-
 tatis: sed neque scientiam sanctam potest habere,
 nisi dono gratiæ desuper acceperit a Patre luminum,
 a quo est omne datum optimum et omne donum per-
 fectum (Jac. i, 17): et sciens aut non facit quod fa-
 ciendum esse jam novit, aut dum ea sibi nititur assi-
 gnare quæ facit, proprii tumoris pondere prægrava-
 tur. Ideo vero sanctam scientiam superius dixi, quia
 est scientia non sancta, illa scilicet quæ inflat homi-
 nem, quæ edificatam non habet caritatem. Illa scien-
 tia quidam cognoscentes Deum, non sicut Deum glo-
 rificaverunt, aut gratias egerunt. Hac scientia si quis
 se putat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum
 oporteat eum scire (I Cor. viii, 2).

14. Igitur ad bene vivendum nunquam sufficit cui-
 quam scientia præcepti, nisi dilectio fuerit custos
 mandati, et ut diligat, non nisi sua voluntate diligit.
 Et ideo Dei et proximi dilectio unicuique nostrum ita
 legali sermone mandatur: *Diliges Dominum Deum*
tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota
mente tua; et proximum tuum sicut teipsum (Matth.
xxii, 37, 38). In quibus duobus præceptis Salvator
 noster totam legem dicit prophetasque pendere. Ut
 autem diligamus Deum ex toto corde nostro, ipsam
 dilectionem non habemus **465** ex corde nostro, sed
 habemus ex Deo. Caritas enim Dei diffusa est in
 cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est
 nobis. Et ut diligamus invicem, Deus nobis tribuit
 caritatem. Ait enim beatus Joannes: *Carissimi, dili-*
gamus invicem; quoniam caritas ex Deo est, et omnibus
qui diligunt fratrem ex Deo natus est, et novit Deum.
Qui autem non diligit, ignorat Deum, quia Deus ca-
ritas est (I Joan. iv, 7, 8).

15. Quoniam igitur Deum caritatem esse divinis
 claret eloquiis, profecto manifestum est quod nemo
 Deum habere possit, si se homini Deus ipse non de-
 derit. In eo ergo liberum arbitrium nostrum ad dili-

^a Sic ms. unus, hic et paulo post. Cæteri eodd.,
 accipit.

^b Hæc verba, non habemus ex corde nostro sed
 non leguntur in editis. leguntur in mss. duobus.

gendum Deum et proximum idoneum efficitur, in quo ei caritas divinitus datur. Sine caritate enim, nec Deus diligi potest, nec proximus. Ut autem Deus diligi possit, ipse se tribuit: quia Deus caritas est, et Deum non nisi caritate diligimus. Nisi ergo Deum accipiamus, Deum diligere non valemus. Posita sunt quoque ante hominem ignis et aqua, vita et mors, ut quo vult manum suam libero porrigat voluntatis arbitrio (*Eccli. xv, 17, 18*): si enim desit voluntas libera, manus quoquam non porrigitur; sed eandem manum ad vitam nunquam porrigit homo, nisi eam Deus gratuita bonitate tenuerit. Propter quod ei dicitur et a propheta: *Tenuisti manum dexteræ meæ, et in voluntate tua deduxisti me* (*Psal. lxxii, 24*). Alio quoque loco ipsam manum dexteræ nostræ divina dicit protectione salvari. Ait enim: *Dominus custodit te, Dominus protectio tua super manum dexteræ tuæ* (*Psal. cxx, 5*). Ipse denuo orat, ut opera manuum nostrarum, concessa super nos illuminatione, Dominus dirigat. Ideo ait: *Sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos* (*Psal. lxxxix, 17*).

CAP. x. — 16. His atque huiusmodi testimoniis, quibus tam Novum quam Vetus refertur est Testamentum, tale esse hominis demonstratur arbitrium, ut sive ad inchoanda quæ bona sunt nihil possit, nisi ipsum gratia divina prævenierit, sive ad perficienda nullatenus sibi sufficere valeat, nisi gratia qua prævenitur, eadem jugiter adjuvetur. Nec tamen quia ludiget iuvamine, ideo dicendum est non esse; nec quia est, ideo credi debet ad initium vel profectum boni sibi posse sufficere. Proinde si ad eloquia divina humilis ac mitis accesserit animus (quod tunc potest, si ei humilitatis et mansuetudinis donum divinitus conferatur), ablato velamine quo interior (atque intelligentior) atque excelsior intellectus obtegatur, cordi contrito et humiliato sapientia et scientia conceditur. Scriptum est enim quia *Dominus dat sapientiam, et a facie ejus scientia et intellectus procedit* (*Prov. ii, 6*).

17. Quoniam igitur non est aliquod præceptum, quod non ideo Deus dederit homini, ut prosit voluntarie atque humiliter operanti; voluntas autem bona non nisi fide inchoatur, et caritate perficitur; fides vero et caritas divinæ sunt munera voluntatis^b, quæ nisi voluntarie homo sibi donata susciperet, nec crederent homini, nec prodessent (ad hoc enim Deus voluntatem hominis præparat, ut sit cui donum fidei et caritatis infundat), propterea fatendum est verum esse quod sanctis docemur eloquiis, sola Dei misericordia salvari hominem, quia scriptum est: *Salva me in tua misericordia* (*Psal. xxx, 17*); et hominem ratione utentem tunc ad salutem perpetuam pervenire, si sua cucurrerit atque laboraverit voluntate. Non enim frustra dicit Apostolus: *Sic currite ut comprehendatis* (*I Cor. ix, 25*); et: *Unusquisque*

proprium mercedem accipiet secundum suum laborem (*I Cor. iii, 8*); et: *Labora ut bonus miles Christi* (*I Tim. ii, 3*); et alio loco: *Itaque, fratres, stabiles estote, et immobiles, abundantesque in opere Domini semper; scientes quod labor vester non est inanis in Domino* (*I Cor. xv, 58*). Ad quem tamen laborem in Sapientie libro sibi poscit quidam auxilium, dicens ex totis præcordiis suis: *Deus parentum nostrorum, et Domine misericordias tuas, qui fecisti omnia verbo tuo, et sapientia tua constituisti hominem, ut dominetur creaturæ quæ a te facta est, et disponat orbem terrarum in æquitate, et justitia, et discretionem animi iudicium judicet: da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam* (*Sap. ix, 1 et seq.*); et paulo post: *Mitte illam de cælis sanctis tuis, et da sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te. Scit enim illa omnia, et intelligit, et deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia, et erunt accepta opera mea* (*Ibid., 10*).

CAP. xi. — 18. Verumtamen ne quisquam huic ipsum saltem orandi affectum, quo sibi sapientiam posceret, non divinitus arbitraretur infusurum, paulo superius ait, se scisse quoniam aliter non potest esse continens nisi Deus det (*Sap. viii, 21*); et hoc ipsum tamen sapientiam esse dicit scire, cujus hoc donum esset. Unde igitur est instructus ut sciret, inde est excitatus ut oraret. Nec tamen (atque iterum) nisi voluntarie scivit, nec nisi voluntarie oravit; quia et ad sciendum, et ad deprecandum, Christi gratia ignarum et torpidum hominis præveniens instruxit atque excitavit^c arbitrium. Misericordiæ igitur divinæ est ut hominis liberum illuminetur arbitrium, quo sit ut homo et ea quæ placita sunt Deo cognoscat, et adjuvanti gratiæ officium sui laboris voluntaria devotione subjungat. Ad illuminandum hominis arbitrium dicitur: *Deus meus, misericordia ejus præveniet me* (*Psal. lxxviii, 14*); ad adjuvandum refertur: *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ* (*Psal. xxii, 6*). Non autem præveniendo illuminaretur, si non esset; nec subsequendo adjuvaretur, si illuminatum ad aliquid sibi bonæ cogitationis aut operis esse posset idoneum. Hanc impossibilitatem sermo divinus ostendit, ubi ait: *Quis hominum poterit acire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Dominus? Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ* (*Sap. ix, 13, 14*). Timidæ enim sunt cogitationes mortalium, non laudabili timore, sed vituperabili, non bono, sed malo. A quo nos timore liberavit ille, qui per mortem destruxit eum qui mortis habebat imperium, id est, diabolium, ut liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti (*Hebr. ii, 14*).

467 CAP. xii. — 18 (bis). Hanc servitutum de qua nos eripuit, atque libertatem quam nobis gratis contulit, Redemptor noster evidenter ostendit, dicens: Si

^a Deerant in editis, super manum dexteræ tuæ. Restituimus ex mss. duobus.

^b Mss. duo, munera bonitatis.

^c Absunt ab edd. atque excitavit. Sed melius habentur in mss. duobus.

manseritis in verbo meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos (Joan. viii, 31, 32). Respondentibusque Judæis quod seincep Abrahamæ essent, nec cuiquam unquam servissent, responsione sua, simul et servitutis eorum mortiferam conditionem, et libertatis quam ipse suis fuerat collaturus ostendit protinus veritatem, dicens: Amen, amen dico vobis, qui facit peccatum, servus est peccati. Servus non manet in domo in æternum; filius autem manet in æternum. Si ergo Filius vos liberaverit, vere liberi eritis (Ibid., 34, 35, 36). Cogitationes ergo mortalium timidæ illæ utique designantur, per quas peccato serviunt, qui per totam vitam obnoxii sunt servituti. De qua servitute nos Dei gratia liberatos Paulus elocet dicens: Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam (Rom. vi, 20 et seq.).

19. Ecce quid nobis gratia Dei contulit. Timidus liberavit, de quibus Scriptura dicit: Cogitationes mortalium timidæ (Sap. ix, 14): illi procul dubio timori subjectæ, cui subditos quosdam sermo divinus sic arguit, dicens: Illic timuerunt timore, ubi non erat timor (Psal. xiii, 5). Illic est timor quem sæculi cupiditas ad reatum injicit, ad supplicium nutrit. Iste timor illos captivos possidet, quorum cogitationes rebus implicitas incertis atque instabilibus tenet. Propter quod et ille qui dixit: Cogitationes mortalium timidæ, statim subiecit: Et incertæ providentiæ nostræ (Sap. ix, 14). Incertæ est enim providentiæ quæ incertis rebus impenditur, et incertæ res quarum certa possessio non tenetur. Quotidie possumus inviti amittere quod in æternum non possumus possidere. Tunc ergo sunt incertæ providentiæ mortalium, quando earum rerum amore animus tenetur innexus, quarum aut possessio possessori invito potest adimi, aut possessioni nolens possessor auferri. Unde autem incertæ providentiæ insint homini, subsequenter ostensum est, dicente Scriptura: Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, et difficile æstimamus quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt inveniuntur cum labore (Ibid., 15, 16).

CAP. XIII. — 20. Postquam ergo nostræ mortalitatis Scriptura nobis demonstravit ærumnam, subsequenter nobis divinæ gratiæ bonitatis insinuat, ut agnoscamus unde nobis et scientiæ donum et correctionis atque sanitatis beneficium conferatur. Sequitur enim (at. autem) ille qui ea quæ in terra sunt difficile æstimari, et quæ in prospectu sunt cum labore asserit inveniri, et dicit Deo: Quæ autem in cælo sunt quis investigabit? Sensum enim tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris spiritum earum de altissimis? Et sic correctæ sunt semitæ eorum

A qui in terris sunt, et quæ tibi placent didicerunt homines, et per sapientiam sanati sunt (Ibid., 17, 18). Quid est, didicerunt, et sanati sunt? Quid per sanctum Spiritum, et per Sapientiam Dei, quæ utique Christus est, hominibus dicit esse collatum, nisi quia tunc salubriter discimus quid facere debeamus, quando nos misericordia præveniens illuminat, et sanatur, ut quod illa præveniente discimus, eadem subsequente faciamus? Prævenit enim nos, dum propitius sit Dominus omnibus iniquitatibus nostris (Psal. cii, 3); subsequitur nos, dum sanat omnes languores nostros; prævenit misericordia liberum hominis arbitrium, dum in nondum bene volente sola operatur exordium bonæ voluntatis; subsequitur, dum bene volenti subministrat auxilium, ut bene operando perveniat ad bonæ voluntatis effectum.

21. Misericordia igitur præveniens cooperaturam sibi hominis voluntatem sola præparat; subsequens autem cooperantem sibi voluntatem juvat. Itaque præveniens in tenebris hominem constitutum gratis educit ad lucem, non solum admonendo extrinsecus, sed et intrinsecus illuminationis gratiam largiendo. Dominus enim illuminat cæcos, faciens scilicet ex infideli fidelem, ex superbo humilem, ex aspero mitem, ex fornicatore castum, ex maligno benevolum, ex truculento placidum, ex amatore mundi amatorem Dei et proximi, ex raptore rerum alienarum, suarum postmodo largitorem. Sic misericordia Dei præveniente, et in corde hominis mirabiliter operante, qui divitiis temporalibus carnaliter superbus extollebatur, humilis in timore Dei, pauper spiritu libenter efficitur; et qui asper et inobediens divinis antea sermonibus repugnavit, ad audiendum verbum atque obediendum mitis et quietus accedit; et qui dudum injustitiæ crudelitatem indigesta crapulose perveritate ructavit, esuriens et sitiens satietatem justitiæ concupiscit. Ita fit ut pro peccatis etiam luceat, in quibus antea mortifera delectatione gaudebat: operibus deinde misericordiæ indesinenter insistens, ipsæ quoque consequatur misericordiam, per quam perveniat ad coronam; fide quoque per caritatem quæ sancta sunt laudabiliter operante, ad videndum Deum munditiæ acquirat cordis, qui cogitationibus pridem sordebat obscenis.

22. Hæc est mutatio dextere Excelsi (Psal. lxxvi, 11), per quam humanam illuminatur arbitrium; hæc magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus (Psal. cx, 2). Sic in nobis Deus præparat adventiones suas, quia ipse in nobis præparat quod in nobis inveniat; dum arcum potentium infirmum facit, et infirmos præcingit virtute (I Reg. ii, 4), id est, dum in hominibus quos gratis salvat, præsumptionem humanæ virtutis infirmat, ut se infirmos agnoscant, et adiutorium divinæ virtutis accipiant. Ista Deus in nobis misericorditer facit, dum pro malis bona retribuit, dum misericordia præveniente malis

Sic mss. duo. Cæteri, ex maleculo benignum. In quibusdam, asper erat; meli s non legitur erat.

^c Abest ab edd. at. ne obediendum.

^d Mss. duo, infrenat.

bona donat, ut ea in nobis misericordia subsequente custodiat. Cum enim justificatis ac benevolentibus præbet auxilium, suis utique donis subministrat augmentum; et ita confirmat quod operatus est in vobis (*Psal. lxxvii, 26*), dum bonam, quam ipse tribuit, voluntatem torpere ac deficere non permittit in vobis.

CAP. XIV. — 23. Proinde, secundum Apostoli præceptum, cum timore et tremore **469** nostram salutem operemur, scientes quia Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate (*Philip. ii, 12, 13*). Neque sic putemus abutendum beneficiis gratiæ, ut absque bonis operibus torpeamus. Ab iis enim gratia profecto discedit quorum caritas refrigescit. Audiamus itaque Apostolum gratiæ participem, gratiæ nobis opera demonstrantem. Ait enim quodam loco: *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet* (*Rom. vi, 1*)? Statimque respondet: *Absit: qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo* (*Ibid., 2*)? Hoc igitur in vobis operatur gratia, ut peccato mortui, justitiæ vivamus. Ideo rursus idem apostolus ait, ut aestimemus nos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro (*Ibid., 11*). Gratiæ itaque divina in humano arbitrio, et mortem salubriter operatur et vitam: mortem scilicet criminum, vitamque virtutum. Ideo Deus dicit: *Ego occidam, et vivere faciam* (*Deut. xxxii, 39*). Sicut ergo cum viveremus peccato, pravam voluntatem nostram prava opera sequebantur; ita nunc accepto beneficio gratiæ, et per hoc mutata in melius voluntate, non vivamus peccato, sed Deo. Ad hoc enim nobis, cum mortis præiudicio frigidi essemus, datus est vitalis fervor sancti Spiritus, quem gratis accepimus, ut per gratiam Dei, et bonum velle, et bonum facere valeamus. Ideo nos Apostolus esse præcipit *spiritu ferventes, Domino servientes* (*Rom. xii, 11*). Non ergo nobis est a sancto labore cessandum, quibus divini gratiæ non solum merces promittitur, sed et auxilium suffragatur. Et quia *unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* (*I Cor. iii, 8*), dignum est ut bene facientes non deficiamus tam ab opere quam ab oratione (*Gal. vi, 9*); nec aliquid horum quæ bene facimus, aut voluntatis, aut possibilitatis nostræ viribus assignemus: ne inter eos merito superbiæ deputemur, qui ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti (*Rom. x, 5*): quod profecto sapientia carnis est, quæ inimica est Deo, legi autem Dei non subicitur, nec enim potest (*Rom. viii, 7*).

CAP. XV. — 24. Subsequatur igitur humilis voluntas hominis præcedentem, et comitetur subsequentem misericordiam Redemptoris: quæ dum nos præcedit, ea quæ retro sunt obliviscimur; dum subsequitur, in ea quæ ante sunt extendimur; ac sic ipsa gratia nos et anteriorum appetitum tribuens dirigit, et posteriorum recordationem subtrahens, ab arrepto cursu retardare non sinit. Facit præcedens, ut sequamur *ad bravium supernæ vocationis Dei* (*Philip. iii, 14*); facit subsequens, ut glorificemur in tribulationibus, *scientes*

quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom. v, 3 et seq.*). Ipsa facit ut nec cupiditatibus capiamur illecti, nec adversitatibus succumbamus inviti. Itaque misericordiam subsequentis opere in quantum mundo mortui effleimur, in tantum spiritu mentis nostræ magis magisque renovamur.

25. Cælestibus itaque mandatis obediens, quantum adjuvatur homo divinitus, voluntariis nisibus elaborat. Quod vero in labore non deficit, quod rectis gressibus currit, quod bene certat, quod fidem **470** servat, non suæ virtutis deputet, sed dono gratiæ in se ac secum operantis assignet. Labori sancto studium bonæ voluntatis impendat: quæ voluntas tunc bona est, si studium suum divinæ largitatis munus esse non ambigat. Apostolus quippe Timotheum ad virtutem hujus laboris hortatur, dicens: *Labora ut bonus miles Christi Jesu* (*II Tim. ii, 3*). Se quoque amplius cæteris omnibus laborasse testatur dicens: *Abundantius illis omnibus laboravi* (*I Cor. xv, 10*). Sed ut ostenderet se et fidei donum, et laborandi virtutem divinæ gratiæ munere ac juvamine consecutum, item dicit: *Qui prius sui blasphemus, ac persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam consecutus sum* (*I Tim. i, 13*). Opus autem ejusdem misericordiam sic ostendit, dicens: *Consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino ut fidelis essem* (*I Cor. vii 23*). Ideo cum dixisset dignum se non esse vocari apostolum, quia persecutus esset Ecclesiam Dei, opus in se misericordiam prævenientis ostendens, ait: *Gratia autem Dei sum id quod sum* (*I Cor. xv, 10*). Et ut ostenderet laborandi quoque (al. quidem) donum gratiæ sibi largitate collatum; sequitur, et dicit: *Et gratia ejus in me vacua non fuit. Quid est autem vacua, nisi otiosa? Ideo adjungit: Sed abundantius illis omnibus laboravi. Non autem ego, sed gratia Dei mecum* (*Ibid.*).

CAP. XVI. — 26. Ut esset igitur Paulus ex infideli fidelis, sola gratia operata est, quæ aversum convertit, et infideli fidem, cum infidelitatis suæ merito fidem accipere non mereretur, attribuit. Atque ita voluntarie quidem Paulus credidit, voluntarie abundantius illis omnibus laboravit; sed et credere, et laborare non posset, nisi desuper donum gratiæ in se ac secum operantis acciperet. Ut ergo gratia Paulum nolentem incredulumque prævenit, ut bonam voluntatem haberet; ita cooperante ipso Paulo bonam contulit, collatamque a se juvat per omnia voluntatem. Labor ergo Pauli propterea fructuosus fuit, quia laborem suum non suis viribus, sed gratiæ Dei, cujus confortabatur juvenine, tribuebat; sciens quia laboris illius nec conatum haberet, nec consequeretur effectum, si defuisset ei misericordiam prævenientis ac subsequentis auxilium. Laboranti ergo voluntas non deerat, quam gratia non cessabat adjuvare, quæ dederat; et ut Paulus non deficeret in labore, virtutem volenti gratia subrogabat. Talis itaque voluntas

digne merebatur et pro se ^a et pro suo labore mercedem : quia et in se et in suo labore non virtutem suam, sed divinæ cognoscebat gratiæ largitatem. Ideo denique omnia quæ in bono poterat cogitare vel facere : quod scilicet temperanter utebatur prosperis, quod etiam fortiter reluctabatur adversis, non sibi, sed Deo, a quo confortabatur, humiliter atque veraciter assignabat. Dicit enim quodam loco : *Scio et humiliari, scio et abundare. Ubique et in omnibus institutus sum, et esurire, et satiari, et abundare, et penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat* (Philip. iv, 12, 13). Omnia ergo Paulus libero arbitrio poterat, sed in eo qui eum ex alto virtute induerat. De hoc dicit in quodam loco : *In quo certando laboro secundum operationem ejus, quam operatur in me in virtute* (Coloss. i, 29). Beatus itaque Paulus nec se misericordia præventum tacuit, ut fidelis esset ; neque suo merito in se Christi gratiam habuit operantem, ut non ipse a sancto **471** labore cessaret. Hoc enim gratia in eo operabatur, ut neque deficiendo fieret torpidus, nec superbiendo ipsi gratiæ esset ingratus.

27. Proinde sicut in psalmo salubriter admonemur, serviamus Domino in timore, et exsultemus ei cum tremore (Psal. ii, 11), scientes quia Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere, pro bona voluntate (Philip. ii, 12, 13). Maximum est quippe divinæ gratiæ adiutorium atque beneficium, ut illuxinata mens hominis semper cogitet, et præventam se gratuita gratia, et indesinenter adjuvandam virtute divina. Atque ita fiet ut Deo largitori honorum omnium atque custodi seipsum homo competenter humilians, et gratias incessanter agat, et orare non desinat. Gratias agat, quia præventus est ut converteretur aversus, ut illuminaretur cæcus, ut acciperet fidem incredulus ; oret autem, ut sanetur languidus, et adiutorio gratiæ confortetur infirmus. Ex tota igitur voluntate petat, ut accipiat ; quærat, ut inveniat ; pulset, ut aperiatur ei : quod nullatenus faciet, si voluntatem accipiendi, et inveniendi, et intrandi non habet. Nec tamen in eo quod petens accipit, quærens invenit, pulsans ingreditur, suis viribus assignet petendi, quærendi et pulsandi officium : quia licet homo voluntarie petat, pulset et quærat ; nunquam petens accipere, quærens invenire, pulsans intrare poterit, nisi sanctam prius voluntatem acceperit. Nam quidam, sicut sanctus Jacobus dicit, petunt, et non accipiunt, eo quod male petant, ut in concupiscentiis suis insument (Jac. iv, 3) ; et de quibusdam quærentibus se dicit Sapientia : *Quærent me mali ^b, et non invenient*. Ideo igitur, neque illi petentes accipiunt, neque isti quærentes inveniunt, quia voluntatem terrenis deditam delectationibus gerunt, nec est in illis sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica (Jac. iii, 15). Ut autem bonum

illud summum atque incommutabile homo petat et quærat, præparatur a Domino voluntas ac datur : qua donata, initium petendi, quærendi, pulsandi, hoc ipsum ex corde hominis Deo operante consurgit ^c. Scriptum est enim : *Omni custodia serva cor tuum ; ex hoc enim exitus vitæ* (Prov. iv, 23).

CAP. XVII. — 28. Servamus autem cor nostrum, si nos ille servaverit cui dicitur : *Consera me, Domine, quoniam in te speravi* (Psal. xv, 1). Hinc est quod ipse Unigenitus Deus, carnis humilitate suscepta, compatiens infirmitatibus nostris, Patrem pro nobis exorare dignatus est, dicens : *Pater, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi* (Joan. xvii, 11) ; et iterum : *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos ex malo* (Ibid., 15). Nunquam igitur homo congrua custodia servat cor suum, nisi fuerit ipsum cor Deo custodiente servatum. *Nisi enim Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam* (Psal. cxxvi, 1). Propter hoc apostolus Paulus divinam custodiam ^d cordibus nostris optat adesse, dicens : *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodienda corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu Domino nostro* (Philip. iv, 7). Et cum nobis Deus per Jeremiam dicat : *Custodite animas vestras* (Jer. xvii, 21), hoc se beatus David adimplere non posse cognoscens, divinam poscit animæ suæ custodiam dicens : *Custodi animam **472** meam, et libera me* (Psal. xxiv, 20). Qui rursus ait : *Tu, Domine, servabis nos et custodies nos a generatione ista in æternum* (Psal. xi, 8). Et unicuique fidelium divinam optans imperat custodiam, dicit : *Dominus custodit te ab omni malo custodiat animam tuam Dominus* (Psal. cxx, 5). Et ut jugiter gratiæ divinæ necessariam nobis sciremus esse custodiam, sequitur, et dicit : *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in sæculum* (Ibid., 8). Ad hanc indesinenter nos custodientem Dei gratiam refertur quod in eodem psalmo (v. 4) dicitur : *Ecce non dormitabit neque obdormiet qui custodit Israel*. Sicut igitur omnia bona, inter quæ etiam voluntatem habemus, non nisi Deo largiente accipimus, sic omnia quæ accipimus, non nisi Deo custodiente servamus. Quæcumque sint enim bonæ vitæ munera in homine, tunc ab illo custodiuntur, si bona in eo perseveret voluntas. Sed voluntas ipsa, cujus bonitate cætera bona bene habentur, ritæque servantur, tunc in homine bona justaque perseverat, si eam custodiens gratia divina non deserat. Sicut enim nihil potest in se habere bonæ cogitationis, nisi subveniente gratia fiat bona, sic ad custodienda quæ accipit, nullatenus potest sua virtute sufficere, nisi ille qui eam gratis bonam facit, gratiæ suæ opitulatione servaverit. Ille vero certus est bonæ voluntatis profectus, si ea quæ accipit a Deo ita vigilanter sollicitèque custodiat, ut custodiæ divinæ adiutorium frequentia orationis et studio bonæ ope-

^a Editi, et per se. Mss. duo, pro se.

^b In excusis abest hec vox, mali. Habetur in duobus mss.

^c Sic mss. duo. At editi, quia initium petendi, quæ-

rendi, pulsandi, non ex corde hominis, sed a Deo consurgit.

^d Editi, divinam pacem.

rationis exposcat. Ita fiet ut dum oranti auxilium A tribuitur, laborans retributione boni operis non privetur.

29. Verumtamen et orandi et operandi quod bonum est illis Deus tribuet perseverantiam, quos prædestinavit ad vitam: *Omne quippe datum optimum et omne donum perfectum deorsum est, descendens a Patre luminum (Jac. i, 17)*: qui operum suorum æternam habens præscientiam, non solum quæ daret, sed etiam quæ retribueret incommutabili dispositionis suæ consilio præparavit. Ideo non aliter implet disposita quam disposuit implenda. Quia sicut dispositionis divina ordinatio semper habuit, sic ordo rerum in divinis operibus currit: in quibus sunt universæ viæ ejus misericordia et veritas (*Psal. x iv, 10*); quarum una malis bona tribuit, altera bonis malisque digna retribuit; una juste coronat justeque condemnat, altera gratuita bonitate justificat. Quia quisquis gratia præveniente accipit justitiam, non nisi eadem subsequente pervenit ad coronam. Ista si fratres nostri secundum doctrinam sanam, Deo adjuvante, percipiant, nunquam conabuntur disputationibus suis sic humani arbitrii virtutem infirmam defendere, ut gratiæ Dei convincantur adversantia sentire^a: cum potius omnes qui vitæ desiderant fieri æternæ participes, oporteat sanctorum Patrum divinitus inspiratis informari et adhærere sententiis, qui gratiæ divinæ sic illuminati sunt dono, ut indubitanter assererent in hominis voluntate nihil bonæ cogitationis oboriri, nisi quod beneficio gratiæ prævenientis infunditur; nihil in melius augeri, nisi quod C subsequenti gratiæ juvenine roboratur; nihil boni ab homine consummari^b, nisi quod eadem operante atque opitulante perficitur.

CAP. XVIII. — 30. Hæc itaque catholicorum Patrum apostolicis institutionibus 473 tradita permixta in Ecclesiis sine aliqua dubitatione doctrina, quam Græci Latiniq[ue] pontifices, sancti Spiritus infusione firmati, uno atque indissociabili^c semper tenuere consensu. In qua beatus Augustinus indutus virtute ex aëre, abundantius illis omnibus laboravit; non autem ipse, sed gratia Dei cum illo (*I Cor. xv. 10*). Ipsius enim ministerio Domini uberiorem hujus rei fidelibus suis instructionem præbuit. Quippe adhuc ipso in corpore constituto, Pelagiana hæresis adversus gratiam Dei mrtiferis ausibus rebellavit. Nec defuit invicta benignitas miserantis Dei, quæ militem suum spiritualis gratiæ armis tanto fortius præcingeret, quanto acrius adversus eandem vasa iræ diabolus instigaret. Proinde memoratus Dei pontifex inclytus Augustinus turrim fortitudinis ipsam gratiam tenens, et exinde cuncta hostiliùm machinamenta turmarum^d cœlestis juvenine virtute confringens, non solum ipse perfectam de hoste victoriam referens triumphavit, quin etiam posteris certandi et vincendi ordinem, si quando victa pravitas recidivo

^a Editi, sapere.

^b Editi, nihil bene consummari.

^c Sic ms. unus. Edd., indissociabili, et indisso ubi

ausu infandum caput erigere niteretur, ostendit. Sensum quippe Christi habens, tam gratiæ Dei quam humani arbitrii, et officia discrevit et merita, semper divinis humana subjiciens, et veraciter docens, divinitus homini et gratuito justificationis donum, et bonæ voluntatis exortum, et plenum tribui glorificationis effectum. Hunc legat omnis qui salutem æternam adipisci desiderat, humiliter orans misericordem Deum, ut eundem Spiritum intelligentiæ legem accipiat, quem ille accepit ut scriberet; et eandem illuminationis gratiam adipiscatur ut discat, quam ille adeptus est ut doceret.

31. Miramur autem non absque magna tristitia istos fratres nostros, qui gratiam Dei, quantum intelligi datur, ignorantes evacuare contendunt, hæc B sibi similitudinis ineptiam^e reperisse, qua dicunt ita esse gratiæ Dei donum, tanquam si quis det mutuas pecunias, accepto idoneo pignore, quod nisi custodierit, debitum accipere non possit. Sed hanc similitudinem quisquis ad Deum refert, procul dubio aut fallere conatur, aut fallitur. Deus enim noster, parabola proposita (*Luc. xix, 13*), simile dixit esse regnum cœlorum homini patrifamilias qui proficiens famulis suis pecunias congrua multiplicandas negotiatione commisit. Ubi tamen sic se ostendit dedisse pecunias, ut nullum se pignus diceret accepisse. Quinimo beatus Paulus Christum in se loquentem gerens, a quo nobis sciebat pecuniam datam, ab ipso pignoris quoque gratiam testatur indultam. Ait enim: *Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus (II Cor. v, 4, 5)*. Ephesiis quoque scribens, item pignus his verbis insinuat: *Signati estis Spiritu pro missionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ (Ephes. i, 13, 14)*. Ut ergo in custodienda multiplicandaque Domini nostri pecunia non essemus pigri, 474 sed providi, spiritali sumus pignore præmuniti. Hoc pignus sine dubio servus ille non habuit, qui acceptam Domini pecuniam multiplicare neglexit (*Luc. xix, 20*). Deus ergo gratuito munere cui voluerit pecuniam suam pignusque largitur. Cæterum nos nec ei aliquid dedimus, pro quo pignus acciperemus [*Quis enim prior dedit illi, et retribuetur ei? (Rom. xi, 35)*]; neque pignus illi pro pecunia dedimus: sed et pignus et pecuniam ipso nobis tribuente habemus; quo pignore nos custodiente, non perdimus quod habemus; a quo etiam jugiter adjuvamus, ut pecunias quas accepimus commoda negotiatione multiplicare possimus.

CAP. XIX. — 32. Illum vero beati Apostoli locum, ubi de Deo dicit: *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat (Rom. ix, 18)*, melius accipimus, si hoc non ad interrogationis sensum, sed ad conclusionem sententiæ referamus. Agebat enim beatus Paulus apo-

^d Editi, telorum.

^e Editi, misericordie Domini.

^f Editi, similitudinem ineptam.

stolus de gratuita misericordia, qua Deus quos vult sine meritis salvat, et de justo judicio, quo ceteros irreprehensibili æquitate condemnat. Ubi primum de parvulis loquens Esau et Jacob, ipse sibi proposuit quæstionem, ex quibus sine aliquo priorum duntaxat operum merito, quia, dum nondum nati fuissent, nihil egerant boni vel mali, cum ambos reatus originalis peccati teneret obstrictos, uni per indebitam misericordiam gratis est impensa dilectio, alteri per debitum judicium juste retributa damnatio. In hac igitur quæstione ipse sibi quod adversarii inferre possent objiciens: *Quid ergo, inquit, dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum (Rom. ix, 14)?* Statimque respondet: *Absit.* Responsionemque suam legalis testimonii probatione confirmans ait (v. 15): *Moysi enim dicit: Miserebor cui misereor, et misericordiam præstabo cujus miserebor.* Ad explicandam quoque promissionis suæ sententiam sic conclusit (v. 16): *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Soluta vero quam de parvulis proposuerat quæstione, hominum quoque jam ratione utentium voluntates sola Dei miseratione converti, subjuncto Pharaonis ostendit exemplo. Ait namque (v. 17): *Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitari te, ut ostendam in te virtutem meam, et annuntietur nomen meum in universa terra.* Geminamque sententiam, quam de parvulorum atque majorum gratuita salvatione protulerat, una conclusione firmavit, dicens: *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult obdurat.* Ut autem hoc diceret, legalibus: e fultum non nesciebat eloquiis, quibus Deum et Moysi dixisse: *Miserebor cui misereor (Exod. xxxiii, 19)*, et de Pharaone dixisse quod ejus cor obduraturus esset, noverat contineri.

CAP. XX. — 33. Denique ut agnoscat hęc sententia non ex objectione proposita, sed ad conclusionem superioris propositionis illata, post eandem conclusionem ipse sibi beatus Apostolus hunc sermonem contradicentis objecit: *Dicit itaque mihi: Quid adhuc quæritur? Voluntati ejus quis resistit (I Cor. ix, 19)?* Solent enim homines in tenebris propriæ cecitatis errantes, cum audiunt gratia Dei præveniri atque immutari hominum voluntates, violentque se pro tenebrosi cordis perversitate culpam, excusationi suæ de jure Dei voluntate injustum captare suffragium, ut **475** exinde majus recipiant punitionis augmentum. Accusant enim Deum, a quo gratiam non accipiant; et seipsos excusant, qui Deum justum vitio suæ iniquitatis offendunt. Ipsi sibi suis manibus inferunt plagas, ac medico non dubitant irrogare calumniam, tanquam causa occisionis propriæ non in illo sit qui seipsum interficit, sed in eo qui minus ei salubri curatione subvenerit. Medicina quippe non mortis, sed curationis est causa: cui utique non recte mors ascribitur, si pessimo vulnere quod sibi homo intulit minime præbeatur. Justitiæ quippe est, si vulneratus illo relinquatur, ut mortem quam sibi spontaneis operibus ascivit, inveniat; misericordie

autem, si ab eo medicus mortis perniciem benevolentia gratuite curationis ^b excludat.

34. Tanto ergo iniquius medici benignitas infamatur, quanto minus spontanea pernicietas hominis seipsum vulnerantis attenditur: quam si in se querulus peccator intuens disceret, non divinam voluntatem ad excusationem suæ iniquitatis opponeret, sed humiliter misericordiam postularet. Respondens Apostolus ait: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo (Ibid., 20)?* Ubi non, sicut aliqui putant, beatus Paulus in responsione defecit; sed cordis obdurati superbiam utili satis increpatione compevit. Dicens enim: *O homo, tu quis es?* admonuit ut seipsum peccator superbus attendens, nec aliquid in suis operibus quod Deo placeret inveniens, a quo sibi videbat bene vivendi manare præceptum, ab ipso in humilitate contriti cordis exoraret auxilium: sciretque sibi tantummodo succensendum, quidquid cogitatione vel operatione peccaret; voluntatemque ac facultatem in fide et caritate juste sancteque vivendi nunquam homini nasci ex homine, sed divinitus tribui gratuita largitate; quæ voluntates hominum malas preveniendo mutat in bonas, ut impiis et iniquis peccata dimittat; easdemque bonas voluntates adjuvando subsequitur, ut justitiæ coronam bene viventibus reddat, quam non in hoc sæculo, sed in futuro fidelibus suis largiturus est Dominus, dum vasis misericordie gloriam largetur ^c, et vasa contumeliæ æterno semper arsura deputabit incendio.

35. In quibus vasis misericordie atque contumeliæ, cultum sensus istorum fratrum a veritate discordat, quibus videtur ipsos esse vasa misericordie, qui ecclesiasticæ sive secularis militie habent in hoc sæculo dignitatem; clericos vero et monachos, vel quoslibet laicos, vasa esse contumeliæ. Minus enim attendunt Dei bonitatem, quæ vasa misericordie, quæ præparavit in gloriam, a vasis iræ atque contumeliæ gratuita dilectione discernit, in illuminatione cordis, hoc est in fide, spe, et caritate consistere: in quibus qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth. x, 22*).

CAP. XXI. — 36. Ob hoc beatus Paulus non cuiquam seculari sive ecclesiastica prædito dignitate, sed omni operanti bonum, gloriam et honorem et pacem testatur (*Rom. ii, 10*) donari posse; et de vasis quæ in domo magna sunt loquens, non ait quia potior quemquam dignitas vas honoris efficiet, **476** sed honorem verum mundatis asserit largiendum. Sic enim dicit: *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia. et quædam quidem sunt in honorem, quædam vero in contumeliam. Si quis autem emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum (II Tim. ii, 20, 21).* ^d Iterum ait de Deo: *Qui reddet unicuique secundum opera sua; his quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem quærunt, vitam*

^a Ekd., *exst ntes.*

^b In ekd., *gratuitæ orationis, sed male.*

^c In excusis, *gratiam largietur.*

^d Locus hic Apostoli non legitur in editis, sed in mss. duobus.

æternam; his autem qui ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci; gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco (Rom. 11, 6 et seq.). Beatus quoque Petrus ostendit per misericordiam Dei, secundum quam vasa misericordiae appellantur quicunque salvantur, non dignitatem temporis in hac vita, sed donum regenerationis in fide, spe et caritate conferri. Ait enim: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui per magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi a mortuis, in hereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cælis, in vobis qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem paratam revelari in tempore novissimo, in quo exsultabitis modicum nunc, si fieri potest, per tristitiam in variis tentationibus: ut probatio vestrae fidei multo pretiosior sit auro quod per ignem probatur, et inveniatur in laudem et gloriam et honorem, in revelatione Domini nostri Jesu Christi: quem cum non videritis, diligitis; in quem nunc quoque non videntes, creditis; credentes autem exsultatis lætitia inenarrabili et honorificata, recipientes finem fidei vestrae salutem animarum (I Petr. 1, 3, 4 et seq.).*

37. Videtis pastorem sanctum ovibus, quas ab ipso Principe Dominico que pastorum alendas accepit, salubria spiritualis doctrinae pabula providentem. Nempe ostendit quid Deus hic per magnam misericordiam suam in suis fidelibus operetur, scilicet regenerationem non in spem sæcularis aut ecclesiasticæ cujuscumque transitoriae dignitatis, sed in spem vitæ æternæ; nec in hereditatem imperialis pontificalisve militiæ, sed in hereditatem incorruptibilem et incontaminatam, et immarcescibilem, neque affectandam in terris, sed conservatam in cælis; nec in eos qui secularis aut ecclesiasticæ dignitatis adipiscuntur temporaliter culmen, sed in eos qui in virtute Dei custodiuntur per fidem in salutem; non utique jam perfecte concessam in hoc sæculo, sed paratam revelari in tempore novissimo. *In quo, inquit, exsultabitis: statimque vitæ præsentis insinuans qualitatem, intulit: Modicum nunc, si fieri potest, per tristitiam in variis tentationibus.* Cujus vero utilitatis causa hæc fidelibus accidant, subsequenter insinuans: *Ut probatio, inquit, vestrae fidei multo pretiosior sit auro quod per ignem probatur, et inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem.* Quando vero sit hujus honoris et gloriæ speranda **477** collatio, mox aperit, *In revelatione, inquit, Jesu Christi.* Quod etiam Vas electionis insinuans dicit: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria (Coloss. 3, 3, 4).*

CAP. XXII. — 38. Quantum ergo pertinet ad hujus temporis vitam, constat quia in Ecclesia nemo pontifice potior, et in sæculo nemo Christiano imperatore celsior invenitur. Sed non ideo quilibet episcopus vas misericordiae putetur in gloriam præparatum,

quia pontificali militia fungitur; sed si pro grege sibi credito sollicitus semper invigilet, prædicet verbum, instet opportune, importune, arguat, obsecret, increpet, in omni patientia et doctrina (II Tim. 4, 2); nec sibi dominatum superbus usurpare contendat, sed apostolicis informatus eloquiis, exemplum se cunctis exhibeat; nec si ullius altitudinis collatum sibi gaudeat temporale fastigium, sed si se humili corde fidelibus præbeat bonæ conversationis exemplum (Tit. 2, 7). Clementissimus quoque imperator non ideo est vas misericordiae præparatum in gloriam, quia apicem terreni principatus accepit, sed si in imperiali culmine recta fide vivat, et vera cordia humilitate præditus, culmen regiae dignitatis sanctæ religioni subjiciat; si magis in timore serviat Deo, quam in timore dominari populo delectetur; si in eo lenitas iracundiam mitiget, ornet benignitas potestatem; si se magis diligendum quam metuendum cunctis exhibeat; si subjectis salubriter consulat; si justitiam sic teneat, ut misericordiam non relinquat; si præ omnibus se sanctæ matris Ecclesiæ catholice meminerit filium, ut ejus paci atque tranquillitati per universum mundum prodesse faciat suum principatum. Magis enim Christianum regitur ac propagatur imperium, dum ecclesiastico statui per universam terram consulitur, quam cum in parte quacunque terrarum pro temporali securitate pugnatur.

39. Non ergo per quamlibet sæculi aut Ecclesiæ dignitatem, sed per fidem quæ per dilectionem operatur, unusquisque vas in honorem dono Dei miserantis efficitur. Non enim Salvator noster beatos voluit nuncupari habentes sæculares aut ecclesiasticas dignitates, sed pauperes spiritu, mites, lugentes, esurientes sitiennesque justitiam, misericordes, mundos corde, pacificos, et qui persecutionem propter justitiam patiuntur (Matth. 5, 3 et seq.). Nec Abraham patrem nostrum temporales honores, vel divitiæ ad Dei amicitiam perduxerunt; sed quia *credidit Deo, reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatus est (Jac. 2, 23).* Nec pauperem Lazarum, ærumna paupertatis et famis afflictum, ab æterna requie inopia atque ignobilitas temporalis exclusit; sed virtutem, quam divinitus Abraham dives accepit ut in divitiis pauper spiritu sancte viveret, eandem accepit Lazarus pauper, ut afferens fructum cum tolerantia, translatus ab angelis in sinum Abraham divitis perveniret (Luc. 16, 22). Hoc autem ideo factum est, quia secundum sæculum alia copia Abraham divitis, alia Lazari pauperis videbatur inopia: ceterum secundum Deum, et paupertatem sanctam cum Lazaro communem Abraham dives habuit, et divitiis sanctus (forte sanctas) cum Abraham Lazarus pauper indivisa communione possedit. **478** *Deus enim pauperes elegit in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni quod promissum diligentibus se (Jac. 2, 5).* Ipsa fide divites fiunt omnes qui scientes quia præterit figura hujus mundi (I Cor. 7, 31), mortui peccato, viventes autem Deo (Rom. 6, 11), non in dignitate temporalis, sed in cruce Domini nostri Jesu Christi (Gal. 6, 14) cum Apostolo gloriantur. Sæcu-

larem quippe sive ecclesiasticam ^a dignitatem possunt et vasa misericordiae, et vasa contumeliae temporaliter adipisci, quia ista bonis sunt malisque communia; in cruce autem Domini Jesu Christi veraciter gloriari, proprium est vasorum misericordiae, quae praeparavit Deus in gloriam, quae et vocavit non solum ex Judaeis, sed etiam ex gentibus (*Rom. ix, 23, 24*). Ista vasa veraciter Christi esse beatus Paulus intimat, dicens: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitis et concupiscentiis* (*Galat. v, 24*).

40. Quisquis hoc divina illuminatus miseratione considerat, nullatenus audebit quoslibet laicos, quantacunque saeculari praeditos dignitate, mundi contemptoribus clericis ac monachis sancte viventibus praepone, ut illos vasa contumeliae appellet, a quibus divinae gratiae dono mundum ipsum contemptum videt atque calcatum, et illos pro temporali potestate putet esse vasa misericordiae, quos manifestum est in culmine saeculi constitutos, id est mundi hujus religiosos principes, mundi contemptoribus non solum episcopis, sed etiam monachis, Christianae religionis obtento, seipsos veraciter atque laudabiliter subdidisse.

41. Ergone quisquam Christianus potest ita vas misericordiae dicere imperatorem Constantinum, ut vasa contumeliae Antonium appellet et Paulum? Nonne si ipse beatae memoriae Augustus Constantinus humanis rebus hactenus interesset, tam noxiam sui nominis laudem inter maximas contumelias deputeret? Aut beatum imperatorem Theodosium sic potest quisquam vas misericordiae dicere praeparatum in gloriam, ut Joannem Thebaeum monachum a vasis misericordiae segreget, et vas in contumeliam factum perversus affirmet: cum ipse gloriosissimus Theodosius imperator, cui Deus fidei merito, quam ipse donaverat, etiam indomitas subdidit gentes, tantam dicatur memorato viro Dei honorificentiam detulisse, ut nullatenus illarum praesumeret subire conflictus, priusquam fuisset prophetica illius responsione firmatus? Ergohe tantum virum religiosissimum imperator vas contumeliae fuisse credebat, in quo sic Deum humiliterque consuleret, et per quem sibi Deum vera respondentem ipso rerum effectu testante protinus agnovisset?

42. Quis vero neget beatos episcopos Innocentium Romanum, Athanasium Alexandrinum, Eustachium Antiochenum, Gregorium Nazianzenum, Basilium Caesariensem, Ambrosium Mediolanensem, Hilarium Pictaviensem, Constantinopolitanum Joannem, Aurelium Carthaginensem, Augustinum Hippoensem, caeterosque pontifices, qui Ecclesias Dei vigilantissime gubernantes, aut nascentibus aut jam natis haereticis habitante in se sancto Spiritu restiterunt, nec veteres lupos ecclesiastico gregi permittentes irro-

pere, nec novos perniciose intra ovile dominicum latitare; quis, inquam, istos neget vasa misericordiae, quae Deus praeparavit in gloriam? Sed quis usque adeo **479** divinae fidei et caritatis inimicus, ut Paulum, Antonium, Joannem, Hilarionem, Macarium, aliosque similis vitae ac sanctitatis monachos, in quibus et rectae fidei veritas et sanctae conversationis refulsit integritas, vasa contumeliae non metuat appellare? Absit ab omnibus Christianis ut talia de bonis servis Dei credant.

CAP. XXIII. — 43. Quotquot spiritu Dei aguntur, haec indigna ^b non solum de monachis qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum, sed nec de laicis conjugatis recte credentibus recteque viventibus suspicantur. Diversus est quidem seminis fructus, quod, hominis filio seminante, terra bona fecundo sinu suscipit nutriendum; nec tamen centenus solus, sed et sexagenus, et tricenus, ut in horreum congregetur, Deo nunc interius incrementum largiente nutritur. Dicit enim Deus per prophetam, daturum se spadonibus, id est virginibus, in civitate sua et in muro suo honorem, et locum meliorem quam filiis et filiabus (*Isai. lvi, 5*). Sed et ipse in suo Apostolo loquens, honorem congruum continentiae viduali, et conjugali pudicitiae, bonitatis suae largitate concessit, dicente Paulo: *Viduas honora, quae vere viduae sunt* (*I Tim. v, iii*); et rursus: *Honorable connubium in omnibus, et torus immaculatus* (*Hebr. xiii, 4*). Itane Apostolus, qui in magna domo alia dicit esse vasa in honorem, alia in contumeliam, honorari viduas conjugatasque praeciperet, si eos inter vasa contumeliae deputeret? Vasa quidem esse in honorem omnes qui spreis facultatibus in fide et caritate deserviunt, nullus audeat negare fidelium: sed quis vasa contumeliae dicere audebit illos quibus ad dexteram constitutis ob hoc daturus est regnum Dominus ^c, quia eum in suis minimis esurientem sitientemque paverunt, vestierunt nudum, susceperunt hospitio peregrinum, visitaverunt infirmum et in carcere constitutum (*Matth. xxv, 35*)? Quis istos omnes audeat dicere vasa facta in contumeliam, quos ipse figulus ituros in vitam testatur aeternam?

44. An forte isti monachos et laicos devote Domino in suis gradibus ac professionibus servientes in hoc tantum saeculo vasa esse contumeliae dicunt, quia eos afflicti contumeliis tribulationibusque perspiciunt? Sed talia sentientes illa statim sequetur absurditas, ut ipsos primitus beatos apostolos, gregis scilicet dominici gloriosissimos arietes, vigilantissimosque pastores, vasa contumeliae appellare cogantur. Quos enim certius in Christi domo fratres isti vasa contumeliae secundum suam sententiam nuncupabunt, nisi quos pro nomine Christi Scriptura testante contumelias cognoverint pertulisse? Audiant

^a Ms. unus, *Saecularem quippe sibi, et ecclesiasticam.*

^b Sic mss. duo. Edd., *haec indigne.*

^c Sic inss. duo. At editi, *ob hoc dicitur est Dominus quia eum, etc.*

igitur beatum Paulum Thessalonicensibus hæc loquentem : *Nam ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit, sed ante passi et contumeliis affecti, sicut scitis, in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos Evangelium Dei, in multa sollicitudine (I Thess. II, 1, 2). Corinthiis quoque scribens (Cap. XII, 10), ait : Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod complaceo mihi ^a in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, **480** in angustiis pro Christo. Et ut contumelias in hoc sæculo perpeti omnibus sanctis noverint esse commune, audiant quid etiam de cæteris apostolis liber ipse testatur quem de Actibus eorum Lucas evangelista conscripsit. Ibi quippe memoratur quod Judæi apostolos in custodiam publicam missos, et angelo januas carceris aperiente dimissos, rursus adducentes cæde maceraverunt, cæsisque denunciaverunt, ne loquerentur in nomine Jesu, et dimiserunt eos. Ubi sanctus Lucas cum gaudio eos contumeliam passos his verbis insinuat : *Illi quidem gaudentes ibant a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu ^b contumeliam pati (Act. V, 41).**

^a Sic mss., juxta Græcum εὐδοκῶ. Editi, placeo mihi.

A CAP. XXIV. — 43. Sed forsitan dicent ideo beatos apostolos vasa contumeliæ non fuisse, quia illæ contumeliæ quas pro Christi nomine pertulerunt semina fuerunt futuri honoris et gloriæ, quia per illas contumelias nec veritate fidei nec sanctæ conversationis virtute privati sunt. Agnoscant ergo illos esse vasa contumeliæ (II Tim. II, 20), non qui in sæculo contumelias perferunt, sed qui intra Ecclesiam corporaliter positi, quam magnam domum appellat Apostolus, aut rectæ fidei contraria pertinaciter usque in finem sentiunt, aut sanctæ conversationis abjiciunt instituta. Simulque cognoscant, secundum beati Pauli sententiam, quia si quis se mundaverit ab istis, in quocunque gradu, in quocunque honore, in quacunque fuerit professione positus, erit vas in honore sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum (Ibid., 21), recepturus futuræ retributionis beatitudinem sempiternam ab illo iudice qui in hoc sæculo quibus vult gratuitam justificationem donat, et justificatis per fidem adiutorium gratiæ subministrat, quos in beatitudinem regni cælestis donata glorificatione angelicæ æqualitatis inducat.

^b Sic ms. unus. At editi, pro nomine Christi.

LIBER TERTIUS.

481 CAPUT I. — 1. Jam nunc de illis quos Deus prædestinavit in adoptionem filiorum ordo suscepti operis exigit disputari ^a, quos secundum veræ fidei regulam sanctarum Scripturarum auctoritate firmatam, non solum ad præmium glorificationis, sed etiam ad gratiam justificationis, nec solum ad æternam beatitudinem quæ non mutatur, verum etiam ad fidem quæ per caritatem operatur, neque ad æterna tantum præmia, sed etiam ad bona merita gratuita bonitate Dei ante mundi constitutionem in Christo prædestinatos, et hujus prædestinationis beneficio secundum propositum vocatos et justificados, nullus debet ambigere Christianus. Quisquis enim veritatem prædestinationis divinæ negare contendit, mutabilem Deum sine dubio prædicat, cui temporalium actuum humanorum temporalem cognitionem perversus assignat. Nam si Deus incommutabilis est, quod dubitandum non est, omnia futura ex æternitate incommutabiliter novit, et omnia opera sua incommutabili ordinatione disposuit. Nec potuit esse dispositionis ejus aliquando mutatio, ubi dispositorum ^b sine initio manet æterna cognitio. Proinde apud Deum sicut nunquam defuit futurarum præsentia rerum, sic nunquam defuit sempiterna et incommutabilis operum vel donorum prædestinatio futurorum. Apud ipsum quippè, in quo æterna incommutabilitas et

C incommutabilis æternitas manet, sicut inchoandarum rerum scientia nunquam potuit inchoari, sic mutabilium operum nunquam potuit æterna dispositio commutari. Deus itaque sicut nunquam futurarum rerum fuit inscius, ita nec misericordiæ aut judicii sui fuit ignarus : sed sicut semper omnia futura et bona **482** et mala præscivit, sic omnia opera gratiæ atque justitiæ suæ incommutabili prædestinatione disposuit.

D CAP. II. — 2. Magna quippe altitudo sapientiæ et scientiæ Dei, quibus divitiis plenus, omnia futura et scienter cognovit ut sapiens, et sapienter præordinavit ut sciens ^c. Cui utique non inconvenienter dicitur : *Ecce tu, Domine, cognovisti omnia novissima et antiqua (Psal. CXXXVIII, 5)*, et quem veraciter futura opera sua jam fecisse beatus prædicat Isaias, dicens : *Qui fecit quæ futura sunt (Isa. XLV, 41, sec. LXX)*. Futura quippe opera sua eo jam fecit, quo incommutabiliter facienda disposuit. Unde recte quidquid facturus est, jam ab ipso factum dicitur, in cujus operibus faciendis æterna dispositio et incommutabilis invenitur. Virtus enim et sapientia Dei ex æternitate incommutabiliter omnia futura novit, irreprehensibiliter universa opera sua futura disposuit, sic omnia quæ disposuit insuperabiliter facit ^d. Non mutat Deus prædestinata, quia sapientia ejus

^a Editi, cogit disputare.

^b Mss. duo, dispositorum ordinum.

^c Hæc, ut sapiens... ut sciens, desunt in editis.

Habentur in duobus mss.

^d Editi, irreprehensibiliter facit; in aliis, fecit.

non fallitur aut reprehenditur in dispositione; et A perficit Deus prædestinata, quia virtus ejus non impeditur aut superatur in opere. Hinc est quod Deus noster, cujus universæ viæ misericordia et veritas, et cui veraciter misericordiam et judicium cantat Ecclesia (*Psal. xxiv, 10; Psal. c, 1*), quia non solum omnia opera sua, quæ utique bona sunt, exquisita in omnes voluntates ejus (*Psal. cx, 2*), sed etiam quædam hominum et angelorum opera mala, quamvis in tempore facienda, ipse tamen incommutabilis et æternus, incommutabili atque perenni cognitione præscivit, non solum ea disposuit quæ ipsæ gratis quibus vellet donaret ut bonus, verum etiam illa quæ et bonis et malis redditurus esset ut justus.

5. Prædestinavit ergo gratis justificandos impios, et glorificandos justos, quos præveniret et subsequeretur misericordia ejus. Hi sunt secundum propositum vocati: hi sunt quos Deus præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii ejus (*Rom. viii, 29*). Fieri autem a quo, nisi ab illo qui eos Abraham promisit? Cui Abraham confortatus fide gloriam dedit, plenissime sciens quia quæcunque promisit, potens est et facere (*Rom. iv, 21*). Ipse itaque quos prædestinavit, fecit et facit conformes imaginis Filii sui, qui est fidelis in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis (*Psal. cxliv, 13*). De his Apostolus dicit: Quos prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit (*Rom. viii, 30*). Omnes isti prædestinati sic vocantur, ut justificentur; sic justificantur, ut glorificentur. Ac per hoc prædestinavit C quos voluit^a, et ad opera bona, et ad præmia sempiterna: prædestinavit ad vitam bonam, prædestinavit ad vitam æternam; prædestinavit ad fidem, prædestinavit ad speciem; prædestinavit adoptandos in sæculo, prædestinavit glorificandos in regno; prædestinavit per gratiam faciendos Primogeniti fratres, prædestinavit per gratiam perficiendos ejusdem Unigeniti coheredes. :

CAP. III. — 4. Hæc omnia sicut in se continet prædestinationis æternitas, sic implet prædestinantis Dei misericordia et justa majestas. Neque enim 483 ignarus futurorum unquam esse potuit filiorum, qui unico Filio, quem sibi coæternum ac sine initio genuit, prædestinationis fratres præparavit: nobis gratis gratiam præparans, gratis gratiam donans; D quos justificaret eligens in ipso ante mundi constitutionem, non ex humanis meritis, sed ex gratuito suæ propositæ voluntatis: voluntatem suam bonam faciens causam justificationis nostræ, non justitiam nostram inveniens causam voluntatis suæ. Testatur enim Apostolus quia Deus elegit nos in Christo ante mundi constitutionem (*Ephes. i, 4*). Et ut ostenderet nos non ex operibus eligi meruisse, sed ex electionis dono bona merita percipiase, continuo subjunxit, dicens: Ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus (*Ibidem*). Hæc electio fuit in æterna Dei præparatione, quæ per ejus gratiam perliceretur in tem-

pore. Hæc electionis æterna præparatio, ipsa est divina prædestinatio; in qua digne totum gratuito beneficio divinæ bonitatis ascribitur, quia sola ibi erga nos miserantis Dei caritas invenitur. Ideo subsequens Apostolus, hoc nobis evidenter inculcans^b, ait: Qui in caritate prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum (*Ibid., 5*). Et ut totum ex solo proposito bonæ voluntatis Dei descendere doceret, adjecit, Secundum propositum voluntatis suæ. Et ut hoc propositum bonæ voluntatis Dei gratuitum esse monstraret, secutus adjecit (v. 6), In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.

5. Prædestinatio utique filiorum Dei ad hoc utiliter non solum cognoscitur, verum etiam prædicatur, ut in omnibus rebus humanæ voluntatis et operis, dum divina prædestinatio in æterna gratiæ præparatione cognoscitur, ejusdem prædestinationis effectus in ipsa gratiæ donatione nihilominus agnoscatur; ac per hoc in ista filiorum Dei adoptione, quam Deus et prædestinando præparavit ex æternitate, et vocando ac justificando largitur in tempore, gratia Dei glorificetur, et ipsa laudetur. Elegit enim nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus (*Ephes. i, 4*).

CAP. IV. — Non ergo quos eligeret, aut sanctos, aut immaculatos invenit, aut inveniendos esse præscivit; sed ut sanctos et immaculatos faceret, ante mundi constitutionem elegit. Non ergo nos ideo elegit, quia sancti et immaculati futuri eramus, sed ut sancti et immaculati essemus. Et ideo nos in caritate prædestinavit, quia ut nos prædestinaret, gratiæ nobis effectum caritatis impendit. Prædestinavit autem nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum (*Ibid., 5*), non secundum meritum aut voluntatis aut operationis nostræ, sed secundum propositum voluntatis suæ. Et quoniam gratis a Deo hanc adoptionem filiorum accepimus, a quo gratis electi sumus, ut sancti et immaculati essemus, ideo in his omnibus laudem gloriæ gratiæ Dei beatus Paulus insinuat: ut omnis qui ejusdem gratiæ illuminatur munere, et verum gratiæ donum ex æternitate prædestinationis intelligat, et æternam Dei prædestinationem ex dono gratiæ spiritualis agnoscat.

6. Cujus prædestinationis ita manet æterna firmitas et firma æternitas, non solum in dispositione operum, verum etiam in numero personarum, 484 ut nec de illius numeri plenitudine quispiam salutis æternæ gratiam perdat, nec extra illius numeri quantitatem ad donum salutis æternæ perveniat. Deo enim, qui scit omnia antequam fiant, sic non est incertus prædestinatorum numerus, sicut dispositorum operum dubius apud eum non invenitur effectus: Apud se habet certissimum numerum prædestinatorum ille qui eos in adoptionem filiorum per Christum prædestinavit: quia in mensura et numero et pondere cuncta disposuit (*Sap. xi, 21*). Ipsos enim promisit Abraham dicens: Respice in cælum, et nu-

^a In duobus mss. additur hic, quia voluit.

^b Mss. duo, hoc nobis satianter inculcans.

mera stellas, si potes dinumerare eas; et dixit: Sic erit semen tuum. Et credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam (Genes. xv, 5). De his dicitur Danieli prophetæ: Et in tempore illo salvus erit populus tuus omnis qui invenietur scriptus in libro (Dan. xii, 1). Ipsis utique Salvator noster ait: Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis (Luc. x, 20). De his in libro sancti Danielis dicitur: Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates (Dan. xii, 3). Isti spiritaliter intelliguntur in psalmo ubi dicitur de Deo: Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat (Psal. cxlvi, 4). Proinde qui numerat multitudinem stellarum non potest suorum ignorare numerum fliorum.

CAP. V. — 7. Illi ergo numero nec aliquis additur, nec aliquis demitur^a; quia idem numerus secundum propositum Dei prædestinantis impletur. Nam quia secundum propositum voluntatis suæ Deus sanctos suos prædestinavit, de quo scriptum est, quia omnia quæcunque voluit, fecit (Psal. cxiii, 3); ita nemo potest ejus mutare prædestinationem, sicut nullus potest ejus vincere voluntatem. Quod si numerus ille certus non est apud Deum, aut divina scientia fallitur, aut voluntas divina mutatur, aut divina virtus adversitate qualibet superatur. Quod si aliquid horum soli possunt impii dicere, aut forte nec impius aliquis audent horum dicere aliquid, nemo divinam prædestinationem neget: quandoquidem illius Dei prædestinatio vera prorsus asseritur, cujus et scientia irreprensibilis, et voluntas incommutabilis, et virtus insuperabilis invenitur. Ad hanc prædestinationem pertinet, et gratuita justificatio Redemptoris, et justa redditio Judicis. Ad hanc prædestinationem pertinet misericordia quam Paulus consecutus est ut fidelis esset (I Cor. vii, 25), et corona justitiæ, quam reddet ei Dominus in illa die justus iudex: non solum autem Paulo, sed et omnibus qui diligunt adventum ejus (II Tim. iv, 8). Omnes enim quos Deus prædestinavit in adoptionem, gratis hic justificantur ex impiis, quia Christus pro impiis mortuus est (Rom. v, 6); et, omnes peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratis^b per gratiam ipsius (Rom. iii, 23). Quibus sicut per misericordiam præparavit gratuitum justificationis donum, ita per justitiam præparavit æternæ justificationis^c præmium. Opus itaque gratiæ in omnibus prædestinatis gratuita misericordia inchoatur, et justa retributione perficitur.

8. Prædestinavit ergo Deus sanctos suos, et ad gratiam vitæ bonæ, et ad gratiam vitæ æternæ. ^d Gratia ergo Dei vita æterna in Christo **485** Jesu Domino nostro. Ergo per gratiam Dei justificantur impii, ut, abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivant in hoc sæculo; et ut, justificati gratia ipsius, hæredes sint secundum spem vitæ æternæ. Præparatam ergo gratiam donat Deus,

ut homines justificentur, et bene vivant, et vitam æternam pro recte factis accipiant. Ideo autem et ipsa vita æterna, gratia Dei ab Apostolo dicitur (Rom. vi, 23), quia gratis hominibus vita bona datur, cui juste vita æterna reddatur. Præparavit autem Deus etiam malis ignem æternum: illis utique quos juste præparavit ad luenda supplicia, nec tamen prædestinavit ad facienda peccata. Prædestinavit enim Deus quod divina æquitas redderet, non quod iniquitas humana admitteret. Prædestinavit ergo homini reo non culpam quam odit, sed iudicium quod diligit. Scriptum est enim quia diligit misericordiam et iudicium (Psal. xxxii, 5) Dominus. Et ideo non solum originale, verum etiam omne actuale peccatum in malis puniturus est Deus, quia malis operibus nec præbet initium, nec adhibet aliquando consensum. Mala itaque opera non placent Deo, quia non sunt ab eo. Nam si ab ipso essent, mala non essent. Proinde bona opera quæ Deus misericorditer donat, juste coronat; opera vero quæ ipse non tribuit, juste punit: in istis coronatur divina largitio, in illis autem damnatur humana transgressio. Homo itaque illud habet salubriter quod acceperit a Deo; illud perniciose quod habuerit ex seipso.

CAP. VI. — 9. Pessimum est autem dicere quia si est prædestinatio, non debemus orare nec vigilare, sed facere omnes voluntates carnis, eo quod jam prædestinati fuerimus. Cum utique illa gratia quæ nobis divina prædestinatione fuit præparata, ad hoc divinitus nobis detur ut vigilemus et oremus, et sicut in die honeste ambulemus, non in comensationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudiciis, non in contentione et æmulatione; sed induamur Dominum Jesum Christum, et carnis curam non faciamus in desideriis (Rom. xiii, 13, 14). Quomodo enim fieri potest ut gratiam quisque accipiat, et opera gratiæ, ipsa gratia in se operante, non faciat? Gratia quippe per Spiritum sanctum datur; fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, continentia (Gal. v, 22, 23). Quis igitur accepta sancti Spiritus gratia non oret, non vigilet, non concupiscentiis carnalibus ipsius suffragio gratiæ atque juvamine repugnet? Cum utique Salvator noster vigilare et orare nos præcipiat (Matth. xxvi, 41), et beatus Paulus testetur quia qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitis et concupiscentiis (Galat. v, 24).

10. Tale est autem si quis dicat: Si prædestinatus est homo, nec orare debet, nec vigilare, quale si dicat ab eo cui vita fuerit divinitus promissa vitæ subsidia non quærenda. Nam legimus Ezechie regis ad vitam quindecim annos dono divinæ miserationis adjectos (IV Reg. xx, 6). Num ergo debuit Ezechias dicere, pro eo quod apud eum certa esset divina promissio, propterea se debere nec cibum, nec potum sumere, nec ea quæ ad vitæ subsidium pertinent

^a Mss. duo, *diminuitur*; tum addunt *quia idem numerus . . . ad hæc verba, Nam quia, quæ non leguntur in edd.*

^b Non legitur *gratis* in edd., legitur in duobus mss.

^c Forte, *æternæ glorificationis*.

^d Habentur hæc in mss., non vero in excusis.

cogitare? Cum utique ideo detur ipsius vitæ usus, A ut in corde viventis vivendi perseveret affectus; **486** et in eo quod quisque vitam suam amat, vitæ subsidia non repellat. Ab ipsa ergo vita habemus ut de statu ipsius vitæ sollicitè cogitemus. Proinde gratia quam Deus prædestinavit, id est ex æternitate suis fidelibus præparavit, hoc in nobis agit ex eo quod eam accepimus, ut in nobis eam custodiri divino munere postulemus, et hoc in operibus habeamus, quod ipsa largiente percepimus. In illis autem permanent ipsius gratiæ dona, quibus sunt divinæ prædestinationis munere præparata. Non ergo dicendum est: Si prædestinati sumus, nec vigilemus, nec oremus. Imo cum vigilamus et oramus, gratiæ Dei beneficia cognoscamus; nec denegemus æternam honorum istorum originem, quorum in nobis divi- **B** nam cernimus largitatem; quorum sic non potest esse prædestinatio dubia, sicut eorum cognoscitur præparatio sempiterna. Propter quod dicit Aposto- **lus: Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Je- su in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus (Ephes. ii, 10).**

CAP. VII. — 11. Absit autem ut dum prædestina- **ti** assertitur, evangelica et apostolica mandata solvantur. Cum utique Jesus ab initio sciret qui essent credituri, et qui eum esset traditurus (*Joan. vi, 65*), nec falsa potuerit esse scientia Creatoris: et ideo sicut præscivit traditorem suum, nec alius eum tradidit nisi ille quem ipse præscivit, sic utique illos quos præparatione sua sciebat ad fidem prædestina- **C** tos, ipsos noverat ab initio credituros. Quomodo autem assertione prædestinationis apostolica manda- **ta** solvimus, cum non solum eos qui membra Christi sunt, sed ipsum quoque Christum prædesti- **natum**, Apostolo prædicante, noverimus? De ipso enim beatus Paulus dicit: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem; qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis (Rom. i, 3).* Alio quoque loco dicit: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruantur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram (I Cor. ii, 6, 7).* Quocirca, quid est prædestinationis assertionem arguere, nisi apostolicam doctrinam mortifera impietate culpa- **D** re? Certissime quippe divinam prædestinationem Paulus et didicerat, et docebat; et quam noverat in capite, non denegabat in corpore. Sciebat enim æternum atque incommutabilem Deum, secundum æternam atque incommutabilem voluntatem suam, omnia præscisse quæ a se facienda disposuit, et omnia prædestinasse quæ se in sanctis suis misericorditer ac juste facturum esse præscivit.

CAP. VIII. — 12. Quisquis ergo PRÆDESTINATIONEM **NEGAT**, de apostolicis eam prius Epistolis debeat; ac deinde eum ostenderit juste a se reprehensum apostolum Paulum, tunc se hominibus indubitanter præbeat audiendum. Beatus apostolus Paulus noluit **sileri** quod voluit scribi: sed sicut in Epistolis suis

arguit, si quem in hominibus cognovit errorem, sic omnibus hominibus prædicari voluit quam suis inse- **rui** litteræ veritatem. Ille itaque apostolica mandata sine dubio solvit, qui apostolica dicta aut negare aut oppugnare contendit. Prædestinationem namque sicut tam fidenter quam veraciter beatus apostolus prædicavit, ita nobis prædicandam fidenter veraciterque mandavit. Nec **487** timuit ne videretur genesim, vel fatum, aut constellationem introducere: quod si isti fratres inaniter metuunt, illic trepidantes timore ubi non est timor (*Psal. xiii, 5*); et cum impiis reprehendi formidant, impie de Deo sentire non dubitant. Quis enim deterius potest de Deo æterno, de Deo vero, de Deo-bono ac beato sentire, quam qui eum negat ex æternitate scire quod esset **B** facturus in tempore; aut fortuitum ascribit divinis operibus cursum, negans æternum manere futuræ suæ operationis in illa incommutabilis Dei æterna voluntate consilium? Hæc enim assertio, quæ vere divino est inimica consilio, sicut bonas hominum voluntates et opera in æterna Dei prædestinatione haberi omnimodis negat, ita Dei scientiam ex humanis voluntatibus atque actibus pendere confirmat. Si enim Deus omnia futura opera suæ ex æterno præscivit, procul dubio eadem opera sua bonæ voluntatis suæ proposito præparavit, et quod esset operaturus, incommutabilis consilii firmitate disposuit: nec aliter potest ordo divinatorum operum currere, quam invenitur in ejus incommutabilis cognitionis præparatione constare.

C **CAP. IX. — 13.** Quidquid in tempore mutabiliter geritur, hoc in altitudine divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei æternum atque incommutabile naturaliter invenitur, qui scientiæ suæ plenitudine universa futura cognovit, et altitudine sapientiæ suæ cuncta opera sua, priusquam fierent, mirabili ordine præparavit. Alioquin præcedet divinam sapientiam humana cogitatio atque operatio, si non eam ex æternitate comprehendit divina cognitio. Necessè est autem ut si Deus incommutabilis est et æternus, sit ejus incommutabilis et æterna cognitio. Incommutabili autem et æternæ scientiæ nihil accidit temporale. Quoniam si aliquid ei in tempore accidisse cognoscitur, necessè est ut initio mutabilitateque subdatur; nec potest esse sine initio natura, cujus scientia initio invenitur esse subjecta. Cœpit enim esse qui non fuit, **D** cui scientia cœpit esse quæ defuit; nec omnia potest simul scientiæ plenitudine continere, qui potuit aliquid aliquando nescire. Semper ergo mutabilis fuit qui plenitudine cognitionis indiguit; nec ejus sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap. viii, 1*); nec attingit ubique propter munditiam suam (*Sap. vii, 24*), si vel eam aliquid futuri operis latuit, vel non habuit in æterna dispositione ac prædestinatione quod facit; nec retinet integrum suæ incommutabilitatis statum, si temporalibus operibus suis non æternum, sed temporale potest adhibere consilium.

14. Quapropter scientes Deum incommutabilem, et æternum, et perfectum, creaturæ omnipotentissimi

munum conditorem, et omnium quæ facturus erat co-
 ,nitorem atque dispositorem æternum, confiteamur
 eum opera sua omnia ex æternitate præordinasse, ex
 æternitate dona sua et judicia præparasse. Ille enim
 cui propheta dicit : *Omnia in sapientia fecisti (Psal.*
ciii, 24), in eadem sapientia in qua omnia condidit,
 cuncta quæ se facturum cognoverat ex æternitate
 disposuit, quia nihil eorum quæ facturus fuerat igno-
 ravit. Omnes ergo ante mundi constitutionem præ-
 destinando Deus elegit, quos hic in quacunque posi-
 tos ætate, quolibet tempore, secundum propositum
 vocat atque justificat : ipsis **488** etiam donat per-
 severantiam, et eosdem omnes perducit ad vitam
 æternam. Hos enim *omnes vult salvos fieri, et ad agni-*
tionem veritatis venire (I Tim. ii, 4). Voluntas autem
 Omnipotentis necesse est in omnibus impleatur. Fit
 ergo quidquid ille voluerit fieri, cujus voluntati nemo
 resistit; nec enim potestas Dei minor est quam vol-
 untas, et ideo nihil invenitur velle quod non possit
 efficere. Quædam quidem Deus facere posset, et non
 facit; nihil est tamen quod fieri velit aliquando, nec
 faciat : *Omnia enim quæcunque voluit Dominus fecit,*
in celo et in terra, in mari et in omnibus abyssis
(Psal. cxxxiv, 6). Proinde et in hominibus quoniam
 quæcunque voluit fecit, quoscunque vult fieri salvos,
 facit : et quoniam ipsa Veritas veraciter dicit : *Nemo*
venit ad me, nisi Pater, qui misit me, attraxerit eum
(Joan. vi, 44), illos omnes facit ad agnitionem veritatis
 venire, quos ipse misericorditer dignatur attrahere.

CAP. X. — 15. Ideo autem *Omnes* dicuntur, quia
 ex omni hominum genere colliguntur, ex omnibus
 gentibus, ex omnibus nationibus, ex omnibus domi-
 nis, ex omnibus servis, ex omnibus regibus, ex om-
 nibus militibus, ex omnibus provinciis, ex omnibus
 linguis, ex omnibus ætatibus, ex omnibus gradibus.
 Ita salvi fiunt omnes quos vult Deus salvos fieri, quia
 nemo salvatur, nisi quem ille voluerit gratuita justi-
 ficatione salvare. Nam cum Salvator noster dixerit
(Matth. xi, 27) : *Nemo novit Filium nisi Pater, neque*
Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius
revelare (quod utique dicens ostendit se quibusdam
 revelari velle, quibusdam nolle), dicatur quomodo
 salvos fieri velit quibus Patrem suum et seipsum
 revelare noluerit? Ostenditur quippe in Evangelio
 quibusdam in parabolis sic locutus, ut verba sua VEL-
 LET AUDIRI, NEC VELLET INTELLIGI. Quod ipse Dominus
 indubitanter aperuit. Interrogantibus namque disci-
 pulis, hæc eum Matthæus dixisse commemorat : *Vobis*
datum est nosse mysterium regni Dei, illis autem non
est datum (Matth. xiii, 11). Marcus quoque non dis-
 similem Salvatoris responsonem insinuat, cujus hæc
 esse verba testatur : *Vobis datum est scire mysterium*
regni Dei; illis autem qui foris sunt in parabolis omnia
fiunt : ut videntes videant, et non videant, et audientes
audiant, et non intelligant; ne quando convertantur,
et dimittantur eis peccata (Marc. iv, 11, 12). Lucas
 etiam eadem Dominum respondisse confirmans, ait :
Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris
autem in parabolis, ut videntes non videant, et audien-
tes non intelligant (Luc. viii, 10).

A 16. Neinpe apparet ita Dominum turbis locutum,
 ut tamen eis regni cælorum nollet aperire myste-
 rium. Quod utique faciens, ideo sua verba volebat
 intelligi, quia se in illo mysterio volebat agnoscere.
 Illam quippe agnitionem mysterii Christi esse, Pau-
 lus testatur apostolus dicens : *Instructi in caritate, et*
in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitione
mysterii Christi Jesu, in quo sunt omnes thesauri sap-
ientiæ et scientiæ absconditi (Col'oss. ii, 2, 3). Nam
 et in alio loco dicitur : *Ut Deus aperiat nobis ostium*
sermonis, ad loquendum mysterium Christi (Coloss.
iv, 3). Fidelibus quoque instantiam orationis suæ in-
 sinuans ait : *Non cesso gratius agens pro vobis, me-*
moriam vestri faciens in orationibus meis; ut Deus
Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det vobis
 B *Spiritum 489 sapientiæ et revelationis in agnitionem*
ejus (Ephes. i, 16, 17). Si ergo generaliter omnes
 homines vult Deus salvos fieri, et ad agnitionem ve-
 ritatis venire, quid est quod ipsa Veritas quibusdam
 mysterium suæ agnitionis occultat? Et utique quibus
 suam denegat agnitionem, denegat et salutem. In hoc
 enim homines salvi fiunt, in quo ad agnitionem ve-
 ritatis perveniunt. De Christo quippe dictum est
 quia *ipse salvum faciet populum suum a peccatis eo-*
rum (Matth. i, 21); de quo etiam beatus Petrus ait
 quia *non est aliud nomen sub celo datum hominibus,*
in quo oporteat nos salvos fieri (Act. iv, 12). Quomodo
 ergo erat voluntas Dei in illis salvandis, quibus abs-
 condebatur ipsa cognitio veritatis?

CAP. XI. — 17. An forte dicitur, cordis eorum du-
 ritia faciente, Salvatorem nostrum suæ agnitionis
 aperire noluisse mysterium? Ubi possemus latius
 respondere. Sed ut aliquo utamur pro servanda bre-
 vitate compendio, quicumque dicunt propter duritiam
 cordis eorum noluisse ipsam Veritatem suæ agniti-
 onis mysterium revelare, interim in hoc agnoscant,
 NON DE UNIVERSIS PRORSUS hominibus dici, quia omnes
 homines salvos vult Deus fieri, et ad agnitionem ve-
 ritatis venire : cum illos quos Christus duricordes
 videbat, nollet utique salvare, quibus propter du-
 ritiam cordis eorum volebat suæ agnitionis aperire
 mysterium. Aut ergo negent Deum velle omnes ho-
 mines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire,
 qui Salvatorem nostrum quibusdam cognitionem my-
 sterii regni cælorum dare noluisse cognoscunt; et
 mendacem pronuntient apostolum Paulum : aut si
 apostoli dictum universaliter ad cunctos omnino re-
 fertur homines, cogentur sanctos evangelistas pro-
 nuntiare mendaces. Quomodo enim quibusdam dare
 noluit nosse mysterium regni cælorum, qui omnes
 homines salvos vult fieri, et ad agnitionem veritatis
 venire? Quandoquidem si omnes omnino vult, nemin-
 eam utique non vult; et si omnes vult ad agnitionem
 suam venire, omnibus debet mysterium suæ agniti-
 onis ostendere. Sed quibusdam ipsum mysterium nosse
 non dedit.

D 18. Quale fuit ergo et velle salvare, et nolle my-
 sterium salutis ostendere? Quale fuit, queso, si Ve-
 ritas voluit ut ad agnitionem ejus omnes homines
 venirent, et eis noluit ostendere qua venirent? Quale

hoc est, ut eis neget vitam, quos invitat ad patriam? **A** Ipsa enim ait: *Ego sum via, veritas et vita: nemo venit ad Patrem nisi per me* (Joan. xiv, 6). Quomodo ergo illos vult venire ad agnitionem suam quibus denegat agnitionem suam? Quid est enim nolle mysterium suæ agnitionis ostendere, nisi nolle salvare? Non ergo omnes homines vult salvos fieri, qui vel quibusdam pro duritia cordis sui noluit suæ agnitionis aperire mysterium, sine quo nullus pervenit ad salutem. Sed Apostolus mentiri non potuit, qui dixit quia *omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (I Tim. ii, 4). Sed nec evangelistæ mentiti sunt, qui dixerunt ipsum Dominum discipulis dedisse, aliis non dedisse nosse mysterium regni cœlorum. Et utique illis quia dare voluit, dedit; illis autem quia dare noluit, non dedit: et quia istis propterea dedit ut salvi fierent, agnoscitur illis ideo non dedisse ne fierent. Istos ergo salvos fieri voluit quibus nosse mysterium salutis dedit; illos autem noluit quibus salutaris mysterii notitiam **490** denegavit. Nam si utrosque salvos fieri voluisset, utrisque agnitionem salutaris mysterii contulisset.

CAP. XII. — 19. Quoniam ergo utraque Scriptura vera est, utraque sancta, utraque divinitus inspirata, et ob hoc utraque venerabiliter est servanda, et indubitanter audienda et accipienda, removeantur ab omnibus illis omnes isti quibus Christus non dedit nosse mysterium regni cœlorum; et digne intelligantur illi omnes homines quos vult Deus salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire: quia revera in illis voluntas salvantis agnoscitur, quibus agnoscendæ veritatis gratia non negatur. Sic Deus, quia omnia quæcumque voluit fecit, suam implet in omnibus voluntatem: quia omnibus quos vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, donat salutaris mysterii rectam cum caritate notitiam. Hos omnes beatus Petrus sic intelligendos ostendit, ut illos *Omnes* diceret, quos Deus vocare dignatur. Ipsi enim verba sunt, ad Judæos ita loquentis: *Vobis enim est repromissio, et filiis vestris, et omnibus qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster* (Act. ii, 39).

20. Nam et beatus Paulus quodam loco dicit *Omnes*, cum tamen nolit universaliter omnes intelligi. Scribens enim Philippensibus, ait: *Omnes enim sua quærant, non quæ Jesu Christi* (Philip. ii, 21). Ubi utique si ab omnibus istis nullus excipitur, necesse est ut etiam omnes apostoli, et ceteri illius temporis **fideles** cum istis omnibus computentur: quod nullus quantumlibet impius suspicabitur. Restat ergo ut quosdam *Omnes* debeamus accipere, id est non omnino omnes homines, sed *Omnes* qui sua quærebant, non quæ Jesu Christi. Nam in eadem Epistola superioris quosdam bonos ostendens, ait: *Quidam autem et propter bonam voluntatem Christum annuntiant, quidam ex contentione, scientes quod in defensione Evangelii postus sum* (Philip. i, 15). Qui ergo propter bonam voluntatem ex caritate Christum annuntiabant, quia *caritas non querit quæ sua sunt* (I Cor. xiii, 5), non sua quærebant, sed quæ Jesu Christi:

non ergo erant inter illos *Omnes* qui sua quærebant, et non quæ Jesu Christi. Hos bonos in fine Epistolæ suæ sanctos appellat; et sicut illos malos *Omnes* dicit, ita et istos honos *Omnes* nihilominus dicit; ait enim: *Salutant vos sancti omnes* (Philip. iv, 22). Ecce in una eademque beati apostoli Epistola ponuntur, et omnes sancti, et omnes qui sua quæerunt, non quæ Jesu Christi; cum utique et omnes qui sancti erant sua non quæerent, et omnes qui sua quærebant sancti non essent. Accipiantur ergo et omnes isti et omnes illi, non confuse, sed distincte; et sic utrique *Omnes* dicantur, ut omnes isti ab illis omnibus, et illi omnes ab istis omnibus recto veritatis ordine discernantur.

21. Idem sensus est et in omnibus tribus quas Deus semini Abrahamæ promisit, et in eo benedicendas ostendit, dicens: *Et benedicentur in te omnes tribus terræ* (Genes. xxviii, 14). Quod etiam beatus Petrus confirmans, ait Judæis: *Vos estis filii prophetarum, et testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ* (Act. iii, 25). Ostendens autem Christum esse semen Abrahamæ, in quo est omnium tribuum benedictio repromissa, continuo hæc verba subjicit. *Vobis Deus primum suscitans Filium suum, misit **491** eum benedicentem vobis* (Ibid., 26). Christus est itaque semen Abrahamæ, in quo benedicentur omnes tribus terræ. Et utique vera est Dei promissio, quia *fidelis est Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis* (Psal. cxlvi, 13), in cujus promissione Abraham non *hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, et plenissime sciens quia quæcumque promisit, potest et facere* (Rom. iv, 20).

CAP. XIII. — Cum ergo in Christo benedici omnes tribus terræ nullus ambigat Christianus, beatus tamen Joannes in Apocalypsi loquens de Christo, id est de ipso semine Abrahamæ, in quo benedicentur omnes tribus terræ, veraciter utique dicit: *Ecce veniet cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum compunxerunt; et plangent se super eum omnes tribus terræ* (Apoc. i, 7). Ecce omnes tribus terræ benedicentur in Christo, quo tamen veniente, plangent se omnes tribus terræ.

22. Quomodo itaque nobis utrumque constabit, si vel in bono, vel in malo sic omnium tribuum plenitudo universalis accipitur, ut nihil parti alteri relinquatur? Sed idem beatus Joannes, qui de ipsius pectore Veritatis ubertatem veridicæ prædicationis ebi-berat, sic ostendit *Omnes* istas tribus quæ se in adventu Christi plancturæ sunt, ut omnes istas tribus quas in semine Abrahamæ benedicendas Deus verax promisit ex illis omnibus tribubus colligi demonstraret. In eodem quippe libro eos qui Agni redempti sunt sanguine inducit cantantes canticum novum, et dicentes: *Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus: quia occisus es, et redemisti nos in sanguine tuo, ex omni tribu, et lingua, et populo, et gente: et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabunt super terram* (Apoc. v, 9, 10).

Alio quoque memorati libri loco, dum ex duodecim A tribus filiorum Israel duodena de singulis tribubus memorasset millia signatorum, ut etiam ex omnibus tribubus terre innumerabilem turbam fidelium demonstraret, ita loquitur: *Post hæc, vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et linguis, et populis, stantes ante thronum et ante Agnum, amictos stolis albis, et palmæ erant in manibus eorum (Apoc. vii, 19)*. Hæ sunt omnes tribus de omnibus tribubus congregatæ. Iste sunt omnes tribus quæ benedicuntur credentes in Christum, de omnibus tribubus illis quæ se ideo plangent quia non crediderunt in Christum. Sic intelliguntur omnes fideles, et omnes infideles; omnes boni, et omnes mali; omnes quos Deus misericordissima bonitate salvat, et omnes quos justissima severitate B condemnat; quibusdam juste non donans veritatis agnitionem, quibusdam misericorditer agnoscendam revelans veritatem; et in omnibus implens suam omnipotentissimam voluntatem.

CAP. XIV. — 25. Plurima, secundum istius intelligentiæ saluberrimam regulam, in divinis eloquiis, testimonia poterit invenire quisquis voluerit Scripturas divinas recto cordis oculo recensere. Cum vero de humana voluntate tractatur, quod pertinet ad salutis vel exordium, vel effectum, VERUM EST QUIDEM, quia de illis qui ratione utuntur, qui volunt salvantur, et qui nolunt non salvantur; sed illi qui salvi sunt, tunc salvari volunt, quando divina gratia præveniuntur ut velint; 492 imo tunc salvari volunt, quando ipsum velle dono divinx largitatis accipiunt. Sancta enim Scriptura mentiri nullatenus potest, quæ ait: *Præparatur voluntas a Domino (Prov. viii, 35, sec. LXX)*. Unde quoque Apostolus, Christo in se loquente, veraciter dicit: *Cum timore et tremore salutem vestram operamini; Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate (Philip. ii, 12, 13)*. Nec solum initium bonæ voluntatis et operis Deo assignat Apostolus, verum etiam ab ipso utrumque testatur impleri, dicens: *Ut dignetur vos vocatione sua Deus noster: ut impleat omnem voluntatem bonitatis, et opus fidei in virtute (II Thess. i, 11)*. Et ut ostenderet hoc per gratiam fieri, secutus adjunxit (v. 12): *Ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo, secundum gratiam Dei nostri et Domini Jesu Christi*. In illis ergo qui voluntarie salvantur gratia divina operatur ut velint; in illis autem qui nolunt, humana duritia perseverat ut nolint. Quam tamen duritiam homo non habebit, cum eam Deus auferre voluerit. Sine difficultate quippe Deus potest implere quodcumque voluerit, qui ait de quibusdam: *Auferam ab eis cor lapideum, et dabo eis cor carneum (Ezech. xxxvi, 23)*. Aufert ergo cor lapideum, duritiam cordis auferens; dat cor carneum, gratiam sanctæ credulitatis infundens. Sic emollitur cor quod fuerat durum, quo sanctæ fidei tribuatur exordium.

CAP. XV. — 24. Liberum vero humanæ mentis arbitrium in primo homine rectum creatum est, non tamq̄ sine adjutorio gratiæ: talis utique gratiæ, qua

A posset, si vellet, in eadem reclinata permanere, et a qua posset, ei vellet, aversa voluntate discedere. Nunc autem in unoquoque homine gratia præveniens operatur, ut libertas arbitrii corrigatur. Arbitrium autem hominis in quantum corrigitur, in tantum liberatur; in tantum autem captivum ducitur, in quantum adhuc noxiæ servitutis necessitatibus implicatur. QUÆ NECESSITATES non solum filios sæculi mortaliter premunt, verum etiam filios Dei frequenter affligunt. Ipsa est illa lex peccati, quæ illum militem strenuum, id est Paulum apostolum, condelectantem legi Dei secuudum interiore hominem, illa in membris habitans, et legi mentis repugnans, quamvis sibi non posset in effectu subicere, non tamen quiescebat in suggestionibus concupiscentiæ captivare. Unde idem apostolus ait: *Condelector enim legi Dei secuudum interiore hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in legem peccati quæ est in membris meis (Rom. vii, 22, 23)*. Nec siluit solo se posse auxilio gratiæ liberari; ideo sequitur dicens (v. 24 et 25): *Inferi ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*. Habuit ergo in mente gratiæ fortitudinem, sed in carne infirmitatem sentiebat arbitrii, quam non habuit Adam priusquam depravaretur voluntaria prævaricatione mandati. Inde est quod Apostolus, non sub lege, sed jam sub gratia constitutus, licet mente serviret legi Dei, cogebatur tamen carne servire legi peccati: quia illud illi in voluntate divinitus datum erat, illud in eo necessitate remanserat. Illis quippe necessitatibus urgebatur invitus, a quibus eripi omnis sanctus et optat et postulat, dicens Deo: *De necessitatibus 493 meis eripe me (Psal. xxiv, 17)*. Harum necessitatum in se Apostolus molestiam sentiens dicebat: *Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, hoc facio. Si autem quod odi malum, hoc ago, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum (Rom. vii, 19, 20)*.

CAP. XVI. — 25. Hæ necessitates non desinunt in corpore mortis hujus mortaliter viventibus sanctis; quibus miserabiliter quidem concutiantur, ut agnoscant se illam gratiam sanctæ libertatis et pacis primæ in primo homine peccati merito perdidisse; nec eam posse nisi per gratiam Christi recipere, in illa duntaxat vita in qua nulla erit sanctis sollicitudo certaminis, sed perfecta securitas pacis; tunc utique quando insultabit morti, extirpata de membris omni contentione peccati. Tunc veraciter in illa pace dicetur: *Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est (I Cor. xv, 54, 55, 56)*, in quod primi hominis prævaricatione cecidimus, et sine quo in hac vita non sumus. Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est (I Joan. i, 8). Vigilandum est igitur in certamine, ut requiescatur in pace; cogitanda est liberi arbitrii semper infirmitas quam nobis primi hominis generavit iniquitas; et ad subrogandum virtutis auxilium suppliciter poscenda est divina majore

stas, ut laborantibus tribuat virtutem, et victores nos perducatur ad pacem, ubi perfectam et ab omni peccato plenissime liberatam habeamus arbitrii libertatem: tunc quando omnis creatura, quæ nunc renovatur in Christo, liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei (Rom. viii, 21). Cum autem liberabitur, procul dubio et liberæ pacis et pacatæ libertatis munere perfruetur. Quod si illa pax illaque libertas tanta etiam nunc inesset homini quantum habuit primus homo ante peccatum, non videret in membris suis aliam legem, quæ legi mentis suæ contumaciter repugnaret, et captivum in legem peccati violenter abduceret.

26. Liberum itaque humanæ mentis arbitrium, priusquam primus homo peccaret, in tantum fuit verè liberum, in quantum in se nihil ex se sentiebat adversum. Inerat ergo ei sanitas et felicitas; nec aliquam sibi sentiebat inesse miseriam, quia tenebat recta libertate justitiam. Justitia quippe liberaliter serviebat, ideo de vera libertate gaudebat.

CAP. XVII. — Primus utique homo, quandiu justitiæ servivit, peccatum omnino non habuit. Nos autem quamvis liberati a peccato, servi autem facti Deo (Rom. vi, 18), tamen si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est (I Joan. 1, 8). Adam ante peccatum non habuit super se grave jugum, quod est super filios ejus a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulture in matrem omnium (Eccli. xl, 4). In Adam ante peccatum nullam habuit caro concupiscentiam, quæ spiritui repugnaret. Sic enim faciliter dominabatur corpori, sicut obsequabatur fideliter conditori. Anima illa subditum habuit corpus, quam purus Deo subiciebat affectus. Nunc autem in eo nos non perfecte obedire Deo cognoscimus, in quo in nobis caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non quæ volumus illa faciamus.

494 27. Libertas ergo primi hominis majorem habuit pacem; sed nunc libertas fidelium per gratiam majorem accipit caritatem: illi fuit prorsus quieta in pace justitia, istis gloriosa datur in congressione victoria. Major ergo nunc datur gratia, dum per fidem liberum reparatur arbitrium; et cum, dono fidei atque caritatis infuso, arbitrii nostri Deus reparat libertatem, sic in nobis perficit in infirmitate virtutem. Sano enim primi hominis arbitrio subrepsit ruina per vitium; ut autem in hominibus sanetur arbitrium, major gratia est donata post vitium. Ita factum est ut ubi abundavit peccatum, superabundaret et gratia; ac per hoc arbitrium dono Dei reparatur: et si non tantam habet quantum prius habuit sanitatem et pacem, majorem tamen accipit ex largitate virtutem, ut voluntas hominis quæ sola deceptoris suasionem a Deo discesserat, nunc, gratiæ subnixæ præsidio, non solum suasionibus, sed nec tormentis separetur a Christo. Ita Christus Deus mirabiliter ostendit quid humana virtus valeat, quid divina: ut homo, qui per propriam voluntatem victus est sanus, accepta majore gratia non vincatur infirmus. Virtus itaque hominis quæ minorem habuit gratiam, sponte victa cecidit;

A et infirmitas hominis majore adjutorio gratiæ victoriam recipit quam amisit. Potestas utique bene vel male operandi potest inesse homini utenti ratione: sed male operandi potestas ex solo liberæ voluntatis habetur arbitrio; potestas autem bene operandi tunc libero inest arbitrio, quando donatur a Deo. Hanc potestatem divinitus dari Joannes evangelista hoc sermone testatur: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* (Joan. 1, 12).

CAP. XVIII. — 28. Quæstionem vero de anima, quam penultimam vestris in litteris posuistis, ego in hac responsione ultimam posui, quam magis arbitror conflictum apud vos habere quam terminum: in qua plus potest augeri contentio quam suffragari cognitio. B Utraque enim pars sic suis assertionibus nititur, ut contrariis nihilominus objectionibus revincatur. Cujus quæstionis beatus Augustinus profunditatem sibi imperscrutabilem cernens, nullam voluit hujus rei definitam proferre sententiam, incongruum prorsus existimans aliquid affirmare sine dubitatione velle, quod alter posset contraria responsione convellere. Cujus tam in decimo libro de Genesi ad litteram, quam in libris ad Vincentium Victorem de Origine animæ, nec non in libro primo ex duobus quos ad sanctum Hieronymum scripsit (*Epist. alias 28, nunc 166*); in tribus quoque epistolis (*V. epist. ejusd. alias 157, nunc 190*) quas ad Optatum episcopum de hac quæstione composuit, disputatione refulget non minus copiosa quam profunda; et eo magis laudabili, quia congrua temperie moderata. Ubi quidquid ingenii acumine, quidquid ratiocinationis ordine, quidquid auctoritatis pondere inquirendum discutiendumque conspexit, et inquisivit singulariter, et discussit. Consensum tamen ab utraque definitione continuit, ne laborem tantæ disputationis inaniter susciperet, quem cujuslibet sententiæ temeraria definitio vacuaret. Videbat eam partem quæ affirmat animam de anima sicut corpus de corpore propagari, et illam quæ asserit novas singulis nascentibus animas fieri, contrariis posse responsionibus submoveri: quarum pro 495 compendio responsiones singulas series hujus operis tenebit insertas.

CAP. XIX. — 29. Illi quippe qui novas animas asserunt singulis fieri, cum illis opponi cœperit quæ justitia Dei anima quæ nova datur corpori peccatum originale trahat, cum de humani seminis propagatione non veniat, omnino deficienti, duplici scilicet absurditate constricti, quia vel Deum pronuntiare compelluntur injustum, vel negare coguntur originale peccatum. Anima enim quæ non propagatur ut caro, non debet cum carne originalis peccati teneri consortio, ac per hoc invenitur nec indigere baptismatis sacramento. Et si in parvulo qui sine baptismo moritur, sola caro est peccati originalis contagione polluta, et anima non baptizati infantis sine iniquitate de hoc sæculo putatur exire: dicatur ubinam sit parvulus in resurrectione futurus? utrum in regno Dei, propter munditiam (*al. innocentiam*) animæ; an in igne æterno propter immunditiam carnis? Ubique

futurus dicatur, aut mendax Deus, aut injustus asseritur. Mendax est enim si non baptizatum introducit in regnum, cum firmissimam prælixerit Salvator ipse sententiam, dicens: *Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei* (Joan. iii, 5). Injustus est autem si cum carne miserit animam in ignem æternum, quæ cum carne non habet commune peccatum. Sed manifestum est omnem qui non fuerit aut in nomine Christi sanctificato latere, aut pro Christi nomine et ejus Ecclesia proprio sanguine baptizatus, ignis æterni combustionem dammandam. Quæ ergo justitia divini judicii anima cum sua carne in ignem æternum mittetur, si peccati originalis crimine non tenetur?

30. An forte hanc absurditatem quisquam tentabit arripere, ut animam seorsum dicat pro sua munditia (forte deest felicem, vel quid simile) in æternum futuram, carnem vero asserat in æterno igne, originalis merito iniquitatis arsuram? Sed veritas catholicæ fidei, quæ in cunctis hominibus resurrectionem carnis futuram certissime credit et prædicat, destruit hujus adinventionis ineptissimam falsitatem. Caro enim si animam non recipiet, non resurget; et si non resurget, utique nec vivet. Quæ ergo sine anima non potest vivere, quomodo exanimis poterit illius ignis cruciamenta sentire? Necessè est itaque ut carnem negent resurrectorum, qui volunt animam non baptizati parvelli propter munditiam collocare in regno. Quod etiam ipsi vident quæmadmodum dicatur non solum tam absurde quam impie. Magnæ quippe impietatis est, aut resurrectorum negare mortuam hominis carnem; aut animam dicere absque carne in qua vixit, vel ærumnæ, vel felicitatis, post judicium fore participem. Cum Salvator noster futuram resurrectionem carnis ostendens dixerit: *Quia veniet hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem ejus; et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (Joan. v, 28, 29). Necessè est autem ut, resurgente corpore, pro operibus suis sit retributio animæ carnisque communis: quia cum caro resurrexerit, nec corpus sine anima, nec anima sine corpore remanebit. Erit igitur communiter animæ et carni æterna vel exultatio, vel afflictio, quando indissolubilis **496** manebit æterna carnis animæque connexio; quæ tamen non debent habere commune supplicium, si non habent commune peccatum: quia non convenit justitiæ Dei ut anima quæ novo corpori datur, nec cum ipso corpore propagatur, cum quo communem non habet propaginem, reatum propagationis compellatur habere communem.

CAP. XX. — 31. Illi vero qui asserunt animas cum corporibus propagari, possunt quidem ex hoc, ad ostendendum in parvulis justum Dei judicium, firmare non solius carnis, nec solius animæ, sed utriusque commune originale peccatum, ut ex communione propaginis peccati quoque reatus digne credatur esse communis: sed in consideratione seminum quæ non concepta pereunt, penitus obmutescant. (forte obmutescunt). Animam quippe humanam certum est

æternitatem ipso conditionis munere percepisse; quæ necesse est ut corpus in quo hic quantulocunque tempore vixerit, in resurrectione recipiat. Quis ergo dicat animata semina profluxisse, sive illa quæ non concipiuntur, sive quæ nocturna illusionem funduntur? Quod omnis sapiens videt quam sit absurdum, et a ratione omnimodis alienum.

32. Dum ergo his atque hujusmodi propositionibus partes se invicem vincunt, victrices esse non possunt: quia unaquæque earum sic victrix efficitur de alieno, ut vincatur de suo; et cum alienam propositionem destruxit, ipsa non valet astruere quod proponit. Quanto ergo melius ab hujus questionis certamine temperamus, in qua nos inaniter laborare cognoscimus: præsertim quia quod a sanctis viris majoribus nostris videmus minime definitum, oportet nos tanto cautius atque temperantius quærere, quanto ad ejus finem illos præclaros viros cernimus minime pervenisse. Sit ergo nobis sine dubitatione compertum, quod catholica fides et credit et prædicat: animam scilicet humanam spiritum rationalem esse, non corpus; nec esse Dei partem, sed Dei creaturam; nec pro quibuslibet peccatis ante corpus gestis tanquam in carcerem missam in corpus, sed ex opere atque ordinatione Dei insertam esse corpori, ex qua corpus et vivat et sentiat: quam non dubitemus cum carne in qua nascitur originale peccatum trahere, et ob hoc beneficio sancti baptismatis indigere.

CAP. XXI. — 33. His enim omissis, quas supra posuimus, catholicæ fidei veris manifestisque sententiis, in diversos errores multi miserabiliter inciderunt. Tertullianus quippe animam non spiritum esse dicens, sed corpus, vehementer erravit, eo usque desipiens, ut etiam summum et verum Deum corpus esse diceret: cum non solum de Deo rerum omnium creatore legamus, quia *Deus spiritus est* (Joan. iv, 24), verum etiam de angelis quos Deus creavit, dicatur in psalmo: *Qui facit angelos suos spiritus* (Psal. ciii, 4). Animam quoque humanam spiritum rationalem esse nemo sapiens dubitet: de quo spiritu Apostolus dicit: *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est* (I Cor. ii, 11)? Ideo et sanctus evangelista rationalem animam, quam Christus cum carne suscepit, non corpus, sed spiritum esse docuit. Nam ipse Salvator dixerat: **497** *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (Joan. x, 18): quam sine dubio tunc posuit, cum evangelista dicit, quia *inclinato capite emisit spiritum* (Joan. xix, 30). Anima vero humana in eo rationalis ostenditur, in quo ad imaginem et similitudinem Dei facta narratur. Unde divinitus homines admonentur ne fiant *sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (Psal. xxxi, 9).

34. Animam vero partem Dei esse, id est unius cum Deo esse naturæ, cæca Manichæorum sentit impietas: quæ Dei substantiam non solum in corporibus hominum, pecorum, avium, atque piscium, verum etiam in lignis et herbis, in arboribus et oleribus æstimant colligatam. Ignorant enim miseri, nec attendunt non hoc esse creaturam quod est Creator;

cum Deus sit immutabilis, anima vero mutabilis: A hæc modo scit, modo nescit; modo deficit, modo proficit; modo sapit, modo desipit; modo reminiscitur, modo obliviscitur; modo odit quod modo dilexerat, modo diligit quod modo oderat; modo incidit in seductionis laqueum, modo etiam non seducta præbet tamen errori consensum. Quod beatus Apostolus in Adam et ejus muliere certissime ostendit, dicens: *Adam enim non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit* (1 Tim. II, 14). Mulier ergo seducta peccavit, cui vir non seductus voluntaria pravitate consensit. Impium est itaque credere animam partem esse Dei: quæ ex eo quod aliquando in deterius commutatur, non pars divinæ naturæ, sed quedam pars divinorum operum invenitur. Ex illis quippe operibus est quæ fecit Deus, singula quidem bona, simul autem omnia bona valde.

CAP. XXII. — 35. Illud quoque fidei est omnino contrarium, animam antequam fuisset in corpore, in quibuslibet locis cœlestibus aut terrenis aliquid deliquisse, et merito cujusquam peccati in corpus meruisse detrudi; quod sensisse dicitur Origenes. Cui omnino apostolus Paulus obsistit, dicens nondum natos nihil egisse boni vel mali (Rom. IX, 11). Actus quippe nascentium nulli sunt proprii, cum tamen aliquo primi hominis peccato nascamur obstricti. *Per unum enim hominem in hunc mundum peccatum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (Rom. V, 12): unde naturaliter filii iræ facti sunt, servique peccati; servientes autem peccato, liberi facti sunt justitiæ: ut pote qui in iniquitatibus concepti sunt, et quos in delictis matres suæ in utero atuerunt (Psal. I, 7).

36. Ex hac originalis obligatione peccati amissa est illa bona libertas arbitrii, quando maxime libertatis vitio cœpit homo peccato voluntarie famulari. Ideo est omnibus hominibus in omnibus ætatibus constitutis, id est ab ipsa nativitate de ventre matris usque ad finem decrepitæ senectutis, necessarius sanguis Christi, qui in remissionem fusus est peccatorum, et solus potest delere omne peccatum. *Unus est enim mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus* (II Tim. II, 5); in cujus morte quisquis non fuerit ei in baptisate consepultus, nec potiri regno, nec ignis æterni poterit carere supplicio. Veritas quippe ait quia *si quis non fuerit renatus ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei* (Joan. III, 5). Quapropter de 498 omnibus hominibus, pusillis et magnis, infantibus, pueris, adolescentibus, juvenibus, senibus accipiendum est quod ille doctor gentium in fide et veritate veraciter dicit: *Non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum* (Rom. III, 22 et seq.). Præcedens autem delictum cum in infantibus quæritur, illud sine dubio primum primi hominis invenitur, quod per primum hominem in

hunc mundum intravit, et in ipso auctore totam sibi progeniem originaliter vindicavit. Quæ propago indiget sanguine illius mediatoris redimi, qui verus in forma Dei permanens Deus, ita semetipsum exinanivit formam servi accipiens, ut nec originalis, nec actualis maculam posset habere peccati.

CAP. XXIII. — 37. In ipso itaque nobis reddita est vera libertas, cui nulla potuit inesse vel originalis vel actualis iniquitas. Inde est quod ipse dicit: *Ecce venit princeps mundi, et in me non habet quidquam* (Joan. XIV, 30). Ipse justus et justificans, liber et liberans: qui utique justificando liberat, et liberando justificat. Liberat autem homines de potestate diaboli, liberat arbitrium hominis a servitute peccati; ut ait arbitrium hominis vere liberum, quia salubriter liberatum, et ad hoc insit ei vera libertas, ut ei nulla dominetur iniquitas. Hanc se libertatem daturum esse per gratiam, ipse liberator noster hoc sermone testatur: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Et paulo post: Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (Joan. VIII, 34, 36). Filius ergo ab illa peccati servitute liberat, ut arbitrium liberum Christi gratia liberatum, justitiæ laudabiliter serviat, quod peccato nequiter serviebat. Ita fit ut non per arbitrium hominis, sed per gratiam liberatoris non regnet peccatum in mortali corpore (Rom. VI, 12), dum justificamur ex fide; et per adjutorium gratiæ Deus in nobis operatur et velle et perficere, pro bona voluntate; ipse nobis bonam voluntatem donans, ipse facultatem boni operis subministrans, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum (Jac. I, 17); sine quo nihil facere possumus, et in quo omnia possumus, in quantum ab eo gratiam virtutis accepimus. Quod utique recta confidentia beatus præsumit Apostolus, dicens: *Omnia possum in eo qui me confortat* (Philip. IV, 13). Et iterum: *In quo laboro certando secundum operationem ejus, quam operatur in me in virtute* (Coloss. I, 29).

CAP. XXIV. — 38. Hæc omnia fideliter atque indubitanter tenentes, sine periculo sumus, etiamsi quemadmodum dentur animæ corporibus nesciamus. Sufficit autem scire nos prima nativitate pollutos, secunda nativitate mundatos; prima nativitate captivos, secunda nativitate liberos; prima nativitate terrenos, secunda nativitate cœlestes; primæ nativitate vitio carnales, secundæ nativitate beneficio spirituales; prima nativitate filios iræ, secunda nativitate filios gratiæ; prima nativitate filios sæculi, secunda nativitate filios Dei. Proinde etsi scire non possumus quemadmodum anima detur corporibus, illud recte credendo et bene vivendo, illud instantissime satagamus, ut in regno 499 Dei et anima nostra lætetur et corpus. Illud ergo si scire non possumus, patienter ignoremus: regnum autem Dei ardentem atque instantem queramus, ubi procul dubio etiam hoc Deus nobis revelabit, quod non hic nobis inaniter occultatur, nisi quia in hac vita forsitan non competit ut sciatur.

39. Quod si quisquam divinitus illuminatus, aut iudiciis certissimæ rationis, aut testimoniis sancto

auctoritatis valuerit vel agnoscere, vel docere, animas humanas aut novas singulis corporibus dari, aut cum ipsis corporibus propagari, illud interim asserat quod habet fides ecclesiastica manifestum, omnes scilicet homines ex ipso conceptu trahere originale peccatum, quod sit in singulis nascentibus unius mediatoris sanguine remittendum, ut impietatis nexum, qui prima nativitate contrahitur, secunda nativitate solvatur; et per Filium Dei, qui factus est ex muliere, factus sub lege (*Gal. iv, 4, 5*), ut adoptionem filiorum recipereimus, ipsius adoptionis gratiam, quam unus-

A quisque perdidit vitio hominis peccatoris, recipiat beneficio Redemptoris. Hoc indubitanter asserens, quidquid deinceps secundum veritatem poterit de animarum origine demonstrare, recte faciet non tacere. Tunc autem quaestio de anima recte tractatur, si non dubitatur de originali peccato humani generis, et de beneficio sancti baptismatis, quod captivis donatum est per gratiam Salvatoris, qui dignatus est et totam sine peccato naturam nostri generis accipere, et omnem culpam nostri criminis abolere.

S. FULGENTII DE FIDE, SEU DE REGULA VERÆ FIDEI, AD PETRUM, LIBER UNUS.

500-PROLOGUS. — 1. Epistolam, fli Petre, tuæ B caritatis accipi, in qua te significasti velle Hierosolymam pergere, et poposcisti te litteris nostris instrui quam debeas in illis partibus veræ fidei regulam tenere^b, ut nullus tibi possit sensus hæreticæ subrepere falsitatis^c. Gaudeo quidem quod pro fide vera sine ullo perfidiae vitio custodienda sollicitudinem geris, sine qua nulla potest prodesse, imo nec esse, conversio. Apostolica quippe dicit auctoritas quia *sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr. xi, 6*). Fides est namque bonorum omnium fundamentum^d. Fides est humanæ salutis initium^e. Sine hac^f nemo ad filiorum Dei numerum potest pertinere^g: quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam **501** justificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit æternam; et si quis hic non ambulaverit per fidem, non perveniet ad speciem. Sine fide omnis labor hominis vacuus est. Tale quippe est, ut sine vera fide quisque velit Deo per contemptum sæculi placere^h; quale si quisquam (*al. quispiam*) tendens ad patriam, in qua se scit beate esse victurum, relinquat itineris rectitudinem, et improvidus sectetur errorem, quo non ad beatam civitatem perveniat, sed in præcipitium cadat; ubi non gaudium pervenienti detur, sed cadenti interitus inferatur.

2. Verumtamen ut de fide sufficiens sermo promatur, nec temporis suffragatur spatium, quia celeriter nostrum cupis habere responsum, et tam magnum est hujus disputationis opus, ut magnis vix possit impleriⁱ sermonibus. Neque enim poposcisti sic te debere de fide instrui, ut unam quamlibet hæresim designares^j, contra quam specialiter nostræ disputationis vigilaret intentio: sed cum indefinite definitionem fidei petis, eamque cupis etiam sub brevitate concludi, vides procul dubio quam sit nobis impossibile ut rem tantam in brevi plene comprehendamus, cui sufficientes esse non possumus, etiamsi tantum spatium temporis et tale nobis esset ingenium, ut multa volumina de hoc quod a nobis expetis facere valeremus (*al. valeamus*). Sed quia *Deus prope est omnibus invocantibus eum in veritate* (*Psal. cxxiv, 18*), qui *verbum consummans et brevians fecit super terram* (*Rom. ix, 28*), spero quia, sicut tibi dedit hujus fidei sanctam sollicitudinem, sic etiam mihi, ut tuo tam bono tamque laudabili serviam desiderio, sufficientem tribuet facultatem: ut etsi non potero (*al. potero*) cuncta dicere, ex quibus omnis error hæreticus possit agnosci, et agnitus vel convinci valeat vel vitari, tamen in nomine atque adiutorio sanctæ Trinitatis, quæ unus solus verus et bonus est

^a Antehac excusi codices hunc titulum præferunt, *De Fide, ad Petrum Diaconum*. Nos vero addendum duximus et hunc, *seu, De Regula veræ fidei*: tum quia sic appellatur liber iste hic sub initium, et in epistola Ferrandi ad S. Fulgentium, supra 11, tum etiam quia sic legitur in antiquissimo codice ms. Corbeiensi. Expungendum quoque nomen diaconi credidimus. Primo quia ex ipso totius libri contextu facile conjicitur diversum plane esse Petrum hunc a diacono cui inscribitur liber de Incarnatione, seu epistola supra 16. Cum bene multa ibi pertractentur quæ eadem hic non fuissent repetenda. Deinde quia nec fratrem, nec condiaconum vocat, quo tamen nomine compellere solet presbyteros aut diaconos, ut patet ex epistolis supra 5, 12, 14 et 17. Denique, quid si hinc quoque argumentum aliquod ducere non pigeat, quod, infra, capite 45 (auctoris licet, ut ibi dicitur, a Fulgentio diversi) habetur: *In militia sæculi exhibe regi terreno fidele servitium; quia hoc dicit Deus, hoc mandat Apostolus*,

^b Ms. Vaticanus unus, *in illis partibus fidem tenere*. Cæteri omnes mss. et editi, *veræ fidei regulam*.

^c Ms. Vat. unus, *ut nullus te possit sensus hæreticæ subrepere pravitatis*. Alii duo, *subripere falsitatis*.

^d Ms. Corb. vetustissimus et optimæ notæ habet: *Fides namque divinitus inspirata, ipsa est quæ bonorum omnium fundamentum est*. Cæteri habent ut legitur in textu.

^e Vatic. duo, *et totius humanæ salutis iudicium atque initium*.

^f Edd., *Sine hac fide*. Abest fide a mss. Corb. et Vat. quatuor.

^g Editi, *pervenire*. Mss. quinque, *pertinere*.

^h Vatic. duo, *Tale quippe est sine vera fide quemquam velle Deo*, etc. Vatic. alter, *si sine vera fide quisque velit*.

ⁱ Sic ms. Vatic. unus. Mss. alii et edd., *ut a magnis vix possit impleri*.

^j Vat. unus, *sic te de fide instrui, ut ... designarem*.

Deus, ea dicam in quibus saltem magna ex parte rationem catholicæ fidei constet sine aliqua erroris caligine contineri. Quibus retentis, poteris etiam illa deprehendere atque fugere, quæ etsi in hoc opere non videntur speciali disputatione convinci, tamen ex iis quæ hic generaliter atque absolute ponentur, appareat (al. apparent) illa quæ infideles homines a auribus volunt (al. solent) insurrare fidelium, non regula divinæ veritatis tradita, sed nequitia humani erroris inventa.

CAPUT I. — 3. Quocunque igitur loco fueris constitutus, quia, secundum regulam nostri Salvatoris imperio promulgatam, nosti te in uno Patris ^b et Filii et Spiritus sancti nomine baptizatum, principaliter atque indubitanter toto corde retine, Patrem Deum, et Filium Deum, et Spiritum sanctum Deum, id est sanctam atque ineffabilem Trinitatem unum esse naturaliter Deum, de quo in Deuteronomio dicitur: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus* (al. Dominus) *unus est* (Deut. vi, 4). Et, *Dominum* **502** *Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (Ibid., 13). Verumtamen quia istum unum Deum, qui solus est verus naturaliter Deus, non Patrem solum, neque Filium solum, neque solum Spiritum sanctum, sed simul Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse diximus, cavendum est ne sicut Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum Deum esse, quantum ad naturalem attinet unitatem ^e, veraciter dicimus, sic eum qui Pater est, eundem vel Filium, vel Spiritum sanctum; aut eum qui Filius est, sive Patrem, sive Spiritum sanctum; aut eum qui Spiritus sanctus proprie in confessione hujus Trinitatis dicitur vel Patrem vel Filium personaliter dicere sive credere, quod omnino nefas est, audeamus.

4. Fides enim quam sancti patriarchæ atque prophetæ ante incarnationem Filii Dei divinitus acceperunt, quam etiam sancti apostoli ab ipso Domino in carne posito audierunt, et, Spiritus sancti magisterio instructi, non solum sermone prædicaverunt, verum etiam ad instructionem saluberrimam posteriorum scriptis suis inditam reliquerunt, unum Deum prædicat Trinitatem, id est Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Sed Trinitas vera non esset, si una eademque persona diceretur Pater et Filius et Spiritus sanctus. Si enim sicut est Patris et Filii et Spiritus sancti una substantia, sic esset una persona, nihil omnino esset in quo veraciter Trinitas diceretur. Rursus Trinitas quidem vera esset ^d, sed unus Deus Trinitas ipsa non esset, si quemadmodum Pater et Filius et Spiritus sanctus personarum sunt ab invicem proprietate distincti, sic fuissent naturarum quoque diversitate discreti. Sed quia in illo uno vero Deo Trinitate, non solum quod unus Deus est, sed

A etiam quod Trinitas est, naturaliter verum est, propterea ipse verus Deus in personis Trinitas est, et in una natura unus est ^e. Per hanc unitatem naturalem totus Pater in Filio et Spiritu sancto est, et totus Filius in Patre et Spiritu sancto est, totusque Spiritus sanctus in Patre et Filio est. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est (1 Sent., dist. 19, cap. Et inde): quia nemo alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. Quia nec Filio nec Spiritu sancto, quantum ad naturam divinam unitatem pertinet, aut anterior ^f, aut major Pater est (Ibidem, cap. Nunc postquam); nec Filii æternitas atque immensitas, velut anterior aut major, Spiritus sancti æternitatem immensitatemque aut præcedere aut excedere naturaliter potest. Sicut ergo **B** nec Filius posterior aut minor est Patre, ita nec Spiritus sanctus posterior aut minor est Filio. Æternum quippe et sine initio est, quod Filius de Patris natura natus existit ^g; et æternum ac sine initio est, quod Spiritus sanctus de natura Patris Filiique procedit. Ob hoc ergo tres unum recte credimus et dicimus Deum, quia una prorsus **503** æternitas, una immensitas, una naturaliter trium est divinitas personarum.

5. Teneamus igitur Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse naturaliter Deum; neque tamen ipsum Patrem esse qui Filius est, neque Filium ipsum esse qui Pater est, nec Spiritum sanctum ipsum esse qui Pater aut Filius est (1 Sent., dist. 2, cap. Omnes autem catholici). Una enim est Patris et Filii et Spiritus sancti essentia, quam Græci *οὐσία* vocant, in qua non est aliud Pater, et aliud Filius, et aliud Spiritus sanctus, quamvis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Quod nobis maxime in ipso sanctarum Scripturarum demonstratur initio, ubi Deus dicit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Genes. 1, 26). Cum enim singulari numero dicit *imaginem*, ostendit unam naturam esse, ad cuius imaginem homo fieret. Cum vero dicit pluraliter, *nostram*, ostendit eundem Deum, ad cuius imaginem homo fiebat, non unam esse personam. Si enim in illa una natura ^h Patris et Filii et Spiritus sancti una esset persona, non diceretur, *ad imaginem nostram*, sed, *ad imaginem meam*; nec dixisset *faciamus*, sed, *faciam*. Si vero **D** in illis tribus personis tres essent intelligendæ vel credendæ substantiæ, non diceretur, *ad imaginem nostram*, sed, *ad imagines nostras*: una enim imago trium naturarum inæqualium esse non posset. Sed dum ad unam imaginem unius Dei homo factus dicitur, una sanctæ Trinitatis essentialiter divinitas intimatur. Deinde (al. Denique) et paulo post pro eo quod Deus superius dixerat: *Faciamus hominem ad*

^a Ms. unus addit et increduli.

^b Mss. duo, in nomine Patris, etc.

^c Ms. Corb., veritatem.

^d Mss. duo aliter hæc habent, *Rursus, Trinitas vera non esset, si unus Deus Trinitas ipsa non esset; sed quemadmodum*, etc. Unus ex his, ut quemadmodum, etc.

^e Ms. Corb., Trinitas est, in natura unus est.

^f Ms. Vatic. unus, *Haud enim major est Pater, nec Filio, nec Spiritu sancto, quantum ad naturam divinam unitatem pertinet, aut anterior.*

^g Mss. sex, et Magister 1 Sent. dist. 19, existit. Editi, et Angl. ms., existit.

^h Ms. Corb., in illa una essentia.

imaginem et similitudinem nostram, sic hominem factum Scriptura narravit, ut diceret: Et fecit Deus hominem: ad imaginem Dei fecit eum (Genes. 1, 27).

6. Hanc Trinitatem personarum atque unitatem naturæ propheta Isaias revelatam esse sibi non tacuit ^a, cum se dicit Seraphin vidisse clamantia: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth (Isa. vi, 3)*. Ubi prorsus in eo quod dicitur tertio Sanctus, personarum Trinitatem; in eo vero quod dicitur semel Dominus Deus sabaoth, divinæ naturæ cognoscimus unitatem. In illa igitur sancta Trinitate, quæ Ideo a nobis repetitur ^b, in vestro cordi ^c tenacius indigatur, unus est Pater ^d, qui solus essentialiter de seipso unum Filium genuit; et unus Filius, qui de uno Patre solus est essentialiter natus (*al. genitus*); et unus Spiritus sanctus, qui solus essentialiter de Patre Filioque procedit. Hoc autem totam una persona non posset, id est et gignere se, et nasci de se, et procedere de se. Quia igitur aliud est genuisse quam natum esse, aliudque est procedere (*al. processisse*) quam genuisse vel natum esse, manifestum est quoniam alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Trinitas itaque ad personas Patris et Filii et Spiritus sancti refertur, unitas ad naturam.

CAP. II. *Humanitas Christi.* — 7. Sicut ergo, secundam illam divinitatem qua unum sunt Pater **504** et Filius et Spiritus sanctus, neque Patrem natum credimus, neque Spiritum sanctum, sed solum Filium: sic etiam secundam carnem solum Filium natum catholica fides et credit et prædicat. Neque enim in illa Trinitate proprium esset solius Patris quod non est natus ipse, sed unum ^e Filium genuit; neque proprium solius Filii, quod non genuit ipse, sed solus de Patris essentia natus est; neque proprium Spiritus sancti, quod nec natus est ipse, nec genuit, sed solus de Patre Filioque procedit ^f; si secundum divinam quidem naturam Deus Pater de nullo nasceretur Deo, secundum carnem tamen ipse nasceretur de (*al. ex*) virgine. Si enim Pater de virgine nasceretur, una persona esset Pater et Filius: ipsa autem una persona, pro eo quod non de Deo, sed tantum de virgine nasceretur, non Dei Filius, sed tantum hominis filius veraciter diceretur; nec ipse Dei Filius diceret: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret (Joan. iii, 6)*; et iterum: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per*

A ipsum (*Ibid.*, 17). Nec beatus dixisset Joannes: *Qui diligit genitorem, diligit et eum qui notus est ex eo (I Joan. v, 1)*; nec ipse Filius dixisset: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor (Joan. v, 17)*. Ipse enim qui Filius dicitur, si idem esset et Pater, non veraciter Dei Filius diceretur, quia non de Deo, sed de sola virgine nasceretur. Ad extremum vero nec ipse Pater de cælo testaretur, et suum corporali voce filium demonstraret, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* ^h (*Math. iii, 17*). Apostolus quoque Paulus non dixisset de Deo Patre: *Qui proprio Filio suo non pepercit* ⁱ, *sed pro nobis omnibus tradidit illum (Rom. viii, 32)*.

8. Sed quoniam ista omnia et divinitus ad nostram doctrinam dicta sunt, et quia divina dicta sunt ⁱ, **B** utique vera sunt, verum est quod fides catholica prædicat, et secundum divinitatem de Patre natum esse solum Filium æternum cum Patre, immortalem, impassibilem, atque incommutabilem Deum; et secundum carnem non Patrem, sed unigenitum ejus Filium, salva æternitate sua ^l, temporaliter natum, salva impassibilitate sua passum, salva immortalitate sua mortuum, salva incommutabilitate sua, qua (*al. quia*) Deus verus et vita æterna est, veraciter suscitatum. Qui totum habet commune cum Patre quod æternus naturaliter sine initio habuit, et nihil habet commune cum Patre eorum quæ in suam personam temporaliter atque humiliter ille æternus atque excelsus accepit ^l.

505 9. Rursus si non ille qui proprius atque unigenitus Dei Patris Filius est, sed Spiritus sanctus nasceretur ex virgine, non ipsum Filium qui factus est ex muliere, factus sub lege, natum de Spiritu sancto ex Maria Virgine, in symbolo acceptum, et corde ad justitiam crederet, et ore ad salutem sancta confiteretur Ecclesia. Sed et si ipse Spiritus sanctus, qui Patris et Filii Spiritus est, formam servi acciperet, non ipse Spiritus sanctus super seipsum hominem factum in columbæ specie cœlitus adveniret.

10. Pater igitur Deus de nullo genitus Deo, semel de sua natura sine initio genuit Filium Deum sibi æqualem ^m, et eadem qua ipse naturaliter æternus est divinitate cœternum. Sed idem Dei Filius cum ait Deus æternus et verus ⁿ, et cum Patre secundum divinitatem naturaliter unus Deus, secundum hoc **D** quod dicit: *Ego et Pater unum sumus (Joan. x, 30)*, idem pro nobis est homo factus verus et plenus. In

^a Mss. tres, *revelatam sibi notavit.*

^b Editi, *repetitur toties*. Absent toties a mss. sex.

^c Mss. duo, *vestro cordi*; edd., *nostro*.

^d Editi, *Deus Pater*. Mss. tres omittunt *Deus*.

^e Ms. unus, *sed unicum*.

^f Ms. Corb. add. *incommutabili æternitate procedit*, etc.

^g Sic Vatic. unus, et quidem melius quam cæteri, ubi legitur: *Ipse autem Dei Filius dicit quia sic dilexit Deus*.

^h Vatic. ms. addit, *ipsum audite*. Cæteri non addunt.

ⁱ Mss. duo, *proprio Filio non pepercit*.

^l Sic eccl'ia. et mss. quatuor. At ins. Corb., et quæ divina dicta sunt. Vat. unus, et quia divina sunt.

^k Vatic. unus, et secundum carnem non de Patre sed de matre unigenitum Patris Filium, salva æternitate sua. Cæteri legunt uniformiter.

^l Additur in quibusdam hic, *de virgine*, sed redundare videtur: nec legitur in mss. tribus et Ant. Redundant quoque hic in quibusdam hæc verba, *Una enim persona esset Pater et Filius; ipsa autem una persona pro eo quia non de Deo, sed tantum de virgine nasceretur non Dei Filius*. Absunt enim a mss. tribus et Ant.

^m Vatic. ms., *cœqualem sibi*. At alii omnes, *æqualem sibi*.

ⁿ Sic ms. Corb. At Vatic. unus, *cum sit Dei Filius æternus et verus*.

eo verus, quia veram habet Deus ille ^a humanam naturam; in eo vero plenus, quia et carnem humanam suscepit, et animam rationalem. Idem tamen Unigenitus Deus secundo ^b natus est, semel ex Patre, semel ex matre: natus est enim de Patre Deus Verbum, natus est de matre Verbum caro factum.

11. Unus igitur est atque idem Deus Dei Filius natus ante sæcula, et natus in sæculo; et utraque nativitas unius est Filii Dei: divina, secundum quam creator in forma Dei coæternus Patri Deus est; humana, secundum quam semetipsum exinanitens, et formam servi accipiens, non solum in conceptu materni uteri semetipsum, dum homo fieret, eadem servilis formæ susceptione formavit, verum etiam de eodem matris utero ^c idem Deus homo factus exivit, et in cruce idem Deus homo factus pendit ^d, et in sepulcro ^e idem Deus homo factus jacuit, et ab inferis idem Deus homo factus tertio die resurrexit; sed in sepulcro secundum solam carnem idem Deus jacuit, et in infernum secundum solam animam descendit. Qua de inferis ad carnem, die tertia, revertente ^f, idem Deus secundum carnem qua (al. quæ) in sepulcro jacuit, de sepulcro resurrexit; et quadragesimo post resurrectionem die, idem Deus homo factus in cælum ascendens, in dextera Dei sedit ^g, inde in fine sæculi ad iudicandos vivos mortuosque venturus.

12. Verbum ergo caro factum unus est Filius Dei Dominus ^h Jesus Christus, mediator Dei et hominum. Idcirco autem mediator, quia idem Deus atque homo verus, habens cum Patre unam divinitatis naturam, et humanitatis unam cum matre substantiam; habens ex nobis usque ad mortem iniquitatis nostræ poenam; habens incommutabilem de Deo Patre ⁱ justitiam; propter iniquitatem nostram **506** temporaliter mortuus, propter justitiam suam, et ipse semper vivus, et immortalitatem mortalibus largiturus. Qui perfectam quidem humanitatem suam in ipsa divinitatis suæ perfectione servavit; veritatem vero mortalitatis suæ ^j, per susceptionem mortis, veritate atque incommutabilitate suæ immortalitatis absorbuit.

15. Hoc est quod testatur beatus Petrus, quia *Christus deglutivit mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur* (I Petr. III, 22). Beatus quoque Paulus docet quod Christus mortem deglutierit, illuminaverit autem vitam et incorruptionem (II Tim. I, 10). Christus ergo mortem gustavit, quia verus homo est; idemque mortem deglutivit, quia verus Deus est.

^a Ms. unus omittit hæc verba, *Deus ille*.

^b Mss. quinque, *secundo natus est*. Editi non habent *secundo*.

^c Vatic. unus, *de ejusdem matris utero*.

^d Vatic. unus, *homo factus obit*.

^e Vatic. unus, *et in sepulcro tribus diebus idem Deus*.

^f Vatic. unus, *Qui ab inferis ad carnem die tertio anima revertente*.

^g Mss. quatuor, *in dextera Dei sedit*. Reliqui codd., *sedit*.

^h Ms. unus, *Dominus noster*.

ⁱ Ms. Corb., *incommutabilem de Deo Patre substantiam*.

^j Sic mss. quinque. Editi, *mortalitatis nostræ*. In

idem quippe, sicut dicit Apostolus, *mortuus est ^b ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei* (II Cor. XIII, 4); unus atque idem, qui secundum prophetiam beati David ¹, *et homo factus est in Sion, et ipse fundavit eam Altissimus* (Psal. LXXXVI, 5).

14. Itaque nec divinitas Christi aliena est a natura Patris, secundum id quod *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (Joan. I, 1); nec humanitas ejus aliena est a natura matris, secundum id quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Ibid., 14). Illa enim natura quæ semper genita manet ex Patre, naturam nostram sine peccato suscepit, ut nasceretur ex virgine. Neque enim natura æterna atque divina temporaliter concipi et temporaliter nasci ex natura humana ullatenus posset, nisi secundum susceptionem veritatis humanæ veram temporaliter conceptionem atque nativitatem ineffabilis in se divinitas accepisset. Sic est Deus æternus ac verus ^m, veraciter secundum tempus et conceptus et natus ex virgine. *Dum enim venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum (al. natum) ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum ⁿ reciperemus* (Galat. IV, 4), illo scilicet Deo facto naturaliter filio hominis, qui unus est naturaliter Filius Dei Patris. Hoc utique Joannes evangelista confirmans, postquam dixit, *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Joan. I, 14), subsequenter ait, *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (Ibidem). Sic ille omnium spirituum omniumque corporum, id est omnium naturarum creator et Dominus, creavit virginem, creandus ex virgine; et cujus ipse factor est, matrem sibi fecit, quando (al. quomodo) de ejus carne concipiendus atque parandus veram materiam (al. naturam) carnis Deus immensus ac sempiternus accepit: ut et secundum veritatem formæ servilis Deus homo misericorditer fieret, et secundum formam Dei, naturali veritate (al. virtute) idem Deus homo permanens non careret.

15. Sic ergo Christum Dei Filium, id est unam ex Trinitate personam **507** Deum verum crede, ut (al. et) divinitatem ejus de natura Patris natam esse non dubites; et sic eum verum hominem crede, ut ejus carnem non celestis, non æriæ, non alterius cujusquam putes esse naturæ, sed ejus ejus est om-

Vatic. uno aut altero sic totum habetur, *Veritatem vero mortalitatis suæ in susceptione mortis; mortem vero veritate, atque, etc.*

^k Ms. Corb., *Crucifixus est*. Vatic. unus, *ex infirmitate nostra*.

^l Vatic. unus, *secundum prophetam David*.

^m In Vatic. uno plenior est lectio: *Sicut ergo Deus æternus ac veraciter sine tempore est in Deitatis essentia immortaliter vivus; et secundum tempus ex matre virgine et conceptus est, et natus homo veraciter Deus. Dum enim, etc.*

ⁿ Editi habent, *adoptionem filiorum Dei*. Mss. quinque non habent *Dei*, juxta Græcum textum Apostoli, ubi legitur una voce, *adoptionem*.

nium hominum caro : id est quam ipse Deus homini prius ^a de terra plasmavit, et cæteris hominibus plasmat, quos per propagationem ex hominibus creat. Sed licet caro Christi et omnium hominum unius ejusdemque naturæ sit, hæc tamen quam Deus Verbum ex Maria Virgine sibi unire dignatus est, sine peccato concepta ^b, sine peccato nata est : ut pote secundum quam Deus æternus et justus misericorditer, et conceptus, et natus est, et Dominus gloriæ crucifixus est.

16. *Libido concubitus.* — Quibus autem verbis explicabitur carnis illius excellentia singularis, cujus divina est ex ipsa sui conceptione ^c persona, cujus origo nativitatis insolita, qua sic Verbum caro factum est, ut una persona esset cum carne sua Unigenitus ac sempiternus Deus, ipsa suæ carnis conceptione conceptus. Istam vero cæterorum hominum carnem per humanum certum est nasci concubitu, viro seminante, femina vero concipiente atque pariente. Et quia dum sibi invicem vir mulierque miscentur ut filios generent, sine libidine non est parentum concubitus, ob hoc filiorum ex eorum carne nascentium non potest sine peccato esse conceptus, ubi peccatum in parvulis non transmittit propagatio, sed libido ; nec fecunditas naturæ humanæ facit homines cum peccato nasci, sed fœditas libidinis, quam homines habent ex illius primi justissima condemnatione peccati. Ideo beatus David, quamvis de legitimo nasceretur justoque conjugio, in quo scilicet nec infidelitatis culpa, nec fornicationis macula poterat inveniri : propter originale tamen peccatum, quo naturaliter obstricti sunt filii iræ, non solum impiorum filii, sed omnes etiam qui de justorum sanctificata carne nascuntur, exclamat et dicit : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea* (Psal. I, 7). Sanctus etiam Job dicit, mundum a sorde non esse hominem, nec si unius diei sit vita ejus super terram (Job xiv, 4, sec. LXX).

17. Dei ergo Filius unigenitus, qui est in sinu Patris, ut carnem hominis animamque mundaret, susceptione carnis atque animæ rationalis incarnatus est ; et qui est Deus verus, homo verus factus est, non ut alter Deus esset alter homo ; sed idem Deus, idem homo. Qui ut illud peccatum quod in concubitu mortalis carnis generatio humana contraxit auferret, conceptus est novo more, Deus incarnatus in matre virgine, sine coitu viri, sine libidine concipientis virginis : ut per Deum hominem, quem absque libidine conceptum inviolatæ edidit virginis uterus, ablueretur peccatum quod nascentes trahunt omnes homines : quibus in corpore mortis hujus talis est nascenti conditio, ut matres eorum fecunditatis opus implere non possint, nisi prius virginitatem carnis

A amiserint. Solus igitur abstulit peccatum conceptionis **508** atque nativitatis humanæ Deus Unigenitus, qui dum conciperetur veritatem carnis accepit ex virgine, et cum nasceretur integritatem virginitatis servavit in matre. Ista causa est qua Deus factus est filius virginis Mariæ, et Maria virgo facta est mater Unigeniti Dei : ut quem Pater genuit ex æternitate, ipsam virgo conceptum proferret in tempore : illa utique virgo, quam Deus, qui de ea fuerat nasciturus, ita singulari gratia prævenit atque replevit, ut ipsum haberet ventris sui fructum, quem ex initio habet universitas Dominum : et ipsum sibi videret nascendi solemnitate subditum, quem in unitate paternæ substantiæ non solum humana, sed etiam angelica creatura cognoscit et adorat Altissimum.

B 18. Sic ergo peccatum et poena peccati, quæ per scelus corruptæ mulieris intravit in mundum, per inviolatæ virginis partum auferretur a mundo ^e. Et quia in conditione generis humani per mulierem quæ de solo viro facta est, contigit ut mortis vinculo teneremur obstricti, hoc in redemptione humani generis divina bonitas egit, ut per virum qui de sola muliere ^f natus est, vita hominibus redderetur. Illic humanam naturam nequissima deceptione sibi diabolus in peccati similitudinem sociavit ; hic Deus humanam naturam in unitatem personæ suscepit. Ibi femina decepta est, ut fieret filia diaboli : hic virgo gratia repleta est, ut fieret mater summi atque incommutabilis Unigeniti Dei. Ibi angelus dejectus per superbiam, seductæ mulieris animum obtinuit ^g ; hic Deus humilians se per misericordiam, incorruptæ virginis uterum ex ea nasciturus implevit. Dei enim Filius Jesus Christus qui in forma Dei erat (quod nisi ex natura Patris natus esset, esse non posset ^h), ipse, secundum apostolicam doctrinam, *semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (Philip. II, 7). Formam ergo servi, id est naturam servi in suam accepit Deus ille personam, atque ita hominum factor in similitudinem hominum factus, habitu est inventus ut homo, ipse humiliavit semetipsum, factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis (Ibid., 8).

19. Intente igitur hanc Apostoli sententiam cogita, et in ea cognosces quomodo Dominum Jesum Christum eundem Deum atque hominem credas. Nec tamen in eo veritatem utriusque naturæ in una persona, aut confundas, aut divides. Cum ergo primum audis de Domino Jesu Christo quia in forma Dei erat, oportet te agnoscere firmissimeque tenere, in illo formæ nomine naturalem plenitudinem debere intelligi. In forma igitur Dei Dominus Jesus Christus erat, quia in natura Dei Patris semper erat, de quo natus erat. Unius ergo naturæ cum Patre est, æqua-

^a Ms. unus, in homine primo.

^b Sic mss. tres. At editi, sine peccato suscepta.

^c Vat. unus, sui conditione.

^d Ita mss. quatuor. At editi et Vatic. unus, concepit me.

^e Ms. unus, contigit ut per inviolatæ virginis partum auferretur a mundo ; mss. tres, per inviolatum.

^f Ms. unicus, muliere virgine.

^g Ms., dejectæ mulieris mentem corruptit ; et paulo post mss. tres, incorruptæ mulieris virginis.

^h Sic ms. Corb. At Vatic. tres, qui in forma Dei, quod erat, nisi ex natura Patris natus esse esse non posset. Vat. alter, qui forma Dei, quod erat, etc.

literque cum eo sempiternus atque immensus, æqualiter immortalis et incommutabilis, æqualiter invisibilis et inenarrabilis, æqualiter bonus et justus, æqualiter miserabilis et misericors, patiens et multum misericors et verax, æqualiter fortis et suavis, æqualiter sapiens atque omnipotens.

509 20. Proinde hæc omnia quæ diximus de Filio Dei, firmissima fide retine, quia (al. qui) hæc utique omnia in unitate naturæ habens cum Patre, sine dubio æqualis est Patri. Propter quod et Apostolus continuo adjungens, ait: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (Philip. II, 6). Non enim rapinæ (al. rapina) fuit illa Filii cum Patre divinitatis æqualitas, sed naturæ (al. natura). Etiam illa quæ consequenter subjungit Apostolus dicens, quia *semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo*; et quia *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*; omnia hæc de illo unigenito Deo Dei Filio, de illo Verbo Deo de quo dicit evangelista: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (Joan. I, 1); de illa Dei virtute Deiquesapientia, de qua Deo dicitur: *Omnia in sapientia fecisti* (Psal. CIII, 24); de illo principio cum quo unum est Pater ipse principium, et in quo sibi cœterno fecit cœlum et terram, id est omnem spiritalem corporalemque naturam; de Deo Unigenito, qui est in sinu Patris, ut dixi, omnia hæc personaliter accipe: salva tamen æternitate, immensitate, immortalitate, incommutabilitate, invisibilitate divinitatis ejus. Quæ ita naturaliter et æqualiter communia cum Deo Patre habet Dei Filius, ut licet pro nobis fuerit homo veraciter factus, permanserit tamen æqualis vero Deo ^b Patri, de quo natus est verus et Veritas Deus. Semetipsum igitur exinanivit ^c, sed de plenitudine ejus nos omnes accepimus (Joan. I, 16): quam plenitudinem si exinanitus amitteret, quod de ea nobis daret utique non haberet. Eodem autem non habente, nos procul dubio (al. utique) nihil possemus accipere. De plenitudine autem ejus nos omnes accepimus. Ex eo igitur quod nobis de plenitudine sua dedit, ostendit etiam cum se exinanivit plenitudinem non amisisse quam habuit: quia si plenitudinem suam amitteret, dare de illa nullatenus posset. Formam ergo servi accepit: neque enim aliud fuit illa summi Dei exinanitio, nisi formæ servilis, id est humanæ naturæ acceptio.

21. Utraque est igitur in Christo forma, quia utraque et vera et plena est in Christo substantia. Ideo sanctus Evangelista plenum eum gratiæ et veritatis prædicat (*Ibid.*, 14), quia et in divina natura, in qua Deus Veritas est, plenus est; et in humana natura, in qua homo verus gratia factus est, plenus est. In illa plenitudine Deus est ^d, in forma Dei æqua-

^a Editi, *obediens Patri*. Vocem *Patri* non habet ms. Corb. nec textus Apostoli.

^b Mss. duo omittunt *vero Deo*. Ms. alter omittit *tantum Deo*.

^c In Vatic. uno additur, *formam servi accipiens*; in reliquis non additur.

^d Ms. Vatic. unus longe aliter habet, *In utraque*

alis Deo; in ista plenitudine servus, in forma servi, quia in similitudinem hominum factus, habitu est inventus ut homo. Exinaniens ergo semetipsum formam servi accepit ut fieret servus; sed formæ Dei plenitudinem non amisit, in qua semper est æternus atque incommutabilis Dominus: factus secundum formam servi homo verus, ejusdem naturæ cujus est ancilla mater; et manens in forma Dei Deus verus, ejusdem naturæ cujus est etiam Dominus Pater. In forma Dei cum **510** Patre et Spiritu sancto unius est solus formator omnium Deus; secundum formam servi solus ipse sua et Patris et Spiritus sancti operatione formatus: quod creator est, commune habens naturaliter cum Patre et Spiritu sancto, quod autem creatus est, formam servi secundum quam creatus est ^e, solus habens personaliter in seipso. Cujus et nativitatem futuram secundum carnem, et mortem, et resurrectionem, atque in cœlos ascensionem lex et propheta prænuntiari nunquam destiterunt, prout ipse præcipiebat, obediens ^f et verbis et factis.

22. Nam et in sacrificiis carnalium victimarum, quæ ipsa sibi sancta Trinitas, quæ unus est Deus Novi et Veteris Testamenti, a patribus nostris præcipiebat offerri, illius sacrificii significabatur gratissimum munus, quo pro nobis seipsum solus Deus Filius secundum carnem esset misericorditer oblaturus. Ipse enim, secundum apostolicam doctrinam, *obtulit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* (Ephes. V, 5). Ipse verus Deus et verus pontifex, qui pro nobis non in sanguine taurorum et hircorum, sed in sanguine suo semel introivit in sancta (*Hebr.* IX, 12). Quod tunc pontifex ille significabat, qui cum sanguine in sancta sanctorum per annos singulos introibat. Iste igitur est qui in se uno totum exhibuit quod esse necessarium ad redemptionis nostræ sciebatur effectum, idem scilicet sacerdos et sacrificium, idem Deus et templum: sacerdos, per quem sumus reconciliati; sacrificium, quo reconciliati; templum, in quo reconciliati; Deus, cui reconciliati. Solus tamen sacerdos, sacrificium et templum, quia hæc omnia ^g Deus secundum formam servi; non autem solus Deus, quia hoc est cum Patre et Spiritu sancto secundum formam Dei.

23. Reconciliati igitur sumus per solum Filium secundum carnem, sed non soli Filio secundum divinitatem. Trinitas enim nos sibi reconciliavit per hoc quod solum Verbum carnem ipsa Trinitas fecit. In quo sic veritas incommutabilis ^h manet humanæ diviniæque naturæ, ut sicut vera semper est ejus divinitas, quam de Patre incommutabilem habet, ita vera semper atque incommutabilis ejus humanitas sit, quam sibi unitam summa divinitas gerit.

24. Hæc pauca de fide sanctæ Trinitatis, quæ so-

igitur plenitudine plenus est; in forma Dei æqualis Deo, in forma servi æqualis servo. Exinaniens, etc.

^e Absunt hæc, *formam servi secundum quam creatus est*, a mss. omnibus. Et quidem non incongrue.

^f Deest in edd. *obediens*; habetur in mss.

^g Mss. tres, *quia hæc omnia*. Edd., *et hæc omnia*,

^h Ms. Vatic., *veritas et incommutabilitas*

lus et verus est naturaliter Deus, quantum brevitatis A temporis et sermonis permisit, inserui. Nunc de creatura quid absque dubitatione credere debeas, intinabo.

CAP. III. — 25. *Unde naturæ creatæ proficiant et deficiant.* — Principaliter itaque tene omnem naturam (al. creaturam) quæ non est Trinitas Deus, ab ipsa sancta Trinitate quæ solus verus et æternus Deus est creatam ex nihilo. Ac sic universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Thronos, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, opus atque creaturam esse sanctæ Trinitatis, 511 quæ est unus Deus rerum omnium creator et Dominus, æternus, omnipotens, justus ^a, et bonus, habens naturaliter ut semper sit, et ut mutari aliquando non possit. Et hic Deus, qui sine initio semper est, quia summe est, dedit rebus a se creatis ut sint: non tamen sine initio, quia nulla creatura ejusdem naturæ est cujus est Trinitas unus verus et bonus Deus, a quo creata sunt omnia. Et quia summe bonus est, dedit omnibus naturis (al. rebus) quas fecit ut bonæ sint: non tamen tantum bonæ quantum creator omnium honorum, qui non solum summe bonus, sed etiam summum atque incommutabile bonum est, quia æternum bonum est; nullum habens defectum, quia non ex nihilo factum; nullum habens profectum, quia non habet ^b initium. Ideo quippe naturæ a Deo factæ proficere possunt, quia esse cœperunt; ideo deficere, quia ex nihilo factæ sunt. Ad defectum eas conditio ducit originis, ad profectum vero provehit operatio Creatoris. In eo C igitur primum Trinitatis, quæ Deus verus est, æternitas sine initio naturalis agnoscitur, quia quædam ita fecit, ut cum esse quidem cœperint, tamen non esse aliquando non possint. In eo vero ejus omnipotentia intelligitur, quia omnem creaturam visibilem atque invisibilem, id est corporalem atque spiritalem de nihilo fecit, in quibus ipsa rerum diversitas multo magis commendat bonitatem atque omnipotentiam Creatoris. Nisi enim omnipotens esset, non una eademque facilitate (al. facultate) summa atque immanens fecisset; et nisi summe bonus esset, non se gubernandis rebus quoque infinis præstitisset.

26. *Corpora cœlestia et terrestria differunt.* — Igitur tam in magnis quam in parvis quibusque rebus conditis, magna est bonitas atque omnipotentia Conditoris. Omnia enim sapienter fecit summa veraque sapientia, cui naturaliter hoc est esse, quod sapientiam esse; hoc facere, quod sapienter facere. Simplicitas itaque multiplicis sapientiæ Dei, magnitudinem celsitudinis suæ, non solum in magnitudine sublimitium creaturarum, verum etiam in infimarum parvitate commendat: dum bona omnia quæ creavit, non solum multo inferius dissimiliumque suo crea-

tore sunt, ut pote non prolata de ipso, sed facta prorsus ex nihilo: verum etiam inter se non æqualiter sunt, sed unaquæque res ita permanet sicut a Deo accepit ut esset ^c, alia quidem sic, alia autem sic. Neque enim sic datum est corporibus ut sint, sicut spiritus acceperunt: cum ipsa quoque corpora non æqualiter sint, et in ipsis cœlestibus atque terrestribus inveniatur nonnulla diversitas: cum tam cœlestia quam terrestria, non solum impari distent quantitate molis, verum etiam dissimili splendeant claritate. Alia namque est, sicut Apostolus dicit, claritas cœlestium corporum, alia terrestrium. In ipsis quoque cœlestibus *alia claritas solis, alia claritas lune, et alia claritas stellarum: stella enim a stella differt ia claritate* (I Cor. xv, 41). Corporalium igitur naturarum diversitas ostendit unamquamque earum non hoc esse quod ex se semper habere poterit, sed quod (al. quia) ex dispositione atque opere omnipotentissimi atque incommutabilis et sapientissimi Creatoris accepit.

512 27. *Deus ubique.* — Quod si ^d unius ejusdemque naturæ esset quælibet creatura corporalis, cujus est sancta Trinitas, quæ unus est Deus; nec localiter in loco esset, nec temporis mutationem aliquando sentiret, nec de loco ad locum transiret, nec circumscriberetur quantitate molis suæ. Quæ omnia ostendunt hujusmodi naturarum illum esse opificem, cui nullus latus aut angustus locus est, quia non minus in angustis quam in latis totus est; nec mutatur tempore, quia solus potest volumina temporum, non temporali volubilitate ^e, sed æterna stabilitate mirabiliter ordinare: neque enim in tempore cogitat quemadmodum temporum series rerum decessione ac successione transcurrat; nec aliqua molis quantitate terminatur, quia nullo ^f fine concluditur; neque per mundi partes partibus suis est ipse diffusus, ut majores mundi partes suis majoribus impleat, et minores minoribus implendo, nusquam tamen totus se infundat. Ipse enim est Deus qui ait: *Cælum et terram ego impleo* (Jer. xxiii, 24). Omnia igitur quæ fecit, id est spiritus et corpora, summa et ima, cœlestia atque terrestria, viventia, et quibus facultatem vivendi non dedit, ineffabiliter ubique totus Dominus Deus et implet et continet; nec in iis quæ dividuntur ipse dividitur, nec in iis quæ mutantur ulla mutatione variatur. Nisi enim naturaliter incommutabilis ipse esset, nunquam in rebus mutabilibus ordo quidam consilii ac dispositionis ejus incommutabilis permaneret.

28. *Deus omnium vita.* — Deus igitur rerum corporearum atque incorporearum creator immensus, eo primum se nullum esse corpus ostendit, quia quibusdam corporibus vitam non dedit, cum corpora omnia ipse creaverit. Ipse autem naturaliter vita est, quia si vita non esset, non viventia corpora ipse non

^a Mss. quatuor non habent *justus*.

^b Sic mss. sex. Editi autem, *quia nullam habens*.

^c Sic ms. Corb. At edd., *cum non esset, accepit*.

Mss. alii duo, *cum esset*, forte referendo ad Deum.

^d Vatic. duo, *Quia si*. Reliqui, *Quod si*.

^e Ms. Corb., *non temporali voluntate*.

^f Sic editi. At mss. quatuor, *quia nulla concluditur*, supple mole. Vatic. unus, *quia nullo loco*; alter, *quia a nullo*.

fecisset. Neque enim facit rem non viventem ^a, nisi res vivens. Non igitur unius naturæ cum Deo sunt corpora, quæ omnino vivere non possunt. Ac sio neque illa corpora unius naturæ cum Deo sunt, quibus singulis singulos brutos atque irrationabiles spiritus, quibus eadem corpora vivificarentur ac sensificarentur, inseruit. Sed nec ipsi bruti spiritus unius naturæ cum Deo sunt, quos ficut vivificandis sensificandisque cognoscatur miseruisse corporibus, ipsis tamen spiritibus nullum intelligendi largitus est lumen, quo suum possent aut cognoscere aut diligere creaturam.

28 bis. Ipsos quoque spiritus quos rationales atque intellectuales esse non dubium est, quis audeat blasphemio spiritu et cæco corde ejusdem naturæ, cujus est Deus, vel putare, vel dicere, cum Deus utique naturaliter incommutabilis omnino sit et immensus? Qui cum in se diversitatem ullam habere non possit, in eisdem tamen spiritibus, quos rationales atque intellectuales fecit, diversitatem suæ operationis ostendit. In quibusdam enim, id est qui terrenis ac mortalibus sunt inserti 513 corporibus, etsi nullus est localis motus, quia per locorum corporalium partes, cum ipsi in corporibus sint, non particulatim sunt, sed sicut in totis corporibus toti, sic in eorumdem corporum partibus toti sunt: tamen cogitationum varietas diversitatem in eis cujusdam temporalis motionis ac mutationis ostendit; dum modo aliquid nesciunt, modo sciunt; modo volunt, modo nolunt; modo sapiunt, modo desipiunt; modo iniqui existunt, modo justis sunt ex iniquis; modo pietatis illustrantur lumine, modo depravantur tenebroso impietatis errore.

29. Illos quoque quos terrenorum corporum nulla gravat lutulenta materies, id est angelicos spiritus, quis non videat non unius naturæ esse cum Deo, sed factos ex nihilo? Quorum naturalis mutabilitas in eo cognoscitur, quia ejusdem naturæ pars est in deterius permutata. Deinde quia ii qui depravati non sunt (licet, illius dono a quo cum non essent facti sunt, indefessa, et in quantum creaturæ angelicæ gratis datum est, perfecta dilectione, contemplatione atque exultatione multitudinem dulcedinis Domini incessabiliter sumant ^b, nec ab eo naturali conditione deficiant), etsi inhærentibus Deo nihil inest de varietate temporis, quia collato sibi æternæ incorruptionis atque incommutabilitatis munere, nihil in se sentiunt mutationis; inest tamen singulis terminus naturalis ^c, quo a se invicem discernuntur, quia nullus eorum est in alio; et cum uni eorum opus quodlibet injungitur, alius quoque alteri operi im-

plendo divinx potestatis deputatur arbitrio. Hæc autem omnia ostendunt etiam sanctos angelos creaturam esse ^d sanctæ Trinitatis, cujus per singulas res, quas utique sicut voluit fecit, apparet mirabilis et sapientia in dispositione, et virtus in opere.

29 bis. Quosdam igitur spiritus sic Deus creavit, ut semper essent; quosdam vero, ut esse spiritus quandoque desinerent. Illos itaque desituros quosdam ex aqua, quosdam, quia sic voluit Omnipotens, produxit ex terra. Superiores vero spiritus nullum cum corporeis elementis ^e habere fecit naturale consortium; quos et æternos creavit, et eis facultatem atque intelligentiam cogitandæ, cognoscendæ, diligendæque divinitatis inseruit. Quos tamen ita creavit, ut etiam præ seipsis illum diligerent, cujus se tales creatos opere cognovissent, cum eorum ut tales fierent, nulla merita præcessissent. Ut autem hæc dilectio haberet justam et congruam laudem, voluntatis quoque eis tribuit libertatem: ut esset eis possibile, sive ad eum qui supra eos est intentionem sanctæ dilectionis erigere, sive ad se, vel ad ea quæ infra eos sunt, prævæ (al. gravi) cupiditatis semetipsos pondere declinare.

30. Non est igitur natura, quæ in æternum possit, sive misere, sive beate ^f vivendo subsistere, nisi quæ potest de Deo ipsius Dei munere 514 cogitare. Hæc autem natura intellectualis in animabus est hominum et spiritibus angelorum. Deus quippe cognoscendi ac diligendi se, non nisi angelis et hominibus indidit facultatem. Quibus propter arbitrii libertatem, quæ maxime debuit intellectuali creaturæ Creatoris benignitate (al. bonitate) conferri, ita cognoscendi ac diligendi se facultatem voluntatemque donavit, ut eam unusquisque et habere posset et perdere; si quis tamen sponte eam perderet, suo eam deinceps arbitrio resumere non valeret. Ut illius esset sanctæ cogitationis initia ^g gratiæ dono bonitatis denuo renovandis quibus vellet infundere, cujus fuit in ipso creationis exordio, nullis præcedentibus meritis, spiritus et corpora, locis atque affectionibus, prout ipsa sapiens voluit, congruis mirabiliter ^h ordinare. Angeli ergo atque homines, pro eo quod rationales facti sunt, æternitatis ac beatitudinis donum in ipsa naturæ spiritalis creatione ⁱ divinitus acceperunt: ita scilicet, ut si dilectioni creatoris sui jugiter inhæsisent, simul æterni beatique mansissent; si vero propriæ libertatis ^j arbitrio contra summi (al. sui) Creatoris imperium suam niterentur facere voluntatem, protinus a contumacibus beatitudo discederet, et ad supplicium eis relinqueretur æternitas misera, erroribus deinceps doloribusque crucianda ^k. Et de

^a Mss. quinque, *viventia corpora non fecisset. Neque enim facit rem viventem. Sed magis concordat cum sequentibus quod habent ms. Corb. et editi.*

^b Sic mss. omnes. At editi, *sentiunt.*

^c Vatic. unus, *termini naturalis finis.*

^d Sic mss. quatuor. Editi, *opera esse.*

^e Vatic. unus, *nullum cum corpore, nullum cum corporis elementis.*

^f Sic ms. Corb. Editi, *sive bene.*

^g Sic mss. tres. At Vatic. unus, *initium alter,*

initio. Editi, denuo revocandis. Mss. quatuor, renovandis.

^h Editi, *congrue et mirabiliter.* Mss. sex, *congruis, mirabiliter.*

ⁱ Sic. mss. tres et Ant. At edd. alii, *in se a naturæ spiritalis creatore.*

^j Editi, *propriæ voluntatis.* Mss. quinque, *libertatis.*

^k Ms. Corb., *doloribusque subducta.*

angelis quidem hoc disposuit et implevit, ut si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, nunquam eam divino munere repararet.

31. Pars itaque angelorum quæ a suo creatore Deo, quo solo bono beata fuit^b, voluntaria prorsus aversione discessit, æquitatis supernæ iudicio, initium suæ damnationis in ipsa aversione voluntatis invenit: ut non aliud ei esset incipere jam puniri, quam illius beatifici boni dilectione destitui; quam Deus in æterno sic totam præcepit remanere supplicio, ut etiam ignem ei æternum pararet: in quo illi omnes prævaricatores angeli nec mala voluntate possint unquam carere, nec pœna; sed permanente in eis injustæ aversionis malo, permaneat etiam justæ retributionis æterna damnatio. Horum malorum princeps diabolus primos homines, quos ad peccati præcipitium^c invidus duxit, non eis tantum, sed et universæ propagini eorum cum vitio peccati meritum mortis inseruit. Deus autem misericors et justus, sicut diabolo et angelis ejus propria cadentibus voluntate, cæteros angelos in suæ dilectionis æternitate firmavit, sic etiam humani generis massam non totam in sempiternum perire permisit, sed quos^d voluit ejus gratuita bonitas, repulsis tenebris in quibus omnis humana natiuitas peccati originalis condemnatione versatur, reducendos **515** prædestinavit ad lucem: in eo præcipue demonstrans quod istos originalis peccati vinculis indebita gratia liberatoris absolveret; cum alios, et quam maxime parvulos, quibus nulla possunt vel bona vel mala inesse propriæ merita^e voluntatis, insolubili nexu æterna damnatio retineret.

32. Bonæ quoque voluntatis et cogitationis initium, non homini ex seipso nasci, sed divinitus, et præparari, et tribui in eo Deus evidenter ostendit, quod neque diabolus, neque aliquis angelorum ejus, ex quo ruinæ illius merito in hanc sunt inferiorem detrusi caliginem, bonam potuit aut poterit resumere voluntatem. Quod si^f possibile esset ut humana natura, postquam a Deo aversa bonitatem perdidit voluntatis, ex seipsa rursus eam habere potuisset, multo possibilis hoc natura haberet angelica, quæ quanto minus gravatur terreni corporis pondere, tanto magis hac esset prædita facultate. Sed ostendit Deus unde bona voluntas hominibus detur, quam sic amiservot angeli cum haberent, ut amissam deinceps habere non possint.

33. Quoniam igitur digna est eadem voluntas bona per Dei gratiam æternæ beatitudinis præmio, et iniquitas angelica atque humana esse non debet impunita, propterea, secundum catholicæ fidei regulam, venturum esse Filium Dei ad puniendos omnes pec-

catores angelos, et ad iudicandos homines vivos et mortuos fideliter exspectamus. Testatur enim beatus Petrus quia Deus angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferni detrudens, tradidit in iudicio puniendos reservari (*II Petr. II, 4*). De hominibus quoque vivis ac mortuis iudicandis beatus Paulus hoc ait: *Testificor coram Deo et Christo Jesu, qui iudicaturus est vivos et mortuos, et per adventum ipsius et regnum ejus (II Tim. IV, 1)*. In cujus adventu ab illo primi hominis corpore quod (al. quem) Deus de terra plasmavit, usque ad omnium hominum corpora, quæ animata quandoque vivere cœperunt, ab illo resuscitabuntur, a quo operante creata sunt. Singula vero corpora illis singulis suis animabus in resurrectione reddentur, quas in maternis, ut vivere inciperent, ventribus habere cœperunt: ut scilicet animæ in illo examine justiciæ in eisdem singulis corporibus suis accipiant retributionem, sive regni, sive supplicii, in quibus sive bonam, sive malam qualitatem vitæ præsentis habuerunt.

34. *Origo vitæ malæ.* — Qualitas autem malæ vitæ ab infidelitate incipit, quæ ab originalis peccati reatu initium sumit. In quo quisquis incipit ita vivere, ut ante finiat vitam quam ab ejus obligatione solvatur, si unius diei vel unius horæ spatio anima illa vixit in corpore, necesse est eam cum eodem corpore interminabilia gehennæ supplicia sustinere, ubi diabolus cum angelis suis in æternum arsurus est, qui et primus peccavit, et peccatum primis hominibus persuasit: ubi cum eo etiam fornicarii, idolis servientes, adulteri, molles, masculorum concubitores, fures, avari, ebriosi, maledici, **516** rapaces, et omnes qui opera carnis agunt [de quibus beatus dicit Apostolus, *quia regnum Dei non consequentur (Gal. V, 21)*], si ante hujus vitæ terminum a viis suis malis conversi non fuerint, æternis ignibus exurentur. Omnis enim homo qui in hoc sæculo usque ad finem in iniquitatum delectatione^h et cordis obduratione permanserit, sicut hic cum noxia criminum delectatio tenuit, sic cum sine fine sempiterna cruciatio retinebit.

35. *Corpora impiorum.* — Erit enim etiam iniquorum resurrectio, sed sine immutatione, quam solis fidelibus et ex fideⁱ juste viventibus daturus est Deus. Hoc est enim quod ait beatus Paulus: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur (I Cor. XV, 51)*. Ostendens autem justos divino munere commutandos, ait: *Et nos immutabimur (Ibid., 52)*. Habebunt ergo iniqui cum justis resurrectionem carnis communem, immutationis tamen gratiam non habebunt, quæ dabitur justis: quoniam a corporibus impiorum non auferetur corruptio, et ignobilitas, et infirmitas in quibus seminantur: quæ ob hoc morte

^a Vaticani tres, sine divino munere. Sed verior lectio reliquorum codd., ubi hæc vox sine non legitur.

^b Vatic. unus, quo solo bona et beata fuit.

^c Sic mss. duo. At ms. Corb., ad peccati participium. Editi, ad peccati principium.

^d Ms. Corb., sed si quos.

^e Abest propriæ a ms. Corb.; legitur in Vatic. tribus. Vatic. alter, propriæ merito voluntatis. Editi, propriæ merita.

^f Mss. quatuor, Quia si.

^g Sic Vatic. unus, juxta Græcum textum Apostoli. Cæteri non habent particulam per.

^h Mss. quinque, iniquitatum dilectione... noxia criminum dilectio.

ⁱ Vatic. unus, et in fide.

^j Vatic. unus, immutationem tamen carnis; alter immutationem autem.

etiam non exstinguentur, ut illud iuge tormentum corpori atque animæ sit mortis æternæ supplicium. Justæ vero animæ, quas hic Redemptor Deus gratis ex fide justificavit, et justificatis bene vivendi usque in finem perseverantiam tribuit ^a, in ipsis corporibus in quibus hic justificationis gratiam divinitus acceperunt, et in quibus justificatæ per fidem, in caritate Dei proximique vixerunt, regni cœlestis æterna beatitudine potientur: glorificatis etiam corporibus suis, quæ sine dubio, carnis natura, quam Deus creavit, veraciter permanente, non sicut hic animalia, sed spiritalia tunc habebunt. Sanctorum enim seminatur ^b corpus animale, surget corpus spiritale. In his per illam immutationem, quæ solis dabitur justis, implebitur quod oportere dicit Apostolus (*I Cor. xv, 53*), ut corruptibile hoc induat incorruptionem, et mortale hoc induat immortalitatem. In quibus sex masculinus vel femineus, sicut eadem corpora creata sunt, permanebit: quorum gloria erit pro factorum bonorum diversitate diversa. Omnia tamen corpora, sive masculorum, sive feminarum, quæcumque in regno illo erunt, gloriosa erunt: ille autem (*al. enim*) iudex novit, quantam unicuique sit daturus gloriam, quia in hac vita per misericordiam gratis justificando prævenit, quos illic per justitiam glorificare disponit (*al. disposuit*).

36. Tempus vero acquirendi vitam æternam in ista tantum vita Deus hominibus dedit, ubi voluit esse etiam pœnitentiam fructuosam. Ideo autem hic pœnitentia fructuosa est, quia potest hic homo deposita malitia bene vivere, et mutata voluntate injusta ^c, merita simul operaque mutare, et in timore Dei ea gerere quæ placeant Deo. Quod qui in hac vita non fecerit, habebit quidem pœnitentiam in futuro sæculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Dei non inveniet: quia **517** etsi erit ibi stimulus pœnitentis, nulla tamen ibi erit amplius correctio voluntatis. A talibus enim ita culpabitur iniquitas sua, ut nullatenus ab eis possit vel diligi, vel desiderari justitia. Voluntas enim eorum talis erit, ut habeat in se semper malignitatis suæ supplicium, nunquam tamen recipere possit bonitatis affectum. Quia sicut illi qui cum Christo regnabunt nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt, ita illi qui erunt in supplicio ignis æterni cum diabolo et ejus angelis deputati, sicut nullam ulterius habebunt requiem, sic bonam nullatenus habere poterunt voluntatem. Et sicut cohæredibus Christi dabitur perfectio gratiæ ad æternam gloriam, sic consortibus diaboli cumulat ipsa malignitas pœnam, quando exterioribus deputati tenebris, nullo illustrabuntur interiore lumine veritatis.

37. *Claves Petri.*—Proinde omni homini in hac vita esse potest utilis pœnitentia, quam quocumque tem-

pore homo egerit, quamlibet iniquus, quamlibet annosus, si toto corde renuntiaverit peccatis præteritis, et pro eis in conspectu Dei non solum corporis, sed etiam cordis lacrymas fuderit, et malorum operum maculas bonis operibus diluere curaverit, omnium peccatorum suorum indulgentiam mox habebit. Hoc enim nobis Dominus prophético promittit eloquio dicens: *Si conversus fueris, et ingemueris, salvus eris (Isai. xxx, 15, sec. LXX)*. Et alio loco dicitur: *Fili, peccasti; ne adjicias iterum, sed et de præteritis deprecare, ut tibi dimittantur (Eccli. xxi, 1)*. Nunquam peccanti esset indicta pro peccatis deprecatio, si deprecanti non esset remissio concedenda. Sed etiam pœnitentia peccatori tunc prodest, si eam in Ecclesia catholica gerat: cui Deus in persona beati Petri ligandi solvendique tribuit potestatem, dicens: *Quæ (al. Quæcumque) alligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis; et quæ solveris super terram, erunt soluta et in cœlis (Matth. xvi, 9)*. In quacumque igitur homo ætate veram peccatorum suorum pœnitentiam egerit, et vitam suam Deo illuminante correxerit, non privabitur indulgentiæ munere, quia Deus, sicut per prophetam dicit, non vult mortem morientis ^d, quantum ut revertatur a via sua mala, et vivat anima ejus (*Ezech. xxxiii, 11*).

38. Verumtamen nullus hominum debet sub spe misericordiæ Dei in suis diutius remanere peccatis, cum etiam in ipso corpore nemo velit sub spe futura salutis diutius ægrotare. Tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, et sibi de Deo (*al. Dei*) indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant. Ideo unumquemque nostrum sacra Scriptura benigne præmonet dicens: *Ne tardaveris (al. tardes) converti ad Deum, et ne differas de die in diem: subito enim veniet ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te (Eccli. v, 8)*. Dicit etiam beatus David: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra (Psal. xciv, 8)*. Cui beatus quoque Paulus concordat his verbis: *Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis ^e discedendi 518 a Deo vivo: sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati (Hebr. iii, 12, 13)*. Obdufatus igitur vivit ^f sive qui non convertitur, desperans de indulgentia peccatorum suorum ^g, sive qui sic misericordiam Dei sperat, ut usque in finem vitæ præsentis in suorum criminum perversitate remaneat (*al. permaneat*).

39. *Peccatum in Spiritum sanctum.*—Proinde diligentes misericordiam Dei, metuentesque justitiam, nec de remissione peccatorum desperemus, nec remaneamus in peccatis: scientes quia illa omnium

catoris, sive morientis, sed magis. Vatic. duo, sed tantum ut.

^e Vatic. unus, carnalium infidelitas.

^f Sic editi. At mss. duo, *Obdurato igitur corde vivit*. Ms. alter, *In obduratione igitur vivit*.

^g Ms. Corb., *desperando indulgentiam peccatorum*.

^a Ms. unus, *bene vivendi gratiam et perseverantiam usque in finem tribuit*; alter, *dedit*.

^b Mss. unus non habet *Sanctorum*, sed *Seminatur enim*.

^c Mss. quinque non habent *injusta*.

^d Sic mss. sex. Editi autem, *non vult mortem pec-*

hominum debita sit exactura æquitas justissimi iudicis, quæ non dimiserit misericordia clementissimi Redemptoris. Sicut enim misericordia suscipit absolvitque conversos, ita justitia repellat et puniat obduratos. Hi sunt qui peccantes in Spiritum sanctum, neque in hoc sæculo, neque in futuro remissionem accipient peccatorum. Ideo autem hominis anima intellectualis spiritus est, ut quærat, agnoscat, atque discernat et tempus operum suorum, pro quibus receptura est in iudicio quod ordinavit divina justitia, et ejusdem retributionis tempus, quo non etiam licebit, aut opera mutare, aut remissionem peccatorum suorum de divina misericordia utiliter postulare. Cæteri vero spiritus omnium animalium quibus non est intellectus, quia quidam eorum de terra, quidam de aquis originem ducunt (de aquis enim sunt reptilia et volatilia, de terra vero quædam quæ repunt, quædam vero quæ gradiuntur, exorta sunt), tandiu spiritus quæ tandiu in corporibus vivunt. Anima quippe quæ rationis capax divinitus facta non est, cum carne sua et incipit et desinit vivere: quia quando corpori vitam non tribuit, et ipsa non vivit: atque ita miro modo cum omni carni anima sit causa ^a vivendi, spiritus tamen irrationalis tandiu vivit tandiu in carne manere potuerit, et dum a carne sua separatur, extinguitur ^b. Ita fit ut, cum ipse vita carnis suæ sit, vivere tamen nequeat, quando vitam carni subministrare destiterit; et si non sit caro cui vitam dare valeat, ipse quoque eam protinus non habebit. Ideo nec æternitas irrationalibus spiritibus data est, nec aliquod eis iudicium præparatur, in quo eis vel beatitudo pro bonis, vel damnatio pro malis reddatur operibus. Ideo (*al. Inde*) autem in eis nulla operum discretio requireretur, quia nullam intelligendi facultatem divinitus acceperunt. Propterea ergo eorum corpora resurrectura non sunt, quia nec in ipsis animabus eorum, aut æquitas, aut iniquitas fuit, pro qua eis æterna, vel beatitudo sit retribuenda, vel poena.

40. Illa igitur ^c animalia præsentis sæculi cursum atque ornatum secundum Creatoris incomprehensibilem peragunt voluntatem, quæ de suis factis nullam rationem redditura sunt, quia rationalia non sunt. *Nunquid enim de bobus cura est Deo (I Cor. v, 40)?* Homines vero quia rationales **519** facti sunt, et de se, et de omnibus rebus quas in usum vitæ præsentis acceperunt, rationem reddaturi sunt Deo, et pro suorum actuum qualitate recipient, aut pœnam, aut gloriam. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum (II Cor. v, 40):* tunc scilicet cum, secundum ipsius nostræ Creatoris ac Redemptoris eloquium: *Omnes qui in monumentis sunt audient vocem ejus; et procedent qui*

A *bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicii (Joan. v, 28, 29).* Ut scilicet qui mala egerunt eant in combustionem æternam semper arsure cum diabolo principe omnium malorum, qui vero bona fecerunt eant in vitam æternam regnaturi sine fine cum Christo rege omnium sæculorum. Illi autem cum Christo regnabunt quos Deus gratuita bonitate sua prædestinavit ad regnum. Quia enim eos tales prædestinando præparavit ut regno digni essent, præparavit utique secundum propositum vocandos ut obediant; præparavit justificandos, ut accepta gratia recte credant, et bene vivant; præparavit etiam glorificandos, ut, Christi cohæredes effecti, regnum cœlorum sine fine possideant.

B 41. *Non repetendus baptismus.* — Ad quod regnum diversis temporibus per sacramenta, quæ ad fidem incarnationis suæ Christus instituit, illi pervenerunt quos Deus gratis nullo bonæ voluntatis vel boni operis merito præcedente salvavit. Quemadmodum et ex illo tempore quo Salvator noster dixit: *Si quis renatus non fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (Joan. iii, 5),* absque sacramento ^d baptismatis, præter eos qui in Ecclesia catholica sine baptismo pro Christo sanguinem fundunt, nec regnum cœlorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam. Quia sive in Catholica ^e, sive in hæresi quacunque vel schismate quisquam in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptismi sacramentum acceperit, integrum sacramentum accipit; sed salutem, quæ virtus est sacramenti, non habebit, si extra catholicam Ecclesiam ipsum sacramentum habuerit. Ergo ideo debet ad Ecclesiam redire, non ut sacramentum baptismatis iterum accipiat, quod nemo debet in quolibet homine baptizato repetere, sed ut in societate catholica vitam æternam accipiat, ad quam obtinendam nunquam esse potest idoneus, qui cum sacramento baptismatis ab Ecclesia catholica remanserit alienus. Qui si (*al. Quod etsi*) et elemosynas largas faciat, et pro nomine Christi etiam sanguinem fundat, pro eo quod in hac vitâ non tenuit Ecclesiæ catholice unitatem, non habebit æternam salutem. Ubi enim cuique prodesse potest baptismus, ibi potest et elemosyna prodesse. Baptismus autem extra Ecclesiam quidem esse potest, sed nisi intra Ecclesiam prodesse non potest.

D 42. *Ecclesia catholica.* — In Ecclesia igitur tantummodo catholica potest unicuique prodesse, et perceptio baptismatis, et opera misericordie, et nominis Christi gloriosa confessio: si tamen in Ecclesia catholica bene vivatur. **520** Sicut enim sine Ecclesiæ catholice societate nec baptismus alicui potest prodesse, nec opera misericordie, nisi forte ut mitius (*al. minus*) torqueatur, non tamen ut inter Dei filios deputetur: sic intra Ecclesiam catholicam

^a Ms. Vatic., cum omnis anima in carne sit causa vivendi.

^b Mss. tres, extenuatur.

^c Abest igitur a mss. quatuor.

^d Vatic. unus, id est absque sacramento.

^e Sic mss. tres. At editi, in catholica fide. Vatic. unus, in catholica Ecclesia. Priorem lectionem præferimus, tum quia SS. PP. familiare est solo Catholice nomine Ecclesiam designare, tum quia inferius dicit, si extra Ecclesiam catholicam.

per solum baptismum vita aeterna non acquiritur, si post baptismum male vivatur. Nam et illi qui bene vivunt debent operibus misericordiae indesinenter insistere: scientes se licet levia, nonnulla tamen quotidie contrahere peccata, pro quibus etiam sancti et iusti semper in hac vita Deo dicere debeant: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Matth. vi, 12). Quae peccata quanto etiam in rebus licitis et a Deo concessis frequenter hominibus subreperant, et quanto magis fortioribus cibis corpus impletur, et carnalibus cor hominis actibus atque affectibus implicatur, tanto frequentior culpa in hac mortalitate contrahitur.

43. *Abstinentia.* — Propterea humiles servi Christi, qui cupiunt Domino suo sine impedimento et absque animi noxia occupatione servire, conjugia omnino non appetunt, et a carnibus ac vino abstinent, in quantum corporis valetudo permittit. Non quia peccatum est aut conjugem habere, aut vinum carnesve percipere: nam et beatus Apostolus dicit: *Quis omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem* (I Tim. iv, 4, 5). Conjugium quoque in primis hominibus Deus et instituit, et benedixit (Gen. ii, 22). Propter quod Apostolus ait: *Honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus* (Hebr. xiii, 4). Igitur servi Dei in eo quod a carnibus et vino abstinent, non tanquam res immundas refugiunt, sed mundioris vitae instituta sectantur, et in eo quod conjugia non habent, non nuptiarum bonum crimen esse existimant, sed continentiam jugem bonis nuptiis meliorem esse non dubitant: isto quam maxime tempore, quando dicitur de continentia: *Qui potest capere, capiat* (Matth. xix, 12); de nuptiis vero dicitur: *Qui se non continet, nubat* (I Cor. vii, 9). In uno enim hortatione virtus erigitur, in altero infirmitas remedio sublevatur. Unde quia aegritudini semper est consulendum, propterea si cui primo contigerit privari conjugio, si voluerit secundas, vel etiam tertias inire nuptias, nullum de illis peccatum habebit, si eas caste servaverit, id est, si unus et una, legitime duntaxat conjuncti, fidem servant, ut nec ille mulieri praeter uxorem, nec illa viro praeter maritum ullatenus misceatur. In talibus etsi fuerit aliquis conjugalis excessus, qui tamen legitimum non violatorum, habebit nonnullum, sed veniale peccatum.

44. *Continentiae votum.* — Sed haec illorum sunt qui nullam voverunt continentiam Deo. Caeterum quisquis seipsum castraverit propter regnum caelorum, et in corde suo continentiam Deo voverit, non

A solum si fornicationis mortifero crimine (al. vulnere) maculetur, verum etiam si aut vir uxorem accipere, 521 aut mulier nubere voluerit, secundum Apostoli sententiam (I Tim. v, 12), damnationem habebit, quia primam fidem irritam fecit. Sicut ergo, secundum Apostoli sententiam (I Cor. vii, 3), dignum est ut uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro, quia si quis acceperit uxorem non peccat, et si virgo nupserit non peccat, ita, secundum ejusdem Apostoli dictum, qui statuerit in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis, et voverit continentiam Deo, debet eam usque in finem tota mentis sollicitudine custodire, ne damnationem habeat, si primam fidem irritam fecerit. Similiter et conjugati viri, vel conjugatae mulieres, si ex consensu perennem Deo voverint continentiam, noverint se voti sui obnoxios detineri, nec jam sibi debere commixtionem carnis, quam licitam primitus habuerunt, sed Deo se debere continentiam quam voverant. Tunc enim unusquisque regnum caelorum, quod sanctis promittitur, possidebit, si obliviscens quae retro sunt, et in anteriora extendens seipsum, secundum quod in Psalmis dicitur: *Vovete, et reddite Domino Deo vestro* (Psal. lxxv, 19), quod scit esse licitum, et ad profectum melioris vitae pertinere cognoscit, et libenter voveat, et celeriter reddat, et in hoc quod votum reddit, meliore semper conatu proficiat. Omni enim voventi Deo, et reddenti quod vovit, ipso quoque Deus reddet caelestis regni praemia quae promisit.

C CAP. IV, seu REGULA PRIMA. *Natura divina.* — 45. Firmissime itaque tene, et nullatenus dubites, Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse naturaliter Deum, in cujus nomine baptizati sumus. Cum enim aliud nomen sit Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus, hoc est utique unum naturae nomen horum trium, quod dicitur Deus, qui dicitur in Deuteronomio: *Videte, videte quoniam ego sum Deus, et non est alius praeter me* (Deut. xxxii, 9); et de quo dicitur: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Dominus* (al. Deus) *unus est* (Deut. vi, 4); et, *Dominum Deum unum adorabis, et illi soli servies* (Ibid., 13).

D CAP. V, seu REG. II. *Unus Deus.* — 46. Firmissima tene, et nullatenus dubites, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, id est sanctam Trinitatem esse solum naturaliter verum Deum. Quia cum tres deos nobis colere non liceat, nisi unum solum verum Deum, tamen, sicut Pater Deus verus dicitur, testante Apostolo, qui ait: *Conversi estis ad Deum a simulacris, servite Deo vivo et vero, et expectare Filium ejus de caelis, quem suscitavit a mortuis Jesum* (I Thess. i, 9):

mentiam.

^s Vatic. unus, et fideliter reddat.

^b Hactenus continua oratione legitur in ms. Corb. Hinc vero ad finem usque singulae 40 regulae suo numero designantur.

ⁱ Mss. tres Vatic. et Corb., *Videte, videte.* Caeteri semel tantum.

^j Vatic. duo, non est alius Deus.

^k Vatic. unus, verum et omnipotentem Deum.

^a Sic editi. At ms. Corb., *quoniam etiam.* Vatic. unus, *quandoque etiam.*

^b Editi. Ideoque. Mss. septem, *Igitur.*

^c In editis, *In una enim ratione virtus exoritur.* Sed melius quod restitimus ex ms. Corb. Vatic. duo, *In una enim oratione* (alii duo, *orationis*) *virtus exoritur.* Angl. duo, *oratione virtus exoritur.*

^d Ms. unus, *habebit non mortale, sed veniale.*

^e Vatic. unus, *se sui voti nexu detineri.*

^f Vatic. unus, *sed Deo se debere servare conti-*

Ita quoque Filium verum Deum Joannes commendat A apostolus dicens : *Scimus quia Filius Dei venit, et dedit nobis intellectum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est Deus verus, et vita æterna (I Joan. v, 20) : qui utique quoniam verus Deus est, etiam Veritas est, sicut ipse nos edocet* 522 *dicens : Ego sum via, veritas et vita (Joan. xiv, 6). De Spiritu quoque sancto Joannes apostolus ait, Quia Spiritus est veritas (I Joan. v, 6). Et utique non potest naturaliter Deus verus non esse, qui Veritas est. Quem etiam Deum Paulus apostolus constituit dicens : Membra vestra templum sunt Spiritus sancti qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri. Empti enim estis pretio magno; glorificate et portate Deum in corpore vestro (I Cor. vi, 19, 20).*

CAP. VI, seu REG. III. *Deus æternus.* — 47. Firmissime tene, et nullatenus dubites, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, id est sanctam Trinitatem unum verum Deum sine initio sempiternum esse. Propter quod scriptum est : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum (Joan. i, 1, 2).* Hæc denovo sempiternitas intimatur in psalmo ubi dicitur : *Deus autem Rex noster ante sæcula (Psal. lxxiii, 12); et alio loco, Sempiterna quoque ejus virtus et divinitas (Rom. i, 20).*

CAP. VII, seu REG. IV. *Deus incommutabilis.* — 48. Firmissime tene, et nullatenus dubites, sanctam Trinitatem solum verum Deum, sicut æternum, ita solum naturaliter incommutabilem esse. Hoc enim significat cum dicit servo suo Moysi : *Ego sum qui sum (Exod. iii, 14).* Hinc et in Psalmis dicitur ^b, *In principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent; et sicut operatorium mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient (Psal. ci, 26, 27, 28).*

CAP. VIII, seu REG. V. *Deus omnium creator.* — 49. Firmissime tene, et nullatenus dubites, sanctam Trinitatem solum esse verum Deum, rerum omnium visibilibus atque invisibilibus creatorem. De quo in Psalmis dicitur : *Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus; spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cælum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt (Psal. cxlv, 5, 6).* De quo etiam Apostolus dicit : *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula* ^d *(Rom. xi, 36).*

CAP. IX, seu REG. VI. *Trinitas in unitate.* — 50. Firmissime tene, et nullatenus dubites, Patris et Filii et Spiritus sancti unam quidem esse naturam, tres vero esse personas; Patremque solum esse qui dixit : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit (Matth. iii, 17); et Filium solum esse super quem illa vox solius Patris insonuit, quando in Jordane*

secundum carnem baptizatus est Unigenitus Deus, qui carnem solus accepit; et Spiritum sanctum Patris et Filii solum esse, qui in specie columbæ super Christum baptizatum et ascendentem ab aqua descendit, et quinquagesimo die post resurrectionem, Christi fideles in uno loco positos, in linguarum ignearum divisione ^e adveniens replevit. Illam vero vocem, qua solus locutus est Deus Pater; et illam carnem, qua solus homo factus est Unigenitus Deus; et illam columbam, in cujus specie Spiritus sanctus super Christum descendit; illasque linguas igneas (Act. ii, 3), in quarum 523 divisione fideles ^f in uno loco constitutos replevit, opera esse totius sanctæ Trinitatis, id est unius Dei, qui fecit omnia in cælo et in terra, visibilia et invisibilia.

B CAP. X, seu REG. VII. *Distinctio personarum.* — 51. Firmissime tene, et nullatenus dubites, solum Deum Filium, id est unam ex Trinitate personam, solius Dei Patris esse Filiumque Spiritum vero sanctum, ipsum quoque unam ex Trinitate personam, non solius Patris, sed simul Patris et Filii esse Spiritum. Ostendens enim Dei Filius se solum esse de Patre genitum, ait ^g : *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret (Joan. iii, 16); et paulo post, Qui autem non credit jam judicatus est, quia non credidit in nomine unigeniti Filii Dei (Ibid., 18). Spiritum autem sanctum et Patris et Filii esse Spiritum Apostolus docet, qui ait : Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis (Rom. viii, 9). Et sequitur ^h, Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus (Ibid.).*

C CAP. XI, seu REG. VIII. *Spiritus sanctus.* — 52. Firmissime tene, et nullatenus dubites, eundem Spiritum sanctum, qui Patris et Filii unus Spiritus est, de Patre et Filio procedere. Dicit enim Filius : *Cum venerit Spiritus veritatis, qui a Patre procedit (Joan. xv, 26); ubi suum Spiritum esse docuit, quia ipse est Veritas (Joan. xiv, 6). De Filio quoque procedere Spiritum sanctum, prophetica atque apostolica nobis doctrina commendat. Isaias enim dicit de Filio : Percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium (Isai. xi, 4). De quo et Apostolus ait : Quem interficiet Dominus Jesus spiritu oris sui (II Thess. ii, 8). Quem etiam ipse unicus Dei Filii spiritum oris sui esse significans, post resurrectionem suam insufflans in discipulos, ait : Accipite Spiritum sanctum (Joan. xx, 22). De ore vero ipsius Domini Jesu ait Joannes in Apocalypsi quia gladius utraque parte acutus procedebat (Apoc. i, 16). Ipse ergo spiritus oris ejus ipse est gladius qui de ore ejus procedit.*

D CAP. XII, seu REG. IX. *Trinitas nullis terminis circumscripta.* — 53. Firmissime tene, et nullatenus dubites, Trinitatem Deum immensum esse virtute, non mole, et omnem creaturam spiritalem atque corporalem virtute ejus et præsentia contineri. Dicit enim

^a Ms. unus, quia veritas est.

^b Sic mss. quatuor. At edd., Hinc et Psalmus dicit. Ms. Corb., Huic et in Psalmis dicitur.

^c Mss. tres omittunt hæc verba.

^d Ms., in sæcula sæculorum. Amen.

^e Sic ms. Corb. At edd., visione.

^f Editi, fideles apostolos. Mss. quinque non habent apostolos.

^g Ms. unus, Ostendit enim... eum ait,

^h Mss. tres, et secutus, qui,

Deus Pater : *Cælum et terram ego impleo* (Jer. xxiii, A 24). Dicitur etiam de Sapientia Dei, quæ Filius ejus est, quia *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (Sap. viii, 1). De Spiritu quoque sancto legimus : *Quia Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (Sap. i, 7). Et David propheta dicit : *Quo ibo a spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades* (Psal. cxxxviii, 7).

CAP. XIII, seu REG. x. *Persona Filii.* — 54. Firmissime tene, et nullatenus dubites, unam ex Trinitate personam, id est Deum Fillum, qui de natura Dei Patris solus natus est, et unius ejusdemque naturæ cum Patre est, ipsum in plenitudine temporis secundum susceptionem formæ servilis voluntarie in Virgine conceptum, et de Virgine natum, Verbum carnem factum : ipsum quoque esse qui essentialiter natus est de Patre ^a, et essentialiter 524 conceptus est natusque de Virgine; ipsumque unum esse, et unius naturæ cum Patre, et unius naturæ ^b cum Virgine, qui ait de Deo Patre : *Ante sæcula fundavit me, et ante omnes colles genuit me* (Prov. viii, 22, et 26); de quo etiam dixit Apostolus quia, *cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege* (Gal. iv, 4).

CAP. XIV, seu REG. xi. *Humanitas Christi.* — 55. Firmissime tene, et nullatenus dubites, Christum Dei Filium sicut de Deo Patre plenum perfectumque Deum, ita de Virgine ^c matre plenum perfectumque hominem ^d genitum, id est Verbum Deum, habentem scilicet sine peccato veram nostri generis carnem ^e et animam rationalem. Quod ipse Dei Filius evidenter ostendit dicens de carne sua : *Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (Luc. xxiv, 39). Animam quoque se habere his verbis ostendit, dicens : *Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meam, et iterum sumo ^f eam* (Joan. x, 17). Intellectum quoque animæ se habere ostendit in eo quod ait : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (Matth. xi, 29). Et de ipso ^g Deus per prophetam dicit : *Ecce intelliget puer meus, et exaltabitur, et sublimis erit valde* (Isai. liii, 13). Nam et beatus Petrus secundum sancti David prophetiam in Christo carnem et animam confitetur. De ipso enim beato David loquens ait ^h : *Propheta igitur cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque dere-*

lictæ est anima ejus in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem (Act. ii, 30, 31).

CAP. xv, seu REG. xii. *Divinitas Christi.* — 56. Firmissime tene, et nullatenus dubites, unum atque ipsum esse Deum Verbum ⁱ, qui cum Patre Deo et Spiritu sancto Deo fecit omnia tempora, et in monte Sinai legem Moysi dedit (Exod. xx et xxi) ordinatam per angelos (Gal. iii, 19), et ipsum Verbum Deum carnem factum : qui veniente plenitudine temporis, missus a Patre et Spiritu sancto, solus factus est ex muliere quam fecit, solus factus est sub lege (Gal. iv, 4) quam dedit.

CAP. xvi, seu REG. xiii. *De duabus in Christo naturis.* — 57. Firmissime tene, et nullatenus dubites, Dei Verbi ^j quod caro factum est duas naturas inconfusibiliter atque inseparabiliter permanere : unam veram divinam, quam habet cum Patre communem, secundum quam dicit : *Ego et Pater unum sumus* (Joan. x, 30); et, *Qui me videt, videt et Patrem* (Joan. xiv, 9); et, *Ego in Patre, et Pater in me est* (Ibid., 10) : secundum quam ^k eum dicit Apostolus (Heb. i, 3), Splendorem gloriæ et figuram 525 substantiæ Dei; alteram veram ^l humanam, secundum quam ipse Deus incarnatus dicit, *Pater major me est* (Joan. xiv, 28).

CAP. xvii, seu REG. xiv. *Unitas personæ in Christo.* — 58. Firmissime tene, et nullatenus dubites, Deum Verbum carnem factum unam habere divinitatis suæ carnisque personam. Deus enim Verbum plenam naturam humanam ita sibi veraciter unire dignatus est, et permanente divinitate sua ^m ita Verbum caro factum est, ut quamvis naturaliter non hoc sit Verbum quod caro, quia duarum naturarum veritas manet in Christo, secundum unam tamen personam, idem Verbum caro ab ipso fieret maternæ conceptionis initio. Deus enim Verbum non accepit personam hominis, sed naturam; et in æternam personam divinitatis accepit temporalem substantiam carnis. Unus est ergo Christus Verbum caro factum (Joan. i, 14), qui et ex patribus secundum carnem, et super omnia Deus benedictus in sæcula (Rom. ix, 5). Unus Jesus, cui et Pater dicit : *Ex utero ante luciferum genui te* (Psal. cix, 3) : ubi significatur ante omne tempus sine initio æterna natiuitas; ⁿ de quo et evangelista dicit, quia *vocatum est nomen ejus Jesus, quod dictum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur* (Luc. ii, 21).

CAP. xviii, seu REG. xv. *Verbi et carnis unio.* — 59. Firmissime tene, et nullatenus dubites, carnem

^a Ms. unus, *Ipsumque essentialiter de Patre natum, et essentialiter de Virgine matre temporaliter conceptum et natum : ipsumque.*

^b Desunt in editis hæc verba, cum Patre, et unius naturæ. Habentur ex ms. Corb.

^c Ms. Corb., sic de Maria Virgine.

^d Ms. Corb., Deum hominem.

^e Ms. Vatic., *Idem Dei Verbum habens sine peccato etiam nostri scilicet generis carnem.*

^f Mss. quatuor, *sumam.*

^g Sic mss. At edd., et de seipso.

^h Ms. unus Vat., *De ipso enim beatus David loquens ait: Quoniam non derelinques animam meam in in-*

ferno. Propheta.

ⁱ Editi, *unum Filium atque ipsum esse Deum verum.* Sed concinnior videtur lectio mss. trium.

^j Sic mss. Corb. et Vat. tres. Cæteri non abent hæc verba, atque inseparabiliter, habentque *Dei verbum.... in duas naturas, sed mendose.*

^k Sic mss. tres. At Vat. unus, *secundum quam et Apostolus ait, Splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.*

^l Vatic. duo, *alteram vero, Vat. alter, alteram vero veram.*

^m Vatic. unus, *divinitatis suæ natura.*

ⁿ Inf editis repetitur, *unus Jesus.* Abest a mss. sex,

Christi non sine divinitate conceptam in utero Virginis, priusquam susciperetur a Verbo; sed ipsum Verbum Deum suæ carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam (in *Sent.*, dist. 2, cap. Si autem).

CAP. XIX, seu REG. XVI. *Sacrificia. Sacrificium panis et vini.* — 60. Firmissime tene, et nullatenus dubites, ipsum unigenitum Deum Verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium et hostiam Deo in odorem suavitatis (*Ephes.* v, 2) : cui cum Patre et Spiritu sancto a patriarchis, et prophetis, et sacerdotibus, tempore Veteris Testamenti animalia sacrificabantur; et cui nunc, id est tempore Novi Testamenti, cum Patre et Spiritu sancto, cum quibus illi est una divinitas, sacrificium panis et vini, in fide et caritate sancta catholica Ecclesia per universum orbem terræ offerre non cessat. In illis enim carnalibus victimis, significatio (al. figuratio) fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus, et sanguinis quem erat effusus in remissionem peccatorum nostrorum : in isto autem sacrificio, gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, et sanguinis quem pro nobis idem Deus effudit. De quo beatus Paulus dicit in Actibus apostolorum : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (*Act.* xx, 28). In illis ergo sacrificiis quid nobis esset donandum figurate significabatur; in hoc autem sacrificio quid nobis jam donatum sit, evidenter ostenditur. In illis sacrificiis prænuntiabatur Filius Dei pro impiis occidendus : in hoc autem pro impiis annuntiat occisus, testante Apostolo quia *Christus, cum adhuc infirmi essemus secundum tempus, pro impiis mortuus est* (*Rom.* v, 6), et quia *cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius* (*Ibid.*, 10).

526 CAP. XX, seu REG. XVII. *Humanitas Christi.* — 61. Firmissime tene, et nullatenus dubites, Verbum carnem factum eandem humanam carnem semper veram habere qua de Virgine Verbum Deus natus est, qua crucifixus et mortuus est, qua resurrexit et in cælum ascendit, et in dextera Dei sedit (al. sedet), qua etiam venturus est iudicare vivos et mortuos. Propter quod ab angelis apostoli audierunt : *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum* (*Act.* i, 11); et beatus Joannes ait : *Eccæ veniet cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum confixerunt, et videbunt eum omnes tribus terræ talem* (*Apoc.* i, 7).

CAP. XXI, seu REG. XVIII. *Natura nihil non bonum.* — 62. Firmissime tene, et nullatenus dubites, Trinitatem Deum, id est Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse naturaliter summum atque incommu-

tabile bonum; et ab ipso creatas esse omnes naturas, bonas quidem, quia a summo bono factæ sunt; sed mutabiles^d, quia de nihilo factæ sunt; nullamque esse mali naturam^e, quia omnis natura, in quantum natura est, bona est. Sed quia in ea bonum et minus et augeri potest, in tantum mala dicitur, in quantum bonum ejus minuitur. Malum enim nihil est aliud nisi privatio boni. Unde constat geminum esse creaturæ rationalis malum : unum quo (al. quod) voluntarie ipsa defecit a summo bono creatore suo, alterum quo (al. quod) invita puniatur ignis æterni supplicio : illud passura juste, quia hoc admisit injuste; et quia^f ordinem in se non servavit divinæ institutionis, ordinem divinæ non effugiet ultionis.

CAP. XXII, seu REG. XIX. *Nulla creatura est eadem cum Deo.* — 63. Firmissime tene, et nullatenus dubites, neque angelos, neque quamlibet aliam creaturam ejusdem naturæ esse, cujus est secundum naturalem divinitatem suam summa Trinitas, quæ est unus naturaliter Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus. Neque enim unius naturæ esse potuerunt^g ille qui fecit et ea quæ fecit.

CAP. XXIII, seu REG. XX. *Angeli facti stabiles.* — 64. Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnem creaturam naturaliter mutabilem a Deo incommutabili factam; nec tamen jam posse quemlibet sanctorum angelorum in deterius commutari, quia sic acceperunt æternam beatitudinem qua Deo stabiliter perfruuntur, ut ea carere non possint. Sed hoc ipsum quod^h ab illo statim beatitudinis in quo sunt mutari in deterius nullatenus possunt, non est eis naturaliter insitum, sed postquam creati sunt, gratiæ divinæ largitate collatum. Si enim angeli naturaliter incommutabiles fierent, nunquam de eorum consortio diabolus et ejus angeli cecidissent.

CAP. XXIV, seu REG. XXI. *Creaturæ rationales.* — 65. Firmissime tene, et nullatenus dubites, in omni creatura, quam spiritaliter atque corpoream summam Trinitas fecit, solos spiritus angelicos et humanos intelligendi facultatem divinitus accepisse; cæteros vero spiritus brutorum animalium rationem et intelligentiam non accepisse, et etiam hoc omnino habere non posse. Propter quod dicitur hominibus : 527 *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (*Psal.* xxxi, 19); et ideo animas hominum et animas pecorum unius naturæ non esse; nec animas pecorum in hominesⁱ, nec animas hominum in pecora posse aliquando transire.

CAP. XXV, seu REG. XXII. *Libera voluntas Adæ.* — 66. Firmissime tene, et nullatenus dubites, primos homines, id est Adam et mulierem ejus, bonos, rectos, et sine peccato creatos esse, cum libero arbitrio, quo possent, si vellent, Deo semper^j humili et bona vo-

stitutionis.

^g Mss. septem, esse poterant.

^h Mss. tres, hoc ipsum quo.

ⁱ Sic mss. quatuor. At editi, in animas hominum...

in animas pecorum.

^j Leguntur hæc, Deo semper, in ms. Corb. Non

leguntur in edd.

^a Sic mss. quinque. At editi, crucifixerunt.

^b Vat. unus, qualem scilicet despexerunt. In reliquis hæc non adduntur.

^c Ms. unus, a summo bono bonæ factæ sunt.

^d Hæc verba sed mutabiles, etc., absunt a mss. duobus Vatic.

^e Sic mss. sex. At editi, malam naturam.

^f Mss. quinque, et quæ. Vatic. unus, divinæ con-

luntate servire atque obedire : quo arbitrio etiam possent, si vellent, propria voluntate peccare; eosque non necessitate, sed propria voluntate peccasse; illoque peccato sic in deterius mutatam humanam naturam, ut non solum in ipsis primis hominibus per peccatum mors obtineret regnum, sed etiam in omnes homines transiret peccati mortisque dominium.

CAP. XXVI, seu REG. XXIII. *Peccatum originale.* — 67. Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnem hominem qui per concubitum viri et mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, impietati subditum, mortique subjectum, et ob hoc natura iræ filium nasci. De qua dicit Apostolus : *Eramus enim et nos natura filii iræ, sicut et ceteri (Ephes. II, 3)*. A qua ira nullus liberatur, nisi per fidem mediatoris Dei et hominum, hominis Jesu Christi, qui sine peccato conceptus, sine peccato natus, sine peccato mortuus, peccatum pro nobis factus est, id est sacrificium factus est pro peccatis nostris. In Veteri quippe Testamento peccata dicebantur sacrificia quæ pro peccatis offerebantur : in quibus omnibus fuit significatio Christi, quia ipse est *Agnus Dei qui tollit peccata (al. peccatum) mundi (Joan. I, 29)*.

CAP. XXVII, seu REG. XXIV. *Non baptizatorum poena quæ.* — 68. Firmissime tene, et nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, et ibi moriuntur, sive jam (*al. cum*) de matribus nati sine sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, de hoc sæculo transeant, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos. Quia etsi peccatum propriæ actionis nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione et nativitate traxerunt.

CAP. XXVIII, seu REG. XXV. *Judicium.* — 69. Firmissime tene, et nullatenus dubites, ideo Christum Filium Dei ad judicandos vivos et mortuos venturum, ut homines quos hic dono suæ gratiæ gratis per fidem justificat, eisdemque justificatis, in fide et caritate sanctæ matris Ecclesiæ usque in finem perseverantiam donat, in suo adventu resuscitet et glorificet, et secundum promissionem suam æquales sanctis angelis faciat, et ad eum statum perducatur, in quo perfecte, in quantum unicuique donat Deus, boni sint, et ab ipsa perfectione deinceps mutari non possint : ubi diversa erit sanctorum gloria, sed una erit omnium vita æterna. Diabolus vero et angelos ejus in ignem æternum a Christo esse mittendos, ubi nunquam carebunt poena quam eis præparavit divina justitia; cum ipso autem diabolo implos et iniquos homines, de quibus Scriptura dicit : *Imitantur 528 autem eum qui sunt ex parte illius (Sap. II, 25)*, pro eo quod eum in malis operibus imitati sunt, et ante finem præsentis vitæ congruam poenitentiam non egerunt, resumptis corporibus supplicio æternæ combustionis arduos.

CAP. XXIX, seu REG. XXVI. *Resurrectio carnis.* — 70. Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnibus hominibus et bonis et malis resurrectionem carnis in

A adventu Domini futuram esse communem; retributionem vero justitiæ Dei esse bonis malisque dissimilem : secundum quod Apostolus ait quia *omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur (I Cor. XV, 51)*. Immutabuntur autem justi, qui ibunt in vitam æternam. Quod Apostolus ostendit dicens : *Et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur (Ibid., 52)*. Et ostendens quæ erit ipsa immutatio adjecit (v. 53) : *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem*. In justorum (*al. eorum*) corporibus fiet quod ipse Apostolus ait : *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spiritale (Ibid., 42 et seq.)*. Quod propterea spiritale dixit, non quia ipsum corpus spiritus erit, sed quia vivificante spiritu immortale atque incorruptibile permanebit. Sic autem tunc dicitur spiritale corpus, cum non spiritus sit, sed permaneat corpus; sicut nunc animale dicitur, cum tamen inveniatur non anima esse, sed corpus.

CAP. XXX, seu REG. XXVII. *Fides et baptismus.* — 71. Firmissime tene, et nullatenus dubites, exceptis illis qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non hic malis suis fuerit pro poenitentiam fidemque ^b conversus, et per sacramentum fidei et poenitentiae, id est per, baptismum liberatus. Et majoribus quidem necessarium esse, et poenitentiam de malis suis agere, et fidem catholicam secundum regulam veritatis tenere, et sacramentum baptismatis accipere; parvulis vero, qui nec propria voluntate credere, nec poenitentiam pro peccato quod originaliter trahunt agere possunt, sacramentum fidei et poenitentiae ^c, quod est sanctum baptesma, quandiu rationis ætas eorum capax esse non potest, sufficere ad salutem.

CAP. XXXI, seu REG. XXVIII. *Gratia.* — 72. Firmissime tene, et nullatenus dubites, neminem hic posse hominum poenitentiam agere, nisi quem Deus illuminaverit, et gratuita sua miseratione converterit. Apostolus enim dicit : *Ne forte det illis Deus poenitentiam ad cognoscendam veritatem, et respiscant a diaboli laqueis (II Tim. II, 25)*.

CAP. XXXII, seu REG. XXIX. *Nihil agi sine gratia.* — 73. Firmissime tene, et nullatenus dubites, posse quidem hominem quem nec ignorantia litterarum, nec aliqua prohibet imbecillitas vel adversitas, verba sanctæ legis et Evangelii, sive legere, sive ex ore cujusquam prædicatoris audire; sed divinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua præverit, ut quod audit corpore, etiam corde percipiat, et, accepta divinitus bona voluntate atque virtute, mandata Dei facere et velit et possit. *Neque 529 enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (I Cor. III, 7)* : qui etiam operatur in nobis et velle et perficere, pro bona voluntate (*Philip. II, 13*).

CAP. XXXIII, seu REG. XXX. *Deum nihil latere.* —

^c Abest ab edd. et poenitentiae. Legitur in mas. quatuor. Ms. unus, quod est secundum baptesma.

^a Vat. unus, Agnus immaculatus.

^b Ms. unus, per misericordiam fidemque.

74. Firmissime tene, et nullatenus dubites, Deo incommutabili non solum præteritâ et præsentia, sed etiam futura omnia incommutabiliter esse notissima, cui dicitur: *Deus, qui occultorum es cognitor, qui scis omnia antequam fiant* (Dan. xiii, 42).

CAP. XXXIV, seu REG. XXXI. *Prædestinatio*. — 75. Firmissime tene, et nullatenus dubites, Trinitatem Deum incommutabilem, rerum omnium atque operum tam suorum quam humanorum certissimum cognitorem ^a, ante omnia sæcula scire quibus esset per fidem ^b gratiam largiturus: sine qua nemo potuit ab initio mundi usque in finem, a reatu peccati tam originalis quam actualis absolvi. Quos enim Deus præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui ^c (Rom. viii, 29).

CAP. XXXV, seu REG. XXXII. *Beati ex prædestinatione*. — 76. Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnes quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus facit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos a Deo; neque perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinavit ad regnum cœlorum, nec quemquam eorum quos Deus non prædestinavit ad vitam, ulla posse ratione salvari. Prædestinatio enim illa gratiæ donationis est præparatio qua nos Apostolus ait prædestinatos in adoptionem filiorum, ^d per Jesum Christum in ipsum (Ephes. i, 5).

CAP. XXXVI, seu REG. XXXIII. *Baptismus*. — 77. Firmissime tene, et nullatenus dubites, sacramentum baptismatis, non solum intra Ecclesiam catholicam, sed etiam apud hæreticos qui in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizant, esse posse; sed extra Ecclesiam catholicam prodesse non posse: imo sicut intra Ecclesiam recte credentibus per sacramentum baptismi conferri salutem, sic extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, eodem baptismo cumulari perniciem (i, quæst. 1, cap. Firmissime). Tantum enim valet ecclesiasticæ societatis unitas ad salutem, ut baptismus non salvetur, cui non ibi datur ubi oportet ut detur. Inesse tamen homini baptismum ^e etiam extra Ecclesiam baptizato, sed ad iudicium inesse ab Ecclesia separato. Et quia manifestum est, ubicunque datum fuerit, hoc baptisma semel esse dandum, ideo etsi ab hæreticis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti fuerit datum, venerabiliter agnoscendum, et ob hoc nullatenus iterandum. Salvator enim dicit: *Qui semel lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet* (Joan. xiii, 10).

CAP. XXXVII, seu REG. XXXIV. *Extra Ecclesiam salus nulla*. — 78. Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnem extra Ecclesiam catholicam baptizatum participem fieri non posse vitæ æternæ, si ante finem vitæ hujus catholice non fuerit redditus atque incorporatus Ecclesiæ: quia *si habeam*, inquit Aposto-

lus, *omnem fidem, et 530 noverim omnia sacramenta, caritatem autem non habeam, nihil sum* (I Cor. xiii, 2). Nam et in diebus diluvii neminem legimus extra arcam potuisse salvari.

CAP. XXXVIII, seu REG. XXXV. *Damnandi*. — 79. Firmissime tene, et nullatenus dubites, non solum omnes paganos, sed etiam omnes Judæos, et omnes hæreticos atque schismaticos, qui extra Ecclesiam catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus est diabolo et angelis ejus (Matth. xxv, 41).

CAP. XXXIX, seu REG. XXXVI. *Hæretici*. — 80. Firmissime tene, et nullatenus dubites, quemlibet hæreticum sive schismaticum, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizatum, si Ecclesiæ catholicæ non fuerit aggregatus, quantascunque elemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari. Omni enim homini qui Ecclesiæ catholicæ non tenet unitatem, neque baptismus, neque elemosyna quamlibet copiosa, neque mors pro nomine Christi suscepta proficere poterit ad salutem, quando (at. quandiu) in eo vel hæretica vel schismatica pravitas perseverat quæ dicit ad mortem.

CAP. XL, seu REG. XXXVII. *Christiani male viventes*. — 81. Firmissime tene, et nullatenus dubites, non omnes qui intra Ecclesiam catholicam baptizantur accepturos esse vitam æternam, sed eos qui percepto baptismate recte vivunt, id est qui se abstinuerunt a vitiiis et concupiscentiis carnis. Regnum enim cœlorum sicut infideles, hæretici atque schismatici non habebunt, sic catholici criminosi possidere non poterunt.

CAP. XLI, seu REG. XXXVIII. *Sine peccatis neminem vivere*. — 82. Firmissime tene, et nullatenus dubites, etiam justos atque sanctos homines, exceptis iis qui baptizati parvuli sunt, sine peccato hic neminem vivere posse; semperque omni homini esse necessarium, et peccata sua usque in finem vitæ præsentis elemosynis, jejuniis, oratione, vel lacrymis ^h diluere ⁱ, et remissionem a Deo humiliter ac veraciter postulare.

CAP. XLII, seu REG. XXXIX. *Cibus et potus. Conjugium, Secundæ nuptiæ licitæ*. — 83. Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnem creaturam Dei bonam esse, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur; et Dei servos qui a carnibus aut vino abstinent, non tanquam immunda quæ a Deo facta sunt respuere, sed a fortiori cibo et potu, pro sola castigatione corporis abstinere. Nuptias quoque divinitus institutas et benedictas; et melius quidem esse si quisquam sine conjugio sit, ut liberius atque plenius cogitet quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo (I Cor. vii, 34); tamen illis qui continentiam

^a Mss. duo, conditorem.

^b Ms. Corb., per fidem ab eodem inspiratam.

^c Mss. sax. Filii ejus.

^d Abest Dei, quod in editis legitur, a ms. Corb. et textu Apostoli.

^e Ms. unus, baptizatis prodesse non posse.

^f Vatic. unus, Inest tamen homini baptismus ... sed ... inest.

^g Ms. Corb., non indiget lavari, nisi ut pedes lavet.

^h Hæc verba, jejuniis, oratione, vel lacrymis, habentur ex ms. Corb.

ⁱ Ms. unus, redimere.

non voverunt, nullum esse peccatum si vel mulier nubat, vel vir uxorem ducat. Nec solas primas nuptias a Deo institutas, sed etiam secundas et tertias, pro eorum qui se continere non possunt, infirmitate concessas. Eis vero qui sive conjugati, sive a conjugio liberi continentiam Deo voverint, admodum esse damnabile, si vel illi conjugale opus voluerint appetere, quo se non accessuros, vel illi repetere, a quo se recessuros, illi libera, illi communi professi sunt voluntate.

CAP. XLIII, seu REG. XL. *Malos misceri bonis in Ecclesia.* — 84. Firmissime tene, et nullatenus dubites, aream Dei esse catholicam Ecclesiam, et intra eam usque in finem sæculi frumento mixtas paleas contineri, hoc est bonis malos sacramentorum communione misceri; et in omni professione, sive clericorum, sive monachorum, sive laicorum, esse bonos simul et malos; nec pro malis bonos deserendos, sed pro bonis malos, in quantum exigit fidei et caritatis ratio tolerandos, id est, si vel in Ecclesia nullius perfidiæ semina spargunt, vel fratres ad aliquod malum opus mortifera imitatione non ducunt. Nec posse aliquem intra Ecclesiam catholicam recte credentem beneque viventem alieno unquam maculari peccato, si cuiquam peccanti nec consensionem præbeat, nec favorem; utiliterque malos a bonis intra Ecclesiam tolerari, si hoc cum eis bene vivendo et bene monendo agatur, ut et videntes et audientes quæ bona sunt, mala sua respuant, et iudicandos se a Deo pro suis malis operibus contremiscant; atque ita, præveniente dono gratiæ, de suis iniquitatibus confundantur, et ad bonam vitam per Dei misericordiam convertantur. Bonos vero a malis intra Ecclesiam duntaxat catholicam constitutis non debere nisi operum dissimilitudine separari^a, ut cum quibus divina communicant sacramenta, non habeant mala opera, quibus illi sunt criminosi, communia. In fine vero sæculi bonos a malis etiam corpore separandos, quando veniet Christus habens ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum^b, paleas autem comburet igni inextinguibili (Matth. III, 12); quando per iudicium justum segregabit justos ab injustis, bonos a malis, rectos a perversis: bonos constituet a dextris, malos a sinistris, et ex ejus ore justi æternique iudicii sempiterna atque incommutabili prolata sententia, iniqui omnes ibunt in combustionem æternam, *justi autem in vitam æternam* (Matth. xxv, 45): iniqui semper arsurus cum diabolo, justus autem regnaturus sine fine cum Christo.

CAP. XLIV. *Persistendum in fide.* — 85. Hæc interrim quadraginta capitula ad regulam veræ fidei firmissime pertinentia fideliter crede, fortiter tene, veraciter patienterque defende. Et si quem contraria his dogmatizare cognoveris, tanquam pestem fuge, et tanquam hæreticum abjice. Ita enim ista quæ posuimus fidei catholicæ congruunt, ut si quis non so-

lum omnibus, sed etiam singulis voluerit contraire, in eo quod singulis horum contumaciter repugnat, et his contraria docere non dubitat, hæreticus et fidei Christianæ inimicus, atque ex hoc omnibus catholicis anathematizandus appareat. Quamvis igitur et angustia temporis, et festinatio portitoris compulerit nos aliqua quæ pro diversis hæresibus agnoscendis atque vitandis fuerant inserenda præterire silentio, tamen si omnia quæ in hoc opusculo continentur recensere et notissima prorsus habere non negligas, ex his poteris cauta discretione etiam de cæteris spiritaliter judicare. Apostolus enim dicit quia *spiritalis iudicat omnia* (I Cor. II, 15): quo donec unusquisque nostrum perveniat, in eo quo pervenit ambulet, id est in eo quod certum accepit fideliter perseveret. Quod si quid aliter sapit, hoc quoque illi Deus revelabit. Amen.

532 ADMONITIO de subsequente capite XLV.

Caput subsequens non vere a Fulgentio produisse, sed a quovis alio auctore incerto, huic operi completo subjunctum, nemo est qui inficietur, si totum perlegens Fulgentii librum, ad postrema capituli ultimi verba vel mediocriter attenderit. Propositis enim 40 capitulis, seu potius regulis veræ fidei, angustiu temporis et festinatione portitoris cogi se dicit plura silentio præterire quæ fuerant alias inserenda. Unde nec verisimile est eum (addita insuper manifesta totius operis clausula) capite isto longiori, et ad rem nihil, aut pena nihil conferente, ausisse opus jam completum, aut breviori sermone repetiisse regulas seipsis satis contractas.

Accedit illud quod, etsi hæc parum conauerent na hocce caput Fulgentio tribueremus, manuscripti omnes per nos visi, Vaticani quatuor, Anglicani duo, nec non Corbeiensis unus pervetustus et caractere ipso annos præferens mille aut amplius, hoc est ipso ferme Fulgentii aut proxime sequenti sæculo exaratus, hæc omnia quæ in isto capite leguntur omittunt, habetque postremus ille in fine post hæc verba, Hoc quoque illi Deus revelabit, Amen, eadem omnino manu, Fulgentii episcopi sanctæ Ecclesiæ catholicæ Ruspensis De Regula veræ fidei libere explici. Verum quia religio fuit quidquam hic ante editis minus excudere, visum est totum hoc caput huic operi per modum appendicis singularis subnectere.

CAPUT XLV.

1. Vere firmum fidei est fundamentum, principaliter credere Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum esse naturaliter Deum: ita ut de natura Patris vere natum unigenitum Filium, et simul de Patre et Filio vere atque naturaliter procedentem credamus Spiritum sanctum: ipsamque sanctam Trinitatem esse unum solum, verum, æternum, atque incommutabilem Deum. Credere etiam congruit ad salutem, unam ex Trinitate personam; id est Unigenitum Deum, pro nostra salute solum hominem factum; eundemque unum esse Deum verum, et hominem verum, secundum divinitatem unam naturam habentem cum Patre et Spiritu sancto; secundum

^a Vatic. unus, sic debere operum dissimilitudine separari.

^b Sic ms. Corb., juxta Græcum textum. Editi vero, triticum in horreum suum.

humanitatem vero, animam Christi rationalem ejusdem naturæ esse cujus sunt animæ omnium hominum, et carnem Christi illius esse naturæ cujus est universorum qui de primo homine originem ducunt. Ergo nec animam Christi nec carnem unius cum divinitate ejusdemque esse naturæ, quia secundum humanitatem vere ipse creatus est; sed sicut divinitati ejus cum Patre et Spiritu sancto est divina natura communis, sic animæ ejus et corpori naturalis est communio cum animabus et corporibus nostris. Qui divinitate sua carnem atque animam credentium in se, et a peccati dominio, et ab æternæ mortis supplicio gratis eripuit auferendo peccatum.

2. Hac enim credulitate munitus, non oblivisceris divinam misericordiam die noctuque supplicare, obsecrans beatam spem omnium credentium in se, qui est Christus Dominus, ut hujus fidei veritatem firmiter teneas inviolatamque custodias: quia Spiritus sanctus fidelibus se deprecantibus copiosum subministrat adjutorium, sicut propheta dicit: *Prope est Dominus omnibus invocantibus* 533 *eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, et preces eorum exaudiet, et salvos faciet eos. Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet* (Psal. CXLIV, 18, 19, 20). Et iterum ipsi Deo dicit: *Ecce omnes qui se elongant a te peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te* (Psal. LXXII, 27). De se autem ait: *Mihi autem adherere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam* (Ibid., 28).

3. Adhære igitur Deo, fili carissime, et in ipso spem tuam toto corde, fide et caritate constitue. In militia sæculi exhibe regi terreno fidele servitium, quia hoc diligit Deus, hoc mandat Apostolus. In causa vero fidei, qua Christus nos redemit in sanguine suo, omnis de corde nostro timor abscedat. Illi animas nostras debemus cujus sanguine redempti sumus. Illam debemus præ omnibus diligere quem novimus nostrarum animarum clementissimum Redemptorem. Illius debemus timere præ omnibus æternam et veram potestatem, quem venturum speramus æquissimum judicem. Illius debemus promissa toto affectu cordis appetere, qui potest animæ et corpori donare vitam æternam. Illius debemus timere iracundiam, qui potest animam et corpus mittere in gehennam: in cujus judicio sine acceptione personarum, sine ambitu potestatum æqualiter judicabuntur domini et servi, reges et milites, divites et pauperes, humiles et su-

blimes; ubi servus quisquis hic fidem Dei in veritate tenuerit, regno potietur æterno, dominus autem infidelis sempiterno exuretur incendio; ubi servorum dominorumque fidelium nec vita terminabitur, nec lætitia finietur, infidelium vero sive servorum sive dominorum, secundum sermonis prophetici veritatem, *Ignis eorum non extinguetur, et vermis eorum non morietur* (Isai. LXVI, 24). Ibat enim iniqui in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.

4. Attendamus autem quos illic Salvator lætas esse prædixerit, nempe illos quibus dicitur est: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere; nudus fui, et non vestistis me; hospes, et non suscepistis me; infirmus et in carcere, et non venistis ad me* (Math. xxv, 42). Quod si in ignem æternum digne mittetur qui Christo in suis minimis esurienti panem non dederit, quid passurus est qui ipsum panem qui de celo descendit, sibi per infidelitatis vitium admittit? Et si in flammis perennis exuretur qui Christo in suis minimis sitiati calicem aquæ frigidæ non tribuit, quid ille patietur qui renatus ex aqua et Spiritu sancto sanctum baptismum in se iterare permittit, quod ad sanctum semet et ad sacramentum sanctæ regenerationis accepit? Et si illum credimus perennibus subdendum esse tormentis qui Christum in suis minimis peregrinum hospicio negligit caritate suscipere, quid passurum se putaverit qui Dominum Christum de domo sui cordis excludens, et diabolum in se cæca prorsus infidelitate recipiens, de sancta Ecclesia, quæ est columna et firmamentum veritatis (I Tim. III, 15), hæretica circumventus falsitate discesserit? Et si ille qui infirmos atque in carcere positos famulos Christi non visitat igni deputatur sempiterno, quid illis retribuendum dicemus qui Dei famulos, in quibus solam persequuntur fidei veritatem, aut squalore carcerum, aut ensiferorum deportatione violentè affligunt? Sed in his omnibus licet infideles sæviant, Deus tamen suis auxilium subministrat. Et dum inimici fidei aut catholici quemque seductione aut violenta compulsionè capiunt depravare, Christus, qui est virtus et sapientia Dei, virtutem tribuit ut mortiferæ suasionis promissa despiciant, et terroribus humanis robore divini timoris obsistant: tantum est ut voluntas non avertatur a Deo, et fidei præmio potietur. Ipsa est enim cui aut pro infidelitate infligitur æterna pœna, aut servatæ fidei merces erit sempiterna lætitia.

S. FULGENTII

PRO FIDE CATHOLICA,

ADVERSUS PINTAM EPISCOPUM ARIANUM,

LIBER UNUS.

534 1. Catholicæ fidei fidissimum fundamentum post Christum apostolos esse, certa fidei testatur integritas: quam rationem, ipsa forsitan prædicatione cessante, occulte nescio quis operatio Spiritus sancti in mentibus fidelium seminata atque concreta insinuat. Quis tamen bene credentium ignorat quia hæreses omnes de Catholica exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite projecta? Ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in caritate sua, et portæ inferorum non prævalebunt adversus eam (Math. xvi, 18). Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, contra omnes hæreses pugnans, pugnare potest, expugnari non potest: de qua Salomon in Canticis canticorum, ex persona Christi suam sponsam, quam Ecclesiam

credimus, laudantis, dicit: *Ecce proxima mea tanquam liliū in medio spinarum* (Cant. II, 2): quia diversarum hæresum dogmatibus ejus integritas tanquam spinis quotidie pungitur, ut contra hostes suos vigilans exerceatur, donec eminent tanquam liliū in capite sponsi sui candore ipso decoreter.

2. Verum quia quidam, proprio spiritu actus, ejus fidei cultores Homousianos vel Unisubstantianos vocandos esse præsumpsit, ejus imperitiæ respondendum. Tantis enim ac talis est omnipotens Deus, ut per malos pronuntiet bona; sicut per pontificem malum (Joan. xi, 49), nostræ redemptionis prædicere dignatus est sacramentum. Is namque qui ipsum condidit libellum sæva mente conceptum, congeriem

divinorum testimoniorum tam Novi quam Veteris Testamenti contra homousion opponendam putavit. De talibus olim prænuñtiavit Apostolus, dicens : *Nescientes de quibus loquantur, neque de quibus affirmant* (1 Tim. 1, 7). Si enim sciret quid homousion ex Græco in Latino exprimitur, laudare potius quam exprobrare contenderet. Patres enim nostri trecenti decem **535** et octo, qui ad Arii venena excludenda antidotum hujus vocabuli confecerunt, non extraneis vocibus ab Evangelio usi sunt, sed verbum e verbo ad ritum facilius, rectæ fidei rationem nondum intelligentibus insinuare curarunt. Homos namque unus, usia substantia Græco sermone appellatur. Consule Evangelii dictam, et invenies hoc esse ore divino prolatum, *Ego et Pater unum sumus* (Joan. x, 30). Discute pluralem, et redi ad singularem substantiæ veritatem. Nam quod dixit, *Ego et Pater unum sumus*, Patris suamque personam, contra Sabellium, quem prævidebat futurum hæreticum, dicendo *sumus*, sententiam promulgavit, ut discerneret suam Patrique personam. *Unum* quod dixit, æque Arium prævidebat, qui substantiam deitatis intersecare non dubitat. Quia et Sabellius male conjunxit, et Arius sceleratius separavit. Oportebat namque Sabellium Patris Filiique personam secernere, et Arium deitatis substantiam in nullo penitus separare. Magnum sane crimen fidei putant applicari Catholicæ, cum ejus alumnos Homousianos vel Unisubstantianos appellant : quasi homousion vel substantiam deitatis vel alicujus hominis vocabulum contineat ; sicut diversarum hæresum auctores sui nominis sectam discipulis prædicandam esse senserunt. Sicut Simoniani a Simone, Menandriani a Menandro, Marcionistæ a Marcione, Valentiniastæ a Valente, Manichæi a Mane, Nepotiani a Nepote ; et ut antiquas et pene jam deficientes hæreses prætermittam, novellas interim nominabo : ut sunt Sabelliani a Sabellio, Ariani ab Ario, Eunomiani ab Eunomio, Macedoniani a Macedonio, Apollinaristæ ab Apollinare, Nestoriani a Nestorio, Donatistæ a Donato, Maximianistæ a Maximiano, Rogatistæ a Rogato ; et si qui sunt alii qui nomine tenus tantum, non opere dicuntur Christiani, qui derelicto Deo, auctorum suorum nomina venerantur. Doceat is qui homousion in catholicos accusandum putavit, alicujus esse hominis nomen homousion. Videretur namque mihi, nisi Evangelii clarissimum culmen omnibus gentibus luce clarius innotuisset, ut hæresim suam quomodo fovendam arbitrarerentur Ariani, possent ipsa Domini verba de Evangelio eradicare ; id est, *Ego et Pater unum sumus* : quod (ut dictum est) verbum e verbo translatum, homousion Patres statuerunt.

3. Quod autem apud imperitos astruunt, multis debere credi, an paucis ; eo quod Nicænum concilium in trecentis decem et octo Patribus celebratum est, Ariminense vero in octingentis triginta jactitant congregatum, ubi homousion callidi homines apud imperitos interpolare conati sunt, compendio refe-

ram. Ecce homousion in paucis obtinuit, ut cæteris episcopis per totius orbis spatia constitutis sic innotuisset, ut ejus se confessione gaudeant decorari. Quod si posterior Ariminensis (*Videtur deesse conventus*) in tanta multitudine, ut asserunt, congregatus est, ejus sectæ episcopi per orbem multiplicarentur, populi crescerent, talis fides etiam ipsa imperia occuparet. Sed ubi **536** fraudis illius calliditas per prudentes et probatissimos viros est agnita, ita homousion confirmatum est, ut vix Ariminensis reliquias ad probandos catholicos remansisse cernamus. Ipsam urbem Ariminum, ubi hoc fraudis negotium gestum est, vel potius concinnatum, si complacet, consulamus. Utrum ipsius sectæ habeat episcopum nescio : nam de Mediolano liberius astruam, ubi Auxentius sectæ suæ venena ut callidus artifex fudit : cujus posterior Ambrosius dogma ita destruxit, Spiritu sancto repletus, ut nomen ejus post mortem in ipsa urbe a memoria viventium raderetur ; et velut quoddam contagium ejus vocabulum habeatur. Per quem Ambrosium et Augusti tunc Gratiani fides firmata est, et crementa in episcopis et populis magis magisque creverunt. Non enim omnipotens Deus ; qui per omnes Scripturas Ecclesiæ suæ crementa promisit, deserere suam pollicitationem, et dimittere posset crescere falsitatem. Hoc de omnibus hæresibus dictum sit.

4. Cæterum in consequentibus, adjuvante Deo, qui et cor instruit, et linguam regit, et de uno Deo, et de potentia, et invisibilitate, vel æqualitate Filii cum Patre, et Spiritus sancti deitate, quæ Trinitas, ipsis nolentibus, unus tamen est Deus, talia testimonia ponentur, ut si contentionis tenebras non amaverint, lucem necesse sit videant veritatis. Et ne quempiam moveat quod diximus, Ecclesiæ crementa per omnes Scripturas fuisse promissa, et si vindicant per hanc oppressionem fuisse concessa, noverint esse scriptum in Jeremia : *Clamabit per dix, congregabit quos non peperit, faciet divitias suas non cum judicio* (Jer. xvii, 11). Et hoc certissimum documentum est quia catholica fides nunquam nisi tribulationibus et persecutionibus crevit : ut impleatur quod dictum est, *Quia per multas tribulationes et angustias oportet nos videre regnum Dei* (Act. xiv, 21). Illius autem fidei crementa testantur exsilia innocentium, et proscriptiones miserorum, et tormenta et oppressio captivorum. Sed video quosdam contradictores ^b parturientes, et Donatistarum nobis objicere persecutiones, quorum furor legibus violentiam fecit, et legibus ista perpessi sunt. Nam si quos ex eis catholica mater pio sinu suscepit, sine ulla baptismi injuria, sine ulla oneris jactura, sine ulla Spiritus sancti contumelia : ut qui voluntate conversi sunt, dolerent quia diu eos latuit caritas.

Catholica testimonia de uno Deo.

5. Prima vox Dei, *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est* (Deut. vi, 4). In Deuteronomio, *Dominus solus deducebat eos, et non fuit cum illis*

^a Ms. Port., *radere.*

^b Ms. Port., *contradictiones.*

Deus alienus (Deut. xxxii, 12). Item ibi, Videte, videte A quia ego sum Deus, et non est alius præter me (*Ibid.*, 39). In Exodo item, Non erunt tibi dii alii absque me (*Exod. xx, 3*). Item, Sacrificans diis aliis absque me, eradicabitur (*Ibid.*, 5). Item, Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies, (*Deut. vi, 13*). Item, Neque enim est alius Deus vel in cælo vel in terra, qui potest facere opera tua, aut comparari magnitudini tuæ (*Deut. iii, 24*). In Osee propheta, Dominum præter me non noveris, et salvans non erit præter me (*Ose. xiii, 4*). In Isaia, Ego Deus, et non est præter me salvans: annuntiavi, et salvavi, et non erit in vobis alienus (*Isa. xliii, 11*). Qui supra, Hæc dicit Dominus, qui fecit cælum; hic Deus qui extendit terram, et fecit eam: non in vanum fecit eam, sed ut inhabitaretur. Ego sum, ego sum, et non est alius quis. Ego sum Deus, et non est alius (*Isa. xlv, 18*). Per meipsum juro, nisi prodierit de ore meo iustitia, verba mea non revertentur: quoniam mihi flectetur omne genu, et jurabit omnis lingua Deum ^a (*Ibid.*, 22, 23 et 24). Qui supra, A sæculo non audivimus, neque oculi nostri viderunt Deum præter te (*Isa. lxiv, 4*); et, Ante me non fuit Deus, et præter me non erit alius quis (*Isa. xliiii, 10*). Ego Deus primus, et ego in ea quæ superveniunt (*Isa. xlv, 6*). In corpore Psalmorum, Quis Deus præter Dominum nostrum (*Psal. xvii, 32*)? Item, Quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia solus (*Psal. lxxvi, 15*). Item, Sciant gentes quoniam nomen tibi Dominus: tu solus altissimus super omnem terram (*Psal. lxxxii, 16*). Hoc magis Filio competit. In Regnorum, Ezechias adversus Sennacherib, Domine Deus Israel, tu es Deus solus regum omnium terræ (*IV Reg. xix, 15*). Qui supra, Dominus Deus noster, salvos nos fac de manu eorum: ut sciant omnia regna terræ quia tu es Dominus solus (*Ibid.*, 19). Salomon in oratione expandit manus suas in cælum, et ait: Domine Deus Israel, non est similis tibi Deus nec in cælo sursum, neque in terra deorsum (*III Reg. viii, 23*). Et quamvis de uno Deo duo vel tria testimonia sufficerent, audiant tamen ii qui nobis duos deos introducunt. Confitentur enim Deum Patrem, et Deum Filium: hoc sane verum est; sed qui non honorificat Filium sicut honorificat Patrem, hic impius est. Si enim debetur sacrificium vel honorificentia Patri, hoc debetur et Filio. At cum majorem asseris Patrem, minorem Filium, duos deos introducis: in utroque sacrilegus, et non audiendo, Dominus Deus tuus, Deus unus est (*Deut. vi, 4*), et non honorificando Filium sicut honorificas Patrem. Nullos gradus interposuit Filius. Interroga Patris quæ honorificentia ^b. Tu conaris ad utrorumque contumeliam, et Patris, quia ejus Filius non auditur, de quo Pater dicit, Ipsum audite (*Matth. xvii, 5*), et Filii, quem in suo præcepto audes contemnere. Sed jam alia testimonia de æqualitate Patris et Filii proponantur.

^a Supra in respons. ad 10 object. Arianorum, non semel, per Deum.

Testimonia de æqualitate Patris et Filii.

6. In Apocalypsi, Et habebat in vestimento, vel in femore suo scriptum, Rex regum, et Dominus dominantium (*Apoc. xix, 16*; *I Tim. vi, 15*). Si de Patre hoc Apostolus dicit, hic manifeste de Filio dicitur. Ubi supra, Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima. In eis secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes Dei et Christi ejus, et regnabunt cum eo (*Apoc. xx, 6*). Ubi supra, Ego sum α et ω , initium et finis. Ego sitiienti dabo fontem aquæ vitæ gratis. Qui vicerit, ^b possidebit hæc, et ero illi Deus, et ipse erit mihi filius (*Apoc. xxi, 6*). Ubi supra, Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens est templum ejus, et Agnus (*Ibid.*, 22). Nulla differentia. Ubi supra, Et ostendit mihi ^B fluvium aquæ vitæ splendidum, procedentem de sede Dei et Agni (*Apoc. xxii, 1*). Una sedes, non dua. Ubi supra, Sedes Dei et Agni in illa erunt, et servient ei (*Ibid.*, 3). In Epistola Joannis, Omnis qui non manet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui permanet in doctrina, et Filium et Patrem habet (*II Joan.*, 9). Filius prius. In Epistola Judæ, Dominatorem et Deum nostrum Jesum Christum negantes (*Jud.*, 4). Et Deus, et Dominus. In Apocalypsi, Dicunt montibus et petris, Abscondite nos a facie sedentis in throno, et ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare (*Apoc. vi, 16*)? Unum, vel æquale judicium. Ubi supra, Salus Deo nostro et Agno (*Apoc. vii, 10*). Ubi supra, Factum est regnum hujus mundi, Domini Dei nostri, et Christi ejus, et regnabit in sæcula sæculorum (*Apoc. xi, 15*). Regnabit, non Regnabunt. Ubi supra, Et audivi vocem magnam in celo dicentem, Facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus (*Apoc. xii, 10*). Nulla divisio. Ubi supra, Et vidi, et ecce Agnus stabat super montem Sion, et cum illo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis (*Apoc. xiv, 1*). Nunquid præjudicat, quia Filius prior nominatus est, ubi una potestas est? Ubi supra, Hi empti sunt ex hominibus, primitiæ Deo et Agno (*Ibid.*, 4). Ubi supra, Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet eos: quia Dominus dominorum est, et Rex regum (*Apoc. xvii, 14*). Quid amplius habet Pater? Dicatur. Ad Hebræos, Abraham namque promittens Deus, quia neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum dicens (*Hebr. vi, 13*). Si de Patre accipitur, visibilis erit; si de Filio, major illo non erit. Pater in Evangelio, Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem (*Joan. v, 23*). Et quia habet qui eum misit, hæc missio non de loco in locum. Nam et sol mittit radios, et non a se separatur. Item, Sicut Pater vivificat mortuos, ita et Filius quos vult vivificat (*Ibid.*, 21). Ecce Filius, quos vult; ecce Spiritus, ubi vult. Filius dicit Philippo: Qui me videt, videt et Patrem (*Joan. xiv, 9*). Et iterum: Non credis quia ego in

^b In ms. Port. additur hic, Nullus gradus inter Filii Patrisque honorificentiam.

Patre, et Pater in me est (Joan. xiv, 11)? Ecce æqualitas Patris et Filii. Item, *Pater, clarifica Filium tuum, ut et Filius tuus clarificet te (Joan. xvii, 1).* Par potestas. Sed sufficiunt ista de æqualitate Filii cum Patre.

Testimonia de Filii deitate.

7. In Job : *Qui extendit cælum solus, et ambulat super mare tanquam super terram (Job ix, 8).* In Jeremia : *Hic Deus noster, et non deputabitur alius absque eo; qui invenit omnem viam prudentiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est (Baruch iii, 36, 37, 38).* Nunquid quia hic persona Filii expressa est, dicendo, *Quia non deputabitur alius absque eo, Patrem a deitate separamus?* In Isaia : *Fatigata est Ægyptus, et negotiatio Æthiopiæ. Multi ad te venient, et tui erunt servi; et ambulabunt post te, alligati compedibus; et adorabunt te, et te deprecabuntur: quoniam in te est Deus, et tu es Deus solus, et nesciebamus: Deus Israel, 539* *Salvator noster (Isa. xlv, 14, 15).* In hoc clarissimo testimonio, non solum deitas Filii, sed et summa cum Patre ostenditur æqualitas. Nam quod ait, *In te est Deus, et tu es Deus,* hoc in Evangelio dictum est, *Ego in Patre, et Pater in me est (Joan. xiv, 11).* Ad Romanos : *Quorum patres, et ex quibus Christus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula (Rom. ix, 5).* Propria deitas Filii. Ad Corinthios secunda : *Qui est imago invisibilis Dei (II Cor. iv, 4).* Si imago, veritas. Ubi supra : *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi (II Cor. v, 19).* Si Deus totus, non ex parte. Ad Ephesios : *Evangelizare incomprehensibiles divitias Christi (Ephes. iii, 8).* Nunquid Christi solius, et non Patris? Ad Colossenses : *Quia in ipso complacuit habitare omnem plenitudinem divinitatis corporaliter (Coloss. ii, 9).* Hic advertite quia et omnem plenitudinem et divinitatem : ubi nihil est quod addatur. Ubi supra : *Ut ostenderet Deus divitias sacramenti sui inter gentes : quod est Christus (Coloss. i, 27).* Ecce, divitiæ Dei Christi est. Ubi supra : *Ut in agnitione sacramenti Dei, quod est Christus : in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (Coloss. ii, 3).* Integra plenitudo. Ad Philippenses : *Qui cum in forma Dei esset constitutus (Philip. ii, 6).* Audis formam, et negas æqualem? Ubi supra : *Ipsæ antequam Deus Pater, et Dominus noster Jesus Christus dirigat viam nostram ad vos (I Thess. iii, 11).* Ecce ambo dirigunt : par potestas. Ad Timotheum prima : *Ut serves mandatum irreprehensibile, usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi, quem suis temporibus ostendet beatus, et solus potens (I Tim. vi, 14), etc.* Nunquid quia dixit, *Solus potens,* excluditur Pater a potentia? Ad Titum : *Illuxit autem omnibus hominibus gratia Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi (Tit. ii, 11).* Ubi supra (v. 13) : *Expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.* Si magnus Deus Filius, nihil habet minus. Ubi supra : *Cum autem benignitas et humanitas illuxit Salvatoris nostri Jesu Christi (Tit. iii, 4).* Hic nec humanitatem tacuit, nec divinitatem. Joan-

nes ad Parthos : *Ut credamus in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus, et vita æterna (I Joan. v, 20).* In hoc testimonio qui negat Filio perfectionem Dei, Antichristus est. Petri secunda : *Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi (II Pet. i, 11).* Et quamvis hæc pauca testimonia de deitate Filii, quasi de magno mari ipsarum Scripturarum stilla elevata sit : cum omnis Scriptura tam ejus deitati quam etiam ejus pro assumpta carne humanitati perhibeat testimonium, sicut ipse in Evangelio secundum Joannem ait : *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere : et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me (Joan. v, 39).* Non ait, De nobis, ne duos introduceret deos. In Luca dixit ad eos Jesus : *Hæc sunt verba quæ locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum : quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et Psalmis, de me (Luc. xxiv, 44).* Nunquid excludit Patrem a testimonio Scripturarum, quia et hic ait, *De me?* De omnipotentia Filii in Salomone : *Omnipotens sermo tuus, Domine; de cælis a regalibus sedibus venit (Sap. xviii, 15).* In Zacharia : *O, fugite de terra aquilonis, dicit Dominus : eo quod ex quatuor ventis cæli colligam vos. Dicit Dominus : In Sion 540* *salvamini qui habitatis in filia Babylonis. Propter quod hæc dicit Dominus omnipotens : Post gloriam misit me ad gentes quæ vos expoliaverunt. Propter quod qui tangit vos, tanquam qui tangit pupillam oculi ejus. Propter quod inducam manum meam super eos, et erunt præda prædantibus eos; et scietis quia Dominus omnipotens misit me (Zach. ii, 2 et seq.).* Sursum omnipotens dicit, deorsum omnipotens mittit : nunquid duo omnipotentes? Amos propheta : *Dominus qui tangit terram et movet eam, et lugebunt omnes commorantes in ea; et ascendet sicut fluvius Ægypti, qui ædificat super cælum ascensionem suam, et remissionem suam super terram confirmat : qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ : Dominus omnipotens est nomen ejus (Amos ix, 5).* Nonne hæc omnia Filio intelliguntur convenire? qui descendens terram tetigit, passione commovit, et de terris ascendit in cælum, et super terram descendit e cælo, sicut ipse promisit in Apocalypsi (Cap. iii, 14) : *Hæc dicit qui est testis fidelis, initium creaturæ Dei : Qui est, et qui erat, et qui venturus est, Dominus omnipotens (Apoc. i, 8).* Movet, quia dixit, *Initium creaturæ Dei;* moveat, quia dictum est, *Dominus omnipotens :* ut hoc, de deitate; illud, quod natus est, de Maria Virgine.

Testimonia de Trinitate.

8. In Evangelio : *Ite, baptizate gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (Matth. xxviii, 19).* In nomine, non In nominibus. Item : *Simile est regnum cælorum mulieri quæ abscondit fermentum in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum (Matth. xiii, 33).* Hic mulier ponitur Ecclesia, quæ æquis ponderibus fidem Patris, et Filii, et Spiritus sancti in corda credentium abscondit. In Apocalypsi : *Sanctus,*

sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth (Apoc. iv, 8). Tertio audio sanctus, et unum Dominum Deum. Ubi supra: *Et dixit mihi angelus: Hæc verba vera Dei sunt. Et cecidi ante pedes ejus ut adorarem eum; et dixit mihi: Vide ne feceris; conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu, et spiritus prophetiæ* (Apoc. xix, 9, 10). Quid tam luce clarius ad ostendendam Trinitatem, nisi verba vera Patris, testimonium Filii, donum prophetiæ Spiritus sancti? In Psalmis: *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen* (Psal. xxxv, 10). Apud Deum Patrem fons vitæ Christus; et quia lumen est in ipso, illuminator videtur Spiritus sanctus: quia qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus (Rom. viii, 9). In psalmo lxxvi, 8: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ*. Ter audio Deum, et unum prædicat metuendum. In Epistola Joannis: *Tres sunt in cælo qui testimonium reddunt, Pater, Verbum, et Spiritus: et tres unum sunt* (I Joan. v, 7). Quid dicam de patriarcha Abraham? qui cum trium speciem virorum videret, unum in eis Deum cognovit, cum dicit: *Dominator Domine* (Gen. xviii, 3). Corporali ministerio tribus exhibet humanitatis officium; ab uno tamen prolis suscepit beneficium, dum dicitur ei: *Ad hoc tempus veniam, et erit Saræ filius* (vers. 10). Non dixit veniemus, sed veniam: ne plebem deorum introducere videretur. Nam ut noveris Trinitatem simul habitare, 541 simul immunditiam declinare, audi quid in Evangelio Dominus dicat: *Qui me diligit diligetur a Patre meo, et ego diligam eum* (Joan. xiv, 21); et, *Veniemus, ego et Pater meus, et mansionem apud illum faciemus* (v. 23). Ecce, Pater et Filius unam habitant mansionem. Quid Spiritus sanctus? Audi Apostolum dicentem: *Templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (I Cor. iii, 16). Ostensus est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus simul habitare; ostendatur ipsa Trinitas simul immunditiam declinare. Apud Salomonem habes: *Perversæ autem cogitationes separant a Deo: hoc de Patre. Quoniam in malivolam animam non introibit Sapientia: hoc de Filio. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu* (Sap. i, 3, 4, 5): hoc de Spiritu sancto. Sed ut compendio intellectus, Scripturæ sensum de natura Trinitatis uniter dicentem colligas, in Exodo item habes: *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (Exod. iii, 6). In psalmo: *Vivit Dominus, et benedictus Deus meus, et exaltetur Deus salutis meæ* (Psal. xvii, 47). Paulus: *Idem Spiritus, idem Dominus, idem Deus* (I Cor. xii, 4, 5, 6). Nunquid offendit catholicum sensum quia Spiritus prius nominatus est? Item si Dominum quæras ipsam Trinitatem dictam, audi: *Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus* (Psal. xxviii, 2). Quia Rex ipsa Trinitas: *Auferte portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ* (Psal. xxiii, 9). Testimonium datum, Deum tertio repeli-

tum, Dominum tertio appellatum Regem. Nec dii, nec domini, nec reges distincti sunt, quia in trina nomina et personas discernuntur: nam una deitas, unum dominium, unum regale imperium. Qui hinc veritati studio male vincendi contradicit, non dico damnabitur, sed jam damnatus est.

Testimonia de Spiritu sancto, quia Deus est.

9. In principio libri Genesis: *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas* (Genes. i, 2): qui in figura baptismi aquas sanctificaret, non qui lassando pausaret. In Job: *Spiritus divinus est qui fecit me, et Spiritus Omnipotentis qui docet me* (Job xxxiii, 4). In divinitate perfectio. In Evangelio: *Spiritus est Deus, et qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (Joan. iv, 24). Item: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum* (Joan. iii, 34). Ecce Spiritus immensus est. Ad Nicodemum: *Spiritus enim ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat vel quo vadat* (Ibid., 8). Quando audis, *Ubi vult*, propria potestas est. In seipso Christus: *Spiritus Domini super me* (Luc. iv, 18). Nisi pius revocet has voces intellectus, major erit Spiritus Filio. Item: *Jesus repletus Spiritu sancto, reversus est ab Jordane* (Ibid., 1). Similis intellectus. Item: *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius. Spiritus est qui vivificat: nam caro non prodest quidquam* (Joan. vi, 63). Nihil minus habet deitatis qui vivificat. Item: *Cum venerit Paracletus, Spiritus veritatis, quem Pater mittet in nomine meo, ipse introducet vos in omnem veritatem, et docebit vos* (Joan. xvi, 13). Deus est qui introducet in omnem veritatem. In Actibus apostolorum, Petrus Cornelio: *542 Jesum a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto* (Act. x, 38). Homo unctus est, non Deus. Item Ananix: *Quare tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto* (Act. v, 3)? Et infert: *Non es mentitus hominibus, sed Deo* (vers. 4). Item: *Hæc dicit Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam, in ministerio quo vocavi eos* (Act. xiii, 2). Hic nec Patris nec Filii inducit personam, quos tamen sanus intellectus non separat a jussione. Item Apostolus gentibus per Epistolam: *Placuit, inquit, Spiritui sancto, et nobis, non imponere vobis amplius quam ut abstinatis ab idolis, a fornicatione, et sanguine* (Act. xv, 28). Nunquid hæc jussio sine Patre et Filio facta est? Item ibi: *Dixit autem Spiritus Petro: Exsurgens vade cum illis, quia ego eos misi ad te* (Act. x, 19). Nunquid nisi creator imperat creaturæ? Item ibi: *A Mileto autem Paulus mittens Ephesum, convocavit presbyteros et majores natu* (Act. xx, 17); et post multam exhortationem intulit: *Attendite gregem Christi, in quo vos Spiritus sanctus constituit episcopos* (Ibid., 28). Nunquid ab hac constitutione sacerdotis separatur Pater aut Filius? Paulus ad Romanos: *Spiritus autem vita æterna, et pax* (Rom. viii, 6). Hoc Pater, hoc Filius, hoc Spiritus sanctus; sed una vita, non tres. Ubi supra: *Spiritus vita est propter justitiam* (Ibid., 10). Hoc Pater, hoc Filius. Ubi supra: *Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit Christum*

a mortuis, habitat in vobis (v. 11). Quælis hic est Deus qui carnem Creatoris a mortuis suscitavit? Ubi supra: Non enim accepimus spiritum servitutis (v. 15). Nullus liber nisi Deus, quod est Spiritus sanctus. Ubi supra: Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo: in abundantia spei et virtute Spiritus sancti (Rom. xv, 13). Sicut Christus virtus Dei, ita Spiritus sanctus. Ubi supra: Ut fiat oblatio gentium sanctificata in Spiritu sancto (Ibid., 16). Spiritus sicut vivificat, ita et sanctificat. Ubi supra: Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium, verbo et factis; per potentiam signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti (Ibid., 18, 19). Virtus Filius, virtus Spiritus, virtus Pater; sed una, non tres. Ad Corinthios prima: Spiritus autem omnia scrutatur. Nemo novit quæ sunt Dei, nisi Spiritus ejus (I Cor. ii, 10, 11). Ubi supra: Templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis (I Cor. iii, 16). Deus est qui habitat in templo suo. Ubi supra: Abluti et sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et Spiritu Dei nostri (I Cor. vi, 11). Ecce simul mundant, simul sanctificant Filius et Spiritus sanctus. Ubi supra: Omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens unicuique prout vult (I Cor. xii, 11). Qui libere quod vult facit, nulli est subditus. Ad Corinthios secunda: Epistola scripta, non atramento, sed Spiritu Dei vivi (II Cor. iii, 3). Spiritus hominis non est minor homine; quanto magis Spiritus Dei! Ubi supra: Littera occidit, Spiritus autem vivificat (Ibid., 6). Qui vivificat Deus est: quia Dominus mortificat et vivificat (I Reg. ii, 6). Ad Galatas: Ut benedictionem Spiritus accipiamus per fidem (Gal. iii, 14). Deus est qui benedicit. Ubi supra: Spiritu vivimus, Spiritus et ambulemus (Gal. v, 25). Qui rursus benedicit, ipse vivificat ut Deus. Ubi supra: Qui seminaverit in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam (Gal. vi, 8). In his tribus testimoniis ad Galatas, Spiritus et benedicit, et vivificat, et dat vitam æternam. Ad Ephesios: In quo credentes signati estis in Spiritu sancto (Ephes. i, 13). Signamur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ubi supra: In quo vos ædificamini in habitaculo Dei in Spiritu (Ephes. ii, 22). Item: Revelatum est sanctis ejus apostolis in Spiritu, esse gentes cohæredes (Ephes. iii, 5). Omnia operatur unus atque idem Spiritus: hæredes facit. Ubi supra: Ut det vobis secundum divitias claritatis suæ, virtutem a corroborari per Spiritum suum (Ibid., 16). Non corroborat nisi Deus. Ubi supra: Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis (Ephes. iv, 3). Pax Christus. Nunquid duæ paces? Ubi supra: Et gladium Spiritus, qui est sermo Dei (Ephes. vi, 17). Sermo Dei Christus; Spiritus sanctus sermo Dei. Nunquid duo sermones? Ad Philippenses: Sive absens audiam de vobis, quia statis in uno Spiritu (Philipp. i, 27), hoc est in Deo. Ad Thessalonicenses: Assumpsit vos Deus ab initio ad salutem in sanctificatione Spiritus (II Thess. ii, 12). Ad Timotheum prima: Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu (I Tim. iii, 16). Ecce etiam Christi incarnationem Spiritus sanctus sanctificat. Ad Timotheum secunda: Bonum fideicommissum custodi, per Spiritum sanctum qui habitat in vobis (II Tim. i, 14). Si Deus non esset Spiritus, non auderet Apostolus per ipsum discipulum adjurare. Insuper, qui habitat in vobis. Ad Titum: Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, per Spiritum sanctum (Tit. iii, 5). Petri ad gentes: Nuntiata vobis sunt per eos qui evangelizaverunt vobis, Spiritu sancto misso de caelis: in quo concupiscunt angeli prospicere (I Petr. i, 12). Deus est quem cupiunt angeli prospicere. Ubi supra: Christus pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis: ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu (I Petr. iii, 18). Ubi supra: Ut judicentur quidem secundum hominem in carne, vivant autem secundum Deum in Spiritu (I Petr. iv, 6). Ubi supra: Si exprobramini in Christo, quoniam gloria Domini Spiritus in vobis requiescit (Ibid., 14). Gloria Patris Christus est, gloria Spiritus sanctus. Nunquid duæ gloriae? Petri secunda: Hæc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto acti locuti sunt homines Dei (II Petr. i, 0, 21). Nullus inspirat prophetiæ donum nisi Deus. Joannis ad Parthos: In hoc scimus quia manet in vobis, de Spiritu sancto quem dedit nobis (I Joan. iii, 24). Ubi supra: Quoniam in eo manemus, et ipse in nobis; quia de Spiritu suo dedit nobis (I Joan. iv, 13). Dedit, quod audis, operatio est virtutis, non separatio deitatis. In Apocalypsi: Et post dies tres et dimidium, Spiritus vitæ a Deo intravit in eos; et steterunt super pedes suos (Apoc. xi, 11). Quod a Deo procedit, Deus est. Ubi supra: Scribe, Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis (Apoc. xiv, 13). Non dixit Pater, non dixit Filius, sed Spiritus, qui per hanc jussionem ostenditur Deus. Ad Hebræos: Si enim sanguis taurorum et hircorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum seipsum obtulit immaculatum Deo (Hebr. ix, 13, 14)! Hoc testimonium docet cujus potestatis sit Spiritus sanctus, per quem caro Christi exhibetur immaculata. Ubi supra: Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei concuclaverit, et sanguinem Testamenti pollutum duxerit, et Spiritui gratiæ contumeliam fecerit (Hebr. x, 28, 29)! Ecce qualis ultio pro injuria Filii et Spiritus sancti. Ubi supra: Judicem omnium Deum, et Spiritus justorum perfectorum, et Testamenti Novi mediatorem Jesum Christum (Hebr. xii, 25). Hoc testimonium convenit Trinitati, quia et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus hic nominatus est. Quia

• Forte, virtute, ut in Græco textu et apud Vulg. versionem.

omnipotens est Spiritus sanctus, in Salomone : *Spiritus sanctus, multiplex, subtilis, disertus, securus, incontaminatus, omnem habens virtutem* (Sap. vii, 22). Et negas omnipotentem? Quia iudex est Spiritus sanctus, dicit Dominius : *Si abiero, mittam eum ad vos ; et cum venerit, ipse arguet mundum de peccato, de iustitia et de iudicio* (Joan. xvi, 7, 8). Vides iudicem, qui etiam ipsum, si dicendum est, vindicat Salvatorem : et audeat ei quisquam subtrahere deitatem? Et quid dicam amplius de deitate Spiritus sancti? quem pertimescit David dicens : *Quo ibo, Domine, a Spiritu tuo, aut a facie tua quo fugiam* (Psal. cxxxviii, 7)? Et ut concludam, tantus ac talis est Spiritus sanctus, in quo si quis blasphemaverit, inveniet eum non sibi relaxantem, neque in isto seculo, neque in futuro.

Fides catholica.

10. Ineffabilem illam Divinitatis substantiam vel naturam humanis verbis exprimere impossibile est : inconvertibilem, immutabilem, impassibilem, simplicem, incompositam, indivisibilem, inaccessam lucem, inexplicabilem virtutem, sine fine magnitudinem, gloriam inconspicibilem, bonitatem concupiscibilem, inexistitum decorem, qui mentis quidem puræ contingat et moveat affectum, indicari autem atque explicari non possit. Ubi est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, sola natura quæ creata non est, dominationis potestas, bonitas naturalis. Pater initium omnium, causa cunctorum, radix viventium : a quo procedit fons vitæ, virtus et imago indemutata invisibilis Dei, qui est Filius a Patre genitus. Verbum, sive ratio vivens ; qui erat semper, et erat apud Deum, et Deus erat, non factus ex Patre ante sæcula, non assumptus postmodum vel adoptatus in filium, non possessione vel factura, sed creator et factor omnium : qui est omnia quæ Pater est ; cui Pater omnia quæ habet gignendo dedit. Et ubi ergo qui dedit, gignendo dedit ; et qui accepit, nascendo accepit ; non inopi subventum est, sed ipsa copia nata est. Non enim ille qui accepit, illi qui dedit potest esse inæqualis, quia et hoc nascendo accepit ut esset æqualis. Nihil enim Patre minus habet ille qui dixit : *Omnia quæ habet Pater mea sunt* (Joan. xvi, 15). Et quia remetipsum exinanivit,

A formam servi accipiens, non formam Dei perdens, in eadem forma servi factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ; in qua paulo minus minoratus est ab angelis, ut in forma Dei maneret æqualis ; quia non est forma illa mutabilis. Qui in cælo spiritibus mundis intellectualibus in forma Dei et Deo æqualis, ut Deus 545 præbet exemplum ; ut se idem exemplum redeunti etiam lapsio præberet homini, qui propter immunditiam peccatorum potnamque mortalitatis Deum videre non poterat : semetipsum exinanivit non amittendo divinitatem suam, sed assumendo humanitatem nostram : et formam servi accipiens, venit ad nos in hunc mundum, qui in hoc mundo erat, quia mundus per ipsum factus est (Joan. i, 10), ut exemplum sursum videntibus B Deum, exemplum deorsum mirantibus hominem : exemplum sanis ad permanendum, exemplum infirmis ad convalescendum ; exemplum morituris ad non timendum, exemplum mortuis ad resurgendum fieret : ipse in omnibus primatum tenens : ut quia homo ad beatitudinem sequi non debebat nisi Deum, et sentire non poterat Deum ; sequendo Deum hominem factum, simul sequeretur et quem sentire poterat, et quem sequi debebat. Amemus ergo eum, et inhæreamus illi, caritate diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Hic Spiritus et vita est, et vivificans lux, et illuminans ; bonus, et bonitas ; Spiritus rectus, Spiritus principalis, qui est Dominus omnium ; mittens apostolos, separans sibi ministros, templa sibi ipse constituens, inspirans ubi vult, dividens donationes Spiritus prout vult. Spiritus adoptionis, Spiritus veritatis, Spiritus sapientiæ et intellectus, scientiæ, consilii, virtutis, et timoris Dei : per quem Pater agnoscitur, et Filius glorificatur. Neque enim dignum est, aut Filium aliquando defuisse Patri, aut Spiritum Filio : esset enim in maximis defraudata divinitas, et velut inglorium atque indignum duceretur, si velut ex poenitentia et præpostero consilio Deus ad perfectionis plenitudinem pervenisset. *Qui potest capere capiat* (Matth. xix, 12) : qui nondum potest, oret ut capiat, credat ut capiat : quia scriptum est : *Nisi credideritis, non intelligetis* (Isa. vii, 9, secundum LXX).

S. FULGENTII SERMONES.

546 SERMO PRIMUS.

De dispensatoribus Domini.

1. Dominicus sermo, quem debemus omnes, non solum studiose, verum etiam sapienter audire, cui nos oportet humiliter ac delectabiliter obedire, moderationis suæ tenens ubique temperiem, ut nec ovis desint pabula, nec pastoribus alimenta, quædam

D specialiter solis præcipit nobis, ^a quædam vero generaliter et nobis et vobis. Nobis namque, id est servis quos pater ille familias, rerum omnium dominus, ad hoc in sua magna domo constituit, ut populo ejus verbum gratiæ ministremus, specialiter injungitur sanctæ prædicationis officium : generaliter vero nobis et vobis, salutaris ^b indicitur obedientia manda-

^a Verba hæc absunt ab edd. Colon., Mog. et Basil. Leguntur in ms. Colb. et in Antwerp.

^b Basil., *Salvatoris.*

torum. In quibus denuo mandatis, tanquam ditissimis A ferculis, sic coelestium deliciarum copia spiritalis exuberat, ut in verbo Dei abundet quod perfectus comedat, abundet etiam quod parvulus sugat. Ibi est enim simul et lacteus potus, quo tenera fidelium nutriatur infantia, et solidus cibus, quo robusta perfectiorum juvenus spiritalia sanctæ virtutis accipiat incrementa. Ibi prorsus ad salutem consulitur universis quos Dominus salvare dignatur; ibi est quod omni ætati congruat, ibi quod omni professioni conveniat; ibi audimus præcepta quæ faciamus, ibi cognoscimus præmia quæ speremus; ibi est jussio quæ nos per litteram doceat et instruat ad scientiam; ibi promissio quæ per gratiam trahat et perducat ad gloriam.

547 2. Servorum igitur, quos populo suo præpauit ^a, Dominus speciale volens officium demonstrare, ait, quod ex Evangelio modo audivimus: *Quis putas est ^b fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille servus quem, cum venerit Dominus, invenerit ita facientem* ^c (Luc. xii, 13). Quis est iste Dominus, fratres? Christus sine dubio, qui suis discipulis ait: *Vos vocatis me Magister et Domine; et bene dicitis: sum etenim* (Joan. xiii, 13). Quæ est etiam hujus Domini familia? Nimirum illa est quam ipse Dominus de manu inimici redemit, et suo dominio mancipavit. Hæc autem familia sancta est Ecclesia catholica, quæ per orbem terræ copiosa fertilitate diffunditur, et redemptam se pretioso sui Domini sanguine gloriatur. *Filius enim hominis, sicut* C ipse ait, *venit non ministrari, sed ministrare* ^d, et *dare animam suam redemptionem pro multis* (Matth. xx, 28). ^e Ipse est etiam Pastor bonus qui animam suam posuit pro ovibus suis. Grex ergo boni Pastoris ipsa est familia Redemptoris. Dispensator vero quis sit, quem oportet esse fidelem pariter et prudentem, Paulus nobis ostendit apostolus, qui de se suisque sociis loquens ait: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniat* (I Cor. iv, 1, 2).

3. Ne quis autem nostrum solos apostolos dispensatores factos existimet, neglectoque militiæ spiritalis officio, servus piger infideliter imprudenterque dormitet, ipse beatus Apostolus episcopos quoque dispensatores esse ostendens, ait: *Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem* (Tit. i, 7). Servi ergo patris familias sumus, dispensatores Domini sumus, mensuram tritici quam vobis erogemus accepimus. Quæ vero sit ista mensura tritici si quæramus, ipsam quoque nobis beatus Paulus apostolus ostendit dicens: *Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei* (Rom. xii, 3). Quam ergo mensuram

tritici Christus mancipat, ipsam mensuram fidei Paulus appellat: ut agnoscamus non aliud esse spiritale triticum quam Christianæ fidei venerabile sacramentum. Hujus tritici mensuram vobis in nomine Domini damus, quoties illuminati dono gratiæ spiritalis, secundum regulam veræ fidei disputamus; et eandem tritici mensuram per dominicos dispensatores accipitis, cum quotidie per Dei famulos verbum veritatis auditis. De ipsa nunc ergo tritici mensura loquamur (*al. loquimur*). Ex ipsa, sicut Deus dividit, universi pascamur, inde alimenta bonæ vitæ sumamus, ut ad æternæ vitæ præmia pervenire possimus, in illis credentes, in illo sperantes, illum præ omnibus et in omnibus diligentes, qui seipsum nobis, et alimentum præstat ne deficiamus in via, et præmium B servat ut gaudeamus in patria. Christus est enim alimentum nostrum, Christus erit præmium nostrum, Christus est cibus et consolatio currentium viatorum, ipse 548 satiety ^f et exultatio quiescentium beatorum. Ad ipsam itaque tritici mensuram pertinet quod Dominus ait: *Vendite quæ possidetis, et date elemosynam; facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in caelis, quo fur non appropriat, neque linea corrumpit* (Luc. xii, 33). Magnum bonum est, fratres carissimi ^g, valde congruum, valde commodum, et maxime Christianis omnibus appetendum, ut unusquisque deficere non delectetur in pejus, sed omnes proficere studeamus in melius.

4. Arbores sumus, fratres, in agro dominico constituti. Deus est autem noster agricola: ille nos compluit, ille colit, ipse fecunditatem donat, ipse fructificandi gratiam subministrat. Pluvia Dei est sermo sanctæ prædicationis, cultura Dei est infusio gratiæ spiritalis. Deus igitur præcepto nos compluit, adjutorio colit. Dum compluit, aufert a nobis ignorantia siccatem; dum colit, bene vivendi condonat ubertatem; dum pluit, terram nostri cordis irrigat; dum vero colit, de ipsa terra spinas et tribulos mundanæ cupiditatis extirpat. Debemus itaque fecundari celestibus pluviis, debemus congrua fructificatione manibus superni respondere cultoris. Et si non possunt omnes arbores æquales fructus afferre, nulla tamen debet in agro dominico sterilis permanere.

5. Multum metuenda nobis est, fratres, illa sententia comminantis, qua dicitur: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur* (Matth. iii, 10). Quod si sterilitas in ignem mittitur, rapacitas quid meretur? Aut quid recipiet qui alienum tulerit, si semper ardebit qui de suo non dederit? Et si iudicium sine misericordia erit illi qui non fecit (*al. facit*) misericordiam (Jac. ii, 13), quale iudicium erit illi qui fecerit et rapinam? Timeamus ergo, fratres, timeamus actus nostros. Obediamus

^a Basil., *proposuit*.

^b Basil., *Quisnam est*.

^c Sic ms. Colb. et Ant., juxta textum Græcum Evangelii et Vulg. vers. Lucæ xii, 43. At edd. Mog., Colon. et Basil., *vigilantem*.

^d Mogunt. et Colon., *non manifestari, sed mani-*

festare.

^e Desunt hæc in Mog., Colon. et Basil. Leguntur in ms. et Ant.

^f Ant., *ipsa est satiety*.

^g Ant., *fratres in i*.

Christo vendat quæ possidet et eleemosynam det, ut de terra cor ad cælum levet, ut avaritiam calcet, ut ad perfectionis culmen tota mentis intentione festinet, ut non sit sollicitus quæ sunt mundi, sed quæ sunt Domini (al. Dei); ut mundum sibi crucifixum habeat, seque mundo crucifixum exhibeat; ut sit omnino pauper in sæculo et dives in Christo. Quis ignoret hõni hujus magnitudinem?

6. Videmus autem, non omnibus vendendarum rerum suarum inesse virtutem. *Unusquisque enim proprium habet donum ex Deo, alius autem sic* (II Cor. vii, 7). Ecce hoc tam magnum bonum implere pauci possunt, multi non possunt. Nunquid quia paucis donatur ista perfectio, propterea debent esse pessimi quicumque in bono nondum possunt esse perfecti? Nunquid propterea Christianus debet vitio rapacitatis insistere, quia forte nondum potest omnes res suas pauperibus erogare? Aut ideo debet aliena concupiscere, quia propria necdum potest omnino contemnere? Absit hoc, fratres, ab omnibus Christianis; avertat hoc Deus a fidelibus suis. Apostolus enim veraciter dicit quia *neque avari, neque rapaces, regnum Dei possidebunt* (I Cor. vi, 9). Manifestum est autem quia omnes qui a regno Dei **549** alienabuntur, in æterno igne cum diabolo ejusque angelis damnabuntur.

7. Proinde, dilectissimi, si non omnes possunt implere quod Dominus ait, *Vendite quæ possidetis* (Luc. xii, 33), illud tamen quod adjecit dicens, *Date eleemosynam* (Ibidem), omnibus est possibile, si adsit bona voluntas; omnibus facile, si non adsit dira cupiditas; omnibus salubre, si ferveat caritas: cunctis ergo debet esse commuue ut omnibus donetur æterna felicitas. Qui ergo tantam virtutem accipit a Domino ut omnia quæ in mundo sunt cælestis regni amore contemnat, quæ habet vendat, et egenis expendat. Qui vero tantæ virtutis nondum est, de his quæ habet, in quantum habet, eleemosynam faciat. Tantum operetur bona voluntas quantum suppetit facultas. Perfectus possideat primum virtutis locum, imperfectus saltem perveniat ad secundum. Efficiatur ille gloriose dignus, sit iste laudabiliter largus. Sit ille sanctæ paupertatis ardentissimus amator, sit iste sanctorum pauperum piissimus consolator. Habeat isto apud Deum patronos pauperes, quos ille se gaudet virtutis habere consortes. Sit iste talis qui cum Domino judicaturus sedeat; sit ille talis qui ad dexteram judicandus assistat. Sit ille talis qui æterna tabernacula perpetuo jure possideat; sit iste talis quem ille recipiat. Admonet enim nos Dominus dicens: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula* (Luc. xvi, 9).

8. Hoc ergo, fratres, necessarium est omnibus nobis, ut in bonis operibus nemo sit segnis, nemo sit sterilis, nemo præsentium dilectione (al. delectatione) futura contemnat, nemo æterna despiciens, sola temporalia perversus aspiciat; homo spiritualibus corpo-

ralia præferat, nemo terrena cælestibus anteponat. *Thesaurum nostrum, fratres, in cælis ponamus, ut etiam cor nostrum in cælis habere possimus. Necessè est enim ut quo præcesserit dilectionis thesaurus, illic etiam cogitationis sequatur affectus. Ideo Veritas ait: Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit* (Matth. vi, 21). Ut ergo in cælis thesaurizemus, cælestia diligamus. Vis nosse ubi thesaurizas? attende quid amas. Vis nosse quid amas? attende quid cogitas. Ita fiet ut thesaurum tuum ex tuo amore cognoscas, et amorem tuum iudicium tuæ cogitationis intelligas. Ostendens autem Dominus quomodo in cælis thesaurizare possimus, ait: *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes* (Luc. xii, 35).

9. Si istum Domini sermonem secundum litteram velimus accipere, nihil in eo commodi spiritualis possumus invenire. Quid enim ^b proficit ad animæ salutem, si aliquis corporaliter, aut lumbos præcingat, aut lucernam accendat? Alia ergo in præcinctis lumbis et lucernis ardentibus quærenda est intelligentia spiritualis, quæ scilicet divino sit præcepto condigna, quæ nostræ salutis congrua reperiat et commoda. Neque enim frustra quodam loco ipse Dominus ait: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* (Joan. vi, 63). In lumbis itaque **550** concupiscentia carnalis ostenditur, in lucernis vero fides et caritas Christiana monstratur ^c. Jubens igitur Dominus lumbos nostros præcingi, concupiscentias carnis sine dubio præcipit (al. præcepit) refrenari. Imperans autem ut lucernas ardentes habeamus, hoc utique jubet ut et lumine veræ fidei splendeamus, et sanctæ caritatis operibus ferveamus. Jubens ut sint lumbi nostri præcincti, mandat ut mala desideria atque opera fugiamus; jubens ut sint lucernæ nostræ ardentes, monet ut bona diligamus atque faciamus.

10. Ista quæ de Evangelio proposuimus, cum prophetis sermonibus conferamus. Utrumque enim Testamentum Deus unus instituit ^d, unus Dominus dedit; et si sunt utriusque Testamenti diversa pro temporibus sacramenta, concordat tamen in utroque salutis humanæ sententia, qua præcipitur ut non peccemus, et jubetur ut bonis operibus insistamus. Præcipit itaque Dominus per beatum David, dicens: *Declina a malo, et fac bonum* (Psal. xxxiii, 15). Per Isaiam quoque omnes his admonet verbis: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite perverse agere, discite benefacere* (Isa. i, 16). Hoc ergo nunc Dominus per seipsum præcipit (al. præcepit), quod nobis per sanctos etiam patriarchas prophetasque mandavit. Quid est enim, *Sint lumbi vestri præcincti*, nisi, Declinate a malo? Quid est, *Sint lucernæ ardentes*, nisi, Facite bonum? Quid est, *Sint lumbi vestri præcincti*, nisi, Quiescite agere perverse? Quid est, *Sint lucernæ ardentes*, nisi, Discite benefacere?

11. Præcinguntur igitur (al. enim) fidelium lumbi, dum concupiscentia mala comprimuntur, dum iniqua

^a Ms., admonuit.

^b Ms., Qui enim.

^c Ms., Christiano monstratur.

^d Edd., Deus instituit. Ms., Deus unus instituit

cogitatio cohibetur, dum libidini resistit animus, dum A lasciviæ denegatur affectus, dum calcatur luxuria, dum avaritia contemnitur et rapina, dum proximi læsio devitatur, dum superbia vincitur, dum invidia superatur. Ardent vero lucernæ fidelium, dum rectæ fidei regulam servant, dum in sinu matris Ecclesiæ longanimitèr perseverant, dum terrena contemnunt et cœlestia concupiscunt, dum solliciti pacem custodiunt, dum se invicem pure diligunt, dum mutuo se honore præveniunt, dum mansuetudine cordis et humilitate proficiunt, dum misericordiæ opera libenter atque hilariter faciunt, dumque in operibus bonis non hominibus, sed Deo placere contendunt.

12. Omnis ergo Christianus præcinctos habeat lumbos, ut fugiat libidinem; ardentem habeat lucernam, ut custodiat castitatem: præcinctos habeat B lumbos, ut aliquid alienum nec rapiat, nec furetur; ardentem habeat lucernam, ut de suo misericorditer operetur: præcinctos habeat lumbos, ut minorem non opprimat; ardentem habeat lucernam, ut oppresso velamine justitiæ^a justæ defensionis auxilium impendat: præcinctos habeat lumbos, ut habenti non auferat cibum; ardentem habeat lucernam, ut esurienti tribuat alimentum: præcinctos habeat lumbos, ut non spolièt vestitum; ardentem habeat lucernam, 551 ut vestiatur nudum: præcinctos habeat lumbos, ut domum nullius invadat; ardentem habeat lucernam, ut peregrinos Christi libenter excipiat: præcinctos habeat lumbos, ut fugiat elationem; ardentem habeat lucernam, ut servet humilitatem: præcinctos habeat lumbos, ut expellat a se invidiam et livorem; ardentem habeat lucernam, ut puram cunctis exhibeat caritatem: præcinctos habeat lumbos, ut non exhibeat membra sua arma iniquitatis peccato; ardentem habeat lucernam, ut exhibeat membra sua arma justitiæ Deo (Rom. vi, 13).^c

13. Hæc est, fratres, catholicæ fidei vera sanaque doctrina. Hæc est mensura tritici de qua Domini redemptoris^b est pascenda familia. Ex hac vobis (al. nobis), quantum Dominus tribuit, damus; ipsunque Dominus jugiter exoramus, ut et nos et vos in timore gratiæ^c suo pascere dignetur auxilio. Auferat a nobis dominationem pravæ cupiditatis, donet omnibus profectum et perseverantiam caritatis. Lumbos nostros ipse præcingat, lucernas nostras ipse ardere faciat ardentisque custodiat: ut nec refrigescat nostra caritas, nec aliqua nobis dominetur iniquitas. Sed Dominus ac Redemptor noster omnibus gratiam tribuat, universis donum sanctæ illuminationis ac virtutis infundat. Nobis donet ut quod ab illo audimus recte intelligamus et sicut oportet faciamus, vobisque faciendum sermone sufficienti et congruo

prædicemus. Vobis quoque donet ut quod ab illo per servos ejus auditis, et corJe intelligatis, et opere faciatis. Hoc ergo divina misericordia operetur in omnibus nobis^d, ut nos, quos voluit esse dispensatores, fideles faciat et prudentes; vos quoque faciat obedientes et humiles: ut mensuram tritici dominici, quam vobis damus, communem vobiscum salubriter atque utiliter habeamus^e.

SERMO II.

De duplici Nativitate Christi^f, una æterna ex Patre, altera temporali ex Virgine.

1. Cupientes aliquid de hujus diei solemnitate narrare, simulque considerantes illud unum Verbum, de quo dicere volumus, nulla invenimus verba quibus sufficienter aliquid dicere valeamus. Est enim hoc Verbum non quod desinit prolatum, sed quod permanet natum; non transitorium, sed æternum; non factum a Deo Patre, sed genitum; nec solum genitum, sed etiam Unigenitum. Unum quippe Verbum Deus Pater genuit de seipso, per quod omnia creavit ex nihilo. In principio enim 552 erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (Joan. 1, 1, 2, 3). In hoc autem quod per illud Verbum Deus Pater (al. omnipotens) omnia fecit, ostenditur quia hoc Verbum genuit ipse, non fecit. Illud igitur Verbum de Deo Deus est, de creatore creator est. Unde hoc in se naturaliter habet esse, quod Pater est.

2. Natus est itaque de Patre Deo Filius Deus, alter C in persona, non alius in natura: semper apud Patrem, semper cum Patre, semper de Patre, semper in Patre: semper apud Patrem, cum quo illi una est naturalis immensitas; semper cum Patre, cum quo illi una est naturalis æternitas; semper de Patre, de quo illi est naturaliter æterna nativitas; semper in Patre, cum quo illi est una naturaliter æqualisque divinitas: et alter quidem ille qui Pater est^h, alter ille qui Filius est; neuter tamen alter Deus, quia Pater et Filius unus est Deus. Quapropter quandoⁱ de Patre Deo et Filio Deo nascitur sermo, digne dicimus alterum esse Patrem, et alterum Filium; et nihilominus digne dicimus unum Deum esse Patrem et Filium. Cum enim dicimus alterum esse Patrem, alterum Filium, discretas personas genitoris genitique monstramus; D cum vero dicimus unum Deum esse Patrem et Filium, ipsam unam naturam indiscretæ divinitatis ostendimus. Altera est enim persona genitoris et geniti, sed una est natura genitoris et geniti.

5. Quomodo veroⁱ sufficienter aut digne loqui poterit quis? De quo? Homo de Deo, mortalis de immortalis, visibilis de invisibili, mutabilis de incommu-

^a Sic Basil. At ms., velamen justitiæ (forte pro justæ) duntaxat defensionis impendat. Mog., Col. et Ant., ut oppresso velamine justitiæ, duntaxat defensionis auxilium impendat.

^b Ms., de qua Redemptoris.

^c Mog., Colon. et Basil., gratiæ suæ.

^d Ms., in omnibus; deest nobis.

^e Basil., communem nobiscum salubriter atque utiliter habeatis.

^f Mss. duo, De Natali Domini.

^g Ms., hoc ipse.

^h Sic Ant. Basil. vero, Mog. et Colon. omittunt priori loco particulam qui. Mog. et Colon. posteriori habent, quod filius est. Ms. autem, quod, utroque loco.

ⁱ Sic ms. et Ant. At Basil., Mog. et Colon., quomodo.

^j Ms. Quando vero.

tabili, opus de opifice, de creatore creatura, de factore factura, parvulus de immenso, temporalis de æterno, humilis de altissimo, plasmatus e limo de illo qui omnia creavit ex nihilo. Cujus est inenarrabilis omnipotentia, qua nos gratuita bonitate fecit; nec minus tamen inenarrabilis gratia, qua nos omnipotentissima miseratione salvavit. Qui et opus creatricis omnipotentis gratis fecit, et opus gratiæ salvatricis omnipotentis implevit: illic habens potestatem condendi et regendi creaturam suam, hic habens potestatem ponendi et sumendi pro nobis^a animam suam. Omnipotentiam vero hanc (*al. nunc*) dicimus, qua Verbum, quod in principio erat, et apud Deum erat, et Deus erat, fecit omne quod non erat^b; gratiam vero, qua Verbum caro factum venit querere et salvum facere quod perierat; omnipotentiam, qua fecit omnem diem; gratiam, qua certo die concipi et certo die dignatus est nasci.

4. Idem igitur minoratus paulo minus ab angelis, in die factus est hominum, qui, coæternus et æqualis Deo Patri, dies sanctorum **553** semper est angelorum. De ipso quippe propheta dicit: *Bene nuntiate diem de die, salutare ejus (Psal. xcvi, 2)*. Quid est diem de die, nisi Filium de Patre^c? Est igitur de Patre Filius, de die dies; sed tamen Pater et Filius non duo dies, sed unus est dies. Est de Patre Filius, de Deo Deus; Pater tamen et Filius non duo dii, sed unus est Deus. Unus igitur dies æternitatis simul Pater et Filius a nobis agnoscitur, in die autem temporis solus Filius invenitur. Dies etenim æternus Pater et Filius nostrum corpus et animam fecit; in die vero temporis solus Filius nostrum corpus animamque suscepit. Christus dies æternus unigenitus in forma Dei manens; Christus in die temporis unigenitus formam servi accipiens. Christus dies æternus dives permanens ut conderet nos; Christus in die temporis pauper factus ut redimeret nos. Dies æternus Christus Deus de Deo Patre, Christus in die temporis Deus homo de virgine matre. Christus dies æternus Verbum eructatum (*Psal. xlii, 1*) de corde Patris, Christus in die temporis Verbum caro factum de utero virginis matris. Christus dies æternus, Deus verus de Deo vero; Christus in die temporis sponsus procedens de thalamo suo (*Psal. xviii, 6*). Dies æternitatis Christus angelos^d creans, dies in tempore Christus homines salvans. Dies æternitatis Christus in cælo sanctos angelos pascens, dies temporis Christus homines in terra reficiens. Ut enim panem angelorum manducaret homo, creator angelorum factus est homo, utrosque pascens, et integer permanens. Quam bonus panis qui et angelos pascit per speciem, et de ipso satientur in patria, et nos pascit per fidem, ne deliciamus in via! Ille panis, qui seipsum dat angelis ad gaudium stabilitatis, seipsum dedit hominibus

A ad remedium sanitatis; et qui est angelorum esca, nobis factus est medicina.

5. Verumtamen hic, dilectissimi fratres, attendite magnitudinem gratiæ, et agnoscite quid Deus homini dignatus est prærogare. Christus enim Dei Filius, de vero Deo Deus verus, et unus cum Patre naturaliter Deus, semper ex seipso sanctos^e et angelos pascit; sed tamen angelicam naturam Dei Filius non accepit. Ut autem suam caritatem Deus commendaret in nobis, Filius ejus naturam nostram suscepit ex nobis: et Deus unigenitus, qui panis est angelorum, ut etiam hominum seipsum faceret panem, simul hominis et animam suscepit et carnem. Accepit utramque veram, utramque sanctam, utramque mundam: accepit animam nostram sine iniquitate, accepit carnem nostram cum mortalitate; accepit animam justam, per quam nostris animabus justitiam redderet, carnem vero propterea dignatus est habere mortalem, ut secundum ipsam moriens mortem vinceret, secundum ipsam etiam resurgeret, per quam nostra quoque corpora suscitaret.

6. Magnum mysterium, dilectissimi fratres, magnum divinæ dilectionis indicium. Homo Deum contemnes a Deo discessit, Deus hominem diligens ad homines venit. Dilexit impium, ut faceret justum; **554** dilexit infirmum, ut faceret sanum; dilexit perversum, ut faceret rectum; dilexit mortuum, ut faceret vivum. Et quid amplius dicam? quandoquidem Deus unigenitus humanam naturam tantum dilexit, ut eam non solum a potestate mali angeli liberaret, verum etiam in seipso super omnes bonos angelos in Patris dextera collocaret. Natura enim quæ in primo homine a malo angelo captivata fuerat, ipsa nunc in secundo homine super omnes bonos angelos regnat^f. Natura quæ in primo homine mundum peccato polluit, ipsa in secundo homine mundum a peccato mundavit. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo celestis (1 Cor. xv, 47)*. Primum hominem mulier corrupta mente decepit, secundum hominem virgo incorrupta virginitate concepit. In primi hominis conjuge nequitia diaboli seductam depravit mentem, in secundi autem hominis matre gratia Dei et mentem integram servavit et carnem: menti contulit firmissimam fidem, carni abstulit omnino libidinem. Quoniam igitur miserabiliter pro peccato damnatus est homo, ideo sine peccato mirabiliter natus est Deus homo.

7. Attendite, fratres, medicinalis gratiæ lineas, divina nobis benignitate monstratas. Tunc ad Evam angelus malus accessit, ut per eam homo, quem Deus fecerat, a Deo separaretur; nunc autem ad Mariam bonus angelus venit, ut in ea humanæ naturæ Deus Unigenitus uniretur. Venit ad Evam diabolus, ut vitam nobis malignus auferret; venit ad Mariam Gabriel, ut vitam reddendam hominibus nuntiaret. Per

^a Hæc verba pro nobis absunt a ms.

^b Editi, omne quod noverat. Ms., quod non erat.

^c Sic editi. Ms. autem, Quid est dies de die, nisi Filius de Patre?

^d Editi, angelos sanctos. Ms. non habet sanctos.

^e Abest sanctos a ms.

^f Hæc, Natura quæ... super omnes bonos angelos regnat, leguntur in Ant. et ms. Thu. In ms. Colb. e¹ cæteris editis non leguntur.

primi hominis culpam cœpit diabolus homini dominari, per secundi hominis gratiam cœpit ab homine superari: super primum superbus, sub secundo captivus. Per illum nos captivos tenuit, per istum nos liberatos amisit. Primus Adam nobis auctor exstitit culpæ, novissimus Adam nobis auctor exstitit gratiæ. Ille de limo plasmatus terrenos protulit, iste de Spiritu sancto natus cœlestes effecit. Per illum perdidimus gratiam priorem, per istum recepimus amplio-rem. Ille quippe nobis intulit peccati maculam, cum qua nasceremur ad supplicium; iste nobis contulit justificationis gratiam, ut renasceremur ad regnum. Per illum nos filios sæculi generatio carnalis effecit, per istum nos filios Dei generatio spiritualis exhibuit. Ille nos vitis subdidit, iste nos florere virtutibus fecit. Ille nos per vitia dejecit, quo primus cecidit: iste nos per virtutes elevat, quo primus ascendit. Ille quippe primus cecidit in infernum, iste primus ascendit in cœlum.

8. Interea, fratres, dignum est ut in die dominicæ Nativitatis diem quoque dominicæ Resurrectionis solemniter audiat. Unigenitus enim Deus, sicut pro nobis dignatus est nasci, sic pro nobis secundum carnem dignatus est mori, dignatus est etiam suscitari. Iste quippe dies est visitationis, ille redemptionis. Opus enim gratiæ, qua nos Deus Unigenitus salvos fecit, conceptus in utero cœpit; ipsumque opus gratiæ de sepulcro resuscitatus implevit. Conceptus in utero, factus est **555** particeps mortis nostræ; resurgens de sepulcro, fecit nos particeps vitæ suæ. Nunc itaque omnes Dominum exoremus ut, sicut in isto die gaudium suo populo tribuit, ad illum quoque diem omnes cum gaudio et pace perducatur, populumque suum in fide et caritate custodiat. Amen.

SERMO III.

De sancto Stephano protomartyre, et Conversione S. Pauli.

1. ^a Heri celebravimus temporalem sempiterni Regis nostri Natalem: hodie celebramus triumphalem militis passionem. Heri enim Rex noster, trabea carnis indutus, de aula uteri virginalis egrediens visitare dignatus est mundum: hodie miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator migravit ad cœlum. Ille, sempiternæ deitatis majestate servata, servile cinctorium ^b carnis assumens, in hujus sæculi ^c campum pugnaturus intravit; iste depositis corruptilibus corporis indumentis, ad cœli palatium perenniter regnaturus ascendit. Ille descendit carne velatus, iste ascendit sanguine laureatus ^c. Ascendit iste lapidantibus Judæis, quia ille descendit lætantibus angelis. *Gloria in excelsis Deo* (Luc. II, 14) heri sancti angeli exultantes cantaverunt; hodie Stephanum lætantes in suum consortium susceperunt. Heri Dominus exivit de utero virginis: hodie

A servus ^d egressus est de ergastulo carnis. Heri Christus pro nobis pannis est involutus; hodie Stephanus stola est ab eo immortalitatis indutus. Heri præsepis angustia Christum portavit infantem; hodie immensitas cœli suscepit Stephanum triumphantem. Solus descendit Dominus, ut multos elevaret; humiliavit se Rex noster, ut suos milites exaltaret. Qui enim corpori suo virginis præparavit uterum, ipse martyri suo aperire dignatus est cœlum. Dominus Christus angustias intrare non dedignatus est uteri, ut animam Stephani latitudo susciperet cœli.

2. Necessarium nobis est, fratres carissimi, agnoscere quibus armis præcinctus Stephanus sævitiam Judæorum potuit superare, ut ita meruisset feliciter triumphare. Neque enim parvipendenda sunt talis virtus, talisque triumphus. Haud vero vilibus armis potuit præmuniri, qui a multis non potuit superari. Invictæ namque in eo enituit insigne virtutis ^e, quæ nec frementium (*al. frequentium*) sævitiam formidavit, nec lapidantium ictibus devicta succubuit. Usque adeo enim inter frementes **556** permansit interritus (*al. intrepidus*), et inter lapidum fuit cruciamenta securus, ut incredulitatem Judæorum fidenter argueret, et benignus pro lapidantibus exoraret. Quod est ergo tam magnum atque insuperabile genus armorum, quo munitus sævientes argueret, nec timeret ^f; lapidantes non repercutions, sed patiens superaret; insuper et occisus aulam cœlestis regni vivus et coronatus intraret? Procul dubio munimine regio septus, nullatenus est ab adversariis superatus: quoniam Rex noster, cum sit altissimus, pro nobis humilis venit, sed inanis venire non potuit. Magnum quippe donativum suis militibus attulit, quo eos non solum copiose ditavit, sed etiam ad certandum invictissime confortavit. Attulit namque donum caritatis, quo perduceret homines ad consortium deitatis. Quod ergo attulit, erogavit: nec sibi aliquid minuit, sed mirabiliter et suorum ^g pauperiem ditavit, et indigentibus thesauris plenus ipse permansit.

3. Caritas ergo quæ de cœlo ad terras deposuit Christum, ipsa Stephanum de terra elevavit ad cœlum. Caritas quæ præcessit in Rege, ipsa subsequenter refulsit in milite. O admiranda ubique potentia Salvatoris! O prædicanda indesinenter gratia Redemptoris! Ostendit in matre virginitatis æternæ miraculum, demonstravit in martyre invictæ caritatis indicium. Integritas quippe intemerata permansit in virgine, dilectionis virtus invicta perseveravit in martyre. Et sicut in matre Domini non potuit virginitas violari, sic in martyris mente non potuit Christi caritas tanto sævientium agmine superari. Stephanus ergo, ut nominis sui coronam meruisset accipere, caritatem pro armis habebat, et per ipsam ubique vincebat. Per caritatem Dei sævientibus Judæis nocens, per caritatem proximi pro lapidantibus in-

^a Mss. habent: *Fratres carissimi, nec habent sempiterni.*

^b Mss., *tentorium.*

^c Mss., *coronatus.*

^d Sic mss. At edd., *miles.*

^e Mss., *Invicta namque in eo enituerunt signa virtutis, quia nec... devictus succubuit.*

^f Hæc verba, *nec timeret*, habentur ex mss.

^g Ms. et Ant., *suorum fidelium.*

tercessit. Per caritatem arguebat errantes, ut corri-
gerentur; per caritatem pro lapidantibus orabat, ne
punirentur. Caritatis virtute subnixus, vicit Saulum
crudeliter sævientem, et quem habuit in terra per-
secutorem, in cœlo meruit habere consortem. Ipsa
sancta et indefessa caritas desideravit orando acqui-
rere quos nequivit monendo convertere. Neque
enim, fratres, existimandus est Stephanus tunc ini-
micos dilexisse ^a cum pro eis oraret, et non di-
lexisse cum eorum incredulitatem arguendo corri-
peret. Absit hoc ab anima martyris ad cœli palatium
festinantis. Ipsa enim sancta caritas firmam servavit
in oratione patientiam, quæ rigidam tenuit in corre-
ptione censuram. Et ideo in oratione audiri meruit
lenitas, quia sine caritate non fuit in correptione
severitas: ac per hoc, sive orando, sive corripiendo, ^B
caritatem beatus Stephanus reservavit, quia utrobi-
que salutem errantium cogitavit, et indicio sanctæ
orationis ostendit increpationem illam non fuisse
odii, sed amoris.

4. Hoc autem faciens, et præsentibus caritatem
beatus martyr exhibuit, et utile nimis exemplum po-
steris reliquit. Demonstravit enim **557** geminam
ecclesiastici dispensatoris industriam: ut ad corri-
gendum cujuslibet peccantis errorem, et non desit
in ore correptio, et ad Deum pro eo supplex effun-
datur oratio. Ut qui malum fecit, per increpationem
de malis operibus confundatur, et per orationem
apud Deum adjuvetur; ac sic ipsa caritas, et in ore
justitiam sonet, ut errantem corrigat; et in corde
patientiam servet, ut pro errante orationem puro
affectu dilectionis effundat. Qui enim errantem non
corripuerit, de negligentia judicatur ^b; qui autem
pro eo non oraverit, de pernicie condemnatur. Quo-
circa, fratres, si quando aliquis pro animæ salute
corripitur, non aspernanter accipiat monita caritatis;
nec præsentem tristitiam suæ voluntatis attendat, sed
consideret quæ luca utilitatis acquirat. Idcirco enim
arguitur, ut a pravis operibus corrigatur. Nec tamen
cum videt correptionem aliqua verborum austeritate
fervere, existimet caritatem in corde frigescere. Sic
enim vigilat in ore correptio, ut in corde non dor-
mitet oratio. Ac per hoc, in utroque peccanti con-
sulte prospicitur, ut dum homo correptus de peccato
confunditur, et a malis operibus separetur et per
orationem (Deo miserante) salvetur. Nam et sancta ^D
Scriptura dicit: *Quoniam quem diligit Dominus, cor-
ripit: flagellat autem omnem filium quem recipit*
(Prov. iii, 12).

5. Christi ergo caritate compulsi, et bonoshortamur, ut in bono permaneant, et malos compellimus,
ut a malo discedant: præsertim quoniam in istis
duobus sanctis geminum nobis monstratur salutis
indicium: ut si quis bonus est, imitetur perseveran-
tiani caritatis in Stephano; qui autem malus est,

sectetur exemplum conversionis in Paulo: et qui
bonus est, æquitatem usque ad finem teneat; qui
autem malus est, quantocius a sua perversitate dis-
cedat; nec bonum hominem præsumptio justitiæ
faciat negligentem, nec malum iniquitatis considera-
tio faciat desperantem, sed ille bonum fortiter te-
neat, iste malum celeriter deserat. Bonus timeat ne
cadat, malus conetur ut surgat. Quisquis ergo malus
est cum Paulo prosternatur in malo, ut cum eo
erigatur in bono: quoniam et ille cecidit malus, et
surrexit bonus. Prostratus est iniquus, et erectus est
justus; cecidit sævissimus persecutor, et surrexit
veridicus prædicator ^c. Cadens lumen corporis im-
pius perdidit, surgens autem lumen cordis justifica-
tus accepit. Coniunctus est itaque Stephano, factus
est ovis ex lupo. Et ecce nunc Paulus cum Stephano
lætatur, cum Stephano Christi claritate ^d perfruitur,
cum Stephano exultat, cum Stephano regnat. Quo
enim præcessit Stephanus, trucidatus lapidibus
Pauli, illuc secutus est Paulus, adjutus orationibus
Stephani.

6. Quam vera vita ^e, fratres mei! ubi non Paulus
de Stephani occisione confunditur, sed Stephanus
de Pauli consortio gratulatur, quoniam caritas in
utroque lætatur. Caritas quippe in Stephano super-
avit sævitiam Judæorum, caritas in Paulo cooperuit
multitudinem **558** peccatorum, caritas in utroque
pariter regnum meruit possidere cœlorum. Caritas
igitur est omnium fons et origo bonorum, munimen
egregium, via quæ ducit ad cœlum. In caritate qui
ambulat, nec errare poterit, nec timere. Ipsa dirigit,
ipsa protegit, ipsa perducit. Quocirca, fratres, quo-
niam scalam caritatis constituit Christus, per quam
ad cœlum omnis possit conscendere Christianus,
puram caritatem fortiter retinete, ipsam vobis invi-
cem exhibete, et in ea proficiendo conscendite. In-
sistite operibus bonis, ut ad præmia æterna perve-
nire possitis, adjuti gratia Salvatoris ^f, qui vivit et
regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

*De Epiphania, deque Innocentium nece, et muneribus
Magorum.*

1. Nostis, fratres carissimi, quia dies iste qui a
nobis in honorem Domini per annos singulos cele-
bratur, ore cunctorum fidelium Epiphania venerabi-
liter nuncupatur. Et quia Græcum probatur esse vo-
cabulum, multis est Latinis incognitum. Inde est
quod nomen istud omnes quidem Latini dicunt, sed
non omnes inveniuntur nosse quod dicunt. Proinde
bonum est ut cuncti qui diem hodiernum Epiphaniam
nuncupant, et cur hoc dicatur ignorant, sacramen-
tum diei hujus nominis interpretatione cognoscant.
Debet enim diei hujus solemnitas a fidelibus celebra-
ri, et ideo solemnitatis causa non debet ignorari.

^a In uno ms. non leguntur hæc, *inimicos dilexisse cum pro eis oraret*, etc.; nec quæ postea, *Absit hoc*, etc.

^b Ms., *judicabitur... condemnabitur*.

^c Ms., *et erectus est fidelissimus prædicator*.

^d Mss., *Christi caritate*.

^e Mss., *Quam vero beata vita*.

^f Ms. unus, *Domini nostri Salvatoris*. Ms. alter, *cooperante Domino*.

Hunc ergo diem, sicut diximus, Epiphaniam vocat Christiana religio. Epiphania vero interpretatur Manifestatio. Traditum autem tenemus a Patribus quod Unigenitus Dei, postquam est secundum carnem temporaliter natus, in isto die est Magis venientibus manifestatus, a quibus oblatis muneribus suppliciter est adoratus. Nam quia ipse est Deus qui sibi in Veteri Testamento (*Exod. xxv, 2*) primitias offerri mandavit, idem Deus homo natus gentium primitias suo cultui dedicavit. Apostolica vero testatur auctoritas, quia *unus est Deus qui justificat circumcisorem ex fide, et præputium per fidem (Rom. iii, 30)*: circumcisionis nomine Judæos, præputii nomine gentes indubitanter ostendens.

2. Isti sunt duo parietes, qui ex diverso venerunt, et in lapidem qui factus est in caput anguli, in unitate fidei convenerunt. Unus paries venit ex Judæis, alter venit ex gentibus. Longe a se diversi erant, quando diversa credebant: positus est in medio lapis angularis, qui ad se utrumque parietem duceret, et utrumque uno nomine nuncuparet, essentque unum communione vocabuli, qui fierent unum in una gratia sacramenti. Per Christum enim qui est pax nostra, faciens utraque unum (*Ephes. ii, 14*), Judæi et gentiles facti sunt unum, quibus 559 fidei unitas unum indidit nominis Christiani vocabulum. Ad lapidem ergo angularem uterque paries venit, et verum angulum fidei unitas fecit. Horum duorum parietum unus adductus est, quando pastoribus Judæis Christum natum angelus nuntiavit; alter paries adductus est, quando gentilibus Magis novum sidus apparuit.

3. Illi fuerunt primitiæ Judæorum, isti facti sunt primitiæ gentium; illi de proximo, adducti, isti de longinquo reducti. Prope enim erant Judæi qui Deum colebant, longe erant gentes quæ idolis serviebant. Hoc utique significabant pastores, qui nascente Christo prope sunt inventi, et Magi, qui sunt de longinquis partibus adducti. Qui tamen venientes, cum ipsi Judæi non essent, regem Judæorum se querere professi sunt, et ad ipsum adorandum se venisse dixerunt. Ait enim evangelista, quia *Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam dicentes: Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum (Matth. ii, 1, 2)*. Quid est, dulcissimi fratres, ut isti Magi regem Judæorum adorandum quærerent, cum ipsi Judæi non essent? Et quem regem? Uti que non Herodem, sed Christum. Volunt adorare regem nuper natum, nec adorant regem ante annos aliquot ordinatum. Adorare cupiunt infantem lactantem, nec adorant regem populis imperantem. Nam et de Herode rege Judæorum filii jam fuerant nati, qui erant patre mortuo regnaturi. Mortuo enim isto Herode, Archelaus in Judæa regnavit, et Galilææ principatum junior Herodes obtinuit.

4. Archelaus natus est in palatio, Christus in diversorio. Archelaus natus, in lecto est argenteo positus; Christus autem natus, in præsepio est brevissimo collocatus. Ille forsitan pretiosus involutus est sericis, iste vilissimis involutus est pannis. Et tamen ille natus in palatio, contemnitur; iste natus in diversorio, quæritur. Ille a Magis nullatenus nominatur; iste inventus, suppliciter adoratur. Omnino spernitur primogenitus regis, et muneribus adoratur primogenitus paupercule mulieris. Quis est iste rex Judæorum, pauper et dives, humilis et sublimis? Quis est iste rex Judæorum qui portatur ut parvulus, adoratur ut Deus? parvulus in præsepio, immensus in celo; vilis in pannis, pretiosus in stellis: cujus nativitate comperta, *Herodes turbatus est, et omnis Hierosolyma cum illo (Ibid., 3)*.

5. Quid est quod sic turbaris, Herodes? Quoniam natum regem Judæorum audisti, turbaris, suspicionibus agitaris, invidiæ stimulis inflammaris, et ob hoc natum regem occidere conaris. Inanis est ista turbatio tua, et vana prorsus cogitatio tua. Rex iste qui natus est non venit reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subjugare; nec ideo natus est ut tibi succedat, sed ut in eum mundus fideliter credat. Venit enim, non ut pugnet vivus, sed ut triumphet occisus; nec ut sibi de aliis gentibus auro exercitum quærat, sed ut pro salvandis gentibus pretiosum sanguinem fundat. Inaniter 560 invidendo simuisti successorem, quem credendo debuisti quærere salvatorem: quia si in eum crederes, cum eo regnares; et sicut ab illo accepisti temporale regnum, acciperes etiam sempiternum. Hujus enim pueri regnum non est de hoc mundo, sed per ipsum regnatur in mundo. Ipse est enim Sapientia Dei, quæ dicit in Proverbiis: *Per me reges regnant (Prov. viii, 15)*. Puer iste Verbum Dei est, puer iste Virtus et Sapientia Dei est. Si potes, contra Dei Sapientiam cogita. In tuam perniciem versaris, et nescis. Tu enim regnum nullatenus habuisses, nisi ab isto puero qui nunc (at. tunc) natus est, accepisses. Puer qui nunc a Magis dicitur Rex Judæorum, idem Creator est et Dominus angelorum. Quapropter, cujus times infantiam nascentis, magis timere debes omnipotentiam judicantis. Noli eum timere regni tui successorem, sed time infidelitatis tuæ justissimum dampnatorem.

6. Utinam eum, Magis adorantibus, etiam tu pariter adores, et non ad eum Magos fraudulenta calliditate mandares! *Ite, inquit, et interrogate diligenter de puero; et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum (Matth. ii, 8)*. O calliditas ficta! O incredulitas impia! O nequitia fraudulenta. Si adorare istum puerum certissime disponebas, quare pro illo multos pueros occidebas? Sanguis innocentum, quem creduliter effudisti, attestatur qui

^a Mss., utrumque.

^b Mss., et Ant., de longinquis Orientis partibus.

^c Mss., Quid est hoc, dilectissimi fratres? In unum aest adorandum.

^d Ant., honoratur.

^e Mss., Puer iste qui nunc a Magis adoratur, dicitur Rex Judæorum, idem, etc.

de hoc puero voluisti. Et tamen non solum istum A puerum non invenisti, sed nec illis pueris aliquid no-cuisti : imo inscius, quod illis proderat, hoc egisti. Per scævitiã quippe tuã facti sunt martyres, qui per infantiam suã fuerant innocentes : quando per gratiam hujus pueri pro eo meruerunt mori, priusquam eum possent coram hominibus confiteri. Iste itaque puer, qui mundum creavit, qui mundum regit, qui omnia quæcunque ^a vult facit, qui cuncta mirabili atque insuperabili ordine ^b disponit, hoc ordinavit, hoc egit, ut per tuam invidiam furiosam illi pueri mortem susciperent pretiosam, et quod eis ad salutem tuam (al. suam) præstare non posses amicus, hoc ad damnationem tuam faceres inimicus. Ad hoc ergo te permisit infantes occidere, ut illos de te faceret triumphare. Te ergo permisit ad nequitiam, illos perduxit ad palmam. Unus enim idemque est Dominus omnipotens, qui parvulus vagiens; unus idemque est, qui tuam crudelitatem dignatus est fugere, cujus majestatem non potes effugere. Fugit enim non formidine humana, sed dispensatione divina; fugit non necessitate, sed potestate. Ideo autem dignatus est in Ægyptum fugere, ut postea crucem dignaretur ascendere; et illa potestate puer la-tuit in Ægypto, qua potestate juvenis pendit in ligno. Unus enim idemque est mortis susceptor, vitæque largitor : unus idemque immortalis ex Patre, mortalis ex matre; propria potestate moriens, pro- pria potestate resurgens.

7. Iste itaque puer qui natus est ideo non inveni- tur in numero parvulorum morientium, quia ipse est expectatio gentium. Sanguis **561** hujus pueri pro- pterea (al. proinde) non cum istorum sanguine funditur puerorum, quia solus in remissionem fundendus est peccatorum; et illi omnes pueri inaniter more- rentur, nisi hujus sanguine salvarentur. Et iste qui- dem puer certissime morietur, quia si mori nollet, nullatenus nasceretur. Morietur autem, non ut im- pleat scævitiã tuã, sed ut perliciat mansuetudinẽ suã : faciet enim eum mori benignitas propria, non malignitas aliena. Morietur non ut tu infidelis regnes in sæculo, sed ut secum regnare faciat fideles in cælo. ^c Morietur non ut regnum amittat, sed ut regnatos acquirat. Morietur non ut perdat brevem vitam, sed ut conferat sempiternam. Morietur non ut servus iniquitatis, sed ut Dominus majestatis. Morietur non vinculo necessitatis, sed proposito voluntatis. Morie- tur mirabiliter, morietur misericorditer, morietur singulariter, morietur per propriam potestatem, ut suã in omnibus adimpleat voluntatem. Ad hoc enim misericorditer morietur, ut resurgens cunctis gen- tibus dominetur. Morietur ergo sicut unus ^d, et qui- dem, quem Deum hominem, concepit fides virginis, et Deum hominem peperit fecunditas vaginalis.

^a Mss., quæcunque voluit fecit.

^b Mss., insuperabili divinitate.

^c Hæc verba habentur in inss. et in Ant., non in aliis.

^d Locus hic videtur mancus, nec ex mss. potuit a nobis restitui.

8. Si nescis veram hujus pueri deitatem, attendo stellam in cælo fulgentem, Magos præcedentem, et iter ignorantibus ostendentem. Hæc stella nunquam ante apparuit, quia nunc eam puer iste creavit, et Magis ad se venientibus præviã deputavit. Iste puer in præsepi quidem parvulus collocatur, sed magnus in cælo mirabiliter operatur. Permittit se manibus in terra portari, sed præcipit sibi cælestia famulari. Quid est ergo quod infantilem attendis ætatem, et ejus divinam non intelligis potestatem? Sic fuit veraciter intimanda pueri hujus naturalis divinitas, et naturalis humanitas, utraque naturaliter vera, utra- que unita, nec in se invicem confusa, nec a se invi- cem separata. Ipsum enim habuit Maria filium de se natum, cui stella debite servitutis exhibuit famula- tum. Ipsum eundemque Maria in Bethlehẽm Deum (al. Dominum) hominem peperit, quem stella Magis in Oriente positus nuntiavit. Magi ergo venerunt, et filium Virginis unum eundemque (al. Dominum) Deum hominem cognoverunt.

9. Denique attende quid obtulerunt, et agnosce quid crediderunt ^e. Refert enim evangelista quia in- trantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus : et procidentibus adoraverunt eum; et apertis the- sauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myr- rham (Matth. ii, 11). Per ista tria munerum genera, in uno eodemque Christo et divina majestas, et regia potestas, et humana mortalitas intimatur. Thus enim ad sacrificium, aurum pertinet ad tributum, myrrha ad sepulturam pertinet mortuorum. Omnia hæc sancta fides Christo veraciter offerre non desinit, dum unum eundemque verum Deum, verum regem, verumque hominem credit, et vere pro nobis mortuum veraciter recognoscit ^f.

562 10. In oblatione thuris confunditur Ari- nus, qui soli Patri sacrificium offerri debere ^g con- tendit : in oblatione myrrhæ confunditur Manichæus, qui Christum vere mortuum pro nostra salute non credit : in auro vero simul uterque confunditur, quia et Manichæus de semine David secundum carnem natum non credit regem, et Arianus Deo Unigenito naturalem assignare nititur servitatem. Proinde uter- que non experietur regem, a quo per fidem regatur (al. regnatur), sed a quo pro infidelitatis crinine puniatur : quia ab uno divinitatis, ab altero carnis veritas denegatur. In iisdem muneribus confunditur ^D etiam Nestorius, qui nititur Christum in duas perso- nas dividere : cum videat Magos non alia Deo et alia homini, sed uni Deo homini eadem munera obtulisse suppliciter. Non ergo dividatur in personis, qui non invenitur divisus in donis. Propterea quippe unus ^e idemque istis muneribus honoratur, ut unus idemque Deus et homo cognoscatur. Ista Magorum oblatio confundit etiam Eutychetis insaniam, qui non vult in-

^e Ms. unus, quid obtulerint, et agnosces quid credi- derint.

^f Editi, ut... recognoscat. Ms. unus, ut (legendum est)... recognoscit...

^g Ita mss. et Ant. Cæteri vero habent sacrificium deberi.

Christo utramque veram prædicare naturam. Veritatem quippe istorum munerum tollit, dum in Christo unam naturam prædicare contendit.

11. Nos itaque, dilectissimi fratres, offeramus Christo indubitanter in fide, quod Magi obtulisse cognoscuntur in munere : ut veræ divinitatis humanitatisque confessio ipsa sit apud Christum nostra fidelis oblatio. Hæc munera cum Magis unanimiter offeramus, et ad regionem sanctorum tota cordis devotione tendamus. Nec teneamus viam veteris vitæ, sed divinis mandatis humiliter obsequentes, viam mutemus, et in qua (at. et qua) præcepit Dominus ambulemus, ut ad patriam pervenire valeamus, ubi sine fine cum ipso Domino gaudeamus. Via enim hominis est vita ejus. Qui male vivit, viam tenet erroris; qui bene vivit, per viam graditur veritatis. Quapropter qui ambulabat viam fornicationis, viam teneat castitatis; qui viam tenebat avaritiæ, teneat viam misericordiæ; qui ambulabat per viam fictionis, viam teneat nunc puritatis. Ambulemus bene per fidem, ut perveniamus ad speciem (at. spem), ubi plenum erit gaudium nostrum, quia impletur in bonis ^a desiderium nostrum, ^b per eum qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

563 SERMO V.

De caritate Dei ac proximi.

1. Quantum cupio sanctitati vestræ debitum reddere de caritate sermonem, tantum me caritatis magis fieri video debitorem; nec invenio qualiter possim verbis explicare præconium caritatis, in qua sic debemus, quandiu in hoc sæculo vivimus, crescere invicem diligendo, sicut eam jubemur semper debere reddendo. Beatus namque apostolus Paulus, dum nos omnibus debitis præcepisset absolvi, solo nos mutæ caritatis debito semper voluit detineri, dicens : *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis* (Rom. XIII, 8). Ista est apostolicæ summa doctrinæ. Hæc sunt consulta caritatis paternæ, ut nemini quidquam debeamus, nisi ut invicem diligamus. Cum ergo audimus, ut nemini quidquam debeamus, non in hoc verbo remaneamus, sed audiamus et faciamus quod sequitur, ut nos invicem diligamus : et inveniemus sanctam caritatem, quam semper debendo reddamus, et reddendo salubriter debeamus. Magna res caritas est, dilectissimi fratres, quam docente Apostolo sic jubemur semper reddere, ut eam nihilominus jubeamur sine intermissione debere. O caritatis debitum bonum, debitum sanctum, debitum cælestibus referuntur commodis, debitum sempiternis plenum omnino divitiis !

2. Magna, fratres, hoc debito lucra conquirimus, immensa commoda tali fenore comparamus. Dum enim caritas a nobis redditur et debetur, omnis nostra iniquitas dimittitur et deletur. Ipsam denique caritatem sibi beatus David ad delendas iniquitates suas redonari poscebat, quando pro peccato gravi Dominum lacrymabiliter exorabat. Nam cum illece-

broso quondam captivatus aspectu, militis sui adulteraret uxorem, et scelere geminato maritum quoque interficeret innocentem, post perpetrationem peccati per prophetam correptus oraculo, et post confessionem recreatus medicinali responso, dum pœnitentiæ verba supplicii prostratus obsecratione deprecaret, quibus Deum justum, Regem regum, et Dominum dominorum quantocius placaret, inter cætera dixisse cognoscitur : *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele* (Psal. L, 11); et quoniam sine caritatis dono fieri non posse cernebat, illico subjunxit : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* (Ibid., 12). Cor autem mundum caritatis esse domicilium his verbis commendat Apostolus, dicens : *Finis enim præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (I Tim. 1, 5).

3. Proinde duo quædam in his prophetæ verbis diligentius consideranda sunt nobis : unum quod a se poposcit auferri, alterum quod sibi postulavit attribui. Petiit enim deleri iniquitates suas, cor autem **564** mundum in se creari, et spiritum rectum innovari in visceribus suis. Quid est autem iniquitas, nisi prava cupiditas? Et quid est cordis munditia, nisi sancta Dei et proximi caritas? Dicens igitur propheta : *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele*, statimque subjungens : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis*, quid aliud dixit, nisi : *Dele a me maculam prævæ cupiditatis, et dona mihi gratiam caritatis? Aufer a me cupiditatem, per quam possum damnari; et dona mihi caritatem, per quam merear coronari. Aufer a me cupiditatem, propter quam in tormento sine intermissione doletur et gemitur; et dona mihi caritatem, per quam in cælo sine fine regnatur. Si enim habuero caritatem, quam debendo reddam, et reddendo debeam, non timebo iniquitatem, quam sine fine dolendø persolvam. Bene igitur præcipit Apostolus ut nemini quidquam debeamus, nisi ut invicem diligamus : hoc enim debito auferatur a nobis cumulus omnium delictorum, quia caritas cooperit multitudinem peccatorum* (I Petr. IV, 8). Nemo autem putet, fratres, sic a nobis oportere caritatem reddi, ut reddita desinat aliquando deberi. Cum enim redditur, plus debetur; et eo magis acquiritur, quo redditur cum debetur. Nam qui se caritatis non semper existimat debitorem, non se debito gaudeat absolutum, sed dono caritatis luceat destitutum. Neque enim habet caritatem quam habere destituit, quia prodigus debitor non reddendo perdidit, quam ut semper redderet, et semper haberet, accepit. Quocirca tunc se noverit perdidisse quod acceperat, dum non reddiderit quod debebat.

4. Sed dicit aliquis : Cui hanc debeo? vel cui hanc me oportet reddere caritatem? Respondemus caritatem omnibus hominibus esse reddendam, id est notis et ignotis, et bonis et malis, et amicis et inimicis. Nam cum beatus Apostolus dicat : *Ergo cum tempus*

^a Ita mss. At. edd., in nobis

^b Absunt reliqua a mss.

habemus, operemur quod bonum est ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei (Gal. vi, 10), evidenter ostendit quod in opere caritatis sit quidem alius aliis (al. alio) præferendus, nemo tamen sit a caritatis beneficiis excludendus. Caritas itaque illa sancta, pura, et ut proprie dicam, caritas Christiana, quæ patiens est, quæ benigna est, quæ non æmnlatur, quæ non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, quæ non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, quæ omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, caritas quæ nunquam cadit (I Cor. xiii, 4 et seq.), si (forte sic) complectatur amicos, ut dilatetur usque ad inimicos: amicis se volentibus reddat, inimicis se nolentibus ingerat; istos teneat, illos acquirat; istos oblectet, ut ex amicis non efficiantur inimici; illos invitet, ut fiant ex inimicis amici.

5. Recordemur, fratres, verborum Domini dicentis: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (Matth. v, 44). Ecce Dominus usque ad inimicos caritatem jubet extendi, et usque ad persecutores Christiani cordis benevolentiam dilatari. Et quæ merces operum tantorum dabitur? vel quod 565 munus præcepto huic obediens confertur? Ipse demonstrat a se præparatam caritati mercedem, qui per Spiritum sanctum gratis ipsam dignatur infundere caritatem: ipse nobis dicat quid pro caritate redditurus sit dignis, qui eandem caritatem donare dignetur indignis. Dicat igitur Dominus, dicat, et proprio sermone magnitudinem nobis suæ promissionis ostendat: *Ut sitis, inquit, filii Patris vestri qui in cælis est* (Ibid., 45). Cum enim diligendos præceperet inimicos, amarum forsitan erat quod audienti jubebatur: sit, quæso, dulce quod obediens promittitur. Teneatur ergo dulcedinis hujus in corde suavitas, et amaritudinis illius superabitur difficultas. Qui enim dilexerint inimicos suos, et benefecerint eis qui eos oderunt, filii Dei erunt.

6. Quid vero accepturi sunt isti filii Dei Apostolus enuntiat dicens: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quia sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* (Rom. viii, 16, 17). Audite igitur, Christiani; audite, filii Dei; audite, hæredes Dei et cohæredes Christi. Ut paternam possideatis hæreditatem, non solum amicis, sed etiam inimicis impendite caritatem. Nulli caritas denegetur, quæ ab hominibus (forte omnibus) bonis communiter possidetur. Omnes eam simul habete, et ut eam magis habeatis, et bonis eam et malis impendite. Possessio enim est bonorum ista communis, non terrena utique, sed cælestis; et ideo nullum in ea facit angustiari persona consortis. Tantum vero augetur caritas, quantum fuerit immutata cupiditas; et illum facit caritas semper liberum, quem non tenuerit cupiditas mundana captivum. Caritas donum Dei est, dicente Apostolo: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (Rom. v, 5). Cupiditas la-

queus est diaboli, non solum laqueus, sed etiam gladius: per ipsam miseros capit, per ipsam captos interficit. Caritas est radix omnium bonorum, cupiditas radix est omnium malorum (I Tim. vi, 10). Cupiditas semper cruciatur, dum rapiendo non sanatur. Caritas autem semper lætatur, quoniam quantum multiplicatur, tantum largius erogatur. Et ideo sicut adipiscendo pauperascit appetitor iniquitatis, ita reddendo ditescit redditor caritatis. Perturbatur cupiditas dum ulcisci quærit injuriam, tranquilla est caritas dum donare delectatur.

566 SERMO VI.

De sancto Cypriano martyre.

1. Clarum tanti martyris natalis diem, beati scilicet Cypriani, quo, terrenis ac moribundis membris exutus, ad æternæ præmia vitæ transmigravit, et sacerdotii ejus doctrinam et martyrii nobis victoriam commendavit, fecitque ex temporali quondam tristitia liberiore. Dum enim inter periculum cruentæ mortis et gloriam devoti certaminis episcopus confitendo patitur, Ecclesia orando compatitur. Quis nesciat, ac non potius prudenti consideratione cognoscit, hunc ipsum qui nunc annua circumstitutione festus nobis revolvitur dies, Christianis ac religiosis mentibus illo tunc tempore fuisse sollicitum, dum adversus diabolum ab antistite suscepto culmine, pia plebis expectatio trepidaret, atque ita fides resisteret persequenti, ne caro succumberet blandienti; ita pastor præcederet, ne ovile desereret, desertumque (quod absit) lupus invaderet? Dolebat Ecclesia subtractum interim suo consortio tam clarissimum sacerdotem: sed tamen gaudebat prostrato adversario Christi martyrem exstitisse victorem. Erat in memoria doctrina laudabilis, versabatur ante oculos virtus mirabilis, quando tantus Deus servabat quod docuerat, et quid cæteri facere deberent, non jam verbis, sed operibus demonstrabat, fidem sermonum, exemplis rerum, valida soliditate confirmans, credens et confidens pro omnium salute Christum mortuum, ac se pro ejus nomine non subtrahere occidendum. Cujus enim sanguine tunc indignus redemptus fuerat, dignum suum sanguinem pro illo fundebat; et cujus sanguinem in hac vita fideliter biberat, ab ipso sibi æternam vitam reddi posse crediderat.

2. Dedit enim eis benedictionem qui legem dederat, ut ambularent de virtute in virtutem: de virtute fidei sincerissimæ in virtutem confictionis constantissimæ; de virtute caritatis flagrantissimæ in virtutem passionis gloriosissimæ. Credidit enim, locutus est; dilexit, et secutus est. Audierat enim a Domino dictum: *Qui me diligit, sequitur me* (Joan. vi, 26); et iterum: *Qui credit in me, non morietur in æternum*. Et pater (al. pariter) fidelis secutus est vestigia Salvatoris. Interritus contempsit principum jussa et judicium edictum. Paratus excepit percussoris ictum, et animum soli Deo subditum etiam ipsa mors servavit invictum. Denique nihil eum revocavit a pastoris gregisque custodia, exsilii locus, apparitor violentus, persecutionis tempus, judicis metus, imminens gla-

dus, proximus mortis occasus. Nam et in exsilio constitutus, atque ab Ecclesia sibi commissa corpore tantum non mente separatus, pauperum alimenta; et in occulto absconditus, discipline censuram; et a principe detentus, virginum pudicitiam; et ad tribunal **567** exhibitus, clericorum tutelam; et ininis ætus, robustam conscientiam; et subdole consumptus, spiritalem cautelam; et inique iudicatus, Christianam patientiam custodivit. Plebem frequentibus litteris admonens, inopes largioribus eleemosynis fovit, martyres hortamentis pariter et exemplis ad subeundum prælium promovit, et donec ponat animam, non deserit curam.

3. Denique custoditur et custodit, proprii doloris se: urus contemptor, alieni pudoris sollicitus conservator, plus metuens luxuriæ quam tristitiæ, magisque cavens diaboli oblectamenta, quam pertimescens multa tormenta. Pro fide adversus leonem vigilat rugientem, pro castitate adversus sibilantem dimicat. Vincit in suo corpore nequitiam sævientis, in puellarum carne mollitiem blandientis; calcans minas persecutoris, vitat fallaciam deceptoris; nec in quoquam furenti cedit, nec quidquam furari violento concessit. Proinde considerantes ejus luctam, perseverantiam, victoriam pariter et coronam, et quid evaserit, quo pervenerit, fulci mentis speculo refoventes, annua devotione cantemus: *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in venationem dentibus eorum. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus (Psal. cxxiii, 6, 7).*

SERMO VII.

De latrone crucifixo cum Christo.

1. Mirandum præ cæteris festivitibus sanctis, venerandumque mysterium Pascha Domini celebramus. Pascha enim Hebraice, Latine interpretatur Transitus. Hunc transitum iniquitas intercluserat nostra, donec clavicula crucis aperiretur. Quia Dominus et Salvator noster Jesus Christus habuit quidem mortalem carnem, sed animam non habuit peccatricem. Suscipiendo pœnam sine culpa, culpam fecit transire sine pœna. In cujus passione cuncta commota sunt sidera, et eventum domini vulneris eleme. ita tremuerunt. Expavit dies non solitam noctem, et non suas tenebras mundus invenit. Stetit sub incerto lumine dies inclusus, et pene ipsa lux mundi mori visa est cum Deo. Ad hoc scilicet omnis claritas migravit in noctem, ne sacrilegium cernere cogeretur. Clauserat enim suos oculos cælum, ne in cruce aspiceret Dominum. Et jam mundus ipse testis esse non meruit, ut solus aspiceret qui percussit. Percussit lancea persecutor, et fudit pretium nostrum Redemptor. Quando enim passus est Dominus, omnes apostoli fugerunt, omnes enim dimiserunt. Ubi est turba illa quæ Dominum præcedebat, illa, inquam, turba quæ dicebat: *Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini (Matth. 1, 29)*?

2. Passus est Dominus, et omnes fugerunt. Facti sunt omnes muti, amore tepidi, timore compressi, paulo post fugiunt. Alii ergo non agnoverunt miracula facientem; agnovit latro in cruce pendentem,

568 confixus omnibus membris. Confixæ manus, confixi pedes, confixa omnia membra. Totum corpus in cruce figebatur, et tamen lingua Christo confitebatur. Unus autem locus erat trium crucifixorum: in medio Dominus, qui *inter iniquos deputatus est (Isai. liii, 12)*: duos latrones hinc atque inde posuerunt, sed causam similem non habuerunt. Lateribus pendentes adjungebantur, sed longe separabantur. Illos crucifixerunt facinora sua, Christum crucifixerunt peccata nostra. Verum etiam in uno ipsorum satis apparuit quantum valeret non cruciatus pendens, sed pietas confitentis. Acquisivit latro in dolore quod Petrus perdidit in timore. Scelus admisit, crucem ascendit, causam mutavit, paradysum comparavit. Meruit omnino causam mutare, qui non contempsit in Christo similitudinem pœnæ. Judæi contempserunt miracula facientem, ille credidit in pendente. Consortem crucis Dominum agnovit, et in regnum cælorum latro violentus credendo vim fecit. Tunc in Christo latro credidit, quando fides apostolica trepidavit. Merito audire meruit: *Hodie mecum eris in paradiso (Luc. xxiii, 43)*. Hoc enim quidem ipse sibi non promiserat. Magnæ quidem misericordiæ se commendabat, sed et sua merita cogitabat. *Domine, inquit (v. 42), memento mei cum veneris in regnum tuum.* Quousque veniret Dominus in regnum suum, ille se in pœnis futurum sperabat, et saltem in ejus adventum misericordiam in se fieri flagitabat.

3. Proinde latro sua merita cogitans differebat; sed Dominus latroni quod desperaverat offerebat, tanquam diceret: Tu petis ut meminerim tui cum venero in regnum meum, et ego tibi dico: *Hodie mecum eris in paradiso.* Agnosce cui te commendas, quem credis venturum. Antequam veniam, ubique sum. Ideo quanvis in infernum descensus, habebam te hodie mecum in paradiso, non alteri commendatum, sed mecum. Ad homines enim mortales et ad ipsos mortuos descendit humilitas mea; de paradiso autem nunquam discessit divinitas mea. Ita factæ sunt tres cruces, tres causæ: unus latronum Christo insultabat; alter, sua mala confessus, Christi se misericordiæ commendabat. Crux Christi in medio non fuit supplicium, sed tribunal. Insultantem damnavit, credentem liberavit. Timeat insultantes, gaudete credentes. Hoc faciat Christus in claritate quod fecit in humilitate. Munera divina de profundo veniunt iudicio. Mirari ea possumus: investigare autem non valemus, nec explicare.

569 SERMO VIII.

De sancto die Pentecostes.

1. Anniversaria solemnitas agitur qua die Dominus noster Jesus Christus Spiritum sanctum Paracletum misit, quem discipulis ante promisit. Dixerat enim: Non potest ille venire, nisi ego abiero (*Joan. xvi, 7*). Quadagesimo itaque die post resurrectionem suam, cujus solemnitatem ante decem dies egimus, ascendit in cælum, nec immemor pollicitationis suæ hodie misit Spiritum sanctum, quem promisit centum viginti, qui simul fuerant congregati, tandemque Do-

mini promissionem fideliter expectabant. Omnibus A linguis locuti sunt. Sic quippe tunc Deo placuit sancti Spiritus significare presentiam, ut qui eum accepisset, omnibus linguis loqueretur. Prius itaque breviter videamus, quando eum promisit, quare dixit: Non potest venire ipse, nisi ego abiero. Neque enim separabilis est a Filio Dei Spiritus sanctus, aut impotens erat eo presente venire, a quo non potest discedere. Sed quoniam adhuc discipulis infirmis formam servi Dominus demonstrabat, in qua Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; causam (forte formam) vero servi, id est carnem Domini, etiam carnales poterant intueri; forma autem Dei, in qua non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (Philip. II, 6), non potest nisi a spiritalibus cogitari, propterea dixit: Non potest ille venire, nisi ego abiero, tanquam diceret: Quoad circa meam carnem occupatus est vester carnalis affectus, tandiu meam divinitatem non suscipit vester spiritalis obtutus. Dono enim Spiritus sancti promiserat eos introducendos in omnem veritatem, sicut scriptum est: *Fide mundans corda eorum* (Act. xv, 9). *Beati autem mundo corde, quia ipsi Deum videbunt* (Matth. vi, 8). Abscessit itaque corporalis forma Domini a corporalibus oculis eorum, ut per Spiritum sanctum divinitas Domini insinuaretur cordibus eorum.

2. Nunc deinde videamus quare tunc hoc erat signum presentie Spiritus sancti, ut qui eum accepissent linguis omnibus loquerentur. Neque enim etiam nunc non donatur Spiritus sanctus, et tamen qui eum accipiunt non loquuntur linguis omnibus, quo evidenti miraculo se illo tempore demonstrabat. Intelligendum est, fratres carissimi, hunc esse Spiritum sanctum, quo caritas diffunditur in cordibus nostris. Et quoniam caritas Ecclesiam Dei congregatura fuerat toto orbe terrarum, quod tunc etiam unus homo poterat Spiritum sanctum accipiens linguis omnibus loqui, nunc sancto Spiritu congregata ipsa unitas Ecclesie linguis omnibus loquitur. Proinde si quisquam dixerit alicui nostrum: Accipisti Spiritum sanctum, quare non linguis omnibus loqueris? respondere debet: Loquor sane omnibus linguis: quia in eo sum Christi corpore, hoc est in Ecclesia, quæ loquitur omnibus linguis. Quid enim aliud tunc Deus significavit per sancti Spiritus presentiam, nisi Ecclesiam suam omnibus linguis locuturam? 570 Impletum est itaque quod promiserat Dominus: *Nemo mittit vinum novum in utres veteres, sed vinum novum in utres novos mittunt, et utraque servabuntur* (Matth. ix, 17). Merito ergo cum audirentur linguis omnibus loqui, nonnulli dicebant: *Hi musto pleni sunt* (Act. II, 12). Jam enim facti fuerant utres novi, sanctitatis gratia renovati, ut vino novo, hoc est Spiritu sancto repleti, omnibus linguis loquendo ferverent, Ecclesiam catholicam per omnium gentium linguas futuram evidentissimo illo miraculo præsignarent. Ac per hoc recte creduntur hæretici Spiritum sanctum non habere, qui dividuntur a corpore, quod per omnes gentes linguis omnibus meruit personare.

3. Hunc itaque diem sic celebrate, tanquam mem-

bra unitatis corporis Christi. Non enim frustra celebratis, si hoc estis quod celebratis: illi Ecclesie coherentes, quam Dominus implens Spiritu sancto, toto mundo crescente agnoscit suam, et agnoscitur a sua. Tanquam sponsus sponsam non perdidit propriam, nemo ei supponit alienam. Vobis enim omnibus gentibus constitutis, hoc est Ecclesie Christi, membris Christi, corpori Christi, sponsæ Christi, Apostolus dicit: *Sufferentes invicem in dilectione, studentes invicem servare unitatem Spiritus in vinculo pacis* (Ephes. iv, 2, 3). Videte quia ubi præcepit ut sustineamus invicem, ibi posuit dilectionem; ubi spem nominavit unitatis, ibi ostendit vinculum pacis. Hæc est domus Dei de vivis lapidibus fabricata, in qua talem patrem familias delectet habitare, cujus oculos B ruina divisionis non debet offendere.

SERMO IX.

De sancto Vincentio.

1. Miror, fratres, si adhuc aliquid vultis audire. Post tantam quippe quæ nobis lecta est modo martyrii passionem, et superfluum est dictor, et fastidiosus auditor. Legebatur etenim modo nobis iudex ferus, tortor cruentus, et martyr invictus: in cujus corpore pœnis variis exarato jam tormenta defecerant, et adhuc membra durabant. Tot convicta miraculis persistebat impietas, tot vexata suppliciis non cecebat infirmitas, agnoscebatur operta divinitas. Quando enim corruptibilis pulvis contra tam immania tormenta duraret, nisi in eo Christus habitaret? C Ego certe, fratres, post tantum spectaculum, quod mentibus nostris series decursa lectionis exhibuit, non committerem vestris auribus sermonem meum, nisi quia laudem Domini loquitur os meum (Psal. cxiv, 21). In his ergo omnibus ille agnoscendus, ille glorificandus, ille laudandus est, qui et prima vocatione dedit fidem, et in suprema passione virtutem. Vultis nosse quia utrumque donatum est? Audite apostolum Paulum: *Vobis, inquit, donatum est a Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo* (Philip. I, 29). Acceperat hæc utraque Vincentius. 571 Acceperat, ideo habebat. Si enim non acciperet, quid haberet? Habebat in sermone fiduciam, habebat in passione tolerantiam. Nemo ergo de suo corde præsumat, quando profert sermonem. Nemo de suis viribus fidat, quando suffert tentationem. Quia et ut bona prudenter loquamur, ab illo nostra est sapientia.

2. Recolite Dominum Christum suos in Evangelio discipulos admonentem. Recolite martyrum Regem cohortes suas armis spiritalibus instruentem, bella monstrantem, adjutoria ministrantem, præmia pollicentem. Qui cum dixisset discipulis suis: *In hoc mundo pressuram habebitis* (Joan. xvi, 33), mox, ut deterritos consolaretur, adjunxit, *Sed confidite, quia ego vici mundum* (Ibidem). Quid ergo miramur, fratres carissimi, si in illo vicit Vincentius a quo victus est mundus? *In hoc mundo, inquit, pressuram habebitis. Etsi premit, non opprimit: etsi oppugnat, non expugnat. Geminam mundus aciem producit contra mili-*

tes Christi. Blanditur enim ut decipiat, terret ut A frangat. Non teneat voluntas propria, et non terreat crudelitas aliena. Ad utrosque aditus occurrat Christus, et non vincitur Christianus. Si consideretis in ista passione humanam virtutem fuisse, incipit incredibilis esse : si agnoscat divina fuisse, agnoscitur mirabilis esse. Tanta grassabatur crudelitas in martyris corpore, et tanta tranquillitas proferebatur in voce. Tot pœnarum asperitas sæviebat in membris, et tanta securitas sonabat in verbis.

3. Mirum in modum putarem Vincentio patiente alium loqui, aut certe alium Vincentio loquente torqueri. Et vere, fratres, ita erat, prorsus ita erat, alius loquebatur. Promisit enim et hoc testibus suis Christus. Audistis modo. In Evangelio loquebatur, et dicebat suis, quos ad hujusmodi certamina præparabat : *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quomodo aut quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (Matth. x, 19, 20)*. Caro ergo patiebatur, spiritus loquebatur. Et loquente spiritu non solum convincebatur impietas, sed etiam confortabatur infirmitas. Clariorem nobis martyrem tormenta faciebant. Multiplici vulnerum varietate confossus, non deserebat pugnam, sed acrius iterabat. Putes quod cum duraret flamma, non ureret ; et tanquam figuli fornax lutum molle suscipiens duram redderet terram. Poterat martyr noster dicere Dationi : Jam non curat ignes tuos caro mea : quia *exaruit velut testa virtus mea (Psal. xxi, 16)*. Quia veraciter scriptum est : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis (Eccli. xxvii, 6)*. Probatus atque decoctus est illo igne Vincentius. Dationis vero arsit et crepuit. Si enim non ardebat, unde fumabat ? Quid erant verba irascentis, nisi fumus ardentis ? Ergo martyri nostro refrigerium in corde habenti flammam extrinsecus admovebat ; sed ipse facibus furoris accensus, tanquam clibanus intus ardebat, et habitatorem suum diabolus concremabat. Per furiosas enim quas audistis Dationis voces, per truces oculos et minaces vultus, per turbulentos totius corporis motus, ille habitator ejus interior se movebat, per hæc signa visibilia, tanquam 572 per sui vasculi quod impleverat crepantes rimulas probebatur. Non tantum cruciabat martyrem flamma, quantum illum vastabat insania.

4. Sed jam, fratres, illa omnia transierunt, et ira Dationis, et pœna Vincentii. Manet autem pœna Dationis, corona Vincentio. Denique ut, prætermisissis interim futuræ tribulationis finibus, etiam in hoc mundo martyrum gloriam demonstremus ; quæ hodie regio, quæ provincia transmarina, quousque vel Romanum imperium, vel Romanum nomen extenditur, natalem non gaudet celebrare Vincentii ? Quis autem hodie vel nomen Dationis audisset, nisi in ista passione legisset ? Quod vero tanta cura servavit Dominus, sicut audistis, martyris corpus, quid aliud demonstravit, nisi se gubernasse vincentem, quem non reliquit exanimem ? Vicit ergo Dationum vivens Vincentius, vicit et mortuus : vivens tormenta calcavit, mortuus maria

A transnavit. Sed ipse inter undas gubernavit cadaver extinctum, qui inter ungulas animum donavit invictum. Non flexit flamma tortoris cor ejus, non merisit aqua maris corpus ejus ; sed in his omnibus nihil est ejus, nisi quod *pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus (Psal. cxv, 15)*.

SERMO X.

De eo quod ait Michæas propheta, Indicabo tibi, homo, quid sit bonum.

1. De præsentis prophetica lectione, in qua nostrorum magna continetur utilitas animarum, vestræ caritati loqui disposuimus, ab illo poscentes sermonis congruam facultatem, a quo bonam gratis accepimus voluntatem. Quis autem hanc donat, nisi B Deus, qui *operatur in suis et velle et perficere, pro bona voluntate (Philipp. ii, 13)* ? Proinde verba sancti Michææ, quæ pariter audivimus, pariter revolvamus. Et utinam, fratres, sicut ea sermone revolvimus, sic operibus impleamus ! Audivimus enim verba hominis sancti, hominis justis, hominis pii, hominis de sua salute solliciti, hominis qui se sciebat creatum a Deo, qui se cogitabat esse sub Deo : qui cum magno timore et tremore divinum expectabat judicium, in quo se noverat non solum de factis et dictis, verum et de ipsis cogitationibus suis rationem ante tribunal justis C Judicis redditurum. Cogitans itaque futurum judicium Dei, de quo debemus etiam nos cuncti metuere, et in omnibus operibus nostris cum magna cordis formidine cogitare : hoc cogitans homo iste sanctus et justus, quærebat quid faceret, vel quibus muneribus Deum D judicem deprecaretur. Sciebat autem omnipotentem Deum, qui omnia condidit, qui cuncta ex nihilo fecit, qui nihil ex indigentia paupertatis, sed universa 573 ex abundantia bonitatis instituit, non sola quærere munera nostra, sed etiam opera nostra. Imo sciebat in hoc maxime Deum delectari muneribus nostris, ut ei placeamus moribus sanctis et operibus bonis. Quærens igitur homo iste quid ab homine offerendum sit Deo, dicebat : *Quid dignum offeram Domino (Mich. vi, 6)* ? Hoc autem verbo, quo non ait, *Quid offeram Domino ? sed, Quid dignum offeram Domino ?* docuit nos, ut si quando munus offerre Deo volumus, aliquid dignum quæramus, et hoc offeramus. Quid autem potest esse in oblatione Deo dignum, nisi quod est in creatura præcipuum ? In omnibus vero creaturis quas D fecit Dominus super terram, nulla melior inveniri poterit quam illa creatura quam Deus ad suam imaginem fecit. Hæc autem creatura in terris homo est.

2. Quisquis igitur offerre vult aliquid dignum Deo, non prius aliud quid offerat quam seipsum ; Deus enim, qui hominem ad imaginem suam fecit, imaginem suam sibi delectatur offerri, ipsam sibi puram et mundam præcipit exhiberi. Inde est quod Salvator noster quibusdam tentantibus eum ita respondit : *Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, et quæ sunt Dei Deo (Matth. xxii, 21)*. Hoc est dicere : O homo, sicut imaginem suam Cæsari reddis in nummo, sic reddo Deo suam imaginem in teipso. Redde, homo, creatori tuo imaginem suam ; redde justam, non iniquam ;

redde humilem, non superbam : non avaritia turpem, non rapacitate deformem, non vitio iracundiæ levem, non terrena dilectione contritam, non livore sordidam, non fornicatione pollutam; sed prudentiæ pondere integram, fidei veritate mundam, et bonis moribus atque operibus splendidam. Quomodo autem Deo imaginem suam reddamus in nobis, propheta sanctissimus admonet dicens : *Indicabo tibi, homo, quid sit bonum et quid Dominus quaerat a te. Utique facere iudicium, et iustitiam, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo (Mich. vi, 8).*

3. Primum itaque quid sit facere iudicium, quod beatus propheta primum posuit, inquiramus. Iudicium dicitur conventus, ubi accusatio, et defensio cuiuslibet hominis agitur : unde necesse est ut ad iudicium exeat qui fuerit reus, et victor abscedat qui probatur innoxius. Revertere igitur ad te, homo. In te quære accusationem, in te quære defensionem, in te quære iudicium. Imo tu esto et accusator, et defensor, et iudex. Intra in secretarium cordis tui, ubi soli te vident oculi Domini Dei tui. Ibi te accusa, ut valeas accusatione defendi. Ibi te convince, ut victoriam possis adipisci. Ibi te condemna, ut merearis absolvi. Ibi te puni, si vis ab æternæ punitionis supplicio liberari. Fac in te, Christiane, verum rectumque iudicium, sollicite secreta tui cordis attende. Facta tua mala tibi ante oculos tuos pone : quæcunque deleveras in intimo libro tuæ recordationis recense frequenter ac relege; sine conniventia te ipsum discute tu ipse, et cogitationum tormentis afflige. Tu in te justam sententiam prome. Quidquid mali feceras peccando, puni veraciter pœnitendo; et iudex effectus peccatorum tuorum, quod facere solent iudices capitalibus reis hoc ipse fac iniquitatibus tuis. Noli accipere personam **574** tuam, cum iudicas causam tuam. Sed cum severitate mala tua discute, cum rigore (*al* vigore) in peccata tua condemnationis sententiam prome, et peccata quæ in te condemnas, occide.

4. Hoc est autem peccata occidere, peccatis deinceps nullatenus obedire. Noli ergo esse peccatorum factor, et es occisor. Si vero fueris in peccata tua iudex justus, de justo Dei iudicio exies absolutus. Ut autem in te ipsum justum possis celebrare iudicium, audi apostolum Paulum, qui docet quæ in te debeas opera mortificare, ut ad vitam valeas pervenire. Dicit enim : *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est idolorum servitus : propter quæ venit iru Dei in filios incredulitatis (Coloss. iii, 5, 6).* Ecce habes, homo, quæ in te iudices, habes quæ condemnes, quæ in te mortifices. Ista iudica, et non iudicaberis. Ista condemna, et non condemnaberis. Ista mortifica, et non morieris. Hic esto severissimus iudex, hic esto vehementissimus carnifex. Ista recte considerando iudica, abijciendo mortifica. Si enim peccata tua recte consideraveris, iudicasti; si abjeceris, occidisti. Ut ergo defendas te, accusa te; ut absolvas te, iudica te; et ut ad victoriam perducas causam tuam, considera conscientiam tuam. Agnosce iniquitatem tuam, mortifica

A concupiscentiam tuam, corrige vitam tuam, et recte iudicando liberabis animam tuam.

5. Ecce, fratres, quantum Dominus dedit, quid sit facere iudicium diximus; quid deinde sit iustitiam facere, nunc dicamus. Iustitiam facere est, ut quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, sed et hoc alteri facias, quod tibi ab altero fieri delectaris. Vis autem tibi bonum ab omni homine fieri : hoc enim iustum est, ut omnis homo bonum faciat homini; quia contra iustitiam facit qui homini malum facit. Malum autem dico illud opus quo per pravam cupiditatem peccatur, non quo per caritatem pœna peccantibus irrogatur. Malum nunc ego dico, non quo proximus a culpa revocatur, sed quo Deus justus ad iracundiam provocatur. Illud malum dico, non quod bene solet inferre severitas, sed quod male perpetrare consuevit iniquitas. Illud malum nunc dico, quod nunquam potest esse iustum, sed semper invenitur iniustum. Illud malum dico, quo delinquitur Deo, non quo consulitur proximo. Illud ergo malum nunc dico, quod sic est omnibus facientibus malum, ut nulli patienti sit bonum. Iustitiam igitur homo faciet, si malum nulli faciat, ei bonum omnibus faciat; illud autem nulli faciat malum, a quo nos beatus Apostolus prohibet dicens : *Nulli malum pro malo reddentes (Rom. xii, 17).* Quibus utique verbis plenam nobis benevolentiam commendavit. Non enim dixit : *Nulli malum facientes, sed Nulli malum pro malo reddentes.* Ostendens parum esse Christiano malum non inferre, nisi discat etiam non referre. Unde cognoscitur quam pessimum sit si nos alicui malum faciamus, qui, malum facientibus aliis, malum pro malo reddere non debemus.

6. Serva igitur, Christiane, secundum regulam iustitiam. Bonum **575** omni homini facito; malum vero nec facias alicui, nec reddas. Si enim malum pro malo reddideris, etiam tu sine dubio malus eris. Tunc ille qui prior tibi malum fecit, non solus malus erit, quia socium malitiæ te habebit. Cum autem cœperis malum pro malo reddere, in hoc magis culpabilis eris, quia malum quod in aliis exsecraris, hoc imitaris. Malus autem factus, non vincis malum, sed vinceris a malo, et quod pejus est, non vinceris alieno malo, sed tuo. Non est enim quemadmodum malus fias, nisi a bonitate deficias. Ita fiet ut in te ipso remaneas damnabiliter victus, si fueris tuæ voluntatis vitio depravatus. Tunc itaque hominem malum certissime superabis, si bonus ipse permanseris, si non pro malis mala, sed pro malis bona reddideris. Propter quod Apostolus, qui ait : *Nulli malum pro malo reddentes; paulo post dicit : Noli vinci a malo, sed vince in bono malum (Ibid., 21).*

7. Ecce ut nulli malum pro malo reddamus, ab Apostolo simul audivimus : ut etiam omnibus bona faciamus, ab ipso rursus apostolo pariter audiamus, qui ait : *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes (Galat. vi, 10).* Tunc itaque facimus iustitiam, cum illa hominibus facimus quæ nobis volumus ab hominibus fieri. Hanc iustitiam Salvator ipse commendans ait : *Omnia quæ vultis ut vobis fa-*

ciant homines, eamem et vos facite illis (Math. vii, 12). **A** Quæ autem vultis ut vobis homines faciant, nisi bona? Si autem mala vobis faciant, non quæ vultis faciunt. Ergo et vos, si malum pro malo reddatis, quia non ea facitis hominibus quæ vultis ut faciant vobis, non utique facitis quod Christus præcepit, sed quod diabolus persuasit. Quapropter ut justitiam faciatis quam præcepit Christus, hoc impendite unicuique homini, quod vobis ab omnibus hominibus desideratis impendi. Sic facietis iudicium et justitiam, de quibus nos propheta beatus admonuit. Facietis enim iudicium, si peccata vestra pœnitendo damnetis, et damnando peccata bene vivatis. Facietis autem justitiam, si nulli malum pro malo reddatis, sed omnibus hominibus bona faciatis. Hoc utique commendat Apostolus dicens: *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est sectamini invicem, et in omnes (I Thess. v, 15)*

8. Quia vero bona opera tunc bene et utiliter fiunt, cum de bona voluntate procedunt, propterea cum propheta dixisset debere nos facere iudicium et justitiam, addidit: *Et diligere misericordiam.* Quia misericordiam maxime debent sublimes humilibus impendere, et divites pauperibus prærogare. Hæc autem misericordia duobus impenditur modis: cum peccanti et correctionem pollicenti venia datur, et cum indigenti quod est necessarium non negatur. Ad hujus misericordiæ pertinet partes, ut superior inferiorem non opprimat, sed cum justitia defendat, et dives pauperi nihil auferat, sed pauperem pascat et vestiatur: ut pauperi non insidietur, sed eum potius suis beneficiis consoletur. Quid ergo est quod se inflat homo fragilis et mortalis? quid superbit terra et cinis? quid se super pauperem dives superbus extollit? quare pauperem despicit? quare pauperem premit? **576** quare pauperi panem, aut tenacitate non tribuit, aut rapacitate subducit, et illi cui debet de suo multum misericorditer aliquid dare, modicum quod habet crudeliter conatur auferre? Existimat quia cum pauperem gravat, seipsum relevet: arbitratur quia cum pauperem tribulat, sibi boni aliquid

• Hæc vox *aliquid* videtur redundare.

præstet. Et nescit quia cum pauperem premit, sibi gravissimum pondus imponit, nec attendit quia si quid de paupere cogitat, de seipso cogitat. Sibi enim bonum impendit, quando pauperi bonum facit. Si autem malum cogitat facere pauperi, plus nocebit sibi quam pauperi.

9. Bonum igitur faciat dives pauperi, et proderit sibi. Diligat misericordiam, et eam pauperi semper impendat, ut ipse misericordiam in die tribulationis (*forte retributionis*) inveniat. Sic se cogitet super hominem pauperem positum, ut meminerit se sub Deo divite constitutum. Non ergo dubitet homini pauperi misericordiam facere, quam a Deo divite delectatur accipere. Recordetur esse Deum iudicem, qui habet æternam in omnibus potestatem. Ille enim videt omnium facta, ipse reddet unicuique secundum opera sua (*Math. xvi, 27*). Unde veraciter dicitur, quia *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam (Jac. ii, 13)*, et *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur (Math. v, 7)*.

10. Faciamus ergo iudicium et justitiam, diligamus misericordiam. Cum autem iudicium et justitiam facimus, misericordiam diligimus, cum Deo nostro sollicitè ambulamus. Anbulat autem cum Deo qui bonis moribus et operibus proficit, qui cœlestia terrenis, et æterna temporalibus anteponit. Sed oportet ut unusquisque sollicitus ambulet: id est, ut non altum sapiat, sed timeat; ut superbiam fugiat, et boni nihil suis meritis tribuat, sed in omnibus quæ bene egerit, Dei gratiam recognoscat. Ista sollicitudo facit hominem cum Christo per viam humilitatis incedere et ad regni cœlestis altitudinem pervenire. Conversi ergo ad Dominum pariter ejus misericordiam depræcetur, ut nobis suam gratiam largiatur, qua possumus in nobis ipsis iudicium rectum tenere, justitiam cæteris exhibere, et, diligentes misericordiam, non opprimere pauperes, sed fovere: ut in conspectu Dei, cui misericordiam iudiciumque cantamus (*Psal. c, 4*), superexaltantem iudicio misericordiam invenire possimus.

FIDEI CATHOLICÆ INSTRUMENTA,

EXCERPTA DE LIBRIS S. FULGENTII

Contra Gesta quæ adversus eum Fabianus hæreticus falsa confinxit.

EX LIBRO I. DE UNO ALTISSIMO, PARACLETO, NUNTIO, DOCTORE ET JUDICE.

577 FRAGMENTUM I.

Filius et Deus est, et altissimus, et vita ut Pater: eadem quoque cum Patre, et similiter facit.

Miror autem, cum ex illis nominibus atque operi-

D bus, pro tuo libitu, Filii et Spiritus sancti merita metiaris, quomodo non etiam nomina illa operaque consideres, quibus Patris et Filii una celsitudo naturalis ostenditur. Nam dum dicitur: *In principio erat*

Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat A Verbum (Joan. 1, 1); in nihilo nomen Filii a nomine Patris minus esse cognoscitur; cum sicut Pater, ita et Filius, Dei nomine non privatur. Item Patrem novimus altissimum dici, sed Filium quoque certum est hoc nomine nuncupari. Nam Patrem invenitur Gabriel angelus ad Mariam loquens, altissimum nuncupare, 578 cum dicit: *Ecce accipies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur (Luc. 1, 31, 32)*. De ipso vero Filio beatus David divina repletus inspiratione sic cecinit: *Mater Sion dicit: Homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus (Psal. LXXXVI, 5)*. Quis autem operum unitatem in Patre et Filio denegare audeat, cum ipse Filius eadem opera esse et sua simul et Patris ostendat? Ait enim: *Quæcunque Pater facit, hæc eadem et Filius facit similiter (Joan. v, 19)*. Ubi ostendit inter Patrem et Filium divinæ operationis officia, nec dissimilia esse aliquatenus, nec divisa. Qui enim eadem et similiter facit, sicut non alia, sic non aliter facit; dum vero quæcunque Pater facit, hæc eadem et Filius facit similiter; sicut nihil est in operatione divisum, sic nihil est in virtute diversum. Concordat ergo Patris et Filii una natura in unitate operis, et in operationis similitudine una refulget omnipotentia deitatis. Quod si alter Deus esset Filius, non eadem quæ Pater facit et ipse faceret; si vero minor esset deitas Filii, quæ facit eadem, similiter non fecisset: sed dum eadem sunt Patris et Filii opera, a Patre et Filio similiter facta, indubitanter agnoscitur una Patris Filiique natura. Audi adhuc naturale Patris et Filii, tam in nominibus quam in operibus unitatem. Dicit enim Filius: *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso (Ibid., 26)*. Hoc autem est Patrem Filio vitam dedisse, quod est vitam Filium genuisse. Dedit enim Pater Filio vitam habere in semetipso, sed sicut Pater, jure generationis, non munere largitatis. Et vide qualiter dedit Filio vitam habere in semetipso, sicut habet utique Pater vitam in semetipso. Habet autem Pater vitam in semetipso, quia est naturaliter vita: proinde et Filio habere vitam in semetipso dedit, quia Filium vitam naturaliter genuit. Ideo beatus Joannes vitam Filium non desinit prædicare, dicens de illo: *Hic est verus Deus, et vita æterna (I Joan. v, 20)*. Alio quoque loco sicut vitam dicit Patrem, sic vitam dicit et Filium; ait enim: *Quod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod inspeximus, et manus nostræ contractaverunt de Verbo vitæ (I Joan. 1, 1)*. Scimus autem Verbum Patris esse Filium. Cum ergo Verbum vitæ dicitur Filius, Patrem videmus vitæ nomine prædicari. Ipsum vero Verbum vitæ, vitam in subsequentibus nominat dicens: *Et vita palam facta est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, et palam facta est nobis (Ibid., 2)*. Ecce vita Pater, vita Filius dicitur: quia et Verbum vitæ, et vita Filius prædicatur: ac per hoc unitas nominis in Patre Filioque naturaliter non discrepat; unde utique consequenter unitas

quoque operum naturali majestate concordat; ipso Filio dicente: *Sicut enim Pater suscitavit mortuos et vivificavit, sic et Filius quos vult vivificavit (Joan. v, 21)*. Hoc autem dicens, et unitatem, et perfectam potestatem paternæ ac suæ voluntatis ostendit. Non est hic ergo voluntas infirmi, non est opus inviti. Filius enim quos vult vivificat; sed illos procul dubio vivificat Filius quos vivificat Pater: quæcunque enim Pater facit, hæc et Filius facit. Sic etiam quos vult Filius vivificat, 579 sicut Pater quos vult vivificat: quæcunque enim Pater facit, non solum eadem facit Filius, sed et similiter facit. In hac unitate operis, una voluntas est naturalis. Nam si ea quæ Pater volens facit, invitatus facere dicitur Filius, eadem quidem facit, sed non similiter facit: sed Veritas dicit quia et eadem et similiter facit. Agnoscatur ergo naturalis unitas, et majestatis æqualitas, ubi nec in opere, nec in voluntate potest esse diversitas. Cur igitur diversitatem naturæ, et nescio quam inæqualitatem Patris ac Filii, ex illis quæ posuisti nominibus atque operibus asseris, et æqualitatem Patris ac Filii ex istis quæ commemoravi nominibus atque operibus non agnoscis?

FRAGMENTUM II

Deus Pater etiam Paracletus.

Tu quippe dixisti quia Deus Pater, qui nullo minor, nullique subjectus est, illa omni humilitate operum ac nominum caret. Ac primum cognosce quod Deus Pater non careat Paracleti opere, ut ex hoc discas non certare de nomine. Etenim si in Patre opus hujus nominis invenerimus, necesse non erit ut de nomine demonstrando aliquid disputemus. Paracletus in Latina lingua, non solum Advocatus, verum etiam Consolator dicitur. Audi ergo quid Apostolus de Deo Patre dicat, et ex vero consolationis opere veritatem Dei consolatoris agnosce. Apostolus nempe scribens ad Corinthios ita dicit: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra (II Cor. 1, 3)*. Quod in Græco sic habetur: *Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς καὶ Πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ Πατὴρ τῶν οἰκτιρῶν καὶ Θεὸς πάσης παρακλήσεως, ὁ παρακαλῶν ἡμᾶς ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει ἡμῶν* (in Bibl. ὑμῶν). Ubi consolationi Patris consolationem quoque Filii conjungens, post paululum dicit: *Quoniam sicut abundant passionibus Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra (Ibid., 5)*. Ne vero Patris et Filii consolationem diversam in nobis vel divisam existimes, audi quid ipse beatus Apostolus Thessalonicensibus scribat. Dicit enim: *Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus et Pater noster, qui dilexit nos, et dedit consolationem æternam, et spem bonam in gratia, consoletur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono (II Thess. II, 16)*. Quod autem hic posui, consoletur, nonnulli codices Latini exhortetur habent; sed sive hoc sit, sive illud, quia et consolatio et exhortatio apud Græcos *παράκλησις* dicitur, ideo nos hoc posuimus ut unam consolationem sive exhorta-

tionem Patris Filiique monstremus. Nam et apud Latinos uterque sermo in sono quidem distat, sed in sensu concordat. Quippe omnis consolator non aliud agit quam ut animam ejus quem consolatur ad spem proventus melioris hortetur. Itaque quavis **580** ait exhortatio quæ non videatur consolationis egere, non tamen est consolatio quæ exhortationis sermone non egeat. Ille igitur locus in Græco sic continetur eloquio : Ἀυτός δὲ ὁ κύριος ὑμῶν (in Bibl. ὑμῶν) Ἰησοῦς Χριστός, καὶ ὁ Θεὸς καὶ Πατὴρ ἡμῶν, ὁ ἀγαπήσας ἡμᾶς, καὶ δίδους (in Bibl. δούς) παράκλησιν αἰώνιαν, καὶ ἐλπίδα ἀγαθὴν ἐν χάριτι, παρακαλίσαι ὑμῶν τὰς καρδίας, καὶ στηριξάι ὑμᾶς ἐν παντί λογῷ καὶ ἔργῳ ἀγαθῷ. Illum quoque locum diligenter attende, in quo Philippensibus scribens Apostolus, ait : *Sī qua ergo consolatio in Christo (Philip. II, 1)*; et invenies **B** ita positum : Ἐἰ τις ὄν παράκλησις ἐν Χριστῷ. Sancti quoque Spiritus consolationem, sanctæ collatam Ecclesie, divina Scriptura non tacuit. Dictum est enim in libro Actuum apostolorum : *Ecclesia quidem per totam Judæam, et Galilæam, et Samariam, habebat pacem; et ædificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione sancti Spiritus replebatur (Act. IX, 31)*. Quod in Græco sic continetur : Δι μὲν ὄν Ἐκκλησίαι καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας, καὶ Γαλιλαίας, καὶ Σαμαρείας εἶχον εἰρήνην, οἰκοδομοῦμεναι καὶ πορευόμεναι τῷ φόβῳ τοῦ Κυρίου, καὶ τῇ παρακλήσει τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπληθύνοντο. Quomodo ergo consolator Pater negatur, qui suum populum consolatur? Ipse est enim, sicut supra dictum est, *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra (II Cor. I, 3)*. Agnosce ergo Deum Patrem consolatorem nostrum in opere, et discite non inaniter certare de nomine. Quod si pertinaciter negare non desinis, tibi consolationis ejus beneficium denegabis. Sed cave ne quem consolatorem negas, experiaris ultorem.

FRAGMENTUM III.

Et angeli seu nuntii, et doctoris, et judicis officia, Patri et Spiritui sancto communia sunt. Differt subministratio a ministerio.

Miror autem quomodo Filio et Spiritui sancto velis præscribere de nomine nuntii, quasi ex hoc se quisquam ostendat minorem, si suam in quolibet opere nuntiet ignorantibus voluntatem. Quanquam nomen nuntii, qui Græce angelus dicitur, in solo Filio valeat inveniri. Ipse enim dicitur *magni consilii Angelus (Isa. IX, 5)*. Cæterum in Spiritu sancto quamvis opus annuntiationis invenias, angelum tamen dici Spiritum sanctum puto te reperire non posse. Filius ergo dictus est *magni consilii Angelus*: quod tamen consilium non fuit solius Patris, sed erat consilium Trinitatis. Nam ipse Filius, sicut dictus est *magni consilii Angelus*, ita dicitur *admirabilis, consiliarius*. Spiritus quoque sanctus ipse est *Spiritus sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis (Isa. XI, 2)*. Magni ergo consilii Angelus solus dicitur Filius; sed opus annuntiationis nec a Patre alienum est, nec a Spiritu **581** sancto. A Deo namque Patre ea quæ ad

A salutem nostram pertinent, annuntiata monstrantur. Quid enim mundo potuit esse salubrius quam Christi Salvatoris adventus? quem tamen se Pater in hominibus annuntiasse testatur: dicit enim per Amos prophetam: *Quia ecce ego firmans tonitrum, et creans Spiritum et annuntians in hominibus Christum suum (Amos IV, 13)*. Utique non nisi persona Dei Patris accipitur: unde dicit sanctus Lucas evangelista quia cum Dei Filius dixisset: *Vos autem quem me esse dicitis? respondens Simon Petrus dixit, Christum Dei (Luc. IX, 20)*. Ne quis vero audiens Deum dicentem: *Quia ecce ego firmans tonitrum, et creans spiritum*, ex hoc creatum asserere velit Spiritum sanctum, quem constat esse rerum omnium creatorem; illud attendat, quia si de sancto Spiritu in hoc loco aliquid esset accipiendum, non utique tonitrum fuisset primitus nominatum. Dicitur autem: *Ecce ego firmans tonitrum et creans spiritum*: quod si secundum litteram voluerit quisquam percipere, non est aliud quod hic nomine spiritus accipiat positum esse, quam ventum, qui etiam in psalmo dicitur *spiritus tempestatis (Psal. X, 7)*: præsertim quia præmisit tonitrum, quod utique tunc assolet fieri, quando nubes ventis flantibus congregantur. Verum tamen quia huic prophetico loco magis intellectus convenit spiritalis (maxime quia cum dixisset: *Ecce ego firmans tonitrum, et creans spiritum*; continuo addidit, *et annuntians in hominibus Christum suum*), digne hic accipiamus prophetatum apostolicæ prædicationis officium. Ipsam quippe prædicationem tonitrum nominavit, de qua et beatus David dicit: *Vox tonitruus tui in rota (Psal. LXXVI, 19)*: id est, Vox prædicationis tuæ in orbem terrarum. Rotæ quippe nomine orbem significavit: nam et rota orbis est, unde rotæ parvulæ orbiculi appellantur; et via rotæ dicitur orbita, id est orbis semita. Firmavit ergo Deus tonitrum, firmans evangelicam prædicationem: creavit spiritum, faciens spiritales Evangelii prædicatores; et annuntiavit in hominibus Christum suum, per dispensationem scilicet Testamenti Novi. Cum ergo et Patri et Filio et Spiritui sancto opus annuntiationis videas convenire, quid est quod vocabulis quæris differentiam demonstrare, cum tamen solum Filium invenias angelum dici? Cæterum in persona Spiritus sancti non facile quisquam hoc possit invenire vocabulum. Si ergo de nomine quæstionem moves, non habes quod objicias Spiritui sancto, ut eum minorem asseras Filio, cum angeli nomine magis inveniatur Scriptura sancta Filium nuncupare. Sed si angeli vocabulum, non secundum divinitatem, sed secundum carnem Filio asseris assignandum, noli ergo a divinitate Patris diversam dicere divinitatem Filii, cum angeli vocabulum non dicis divinitati ejus convenire, sed carni. Si vero, quod congruum magis est, non nomen operis, sed ipsum opus attendis, communis invenitur annuntiatione Trinitatis. Attende igitur illum sermonem Domini Salvatoris, quem ad discipulos habuit, quando eia Paracleti promisit adventum; et hoc in eo accepe, ad quod eum cognoveris advenisse. Ante suam quippe

Dominus passionem, ad docendum venturum discipulis Paracletum Spiritum eo loco prædixit, ubi a Patre 582 simul et a Filio ipsum Paracletum mittendum esse promisit. Ait enim : *Paracletus enim Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia quaecunque dixerō vobis* (Joan. xiv, 26.) Docebit vos utique, ait, non postulabit pro vobis. Item in eodem sermone : *Cum autem venerit Paracletus quem ego mittam in vos a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me* (Joan. xv, 26); et iterum : *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (Joan. xvi, 12). Ubi ex ipsa similitudine operis ostensa est communio deitatis. Docet enim nos Pater, Domino dicente : *Est scriptum in prophetis : Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me* (Isa. liv, 13). Docet et Filius de quo scriptum est, quia *accesserunt ad eum discipuli ejus, et aperiens os suum docebat eos* (Matth. v, 1, 2). Docet nos etiam Spiritus sanctus, sicut superius ex verbis ipsius Filii Dei docuimus. Inde est quod etiam beatus Paulus doctrinæ sancti Spiritus omne opus suæ prædicationis assignat, dicens : *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Quæ et loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus* (I Cor. ii, 11, 12, 13). Hanc Spiritus sancti doctrinam beatus quoque nobis Joannes insinuat, ipsum Spiritum sanctum nomine significans unctionis. Sic enim ait : *Hæc scribo vobis de his qui seducunt vos. Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium* (Joan. ii, 26). Hæc dicta sint a nobis, quia voluisti Spiritui sancto Advocati nomen objicere, pro eo quod eum Dominus Jesus Paracletum nominavit; ut ostenderemus cujus operis gratia dixerit Dominus Paracletum fuisse venturum. Nam quoniam doctor ipse a discipulis corporaliter discedebat, doctorem illis utique promittebat : et vide qualem doctorem, qui eis et scientiam tribueret, et virtutem. De ipso quippe ait discipulis : *Vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto* (Luc. xxiv, 49); et iterum dicit : *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos* (Act. i, 8). Ipse itaque Spiritus veniens, sicut tribuit cognitionem, ita contulit firmitatem. Propterea scriptum est de discipulis : *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia* (Act. iv, 31). Dic minorem doctorem, si doctrinam ejus quælibet philosophia vicit : dic minorem doctorem, si ab illo firmatos regum sævitia superavit. Ministrum vero nescio utrum alicubi dictum invenire poteris Spiritum sanctum. Et ne tuæ assertioni de illo Apostoli loco aliquid juvenis repromittas, in quo Philippensibus scribens ait : *Scio enim quoniam*

A hoc mihi proveniet in salutem, per vestram orationem et subministrationem Spiritus Jesu Christi (Philip. i, 19). Puto quod homo, qui te Latinitatis peritum esse commemoras, prorsus novérís non hoc esse subministrare, quod est ministrare. Quia in uno horum obsequium humilitatis, in altero autem indicium abundantiae 583 ac potestatis ostenditur. A ministrante quippe obsequium redditur, a subministrante vero subsidium prærogatur. Nam dic mihi, quæso, cum Apostolus dixisset hominibus : *Scio quia hoc mihi proveniet in salutem, per vestram orationem*; in qua oratione utique non illorum ministerium, sed adjutorium exspectabat, sicut alibi ostendit, dicens : *Obsecro igitur vos, fratres, per caritatem Spiritus, ut adjuretis me in orationibus pro me ad Deum* (Rom. xv, 30); cum ergo, sicut dixi, orationem fidelium beatus Paulus in adjutorium exspectaret, quid opus fuit ut adjungeret, *Et subministrationem Spiritus Jesu Christi?* nisi quia voluit ostendere quod orationi fidelium Spiritus sanctus largiatur effectum, dum his a quibus vel pro quibus oratur subministrat auxilium : non hoc faciens servilis conditionis obsequio, sed divinæ, quam cum Patre et Filio unam naturaliter habet, imperio potestatis. Quod ut manifestum noveris, veritatem tibi etiam in hoc loco Græcæ ingeram lectionis. Scribens enim beatus Paulus ad Timotheum, inter alia dicit : *Marcum assume, et adduc tecum : est enim mihi utilis in ministerium* : quod in Græco sic habetur : *Μάρκον ἀναλαβὼν ἄραγε* (in Bibl. ἄγγ.) *μετὰ σιαυτοῦ ἔστι γάρ μοι ἐχρηστος εἰς διακονίαν* (II Tim. iv, 11). Vides nempe hic ab Apostolo ministerium *διακονίαν* dici. In illo autem loco ait : *Per vestram orationem et subministrationem Spiritus Jesu Christi*, in Græco positum est, *διὰ τῆς ὑμῶν δεήσεως, καὶ ἐπιχορηγίας τοῦ πνεύματος Ἰησοῦ Χριστοῦ* (Philip. i, 19). Nonne manifestum est, non hoc esse *διακονίαν*, quod est *χορηγίαν*? Audi et aliud de beati Petri Epistola manifestius documentum, quo et administrationem, id est *χορηγίαν*, non esse creaturæ, sed Creatoris agnoscas; et ex administrationis nomine, Spiritum sanctum non aliud esse quam Deum, sine aliqua caliginæ dubitationis intelligas. Dicit enim beatus Petrus : *Hospitaliter inier vos sine murmuratione : unusquisque qualem accepit gratiam, inter vos illam ministrantes, ut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, tanquam sermones Dei : si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus. Quod in Græco sic habetur : *ἑκάθετος εἰς ἀλλήλους ἄνευ γογγυσμῶν, ἕκαστος καθὼς ἔλαβε χάρισμα, εἰς ἑαυτοὺς αὐτὸ διακονοῦντες, ὡς καλοὶ οἰκονόμοι ποικίλης χάριτος Θεοῦ. Ἐἴ τις λαλεῖ, ὡς λόγια Θεοῦ ἢ εἴ τις διακονεῖ, ὡς ἐξ ἰσχύος ὡς* (in Bibl. ἕε) *χορηγεῖ ὁ Θεός* (I Petr. iv, 9). Ex his locis, quæ magis Græco quam Latino discernuntur eloquio, ministerium ad operationem humanam, administratio vero sive subministratio ad divinam cognoscitur gratiam pertinere. Hoc est itaque Spiritui sancto subministrare, quod est sufficientiam dare. Cum enim Deus virtutem administrat, sufficientiam donat. Quam sufficientiam non ex nobis, sed ex Deo esse beatus Apostolus docens : *Sufficientia, inquit, nostra ex Deo est.**

qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti, non littera, sed spiritu (II Cor. iii, 5, 6). Ostendens autem ministerium suum, curavit etiam subministrationem sancti Spiritus demonstrare, dicens: *Littera enim occidit, Spiritus autem vivificat (Ibidem)*. Visum vero tibi est, Deum Patrem iudicem dicere, quasi non hoc sit et Filius et Spiritus sanctus. An nescis ab

A Apostolo dictum: *Testificor coram Deo, et Christo Jesu, qui iudicaturus est vivos ac mortuos, et per adventum ipsius, et regnum ipsius (II Tim. iv, 1)*. De Spiritu autem **584** sancto ipse Filius dicit, quia *arguet mundum de peccato, et de justitia et de iudicio (Joan. xvi, 8)*.

EX LIBRO II. DE OFFICIIS POSTULANDI, GEMENDI ET ORANDI IN CHRISTO ET SPIRITU SANCTO.

FRAGMENTUM IV.

In Christo duæ naturæ, persona unica.

Nos confitentes Christum Filium Dei vivi (quod eum confessus est apostolus Petrus, et ab ipso Salvatore (Matth. xvi, 16, 17), confessionis hujus gratia meruit vocari beatus), unum eundemque Filium Dei atque hominis credimus: et in eo paternæ maternæque substantiæ naturalem cognoscentes certissime veritatem: sicut utramque naturam in eo non findimus, sic etiam nullatenus separamus. Hoc quippe in Nestorianis catholica culpatur et condemnat Ecclesia; qui maxime in hoc errant, in quo propter geminam Christi substantiam volunt in eo geminare personam; ut aliam dicant ad Filium Dei, aliam vero ad Filium hominis pertinere: cum unus idemque sit Dei et hominis Filius, de Deo Patre Verbum Deus, et de Virgine matre Verbum caro factum, id est Deus homo veraciter natus: qui formam servi accipiens, in qua de matre fieret homo verus, nihil amisit in illa forma Dei, in qua cum Patre unus est naturaliter Deus; et cum semetipsum exinanivit, suis permansit divitiis plenus; et cum se humiliavit, non destitit esse quod erat, semper Altissimus. Unde sic etiam factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (Philip. ii, 8), ut in opere obeditionis jura non amitteret propriæ potestatis. Proinde, et cum mortuus est, nihilominus Deus verus et vita æterna esse non destitit; et cum ignominiam crucis humili corde portavit, Dominus gloriæ majestatisque permansit.

FRAGMENTUM V.

Quomodo gemat aut postulet Spiritus sanctus.

Secundum rectam itaque catholicæ fidei regulam, non ita debet accipi quod Spiritus sanctus gemat: cum utique gemitus, non solum naturæ divinæ, quam Spiritus sanctus habet, sed nec angelicæ beatitudini, quam ex dono Trinitatis sancti angelî cognoscuntur habere, conveniat. Unde illo modo recte accipitur, quo solet significari **585** per efficientem id quod efficitur, id est, gemere, desiderare, et postulare nos faciat, dum scilicet gemendi atque postulandi cordibus nostris inspirat affectum. Sic autem Spiritus sanctus gemere, desiderare ac postulare dicitur, sicut et Deus dicitur cognoscere, pro eo quod cognoscentem faciat. Dictum namque est ad Abraham: *Nunc cognovi quoniam times Deum, et non pepercasti filio tuo d. lecto propter me (Genes. xxi, 12)*. Unde quia in Deo naturaliter omnium rerum manet incommutabilis et

æterna cognitio, et nefas est credere sempiternam divinitatem temporaliter aliquid agnovisse; hoc utique regula veritatis exposcit, ut dum divinitas se cognovisse dicit, agnoscat quia cognoscentem facit. Eundem locutionis modum beatus Apostolus tenuit scribens ad Galatas, dicens: *Sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui natura non sunt dii serviebatis. Nunc autem cum cognoveritis Deum, imo cognovistis a Deo (Gal. iv, 8, 9)*. Ubi utique non falsum fuit quod dixit Apostolus, quia cognoverunt Deum, et hoc quasi voluit sequenti remove sententia: sed ne ipsam cognitionem, non divino muneri vellent assignare, sed sibi; subsequenter Apostolus, illo quo diximus locutionis modo, quo per efficientem ostenditur id quod efficitur, dixit cognitos esse a Deo: ostendens a Deo factum ut illi cognoscerent Deum. Deinde negare non potes Apostolum dixisse: *Quoniam autem estis fidei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem: Abba, Pater (Ibid., 6)*. Quomodo ergo Spiritus iste, qui Filius non est, sed tamen Spiritus est veritatis, clamat Abba, Pater, nisi utique illo modo quo nos clamare facit? Quod beatus Apostolus alio loco evidenter insinuat, dicens: *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater (Rom. viii, 15)*. Cernis nempe hoc esse Spiritui clamare: Abba, Pater, quod clamare nos facit. Spiritus ergo sanctus propterea gemere et postulare dicitur, eo quod gemere et postulare nos faciat. Nam sicut Apostolus illud quod de Spiritu dixit, *clamantem: Abba, Pater*, clarius et manifestius exposuit, dicens, *in quo clamamus: Abba, Pater*; ita illud quod postulare Spiritum dixit, similiter exposuit alio loco dicens: *Orantes omni tempore in Spiritu, et in ipso vigilantes, in omni instantia et obsecratione (Ephes. vi, 18)*. Ecce quemadmodum pro nobis postulat Spiritus, dum nos in Spiritu oramus: ecce quemadmodum pro nobis interpellat, dum nos in omni instantia et obsecratione in ipso Spiritu vigilamus. Spiritus enim sanctus, per quem caritas Dei diffunditur in eordibus nostris, facit nos gemere et postulare pro iniquitatibus nostris. Facit autem nos gemere, dum nos facit dolere iniquitatem nostram, postulare veniam, desiderare justitiam. Istud desiderium gemitumque ille dono sancti Spiritus acceperat, qui dicebat: *Rugiebam a gemitu cordis mei; et, Ante te est omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus (Psal. xxxvii, 9, 10)*.

586 FRAGMENTUM VI.

Christus pro nobis interpellat ut homo et ut sacerdos. Quid illud quod in Spiritum sanctum desiderant angeli prospicere.

Non igitur gemit Spiritus sanctus, quia in natura ejus divina et incommutabiliter beata, nulla gemendi potest esse miseria. Sed tu opponis nobis quia Christus pro nobis orat: quod nos nullatenus negamus, scientes Apostolum dixisse: *Quis accusabit electos Dei? Deus, qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis (Rom. viii, 33, 34).* Interpellat igitur Christus pro nobis, secundum illam naturam quam accepit ex nobis: quam naturam quia non accepit Spiritus sanctus, nullatenus pro nobis interpellat aut postulat. Sed quod secundum formam servi solus Filius interpellat, hoc secundum divinitatis unam communemque naturam, cum Patre et Filio Spiritus sanctus donat. Nam et ipse Christus Jesus pro hominibus nullatenus oraret, si homo non fieret. Sed orat pro nobis ex officio sacerdotis. Non autem potest vera sacerdotis inveniri persona, ubi non est humanitas vera. Apostolica quippe testatur auctoritas, quia *omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis (Hebr. v, 1).* Ille autem Pontifex ex hominibus assumptus, ut vere pro nobis offerret sacrificium mundum, nihil aliud obtulit quam seipsum. Illa igitur oblatio, puta sancti et impolluti Pontificis, ipsa pro nobis est exaudibilis oratio Salvatoris. Ideo secundum beati Joannis apostoli attestationem: *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est exoratio pro peccatis nostris (I Joan. ii, 1).* Qui tamen surgens a mortuis, quia non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, carens infirmitate ac mortalitate, simul et mœrore caruit et dolore. Proinde et orandi verum pro nobis gerit officium, et tamen non gemit. Securus enim pro nobis interpellat: quia pro illis utique poscit, quibus salutem donare disponit. Nullatenus itaque Christus

A gemit, dum interpellat pro nobis: quia quod habet ex humanitate carnis ut petat, habet ex majestate divinitatis ut tribuat. Si vero meritum sancti Spiritus ex divina Scriptura cupis agnoscere, vide quid de illo Petrus apostolus dicat; ipse enim ait: *Spiritus sancto misso de cœlo, in quem concupiscunt angeli prospicere (I Petr. i, 12).* Hic certe cum audis Spiritum sanctum de cœlo missum, non est quem accipias nisi Spiritum Paracletum. Memento autem quid Dei Filii de angelis dicat, quia *semper vident faciem Patris (Matth. xviii, 10)*; qui tamen in 587 Spiritum sanctum prospicere concupiscunt. Quod si audires quia sancti angeli faciem sancti Spiritus vident, et in Patrem concupiscunt prospicere, nonne hinc assereres multo potiorum Patrem, quia Spiritus sanctus videtur, Pater autem magis concupiscitur quam videtur? Non autem Scriptura divina propterea dixit Patrem videri, et Spiritum sanctum concupisci ut potiorum ostenderet Spiritum sanctum (quod nefas est dici): sed hoc dicendo æqualitatem nobis insinuat Patris et Spiritus sancti. Ut ex hoc quod angeli dicuntur Patrem videre, in Spiritum vero sanctum concupiscunt prospicere; ad hoc nobis iste sermo proficiat, ut Spiritum sanctum quem vera fides potiorum Patre non potest credere, nullatenus audeat inferiorem profana infidelitas æstimare. Una est enim in sanctis angelis inefficiens visio et concupiscentia Trinitatis, quam utique semper et prospiciant et prospicere concupiscant. Idcirco autem ibi de summo bono, id est uno vero et beato Deo semper vivitur, quia semper videtur semperque amatur. Sicut ergo visionem illam facit amor non deficere, sic amorem facit visio permanere. Ideo autem amor ille non deponitur, quia illa visio non mutatur: propterea vero illa visio non mutatur, quia incommutabile bonum est quod videtur. Illa igitur concupiscentia perspicendi, non est sine lætitia perfruendi. Nihil est enim sancta Trinitate dulcius, nihil suavius, quia nihil est melius. Inde habent angeli æternitatem, ut indeficienter vivant; inde veritatem, ut manifeste videant; inde caritatem, ut fideliter concupiscant.

EX LIBRO III. DE UNO IMMENSO ET DOMINO DEO NOSTRO.

FRAGMENTUM VII.

Quæ sint propria singularum Trinitatis personarum.

Possumus enim aliquid de singulis veraciter dicere, quod de tota non possumus dicere Trinitate. Veraciter quippe profitemur solum Patrem genuisse, solum Filium de Patre natum esse, veraciter etiam dicimus solum Spiritum sanctum de Patre Filioque procedere. Non enim Trinitas Filium genuit, nec Trinitas de Patre nata est, neque Trinitas de Patre Filioque procedit. Sunt igitur singula, quæ cum non competant Trinitati, singulis tamen competant in Trinitate personis. Sicut etiam vox illa quæ super Jesum baptizatum de cœlo sonuit (*Matth. iii, 16, 17*), sic soli competit Patri, ut nec Filio possit competere, nec Spiritui sancto; et vidisse Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super

se, sic soli competit Filio, ut nec Patri competat nullatenus nec Spiritui sancto; descendisse quoque corporali 588 specie sicut columbam in Jesum, sic soli competit Spiritui sancto, ut nec Patri possit assignari nec Filio. Sunt ergo aliqua quæ congruant singulis, nec convenient tribus; nihil tamen est quod uni personæ non competat, et possit tribus simul convenire personis. Nam in ipsa Trinitate, licet aliud sit de Patre natum esse Filium, aliud de Patre procedere Spiritum sanctum (quoniam non est eadem processio Spiritus sancti quæ nativitas Filii), commune tamen est Filio et Spiritui sancto, de Patre naturaliter esse; quamvis solius sit Spiritus sancti, sicut de Patre, sic etiam de Filio esse. At vero Patri proprium est de nullo esse, id est auctorem naturalis essentia non habere.

FRAGMENTUM VIII.

Spiritus sanctus ita replet orbem terrarum, ut sit semper etiam in cælo. Una est immensitas Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

An nescis Christum esse *Dei virtutem et Dei sapientiam* (I Cor. 1, 24)? De qua series divini testatur eloqui, quia *a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum* (Eccli. 1, 1). Quia vero invisibilia ejus per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, propterea cum Scriptura dixisset: *Arenam maris, et pluviam guttas, et dies sæculi quis dinumeravit? altitudinem cæli, et latitudinem terræ, et profundum abyssi quis mensus est* (Eccli. 1, 2)? ut ex rebus creatis cognosceremus magnificentiam Creatoris, continuo dicitur: *Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigavit?* Et recte; de ipsa enim dicitur: *Attingit autem ubique propter suam munditiam, et nihil inquinamenti in illam incurrit* (Sap. vii, 24, 26); et iterum: *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (Sap. viii, 1). Quid est autem ubique attingere, nisi totum implere? Implet autem sic omnia, sicut implet et Pater et Spiritus sanctus. Propter quod dicit beatus David: *Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cælum, ibi tu es; si descendero in infernum, ades* (Psal. cxxxviii, 7, 8). Alio quoque loco dicitur quoniam *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (Sap. i, 7). An putas Spiritum sanctum ita orbem terrarum implere, ut in cælo non sit cum terram implet? Sed vide quid in alio loco idem liber Sapientiæ contineat: ibi enim dicitur Deo: *Quæ in cælis sunt autem quis investigabit? Sensum autem tuum quis scivit, nisi dederis sapientiam, et miseris Spiritum tuum de altissimis* (Sap. ix, 16, 17)? Agnosce itaque unam esse immensitatem Patris et Filii et Spiritus sancti; quia Trinitas unus est Deus, qui omnia creavit; et universa quæ fecit, æternitate atque incommutabilitate sapientiæ suæ ac virtutis excedit. Hoc utique videns dicebat beatus Apostolus: *Pax Dei quæ exsuperat omnem intellectum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu* (Philip. iv, 7).

589 FRAGMENTUM IX.

Tres personæ sunt unus Dominus Deus noster.

Si ergo ita sentiendum est, quoniam modo dicis, ut Filius sit Deus noster, Pater vero sit Deus Dei nostri, nec tamen Pater et Filius naturaliter sit unus Dominus Deus noster; vide quomodo tuis verbis compellaris Deo Patri divinæ servitutis obsequia denegare. Dicitur enim nobis: *Audi, Israel, Dominus unus tuus, Dominus unus est* (Deut. vi, 4). Et alio loco: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (vers. 13). Nam et in Decalogo certum est hoc primum contineri mandatum: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis* (Exod. xx, 2). Dicit etiam David: *Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum* (Psal. xvii, 32)? Iste autem Dominus Deus noster, soli sibi altare præcepit construi, soli sibi hostias imperat immolari, dicens: *Altare de terra facietis mihi, et offeretis super illud holocausta et va-*

A cifica vestra (Exod. xx, 24). Nam et in eodem libro dicitur: *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli* (Exod. xxxii, 20). Quapropter, aut Patrem et Filium secundum divinam naturam unum Dominum Deum nostrum deposita infidelitate cognosce; aut dic Deo Patri exhibendum non esse quod soli Domino Deo nostro præcipiatur exhibere. Tu enim dixisti quia Deus noster est Filius, non est unus naturaliter Deus: dic nobis quem adorandum, et cui hostias existimes offerendas. Ei ne quem dicis Deum nostrum, aut ei quem Deum asseris Dei nostri? Necesse est autem ut secundum sensum tuum; aut præceptum legis abjicias, si soli sacrificandum existimas Patri; aut si legi obtemperas, soli Filio dicas hostias offerendas. Secundum tuam quippe sententiam, non Deo Dei nostri, sed Deo nostro lex præcipit immolandum.

FRAGMENTUM X.

Deus Pater Deus est Filii de ventre matris, non de utero genitoris.

Agnosce igitur secundum divinitatem unum Deum esse Patrem et Filium et Spiritum sanctum; et eidem uni Deo, qui se præcipit a fidelibus coli, omnia juste servientis obsequia inseparabiliter exhiberi. Agnosce etiam Deum Patrem Deum esse Filii, non ex æternitate nativitatibus divinæ, sed ex tempore humanitatis assumptæ. Habet enim Deum Patrem Filius, Deum suum; sed de ventre matris, 590 non de utero genitoris. Quod si non credis, ab ipso Filio audi hujus mysterii veritatem, qui dicit in psalmo: *De ventre matris meæ Deus meus es tu* (Psal. xxi, 11). Nam quia Deus Pater secundum naturam Pater est unigeniti Filii, noster autem Deus est: hoc innarrabili bonitate, secundum consilium voluntatis suæ operatus est, ut pro nostra salute unigenito Filio suo, cui Pater est per naturam, esset Deus per gratiam; et nobis, quibus Deus est per naturam, dignaretur Pater esse per gratiam.

FRAGMENTUM XI.

Christus vere Deus noster. Æstimatio in Scripturis duplex, incertæ cognitionis et certæ scientiæ. Christus non est Deus Manichæorum, Judæorum, Ariænorum.

Beati Cypriani accipiamus et amplectamur utique sententiam, qui scribens ad Quirinum, in libro secundo, capitulo sexto, sub titulo: quod deus sit christus, inter alia testimonia etiam hoc protulit: *Hic Deus noster, et non deputabitur alius absque illo: qui invenit omnem viam prudentiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto sibi. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (Baruch iii, 36, 37, 38). Agnosce testimonio tanti martyris, de Christo dictum: *Hic Deus noster, et non æstimabitur alius absque illo*; et disce ut divina dicta recte intelligas, et non adversus Dei Filium rebellis existas. Mysterium enim divinæ incarnationis beatus propheta volebat ostendere. Unde necesse eum fuit ut et Deum nostrum, ad quem alius non æstimabitur, secundum divinitatem Christum diceret, et eundem in terris visum secundum veram carnis substantiam

prophetaret. A fidelibus enim non æstimatur (id est non creditur, non accipitur, non putatur) alius absque Dei Filio Deus : quia Deus non personæ nomen est, sed naturæ. Si ergo naturam attendimus, quia Pater et Filius et Spiritus sanctus unus est Deus, hoc est una natura; sicut absque Patre non æstimatur alius Deus, sic absque Filio non æstimatur alius Deus, sic etiam absque Spiritu sancto non æstimatur alius Deus. Ideo ergo absque Dei Filio non potest alius Deus a fidelibus æstimari, quia extra naturam Filii Dei, quæ illi cum Patre et Spiritu sancto una est, nullatenus potest alius Deus inveniri. Beatus itaque Jeremias, hoc testimonio arguens Arianos, simul cum eis et Manichæos arguit, et Judæos : ut et Manichæi Deum Christum, quem credant in terris visum, et cum hominibus conversatum, credant ipsum dedisse legem populo Judæorum; et Judæi, a quo datam legem populo Israel et credunt et prædicant, ipsum esse Dei Filium, eumdemque in terris visum, et cum hominibus conversatum sacramento **591** incarnationis agnoscant. Non enim frustra beatus Propheta dixit : *Post hæc in terris visus est : nisi utique ut ostenderet, post hæc, id est, postquam dedit viam disciplinæ Jacob puero suo, et Israel dilecto suo : post hæc utique in terris visus est. Ut ostenderet tunc non fuisse visum quando legem per angelos dedit, quam dicit Apostolus : Ordinatam per angelos in manu mediatoris (Gal. iii, 19); sed tunc utique visum quando semetipsum exiuvavit, formam servi accipiens. Idcirco enim accepit formam servi, ut videri posset, et cum hominibus conversari Deus hic noster, præter quem non potest alius æstimari. Æstimatio autem duobus modis poni assolet in Scripturis. Dicitur enim æstimare, sive qui aliquid putat quod non est, sive qui certissime scit esse quod est. Ad æstimationem incertæ cognitionis pertinet quod beatus Stephanus dicit de sancto Moyse, in Actibus aposto-*

lorum : Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis (Act. vii, 25). Quam æstimationem ut incertam monstraret, adjecit : At illi non intellexerunt. Similiter in eodem libro, cum beatum Petrum de carcere angelus eduxisset, dicitur : Et nesciebat quia verum est quod fiebat per angelum, æstimabat autem se visum videre (Act. xii, 9). Nomine autem æstimationis certissima scientia ponitur in libro Sapientiæ, ubi dicitur de ipsa Sapientia : Et si multitudinem quis scientiæ desiderat, scit præterita et de futuris æstimat (Sap. viii, 8). Quid est autem Sapientiæ æstimare, nisi certissime scire? Unde et Paulus sensum Christi habens, quod se æstimare dicebat, certissime noverat, unde ait : Existimo enim quod non sunt condignæ passionibus hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis (Rom. viii, 18). Neque enim in Paulo rerum istarum dicenda est incerta cognitio, sed certa scientia. Tale est igitur et quod beatus Jeremias dixit de Christo : Hic Deus noster, et non æstimabitur alius præter illum (Baruch iii, 36). Quid est enim non æstimabitur, nisi non scietur? Inde est quod beatus Isaïas ait : Domine, præter te, alium non novimus : nomen tuum invocavimus (Isai. xxvii, 13). Hic est ergo Deus noster, id est Deus Christianorum, qui præter ipsum alium non æstimant Deum. Non est Deus Manichæorum, qui eum legem dedisse non credunt. Non est Deus Judæorum, qui eum non credunt Deum vivum, sed hominem mortuum. Non est Deus Ariatorum, qui eum cum Patre non credunt unum esse naturaliter Deum. Præter Christum enim alterum Deum æstimant, qui alteram naturam Patris, alteram Filii prædicant : et quia hoc non habet Christianus, sed hæreticus sensus, propterea sic æstimantiam nec Pater potest Deus esse nec Filius. Illorum enim Christus Deus esse cognoscitur, a quibus Deus alius naturaliter nullatenus æstimatur.

EX LIBRO IV. DE CULTU PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

592 FRAGMENTUM XII.

Sumus templum Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Illis debetur a nobis servitus.

Sic autem sumus templum Dei Patris et Spiritus sancti, ut templum simus et Filii. Certum est enim templum Dei dici etiam domum Dei. Unde propheta dicit : *Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo (Psal. v, 8)*. Nam et ipse Salvator, cum de templo vendentes et ementes eijceret, ipsum templum domum nuncupans ait : *Scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum (Matth. xxi, 13)*. Domum autem Christi nos esse apostolica testatur auctoritas, ubi dicitur : *Christus autem tanquam filius in domo sua, quæ domus nos sumus (Hebr. iii, 6)*. Apparet ergo Spiritum sanctum naturaliter esse Deum; quandoquidem sic sumus templum Spiritus sancti, sicut sumus templum Patris et Filii. Et quoniam nec duorum

vel trium deorum possumus templum esse, neque nobis licet creaturam colere, vel creaturæ servire, id est λατρείαν exhibere; propterea digne unum Deum colimus, non solum Patrem, nec solum Filium, nec solum Spiritum sanctum; sed ipsam Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Alioquin discernere templa, ut discernas et merita : et dic in quibus habeat Pater templum, in quibus Filius, in quibus Spiritus sanctus. Quod utique non discrevit Apostolus, qui in una eademque Epistola, quos dixit esse templum Dei, ipsos dixit esse templum Spiritus sancti : quos etiam dicens membra Christi, ostendit esse templum Christi. Ipse enim in eadem rursus Epistola dicit : *Vos estis corpus Christi et membra (1 Cor. xii, 26)*. Propter quod alibi dicit : *Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus (Ephes. v, 30)*. Ipse autem Salvator noster, corpus suum vide quomodo templum appellet, dicens : *Solrite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud (Joan. ii, 19)*. Beatus autem evangelista, de quo templo dixisset

ostendens, ait : *Ipse autem dicebat de templo corporis sui* A
(Joan. II, 21). Ideo ergo sumus templum Dei, quia membra sumus corporis Christi. Templum autem sumus Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Non tribus dispar, Patri, et Filio, et creature Spiritui sancto; sed ipsi Trinitati uni Deo, cujus sumus templum, illi exhibentes servitutis obsequium. Quam nobis non licet, nec uni Deo, cujus templum sumus, aliquatenus denegare; nec Deo cujus templum non sumus exhibere. Illud omnimodis observantes, quod dictum est : *Domini* 593 *Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (Deut. VI, 13). Ipsa servitus Græce λατρεία dicitur, quæ soli vero Deo jure ac legitime, non a perfidis, sed a catholicis fidelibus exhibetur. Unde quosdam culpât Apostolus, qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt, et servierunt creature potius B quam Creatori (Rom. I, 25). Sic autem iste locus in Græco habetur eloquio, και ισεβάσθησαν, και ἐλάτρευσον τῇ κτίσει παρά τὸν κτίσαντα. Cernis nempe illos ab Apostolo graviter denotari, qui λατρείαν soli Creatori debitam cuiquam exhibuerint (al. exhibuerunt) creature. Istam porro creature culturam quæ λατρεία nuncupatur, ostendens beatus Apostolus, maxime in sacrificiorum immolatione constare, cum vellet Corinthios a commessatione immolatiuæ carnis arcere, sic ait : *Propter quod, carissimi mihi, fugite ab idolorum cultura. Ut prudentibus loquor, vos judicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est* (I Cor. X, 14, 15, 16)? Et infra, ostendens quam idolorum culturam dixisset, a qua eos jubeat ut fugerent, ait : *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem demoniorum : non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ demoniorum* (Ibid. 20, 21). Apparet itaque illam culturam quæ λατρεία dicitur, maxime in sacrificiis inveniri. Nam et illud quod paulo ante commemoravimus, dixisse beatum Apostolum, *Fugite ab idolorum cultura, idololatria in Græco posita est. Qui locus sic se habet, φεύγετε ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρίας.*

FRAGMENTUM XIII.

Qui differant λατρεία et δούλευσις.

Λατρεία ergo sola sibi vera divinitas vindicat; δούλευσις vero, et Deo est quantum oportet reddenda, et hominibus quantum concedet exhibenda. Propter C λατρείαν ergo dicitur : *Sacrificate Deo sacrificium justitiæ* (Psal. IV, 6); et, *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli* (Exod. XXII, 40). Propter δούλευσιν vero dicit Apostolus : *Domino Christo servite* (Coloss. III, 24); et iterum : *Servite invicem in caritate* (Galat. V, 13). Rursus idem apostolus, cum de excis loqueretur quæ idolis immolantur, propter λατρείαν dixit : *Nobis autem unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso; et unus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (I Cor. VIII, 6). Propter δούλευσιν vero dicit : *Paulus servus Christi Jesu* (Rom. I, 1); et fidelibus loquens, ait : *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum* (II Cor. IV, 5).

594 FRAGMENTUM XIV.

Cum Dei Filius dicitur, non sola Christi deitas, sed etiam humanitas significatur. Idem est Christus qui Jesus Christus.

Ego igitur illa quæ tibi visum est sub nomine meo falsis gestis inserere, nec sensi, nec dixi. Avertat enim Deus et longe faciat istum perversum ac mortiferum sensum a corde fidelium. Quis enim, non dico stultus, sed prorsus insanus, audeat credere vel dicere, cum Dei Filius dicitur, solam deitatem Christi evidentiis significari? cum utique idem Dei Filius non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum carnem, non tantum Dei Filius, sed etiam Deus propheticis prædicetur eloquiis. Claret quippe Filium Dei, non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem, unctum esse Spiritu sancto : et tamen eum qui unctus est, Deum beatus David appellat, dicens : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis* (Psal. XLIV, 8). Aut quis dicat, quia ubi ponitur Jesus, hominis tantum persona declaratur; ubi vero ponitur Jesus Christus, jam plus ibi humanitatis quam deitatis partes exsuperent? Cum utique beatus Apostolus dicat : *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (Philip. II, 5, 6, 7). Videsne Jesum Christum in forma Dei? Jesum Christum se exinanisse, et formam servi accepisse? Jesum Christum in similitudinem hominum factum, et habitu inventum ut hominem? Hæc autem omnia quis fecit, nisi Unigenitus Deus? Item dicit Apostolus : *Unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (I Cor. VIII, 6). Quis est autem Jesus Christus per quem omnia, nisi de quo dicit evangelista : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (Joan. I, 1, 2, 3)? Quoniam igitur Jesus Christus unus est Deus et homo, propterea sive cum de seipso loquitur, sive cum de illo loquuntur apostoli, nusquam istam discretionem faciunt, quam tu inaniter in illa tuorum falsitate gestorum facere voluisti. Nam ipse Salvator noster, sicut totum se Dei Filium, sic totum se Filium hominis nuncupat. Cum enim cæco nato quem illuminaverat dixisset : *Tu credis in Filium Dei?* et ille respondisset : *Quis est, Domine, ut credam in eum?* sic ei respondit ipse Dei Filius : *Et vidisti eum, et qui loquitur tecum ipse est* (Joan. IX, 35, 36, 37). Numquid tunc sola illi deitas locuta est, aut solam ille deitatem vidit et adoravit? Non utique. Quia ipse Dominus Jesus in utraque natura 595 unus est Dei Filius. Qui de se rursus dicit : *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis qui est in cælo* (Joan. III, 13). Quod tamen non utramque secundum solam carnem dixit. Nam eodem tempore carnem suam non in cælo habuit, sed in terra : et tamen Filius hominis fuit, non solum in terra, sed etiam in cælo : secundum solam scilicet carnem in

sola terra; secundum divinitatem vero, et in cœlo, A et in terra: utrumque tamen inseparabiliter unus hominis Filius. Ipse enim Jêsus Christus unus est Dei et hominis Filius. Inaniter ergo verba tibi multiplicasti superflua, volens apostolos non solum Jesu Christi, verum etiam Christi servos ostendere. Cum utique ipse sit Christus, qui est Jêsus Christus, utramque naturam habens in una persona, in quo indivisa et inconfusa manet divina humanaque substantia.

FRAGMENTUM XV.

Nec Spiritus sine adjuncto, nec Spiritus sanctus appellatur in Scripturis Pater aut Filius. Idem est Spiritus Dei, Spiritus sanctus, qui Paracletus.

Saltem nunc agnosce apostolos et prophetas Spiritum Paracletum, hoc est Spiritum sanctum, ipsum Dei Spiritum prædicasse. Illud ergo quod Apostolus posuit: *Qui Spiritui Dei servimus (Philip. III, 5)*, non alio quam Spiritui sancto, id est Paracletu, decuit serviendum. Hunc autem locum non possumus, sicut tu putas, de Deo Patre, sive de Deo Filio accipere. Quoniam licet et Pater Spiritus sit, nunquam tamen Pater aut Filius absolute, id est sine aliqua adjectione nominis invenitur Spiritus nuncupatus. Nam et in eo quod dictum est: *Spiritus est Deus (Joan. IV, 24)*; additum est illic *Deus*; et in eo quod Filius dicitur Spiritus, invenimus Jeremiam dixisse: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus (Thren. IV, 20)*. Non autem absolute Pater et Filius invenitur nuncupari Spiritus, quod invenimus in Spiritu sancto. Sicut illo loco ubi ait Apostolus: *Obsecro igitur vos, fratres, per Dominum nostrum Jêsum Christum, et per caritatem Spiritus (Rom. XV, 30)*, de Spiritu sancto manifeste dicit (*al. dicitur*); et iterum: *In quo et vos coædificamini in habitaculum Dei et Spiritu (Ephes. II, 22)*. Et apostolus Judas ait: *Hi sunt qui segregant seipsos, animales Spiritum non habentes (Judæ XIX)*. Sic autem cum absolute dicitur Spiritus, non est intelligendus nisi Spiritus sanctus; sicut etiam cum Pater tantum dicitur, non intelligimus nisi Deum Patrem; et cum Filius tantummodo dicitur, non possumus intelligere nisi solum Christum. Quam regulam divinæ Scripturæ promulgatam tenemus eloquiis; quæ Patrem nominans, non alium quam Deum Patrem intelligendum ostendit; et Filium tantummodo nuncupans, Christum agnoscendum esse monstravit; et Spiritum tantummodo nominans, Spiritum sanctum accipiendum edocuit: illis duntaxat locis quibus non aut humanus spiritus accipiendus est, aut ipso humano spiritu creatura quælibet inferior; sicut est illud quod ait Apostolus: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vita propter justitiam (Rom. VIII, 10)*. Et illud quod dixit Dominus per prophetam: *Spiritus a me exiit, et omnem flatum ego feci (Isai. LVII, 16)*. Ostendit enim quid dixerit spiritum, quando dixit *et flatum*. Hominis autem spiritum propterea flatum dixit, propter quod scriptum est, quia *insufflavit Deus in faciem hominis spiritum vitæ, et factus est homo in animam vivam (Genes. II, 7)*. Inveniuntur alia similia, in quibus non ille creator, sed

quilibet sive rationalis, sive irrationalis, creatus tamen spiritus intimatur. Quotiens autem cum honorificentia Spiritus nominatur [sicut est illud quod Apostolus ait: *Per caritatem Spiritus (Rom. XV, 30)*, et quæcunque similia], non licet in his intelligi nisi Spiritum sanctum; illum utique Spiritum de quo Salvator noster dixit: *Omne peccatum, et blasphemia, remittetur hominibus; Spiritus autem blasphemia non remittetur (Matth. XII, 31)*. In hoc autem loco scire debemus genitivum casum esse, id est, *hujus Spiritus*; non nominativum, sicut putantes plerique falluntur. Quod distinctum reperitur in Græco, ubi non dicitur τὸ Πνεῦμα, sed τοῦ Πνεύματος. Denique Græcus codex Evangelii sic habet, ἡ δὲ τοῦ Πνεύματος βλασφημία οὐκ ἀφεθήσεται. Ubi Dei Filius, ut ostenderet qui sit Spiritus, cujus pronuntiavit irremissibilem blasphemiam, hæc verba subjunxit (*vers. 32*): *Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittitur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro*. Non solum itaque cum absolute Spiritus ponitur, sed et cum Spiritus sanctus ab apostolis nuncupatur, nusquam invenitur significari Pater aut Filius, sed illo significatur Spiritus, qui proprie in Trinitate dicitur Spiritus sanctus: quem ipse Dei Filius indubitanter ostendit, dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (Matth. XXVIII, 19)*. Non itaque negamus, quod attinet ad naturam, et Patrem Spiritum, et Filium Spiritum, et Patrem sanctum, et Filium sanctum: una est enim natura Trinitatis, et una est ejus sanctitas naturalis. Sed tamen quod attinet ad proprietatem personæ, nusquam sic invenitur positus Spiritus sanctus; ut eodem nomine aut Pater intelligatur aut Filius: nisi ille proprie Paracletus Spiritus, qui non est utique Pater aut Filius, sed unus idemque Patris et Filii Spiritus.

597 FRAGMENTUM XVI.

Spiritus sancti ut Patris et Filii templum sumus, et sacrificium, et sacerdotes.

Nihil tamen præjudicat divinitati Spiritus sancti, quem certissime beatus Paulus esse Deum ostendit, quando corpora nostra templum esse dixit Spiritus sancti, *quem habetis a Deo (I Cor. VI, 19)*. Ubi nullatenus potes personam Patris ostendere; quoniam beatus Apostolus a Deo dixit nos habere Spiritum sanctum. Sed neque personam Filii demonstrare ulla-tenus potes in nomine Spiritus sancti, quam superius discrevit Apostolus, dicens: *Nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt (Ibid., 15)?* In hoc ergo sanctam Trinitatem evidenter ostendit Apostolus, nominans Christum, id est Dei Filium, nominans et Spiritum sanctum, nominans nihilominus et Deum, id est Patrem, a quo habemus ipsum Spiritum sanctum (quod inaniter tuis mendaciis indidisti, *sed habemus enim a Deo*): in quo utique ideo veram deitatem cognoscimus, quia templum ei non de lapidibus et lignis facimus, sed templum ejus nos sumus. Et utique qui in templo non manufacto habitat, Deus

est excelsus, beato Stephano dicente, quia *Excelsus A non in manufactis habitat* (Act. vii, 48). Unde cum hoc dixisset, et illud testimonium idem martyr beatissimus subdidisset, quod (*al. quo*) dicitur : *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum : quam domum ædificabitis mihi ? dicit Dominus* (Isa. lxxvi, 1) ; post pauca subiicit : *Dura cervice et incircumcisi corde et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri et vos* (Act. vii, 51). Unus est ergo Deus excelsus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, qui non in manufactis habitat ; sed, per gratiam quam nobis tribuit, nos sibi templum clementer effecit. Nec solum templum, sed etiam sacrificium. Ipsa enim corpora nostra (quæ templum esse non solius Patris, nec solius Filii, nec solius Spiritus sancti, sed ipsius Trinitatis, unius Dei, scilicet Patris, et Filii, et Spiritus sancti, superius est a nobis sufficienter ostensum), ut hostiam vivam Deo exhibeamus, beatus docet Apostolus dicens : *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* (Rom. xii, 1). Hostiam vero in quantum quisque offert Deo, in tantum spiritualiter fungitur sacerdotis officio. Unde beatus quoque Petrus, simul nos et templum esse, et sacerdotes, et hostias demonstravit, dicens : *Et vos tanquam lapides vivi, ædificamini in domum spiritalem, in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum* (I Petr. ii, 5). Quia ipse pro nobis factus est sacerdos, et obtulit semetipsum pro nobis, sicut ait Apostolus : *Oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* (Ephes. v, 2). **598** Sed quod offerimus per Christum secundum solius humanitatem Filii, ipsi summæ simul offerimus Trinitati. Digne ergo λατρίαν sancto Spiritui debemus, cujus corpora nostra templum esse novimus : et ex hoc illi eadem corpora nostra, hostiam viventem spiritualiter exhibemus. Cujus autem sumus templum, et cui corpora nostra sacrificium offerimus, necesse est ut ei sacerdotale servitium debeamus. Hinc est quod Ecclesia catholica, quæ sanctæ Trinitatis, id est unius Dei, unum est templum, eidem sanctæ Trinitati uni Deo spirituale sacrificium offerre non desinit : quia ipsi Trinitati, uni vero et bono Deo, servitium sacerdotale certissime se debere cognoscit.

FRAGMENTUM XVII.

Non minus Spiritus sanctus est Deus unus et verus, quam Pater et Filius.

Non enim Deo vero et vivo militat, neque Deo vivo et vero servit, quisquis templum in corporibus hominum, non Deo vivo et vero, sed deo incerto ædificare contendit. Talis autem ædificatio non est utique a Deo. Et quomodo illis quos templum sancti Spiritus esse dicebat, superius ait : *Dei ædificatio estis* (I Cor. iii, 9) ? Nunc itaque unum tibi tenendum est e duobus : ut aut agnoscas a Deo in nobis ædificatum sancti Spiritus templum, et ex hoc cognoscas verum Deum esse Spiritum sanctum : aut si non credis hanc esse Dei ædificationem, Paulum profiteris esse mendacem. Sed si hanc prædicationem Pauli audire nolueris, tu remanebis a veritate penitus alienus ; mendax autem non erit Paulus, qui veritate plenus exclamat : *Veritatem dico in Christo Jesu ; non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto* (Rom. ix, 1). Quoniam igitur veritatem Paulus docuit, et dicens corpora nostra templum esse Spiritus sancti, certissimam ejus deitatem fidelibus intimavit ; quisquis veram certamque deitatem sancti Spiritus negat, cognoscat se ad Ecclesiam Dei vivi nullatenus pertinere, quam Paulus columnam et firmamentum veritatis appellat (I Tim. iii, 15). Quæ sancta ecclesia illius se unius Dei templum esse novit, quem natura Deum, et ob hoc ejus divinitatem veram certamque cognoscit. Abjiciens scilicet falsorum deorum culturam : qui pro eo quod natura dii non sunt, certam deitatem habere non possunt. Proinde quia illa est certa deitas, quæ est naturalis ; qui natura dii non sunt, certam deitatem non habent ; et qui certam non habent, nullam habent. Recta vero fides, uni Deo vero λατρίαν exhibere non dubitat, quam novit deo alteri non deberi : nec potest in corporibus fidelium constituere templum, aut offerre hostiam cuiquam deo, qui Deus non fuerit per naturam. Scit enim hanc servitutum illi deberi Deo, qui solum se præcipit coli, solusque debet templo, sacerdotio ac sacrificio spiritualiter **599** a fidelibus honorari. Digne igitur sanctum Spiritum, verum Deum, et cum Patre ac Filio unum Deum, sancta credit et confitetur Ecclesia ; quæ se Patris et Filii et Spiritus sancti templum esse cognoscens, unam Trinitatem intelligit divinitatem, cui Trinitati unam suppliciter exhibet servitutum.

EX LIBRO V. DE IMAGINE DEI.

FRAGMENTUM XVIII.

Filius non imitatur Patrem, nec similita cum illo facit, sed eadem. Ad imaginem Dei factus dicitur homo, quia divinæ Trinitatis in memoria, intelligentia et voluntate imago est.

In re quippe potiore potest exemplum boni operis inveniri. In quantum est enim naturæ simul virtutisque paritas, in tantum deesse videmus imitationem, sed invenimus operis unitatem. Ibi vero exemplum proponitur, ubi aut naturæ aut virtutis inæqualitas invenitur. Inde est quod Dei Filius unam se ostendens habere cum Patre naturam, et ob hoc æqualem in operatione virtutem, dixit : *Quæcunque Pater fa-*

cit, hæc eadem et Filius similiter facit (Joan. v, 19). Cum ergo eadem facit, nullum invenitur potioris exemplum ; et cum similiter facit, nullum reperit diversæ operationis indicium. Nec illud potest ad exemplum referri, quod ait : *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (Ibidem). Hoc enim ad unius dixit naturæ ac virtutis indicium, non ad imitationis exemplum. Adjecit enim dicens : *Quæcunque Pater facit, hæc eadem et Filius similiter facit* ; qui utique talia se facere diceret, non eadem, si imitationem in se paterni operis ostendere voluisset. Sed nihil Pater facit in quo exemplum præ-

beat Filio, qui omnia quæ fecit, per Filium fecit. Tunc autem quidquam Filio imitandum ostenderet, si aliquid esset operis quod per Filium non fecisset. Nihil est autem, quod non per Filium Pater fecit aut facit. Una est igitur in omnibus rebus operatio Patris et Filii. Proinde faciens Filius videt Patrem facientem, non per imitationem, sed per naturalem virtutis atque operis unitatem. Cum eadem facit, non est imitatio, sed unitas operis; et cum similiter facit, non est imparitas, sed æqualitas naturalis. Imitationem vero, quod ad exemplum pertinet, non nisi in diversis atque disparibus, sive naturis sive voluntatibus inveniri, beatus evidenter ostendit Apostolus. Impares quippe indicavit voluntate, quamvis natura nosset æquales eos quibus tunc Timotheus præerat, in eo quod ei dicit: *Exemplum esto fidelibus, in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate* (I Tim. iv, 12). In his utique omnibus nisi potiore cæteris sciret ac vellet esse Timotheum, nullatenus eum fidelibus esse juberet exemplum: et 600 illos exemplo ejus ædificari cupiebat, quos voluntate ac virtute impares noverat. Titum quoque ad exemplum fidelibus exhibendum similiter exhortatur, dicens: *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum* (Tit. ii, 7). Tale quiddam etiam in seipso demonstrans ait: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I Cor. ii, 1). Hoc autem dixit Apostolus, pro eo quod Christus nobis reliquit exemplum, ut sequamur vestigia ejus (I Petr. ii, 21). Ratio vero intelligendæ utunque Trinitatis ibi quærenda est, ubi ad imaginem Dei facti sumus, et ubi quantum possumus, quandiu per fidem, non per speciem ambulamus, cum difficultate magni laboris, per speculum in ænigmate nunc videmus. Deus enim sicut in se bonorum operum exemplum hominibus tribuit, sic testimonium suæ agnitionis in hominibus collocavit; ut cum ejus imago attenditur, illius cujus imago est agnitio capiatur. Nam si divinæ cognitionis nullum creatis rebus inesset indicium, non dixisset beatus Apostolus: *Invisibilia enim ejus a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (Rom. i, 20). Hinc est quod illa summa Trinitas, quæ non habet parem, ad testimonium suæ agnitionis, non cuiquam pecori, nec alicui animanti quod non potest capere rationem, nec ipsi corpori humano, sed interiori homini nostro suam mirabiliter impressit imaginem: ubi non est masculus neque femina, quia in spiritu nulla potest sexus inveniri distantia. Si vere igitur, duce ratione, mysterium vis summæ Trinitatis utunque cognoscere, humanam mentem, non oculo corporis, sed obtutu interiori intueri. Redi ad te, ut agnoscas eum qui fecit te. Ibi te prorsus introspecte, ubi habes aliquid rationis; et statim tibi in sua imagine, tanquam in speculo, clarescet agnitio Trinitatis. Ita fiet ut in consideratione non genitæ imaginis, sed creatæ, id est naturæ multum inferioris multumque imparis, unitatem Trinitatemque veram, quantum per speculum in ænigmate videri potest, summi reperias Creatoris. Sunt enim quædam tria in mente humana quæ ad agnitionem Dei proficiant, si non sibi obduratio

A humani cordis lumen veritatis abscondat. Hæc autem sunt tria quæ dixi, memoria, intelligentia et voluntas: quæ propriis ita discernuntur vocabulis, ut nulla in eis sit diversitas naturalis. Alia quippe est memoria, alia intelligentia, alia voluntas; et tamen, cum sint hæc veraciter tria, non est mentis diversa, sed una natura; quoniam ista, quæ trina (al. tria) sunt, in una mente humana consistunt. Itaque dum hæc tria in unius humanæ mentis natura inveniantur, non tamen in eis mens ipsa dividitur, ut in parte sui habeat memoriam, in parte intelligentiam, in parte voluntatem; sed quidquid meminit, invenitur tota meminisse; et quidquid intelligit, tota intelligere; et quidquid nihilominus ipsa mens diligit, tota cognoscitur mens hominis sua voluntate diligere. Ista, Fabiane, si potes, attende, ista cogita, ista rationabili intentione considera. De consideratione imaginis conscende ad intelligentiam veritatis; et inventa hic discreta Trinitate nominum, Trinitatem illic intellige personarum; et agnoscens in una mente hominis, unam memoriæ et intelligentiæ et voluntatis individuam esse naturam, cognosce in illa vera divinitate unam manere 601 sanctæ Trinitatis essentiam. Tunc profecto in perceptione hujus rationis dabitur tibi cognitio Trinitatis: quam si in hac vita videris per speculum in ænigmate, tum in illa vita videbis faciem ad faciem. Hoc est enim quod Apostolus ait: *Videmus enim nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (I Cor. xiii, 12). In hoc igitur speculo creationis humanæ cognosce Creatoris imaginem, si vis ipsam Creatoris postmodum cognoscere veritatem. Ambula per hanc fidem, ut pervenire possis ad speciem. In qua simul etiam mysterium divinæ Incarnationis attende: ut agnoscas et totius Trinitatis unam esse substantiam, et susceptionem carnis ad solam Filii pertinere personam. Ipsa quippe memoria, quæ in anima hominis est, ut aliquid loquatur, profert ex sese cogitationem, et quodammodo nascitur ex ea spiritale verbum. Atque ita illa rationalis animæ una indivisibilisque natura, tota invenitur meminisse quod intelligit, et tota intelligere quod meminit, et quidquid oculo memoriæ intuetur, totum cogitatione complectitur. Quæ cogitatio ut ad aliorum notitiam proferatur, corporea voce gestatur. Illa quippe cogitatio, nihil est aliud quam interna locutio. Unde intra semetipsam rationalis anima loquitur, dum cogitatione versat quod in memoria continetur: et ideo digne jam dicitur verbum, etiam prius quam corpore ac vocis officio proferatur. Verbum itaque illud spiritale, id est, ex memoria formata cogitatio, habitum quodammodo accipit corporalem, dum accipit corpoream vocem. Itaque mirabiliter illud verbum, et ad alios accepta voce procedit, et a memoria de qua nascitur non recedit: nec divisioni subjacet; quandoquidem uno verbo ex ore loquentis emisso, sic instruuntur universi qui audiunt, ut quod semel dictum audiunt cuncti, sine divisione totum percipiant singuli. Itaque verbum illud, quantum invenitur in cunctis, tantum invenitur in singulis. Totum itaque in memoria permanet de qua na-

scitur, totum corporea voce profertur, totum multis audientibus semel dicitur, totumque in singulis audientibus, non minus quam in omnibus invenitur. Ita et Filius Dei, quod est Verbum Dei, a Patre quidem, sicut ipse testatur (*Joan. xvi, 28*), exivit et venit in hunc mundum : sed et semper apud Patrem erat, quia in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan. i, 1*) ; et antequam in mundum veniret, in mundo erat, et mundus per ipsum factus est (*Ibid., 12*). In mundo enim semper erat Verbum Deus; quia per unitatem naturæ sicut omnem creaturam implet Pater, sic implet et Filius. Itaque nec a Patre discessit cum a Patre exivit, nec tunc in mundo esse cœpit, cum in mundum venit. Sed exiens a Patre, sic apud Patrem permansit, sicut semper erat : et in mundum veniens, ibi tunc adesse voluit per gratiam, ubi nunquam deesse potuit per naturam. Ecce ego in quantum potui, licet breviter, reddidi rationem qua unum Deum dicamus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum : et in ipsa Dei imagine ostendi quoddam divinæ agnitionis indicium. In qua quidem imagine, memoria, intelligentia et voluntas non habent sin-

gulas propriasque personas. Imago quippe est ista, non nata, sed facta, non genita, sed creata. Ad hoc utique, ut sicut 602 in ista una imagine invenitur quædam discretio vocabulorum, sic in illa una divinitate cognoscatur discretio personarum; et naturalis unitas ostendat unum Deum esse Patrem et Filium et Spiritum sanctum, personarum vero proprietas demonstret alium esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum sanctum. Alium autem Patrem, non eo quod Deus est, sed eo quod Pater est; et alium Filium non eo quod Deus est, sed eo quod Filius est; alium quoque Spiritum sanctum, non eo quod Deus est, sed eo quod et Patris et Filii Spiritus est. Alium ergo Patrem qui (Apud Theod. quia hic et infra) genuit, alium Filium qui de Patre natus est, et alium Spiritum sanctum qui de Patre Filioque procedit : non tamen alium Deum Patrem, et alium Deum Filium, et alium Deum Spiritum sanctum; sed unum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Non enim confundit unitas Trinitatem, nec Trinitas separat unitatem; quia quod in personarum proprietate discernitur, hoc unum naturaliter essentiæ unius communione monstratur.

EX LIBRO VI. DE UNO ÆTERNO.

FRAGMENTUM XIX.

Filius est Patri cœternus.

Non est irrationabilis Ecclesiæ catholicæ fides, quia cœternum Patri Filium et credit et prædicat, sciens recentem esse omnem deum in quo existendi quodlibet invenitur initium. Hoc autem Deus suo populo repromisit, quia si eum audierit, deus in illo recens non erit, et ob hoc deum alienum nullatenus adorabit. Sic enim dicitur per prophetam : *Israel, si me audieris, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum (Psal. lxxx, 10)*. Ideo igitur deus recens non est Filius, quia æterno Patri est naturaliter cœternus; et ob hoc a nobis unus Deus cum Patre colitur, quia posterior Patre nullatenus invenitur. Cum ergo in Filio quæritur æternæ nativitatis causa, sola invenitur Patris æterna substantia : natura enim quæ initium existendi nescit, initium generandi habere non potuit. Quid autem manifestius ad cognoscendum Filium, et de natura Patris natum, et Patri naturaliter cœternum, illo Scripturæ loco, quo de Sapientia dicitur : *Splendor est enim lucis æternæ (Sap. vii, 26)*? Nam splendor, nec a natura lucis invenitur extraneus, et sicut non est ipsa lucis minor, sic ea non potest esse posterior. Cœternitatem quippe splendoris certissime commendat æternitas lucis. Nam excepto quod unusquisque hominum sic generat filium, sicut est ipse generatus; et ideo filio suo invenitur anterior, quia fuit patre suo posterior: tamen ad ipsum primum hominem recurramus, cui soli datum est in toto humano genere, ut ipse filius non esset, et de se filium protulisset, haberetque de se natum 603 non natus, et posset generare non genitus. Generatio quippe illa naturalis unitatem nature in patre filioque servavit. Ideo autem initium habuit

nativitas filii nascentis, quia sine initio non fuit substantia genitoris : itaque natura illa ideo initium nascendi in filio veraciter habuit, quia sine initio existendi in genitore non fuit : unde manifestum est, quia in filio nativitas illa nullo initio subjaceret, si natura patris existendi initium non haberet. Quocirca ubi sine initio naturalis invenitur æternitas patris, initium habere non potest nativitas proliis. Ingenitus ergo Deus Pater, et genitus Deus Filius cum dicitur, sicut naturalis ingeniiti Patris generatio unitatem naturæ facit in Patre Filioque cognosci, sic naturalis æternitas Patris vetat aliquid initium divinæ generationis intelligi. Absque initio est igitur et Pater et Filius, et ideo unum verumque principium est Pater et Filius : unde ipse Deus Pater proprio Filio dicit in psalmo : *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te (Psal. cix, 3)*. Quod est tecum principium, nisi quod alibi de Sapientia dicitur, quia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum (*Eccli. i, 1*) ? Digne itaque se Filius profitetur esse principium, quia in tantum se novit Patri principio cœternum, ut cum eodem Patre naturaliter unum se noverit esse principium : et illud quod se α et ω , initium et finem Filius asserit (*Apoc. i, 6*), seipsum utique sine initio et fine confirmat : quia sicut ante *alpha* non est aliqua littera, sic ante Filium nulla potuit esse natura : ideo igitur se *alpha* Filius dicit, ut rerum se ostenderet esse principium, quod nullo potest præveniri principio. Hinc est quod etiam sanctus evangelista, cum sine initio æternitatem Verbi vellet exprimere, nihil aptius, nihilque congruentius, Spiritu sancto repletus invenit, quam ut diceret : *In principio erat Verbum (Joan. i, 1)*.

Non enim in principio cœpit esse Verbum, quia noverat illud Verbum initio nativitatis naturaliter non esse subjectum: sed *in principio*, inquit, *erat Verbum*: ut hoc audiens curiositatis humanæ temeritas semetipsam ab impietate generationis initiatæ coerceat, cum quidquid voluerit ante illam generationem immoderata cogitatione conjicere, non aliud in Verbo quam erat semper, valeat invenire. Hoc enim vere in principio erat, quod sine existendi principio erat; quia non vere in principio esset, si esse cœpisset: illud enim vere in principio esse dicitur, in quo ipsum esse sine initio naturaliter invenitur. Dicens itaque sanctus evangelista, *In principio erat Verbum*, tale aliquid dixit quale si diceret, *In æternitate erat Verbum*. Vera quippe æternitas quæ esse non cœpit, sola verum invenitur esse principium. Ideo autem non dixit evangelista, *In principio erat Deus*, sed *In principio erat Verbum*; quoniam nullus ambigit de Deo Patre quod sine initio sit æternus: hoc autem de Filio nobis debuit intimari, quod plenissime beatus Joannes ostendit, dicens, *In principio erat Verbum*: ut hinc sine principio esse Filium noverimus; quando quidquid voluerimus cogitare principium, semper inveniemus quia in principio erat Verbum: ne aliquando cœpisse esse dicamus, quod in principio erat semper audimus. Erat ergo apud Patrem Filius, sicut apud 604 Deum Deus, sicut apud immensum immensus, sicut apud æternum naturaliter cœternus.

FRAGMENTUM XX.

Æternus Pater potuit sine initio generare.

Ipsa contra te utique vocabula protestantur, quia Pater sine dubio potuit Filium generare, et quia potuit genuit. Proinde, quia Deus Pater omnipotens est, sicut potuit generare, sic potuit sine initio generare; imo sicut genuit, sic sine initio genuit. Quia natura ejus, quæ sine initio est, sicut non habet initium existendi, sic initium non potuit habere gignendi. Natura quippe illa semper est; et ideo quod de illa naturaliter natum est, æqualiter semper est. Unitas enim naturalis generatione mutari non potuit, quando naturalis nativitas, sicut in se naturam, sic æternitatem naturalem Dei generantis agnovit. Proinde proprietati vocabulorum cede tandem, et crede; et in eo, quem proprium Filium Patris Apostolus prædicat, æternitatem sine initio paternæ generationis agnosce.

FRAGMENTUM XXI.

Homo factus est ad imaginem, non unius tantum personæ divinæ, sed totius Trinitatis. Dei ex Scripturis sanctis ostenditur et in personis Trinitas et in natura unitas.

Recurrere ad sanctorum exordium Scripturarum, in quo (velis nolis) hominem factum audies ad imaginem Trinitatis. Ibi quippe scriptum est: *Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Genes. 1, 26). Ubi in eo quod non positum est *Dixerunt*, sed *Deus dixit*, agnoscitur una divinitatis essentia. Similiter et in eo quod non ait *Ad imagines*, sed *ad imaginem*, una imago quæ fit (al. quam fecit), unam naturam sui factoris (al. auctoris)

A ostendit. Cum vero sic dicitur singulariter *ad imaginem*, ut non dicatur, *Ad imaginem meam*, neque *Ad imaginem tuam*, sed *ad imaginem nostram*; numerus pluralis singulari conjungitur, ut in unitate divinæ naturæ personarum Trinitas agnoscatur. Si ergo Trinitas non unus est naturaliter Deus, quare non pluraliter *Ad imagines*, sed singulariter *ad imaginem* dixit? Et si non ad totius Trinitatis unam divinitus homo faciendus erat imaginem, quare non dixit, *Meam*, sed *nostram*? Cum paulo post, ad insinuationem 605 divinæ unius essentia Scriptura dicat: *Et fecit Deus hominem; ad imaginem Dei fecit eum* (Ibid., 27). Quod etiam beatus Apostolus sua prædicatione confirmans, ait: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem* (al. in agnitione), *secundum imaginem ejus qui creavit eum* (Coloss. III, 9, 10). Et ne tibi videatur ad imaginem solius Dei Patris hominem creatum asserere, audi quid Apostolus sine intermissione subjungat: *Ubi non est gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scythæ, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus* (Ibid., 11). Ecce beatus Apostolus hoc loco, cum vellet ostendere eum a quo et ad cujus imaginem creatus est homo, Christum dicit esse omnia et in omnibus. Si vero solius Christi imaginem homini assignare volueris, vide quid de illo loco respondeas, ubi dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Genes. 1, 16). Hoc enim dictum sive personæ Patris, sive Filii assignare contendas, si non ad imaginem Patris et Filii dixeris hominem factum, necesse est ut aut Patrem mentitum profitearis, aut Filium. Agnosce igitur in homine, non solius Patris, nec solius Filii, nec solius Spiritus sancti, sed unam sanctæ Trinitatis imaginem; ut tres personas ipsam Trinitatem, unum Deum veraciter valeas confiteri. Moyses quoque ad docendum Trinitatis unius Dei mysterium, sic populum Israel, ipso Deo jubente, benedixisse cognoscitur: *Benedicat te Dominus, et custodiat te. Illuminet Dominus faciem suam super te, et misereatur tui. Attollat Dominus faciem suam super te, et det tibi pacem* (Num. VI, 24, 25, 26). Ecce tertio Dominus dicitur, ut sanctæ Trinitatis et in personis distinctio, et in natura unitas agnoscatur. Ita nos credere et confiteri debere, per Isaiam quoque prophetam ipsa Trinitas, qui est unus, verus et bonus Deus, edocuit; Seraphim ad invicem tertio clamantibus: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: et semel subinferentibus: *Dominus Deus sabaoth: plena est omnis terra gloria ejus* (Isai. VI, 3). Ex hac igitur potestatum prædicatione cœlestium, agnosce sanctum Patrem, sanctum Filium, sanctum Paracletum Spiritum; et crede unum Deum esse Patrem et Filium et Spiritum Sanctum: audi tertio *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ut tres esse personas agnoscas; audi semel, *Dominus Deus sabaoth*, ut unitatem divinitatis intelligas. Hoc etiam beatus Apostolus firmat, qui ad discretionem personarum ait: *Unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos*

per ipsum (1 Cor. viii, 6). Et fideles dixit coædificari **A** in habitaculum Dei in Spiritu (Ephes. ii, 22). Ostendens autem unum Deum esse Trinitatem ait, *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei* (Rom. ii, 33)! Et paulo post: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula* (Ibid., 36). Beatus vero Joannes apostolus evidenter ait: *Et tres unum sunt* (1 Joan. v, 7); quod de Patre et Filio et Spiritu sancto dictum, sicut superius cum rationem flagitares ostendimus.

606 FRAGMENTUM XXII.

Non est ignis splendore aut vapore suo prior: sic nec Pater Filio, aut Spiritu sancto est anterior.

Quid autem tibi visum est dicere: « Ergone fieri potest ut ille qui generat, cum illo quem generat, pariter oriatur? » Sic istud inaniter voluisti dicere, **B** quasi nos et hoc etiam Patrem dicamus natum, quia Filium Patri dicimus coæternum. Novimus Patrem de nullo genitum, novimus Filium de Patre genitum: illa enim æternitas sibi coæternam genuit prolem, quæ ex aliquo habere non invenitur originem. Pater igitur origo est æterna, Filius proles æternæ originis coæterna. Non ergo potuit Pater cum Filio quem genuit simul oriri, sed potuit Filius de ingenuito Patre sine initio nasci. Illa igitur similitudine ignis, quam tibi sub meo nomine proposuisti, multum solent vestra commenta destrui; quando aliquid invenitur in creatura quod ex se aliquid proferat, et hoc tamen quod protulerit non præcedat: unde possit ab his qui recte considerant, de æterno Patre non minus æterna Filii cognosci nativitas. Ut autem aliqua divinæ generationis de igne similitudo sumatur, habet hoc apostolicæ prædicationis auctoritas quæ ait: *Etenim Deus noster ignis consumens est* (Hebr. xii, 29). Quod ait, sequens prædicationem sancti Moysi dicentis in Deuteronomio: *Quoniam Dominus Deus vester ignis consumens est* (Deut. iv, 24). Ad hoc pertinet et illud quod in libro Sapientiæ de ipsa Sapientia dicitur: *Splendor est enim lucis æternæ* (Sap. vii, 26). Quod similiter apostolica prædicatione proferitur, cum dicitur ad Hebræos de ipso Filio: *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus* (Hebr. i, 3). Cum autem ista dicuntur, non utique Deo, qui corporeus non est, quælibet res corporeæ comparantur: sed quia invisibilia ejus a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, nostræ infirmitati consulens divina benignitas, quædam in diversis rebus posuit sue cognitionis indicia: ut in his quibus capiendis sumus invalidi, usitatarum rerum documentis redderemur instructi. Quamvis igitur et de Sapientia dictum sit, quia *vapor est virtutis Dei* (Sap. vii, 25); tamen et Spiritus sanctus in natura ignis, vapori non incongrue (quantum expetit rei divinæ cognitio) similatur: propter illud quod ait **A** *Apostolus, Spiritu ferventes*. Non autem ad hoc accipiendum est, ut ex hoc quisquam Spiritui sancto ascribat de Deo Patre nativitatem; sed ad hoc tantum ut unam naturam Patris, et Filii, et Spiritus sancti cognoscat, unamque naturaliter æternitatem divinæ Trinitatis intelligat. Proinde considera, in

igne quidem esse splendoris et vaporis originem, nec tamen ignem esse splendore aut vapore suo priorem: et ex hoc, sic æternum confiteri Filium et Spiritum sanctum, sicut æternum confiteris et Patrem; non **607** creaturam Creatori conferens, sed invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta cognoscens.

FRAGMENTUM XXIII.

Sapientia splendor est lucis æternæ. Non est æternæ lucis nisi æternus splendor.

Puto autem de Scripturis sanctis esse, quod de Sapientia dictum memoravimus, quia *splendor est lucis æternæ* (Sap. vii, 26): et nunquam audebis splendorem luce posteriorem aliquatenus prædicare. Et quia lux illa cujus Sapientia splendor est, sic est naturaliter æterna, ut sine initio sit, necesse est ut etiam splendor ille lucis ita sit æternus, ut eidem luci cujus splendor est, sine initio sit naturaliter coæternus. Hoc testimonium sanctæ Scripturæ, non solum plenum est virtute auctoritatis, verum etiam lumine rationis. Recta quippe ratio est, ut si hoc testimonium sanctæ Scripturæ accipitur, una æternitas lucis splendorisque credatur. Neque enim frustra hoc Deus voluit, ut in eo loco, ubi Sapientia splendor lucis ostenditur, eadem lux æterna Scripturæ testimonio diceretur; nisi ut ex eo quod illam lucem naturaliter æternam cognoscimus, splendorem quoque ejus naturaliter ei coæternum sine dubitatione credamus.

FRAGMENTUM XXIV.

Nec Pater fuit ante generationem, nec Filius ante nativitatem.

Semper natum Filium dico, et Patrem sine initio genuisse confiteor. Quomodo igitur Filius antequam nasceretur esse potuit, cujus nativitas initium habere non potuit? Nec enim poterat natus esse sua nativitate prior, qua nativitate sic est æternus, ut naturaliter non sit Patre posterior. Non ergo Filius nativitatem suam præcedit, quem genitori coæternum nativitas ipsa naturalis ostendit. Patrem quoque generasse confirmo, quem tamen antequam generasset, esse potuisse non prædico; non enim erat ante nativitatem Filii, quia Dei Patris sicut est æterna divinitas, sic est æterna paternitas; et ubi æternitas paternitatis in genitore cognoscitur, etiam in Filio **D** æterna nativitas invenitur. Non ergo e quo genuit, esse cœpit, quia nec essentia Patris nec generatio aliquatenus cœpit. Una est enim æternitas essentiæ **608** simul et generationis in Patre: in qua æternitate sic essentia illa generatioque permanet, ut nefas sit aut divinitate Patris posteriorem putare generationem, aut generatione priorem credere deitatem. Sine initio igitur Deus Pater genuit, qui esse non cœpit; et sine initio est Filii nativitas, quia hoc habet paternæ generationis æternitas. Audisti Filium semper esse, et sine initio natum esse, nec posse dici ante ejus nativitatem aliquid fuisse, cujus et divinitas et nativitas naturaliter agnoscitur non cœpisse. Nam require in Scripturis sanctis, et invenies, in tantum non esse Filio aliquod divinæ nativitatis

initium, ut ubicunque divina nativitas ejus ponitur, ante semper dicatur. Sicut in Psalmo scriptum est : *Ante luciferum genui te (Psal. cix, 3)*. Ubi etiam Pater se suumque Filium unum dicit esse principium, quoniam hoc est verum principium, quod sine initio naturaliter invenitur æternum. In libro quoque Proverbiorum ipsa Sapientia dicit de Patre : *Priusquam terram faceret, priusquam procederent fontes aquarum, ante omnes autem colles genui me (Prov. viii, 23, 24, 25)*. Tu dicis nativitatem divinam Unigeniti Dei non posse scribi, quia non potest enarrari ; cum utique si enarrari posset, divina non esset : quocirca quia divina est, vera est ; quia divina est, æterna est ; quia divina est, inenarrabilis est. Illud igitur quod tu tibi inaniter respondisti, quia nec Filius esse potuit antequam nasceretur, et Pater sine dubio existit antequam gigneret, cogitationes sunt carnis et sanguinis, quæ regnum Dei possidere non possunt (1 Cor. xv, 50) : hæc enim de divinitate sentis quod in hominibus cernis. Sed non ita est. Æternus enim sine initio Deus Pater æternam habet generationem, qua genuit Unigenitum suum ; non sicut de carne generatur caro, sed sicut est natus Deus de Deo, unus de uno, verus de vero, coæternus de æterno ; alter in persona, non aliud in natura ; de Deo Patre natus Deus, et cum Deo Patre naturaliter unus, æternus, immortalis, atque incommutabilis

A Deus. Fateamur itaque Filium esse Initium atque Principium, quia scriptum est : *Principium, et quod loquor vobis (Joan. viii, 25)* ; et iterum : *Ego sum α et ω, initium et finis (Apoc. i, 8)* : sed illud principium quod cum Patre unum est principium ; et ideo verum principium, quia ante omne principium. Sicut enim ideo est verus Deus, quia de natura Patris natus est Deus, sic ideo est verum principium, quia de illo Patre sine initio natus est qui est verum principium. Sic itaque Filius principium non habet nascendi, sicut Pater non habet principium existendi. In principio igitur cum Patre Filius, quia unum principium Pater et Filius ; ipsumque unum verumque principium, cujus nullum est existendi principium. Antiquus dierum simul Pater et Filius : quia illa est vera naturaliter antiquitas, quæ sine initio est naturalis æternitas. Nam sicut illa longitudo de qua Deus dicit : *Longitudine dierum replebo eum (Psal. xc, 16)* ; et propheta : *Ut inhabitem in domo Domini in longitudine dierum (Psal. xxii, 6)*, ideo vera longitudo est, quia nullo est termino finienda ; sic antiquitas illa est vera, quæ nullo initio cognoscatur inchoata : itaque antiquitas sic initium nescit, sicut finem ista longitudo non recipit. Proinde ille qui se dixit α et ω, nec coepit esse nec desinit : quia sicut in se non habet aliquando posse non esse, sic in se naturaliter non habet non fuisse.

EX LIBRO VII. DE ÆQUALITATE ET UNITATE SPIRITUS SANGUI CUM PATRE ET FILIO.

609 FRAGMENTUM XXV.

Spiritus sanctus nec minor est Patre vel Filio, nec eis subjectus.

Adversus ea quæ de nominibus atque officiis proposuisti, quantum res flagitabat, dedimus tibi superius, Domino adjuvante, responsum : ostendentes, non ex illis nominibus aut officiis sanctum Spiritum subjectum in aliquo et humilem, sicut æstimas, inveniri. In illo autem loco Evangelii, ubi eum putas minorem subjectumque monstrari, ibi agnoscitur Spiritus sanctus ab unitate Patris et Filii non esse naturaliter alienus. Vide enim quid dicat Christus : *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis modo portare ; cum autem venerit ille Spiritus ve. itatis, docebit vos in omnem veritatem (Joan. xvi, 12, 13)*. Hic primum virtutem Spiritus sancti Salvator noster dignatus est commendare, quando ea quæ, ipso secundum carnem præsentate atque docente, discipuli portare non poterant, sancti Spiritus munere confortati, essent sine dubio portaturi. Ubi utique non majorem virtutem Spiritus sancti ostendit esse quam suam ; sed unam virtutem esse Spiritus sancti demonstravit, et suam : ut ille eis virtutis plenitudinem contulisset, qui minor virtute non esset. Hoc autem necessarium fuit propter personarum discretionem, non propter operum aliquam diversitatem ; sed quodis erat, ut illius intima illuminatione et confirmatione, perficeretur in apostolis donum intelligentiæ spiritalis et insuperabilis omnino virtutis,

C sine cujus nomine non potest sacramentum constare baptismatis. Hoc ergo Christus fecit, non quia minus poterat dare quam quod dedit Spiritus sanctus (cum in omni munere ita sit unum sanctæ Trinitatis donum, sicut in omni opere unum est sanctæ Trinitatis officium) ; sed hoc fecit Deus Filius, ad ostendendam sanctæ Trinitatis unam naturam, unamque virtutem ; ut eum a quo doceri apostolos in omnem veritatem, ipso prædicante Salvatore, constaret, nemo minore Patre et Filio aliquatenus æstimaret. Non est hic igitur aliquid indicium subjectionis, ubi manifestatur unitas naturalis ; sed Christus, qui est vera Sapientia, illius adventui plenam veritatis invenitur reservasse doctrinam, cujus unam secum et cum Patre volebat demonstrare substantiam. Quod subsequenter verbis ostendit, dicens : *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis (Joan. xvi, 13, 14)*. Ecce primum ostendit non esse alia Spiritus sancti quam quæ sunt 610 Filii. Deinde ut ostenderet omnia sua esse quæ Patris sunt, adjecit (v. 15) : *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt : propterea dixi quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis*. Illud igitur primitus attendamus, quod ait : *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet loquetur*. Quis autem comprehendit qualis sit illius simplicis naturæ locutio, vel qualis auditio ? Ubi, sicut non est aliud sapere, vel scire, quam esse, ita non

est aliud audire quam esse. Audit itaque Spiritus sanctus quæcumque Pater et Filius dicit (*Theodulphus*, dicunt), et hæc eadem similiter dicit; sicut videt Filius quæ Pater facit, et hæc eadem similiter facit. In illa enim natura, ubi est summa et vera simplicitas, in eo Filius videt quod Pater facit, et Spiritus sanctus audit quod cum Patre Filius dicit, quia **communione** naturalis essentiae et Filius de Patre natus existit, et Spiritus sanctus de Patre Filioque procedit. Hoc est igitur Spiritui sancto audire, quod est de natura Patris Filioque procedere: et hoc est loqui, quod est per gratiam nostris cordibus ineffabiliter intinare. Et tamen ipsum Spiritum sanctum, qui et in apostolis et in prophetis locutus est [quia non solum apostolis Salvator noster dixit: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth. x, 20*)]; verum etiam beatus Petrus dixit, quia non voluntate humana allata est utquam prophetia, sed Spiritu sancto acti locuti sunt sancti homines Dei (*11 Petr. 1, 21*); ipsum, ut dixi, Spiritum sanctum, Dominum Deum beatus David appellat, dicens: *Audiam quid loquitur in me Dominus Deus* (*Psal. LXXXIV, 9*). Hoc est ergo audire Spiritui sancto quod est esse, cui non aliud est esse quam scire.

FRAGMENTUM XXVI.

Quomodo angeli et semper vident faciem Patris, et in Spiritum sanctum prospicere concupiscunt.

Deinde meminit de isto sancto Spiritu dixisse apostolum Petrum, quia in eum concupiscunt angeli prospicere: sic enim ait: *Ea quæ nunc nuntiata sunt vobis, per eos qui evangelizaverunt vobis, Spiritu sancto misso de cælo, in quem concupiscunt angeli prospicere* (*1 Petr. 1, 12*). Quid est autem angelorum prospicere nisi intelligere? Rationalis enim creatura, quod spiritualiter prospicit, intelligit; quia oculus ejus intellectus ejus. Si ergo minus aliquid noverat Spiritus sanctus, quod minus utique noverat, minus intelligebat. Non ergo debuerunt concupiscere angeli sancti in eum prospicere, qui secundum plenitudinem scientiæ, faciem Patris videre Veritatis ipsius testimonio perhibentur. Loquens enim de parvulis ait: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cælis est* (*Matth. xviii, 10*). Quis igitur tam perversus hoc de sanctis angelis audeat æstimare, quod faciem quidem Patris (quem majorem Spiritu sancto dicis) semper videant, et prospicere in Spiritum sanctum (quem minorem asseris) concupiscant?

611 FRAGMENTUM XXVII.

Quid est loqui Spiritum sanctum non a semetipso, sed quæ audit a Patre et Filio: quid eundem ab his mitti.

Quapropter, si hoc quod audire dicitur Spiritus sanctus recte cogites, ex hoc unam naturam esse Spiritus sancti cum Patre Filioque cognosces. Audit enim Spiritus sanctus Patrem Filiumque loquentem, sicut videt Filius Patrem facientem: audit unius communionem naturæ; inde quippe habet æternam auditionem, unde naturalem habet æternæ divinitatis originem: et ideo quæ audit et loquitur, quia in eo quod

ejus divina cognoscatur esse doctrina, simul cognoscitur ejus una cum Patre Filioque substantia. Ibi enim locuto Spiritus sancti percipitur, ubi non aliter quam oportet de ejus divinitate sentitur. Cæterum, hoc quod Spiritus sanctus in omnem veritatem docet, nullatenus percipiunt, qui ejus majestati cæci cordis duritia contradicunt: quod facientibus Judæis Dei Filius ita respondit: *Quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis* (*Joan. viii, 37*). Capaces quippe sermonis ejus esse non poterant, cujus divinam majestatem minime cognoscebant. Ideo eis dicit: *Ego quod vidi apud Patrem, loquor* (*v. 38*): in eo enim quod apud Patrem viderat loquebatur, quod se æqualem Patri naturaliter fatebatur. Nam et superius dixerat evangelista: *Propterea ergo magis quærebant eum interficere Judæi, quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo* (*Joan. v, 18*): et po. teaquam illi qui cæcus natus fuerat oculos donavit, indignantibus Judæis ita respondit: *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me; et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum* (*Joan. x, 27, 28*). Ut ostenderet quæ est vox ejus quam oves ejus audiunt (quia revera illæ oves vocem hujus boni pastoris audiunt, quæ unam virtutem, et ex hoc unam essentiam Patris Filioque cognoscunt): statim vere divina voce, unam virtutem atque essentiam suam simul et Patris ostendens, dixit de ovibus suis: *Et non rapit eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi majus omnibus est: et nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus* (*Ibidem, 28, 29, 30*). Hæc est ergo vox quam oves ejus audiunt: quæ scilicet in eo quod nemo rapit de manu Filii, neque de manu Patris, unam virtutem Filii et Patris intelligant; et audientes ab eo, quia ipse et Pater unum sunt, unitatem veram in Patre et Filio essentiæ naturalis agnoscant. Hæc est vox Filii, hæc est locutio Spiritus sancti, hoc a Patre audit et Filius et Spiritus sanctus; quia de natura Patris natus est Filius, et exinde procedit Spiritus sanctus: hoc etiam a Patre et Filio Spiritus sanctus audit, quia de Patre et Filio communis divinitatis æqualitate procedit. Non ergo Spiritus sanctus loquitur a seipso, quia non est a seipso, sed de Patre et Filio habet naturalem locutionem, unde naturaliter procedens habet originis veritatem. Ad hoc utique pertinet quod ait: *Ille me clarificabit, qui de meo accipiet, et annuntiabit vobis* (*Joan. xvi, 14*). Nunquid enim sicut (*forte sic*) dictum est, *accipiet*, tanquam illa quæ docturus apostolos fuerat, necdum Spiritus sanctus accepisset? Quod utique quam sit absurdum atque impium superius demonstravi. Dictum est itaque *quia de meo accipiet*, tanquam si diceretur: Cum vos sicut Deus docere cœperit, omnia quæ vos docebit, de meo se habere monstrabit. Quid est enim proprium docere Dei, nisi et intelligentiam ignaris tribuere, et fortitudinem ac fiduciam timidis inspirare? quod utique ille Spiritus vere facit, qui est naturaliter Spiritus sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis. Unde etiam in libro Actuum aposto-

lorum de credentibus dictum est, quia *repleti sunt unnes Spiritu sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia* (Act. iv, 31). Quia vero Pater est naturalis origo Filii et Spiritus sancti, ideo totum Patri Filius assignans, ait: *Omnia quæ habet Pater mea sunt; propterea dixi quia de meo accipiet* (Joan. xvi, 15). Quam bene veritatem doctrinæ suæ Veritas ipsa servavit: Si enim hoc non dixisset, quasi suum esse tantum Spiritum ostendisset; sed dicens, *omnia quæ habet Pater mea sunt; propterea dixi quia de meo accipiet; ipsum Spiritum sanctum, unum esse ostendit et Patris et suum. Cujus intelligentiæ tenorem loco quoque superiore servavit, dicens: Paracletus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia quæcunque dixero vobis* (Joan. xiv, 26). Pater mittit, sed in nomine Filii mittit; Spiritus misus a Patre docet, sed Filius dicit. Hoc etiam illo demonstratur loco ubi Dominus dicit: *Cum autem venerit Paracletus quem ego mittam in vos a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* (Joan. xv, 26). Ecce hic Paracletum quem mittit Pater in nomine Filii, ipsum mittit Filius a Patre: mittit autem a Patre Spiritum veritatis: mittit ergo a Patre Spiritum suum, quia ipse est Veritas. Mittit eum Pater in nomine Filii, quia unus Spiritus est Patris et Filii: mittit eum Filius a Patre, quia sic procedit a Filio sicut procedit a Patre: idem quoque Spiritus. Patris, qui Spiritus est Veritatis. De Filio (*ul. De Filii*) ergo accipit, et omnia quæ habet Pater Filii sunt, quæ Spiritus sanctus accepit; quia non de solo Patre, nec de solo Filio, sed simul de utroque procedit. Hoc autem vocabulum processions de Patre, nulli creaturæ invenitur indultum; ut proprietas ista processions solius esse demonstretur essentiæ naturalis. Legimus enim Filium de Patre genitum, et quamvis in eo quod

Unigenitus dicitur, in solo naturalis generatio demonstratur, tamen propter gratiam adoptionis nos quoque Deus Pater *voluntarie genuit verbo veritatis* (Jac. i, 18). Unigenitus igitur, unus et solus est de Patris essentia Filius natus: sed et nos per adoptionem et Filii Dei dicimur et de Deo nati, beato Evangelista dicente: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (Joan. i, 12, 13). Cum ergo nos et Dei filios, et de Deo genitos, et de Deo natos, divinis ostendatur eloquiis, processions tamen de Deo vocabulum nemo potest creaturæ cuiquam docere concessum. **613** Quid ita, nisi quia unigenitum Filium posset naturalis nativitas verum Deum ostendere; eumque non adoptivum, nec diversæ naturæ, sed consubstantialem Patri sine dubitatione monstrare? Procedere autem de Deo ideo nulla creatura dicitur, ut ille qui procedit de Patre et Filio sic esse credatur Deus, sicut est Pater et Filius. Solius est enim Spiritus sancti de Patre et Filio proprietas ista processions, cujus est cum Patre et Filio natura communis. De Patre quippe ac Filio procedit, sed non recedit: nec est in aliquo minor aut subditus, qui de immenso Patre ac de immenso Filio inseparabiliter et unus procedit et totus. Sic igitur ei non potest imperari quod loquitur, sicut ei non potest imperari quod mirabiliter operatur. *Omnia enim operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (I Cor. xii, 11). Non itaque facit Spiritus sanctus aliquid alterius potestatis imperio, sed omnia suæ operatur arbitrio voluntatis. Una est autem sanctæ Trinitatis voluntas, unaque potestas, cujus una est naturaliter divinitas.

IX LIBRO VIII. DE MISSIONE FILII ET SPIRITUS SANCTI.

FRAGMENTUM XXVIII.

Unam habet Trinitas et locutionem et voluntatem. Non mittitur Spiritus sanctus sicut angeli: unus est, et immensus. Datur baptisma etiam in ejus nomine. Non recedit ab iis qui eum postulant ad se mitti. Quid petit Ecclesia cum Spiritum sanctum petit.

Nec ideo Spiritus proditor est secreti divini, quia quæ dicit, propria voluntate dicit. Una enim sancta Trinitas unam semper habet locutionem, sicut unam habet per omnia voluntatem: et in eo quod a Patre ac Filio quod loquitur audit Spiritus sanctus, solius est originis, non cujuslibet inæqualitatis indicium. Quo utique non ostenditur qui obtemperet subditus, sed unde procedat excelsus. Missionem vero Spiritus sancti nullatenus similem missionibus æstimares angelicis, si humili corde ista quæres, et non superbus in contumeliam sancti Spiritus prosilires. Hoc enim cupiens quæres, debuisti quidnam Scriptura divina de sancto Spiritu dixerit, vestigare: et primo utrum multos assereret, an unum: deinde utrum localem dixerit, an immensum: postremo, considerans opera ejus, cognoscere debuisti utrum soli divinitati competant, an etiam possint cuiquam crea-

turæ congruere: ut ex his omnibus recta tibi de missione Spiritus sancti posset intelligentia suffragari. Itaque non te credo aliquatenus dubitare, quod sicut unus Pater, et unus Filius, sic et unus **614** Spiritus sanctus divinis ubique prædicetur eloquiis; dicente beato Apostolo: *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus: et divisiones ministratorum sunt, idem autem Dominus: et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus* (I Cor. xii, 4, 5, 6). Et paulo post (v. 11): *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*. Ne vero hic singula dividentem Spiritum sanctum accipere nolis, et alium tibi Spiritum suspiceris, audi quid in Epistola ad Hebræos dicatur: *Contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus sancti distributionibus, secundum suam voluntatem* (Hebr. ii, 4). Alio quoque loco idem beatus Apostolus ait: *Unum corpus, et unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe orationis vestræ* (Ephes. iv, 4). Ubi uni Spiritui, unum continuo Patrem, unum copulavit et Filium, adiungens: *Unus Dominus, Christum scilicet significans, una*

fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium, qui super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis (Ephes. iv, 5, 6). Alio quoque loco ait: *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi, et omnes uno Spiritu potati sumus* (I Cor. xii, 13). Nam et Salvator noster unum esse Spiritum sanctum ostendit, dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (Matth. xxviii, 19). Immensitatem vero hujus Spiritus propheta agnoscens, et eum per omnia totum esse semper intelligens, Deo Patri dicit: *Quò ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es; et si descendero in infernum, ades* (Psal. cxxxviii, 7). Ubi utique Deum significavit cum suo Spiritu ubique semper esse, a quo se fugere dixit omnino non posse. Hic tu forsitan alterum Spiritum Dei, et alterum Spiritum sanctum esse contendis: ubi divinis necesse est continuo supereris eloquiis. Ipsum enim esse Spiritum sanctum, qui est Spiritus Deus, beatus propheta testatur, dicens: *Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (Psal. l, 13). Et quoniam unus Spiritus sanctus datus est apostolis et prophetis [quod beatus testatur Apostolus dicens: *Habentes autem eundem Spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum; et nos credimus, propter quod et loquimur* (I Cor. iv, 13)]; eundem Spiritum Dei esse Spiritum sanctum indubitanter ostendens, ait: *Qui autem hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis* (I Thess. iv, 8). Die quoque Pentecostes, cum Spiritus sanctus in apostolos advenisset, ipse utique Paracletus, quem eis Dominus promisit et misit, ipsum esse Spiritum Dei, prophético beatus Petrus ostendit eloquio, dicens, hoc esse quod per Joel prophetam dictum est: *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem* (Act. ii 16, 17). Et paulo post (v. 18): *Et quidem super servos meos, et super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt*. Hujus itaque unius Spiritus immensitatem, quam sola potest vera naturaliter habere, imo quam sola naturaliter habet vera divinitas, non solum beatus David ostendit, verum etiam Joel propheta indubitanter asseruit, in eo quod ait ex persona Dei dicentis: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem* (Joel, ii, 28). Hinc est quod etiam in libro Sapientiæ 615 dicitur: *Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis* (Sap. i, 7). Nusquam ergo deest, sed ubique totus immensus est, qui et orbem terrarum replere, et continere omnia perhibetur. Ideo quippe asseritur continere omnia, ne, dum orbem terrarum replere dicitur, deesse cælestibus æstimator. Quem tamen paulo superius sanctum Spiritum Scriptura divina nuncupat, dicens: *Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu* (Ibid., 5). Nam et in hoc sancti Spiritus agnoscitur naturalis immensitas, in quo per orbem terrarum, sicut in nomine

Patris, et Filii, ita baptizantur homines in nomine Spiritus sancti. Et ne quis forsitan arbitretur, nomen Spiritus sancti ubique quidem in baptismo nominari, non tamen ejus ubique semper adesse præsentiam, fidelibus Apostolus dicit: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis* (Ephes. iv, 30); et alio loco: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christum, et qui unxit nos Deus, et qui signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* (II Cor. i, 21). Et iterum: *Qui autem efficit nos in hoc ipsum Deus, qui dedit nos pignus Spiritus* (II Cor. v, 5). Alio quoque loco ait: *In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ* (Ephes. i, 13, 14). Quibus verbis non solum naturaliter immensum, sed etiam verum Deum ostendit Spiritum sanctum, quem pignus hereditatis nostræ asseruit. Cum utique pars hereditatis nostræ non sit nisi Dominus Deus, de quo dicit universa Ecclesia: *Dominus pars hereditatis meæ et calicis mei* (Psal. xv, 5), apparet itaque Spiritum sanctum esse naturaliter immensum; nec solum in loco localiter non consistere, sed nec de loco ad locum posse transire. Nam omnes quidem rationales spiritus quos Deus creavit, licet in locis localiter non sint, tamen de locis ad loca transeunt: quod utique non fecissent, nisi locum in quo fuerant relinquendo, ad locum in quo non fuerant advenissent. Quis enim nesciat, Gabrielem angelum tunc in templum venisse, quando Zachariæ apparuit, et de templo discessisse, postquam officium suæ annuntiationis implevit, et cum in templo fuit alibi non fuisse? Quia nulla est creatura, quæ totam simul creaturam sua præsentia possit implere, quod solius est Trinitatis: cujus sic est sine termino naturalis immensitas, sicut est sine initio æterna divinitas. Unde ipsi quoque omnes sancti angeli, de quibus beatus Petrus dicit, quia in Spiritum sanctum concupiscunt prospicere, nullatenus in eum prospicere concupiscerent, si in seipsis eundem Spiritum sanctum non haberent. Caritate quippe in eum prospicere concupiscunt, quia nemo quod non diligit concupiscit: caritatem autem, qua Spiritum sanctorum diligunt, non nisi per donum Spiritus sancti acciperent. *Caritas enim Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum unctum qui datus est nobis* (Rom. v, 5). Per ipsum autem Spiritum diffusa est caritas in cordibus hominum, per quem diffusa est in mentibus angelorum. Immensus est igitur Spiritus sanctus, qui unus atque idem replet orbem terrarum, replet etiam cælestium spiritus angelorum. Ipse est enim, sicut Scriptura dicit, *Spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, 616 multiplex, subtilis, mobilis, disertus, sine inquinamento, manifestus, sanus, amans bonum, acutus, qui nihil velatur, et qui bene faciat, humanus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat per omnes spiritus intelligibiles, mundos, subtiles* (Sap. vii, 22, 23). Opera quoque Spiritus sancti quis non videat summæ tantum congruere Deitati? *Verbo enim Domini cæli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (Psal. xxxii, 6). In quo se Dominus

Jesus ejicere dæmonia manifestat : et potestatem A signorum et prodigiorum, quæ per se a Christo Paulus fieri dicit, in virtute Spiritus sancti fieri protestatur, dicens : *Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus, in obedientiam gentium, verbo et factis, in potestate signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti (Rom. xv, 18, 19).* Unde et cum alteri datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, et cætera quæ apostolici continet textus eloquii, omnia, sicut supra commemoravimus, operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult (I Cor. xii, 11). In ejus nomine credentes baptizantur, et in ipso signantur. Ipse super Jesum baptizatum descendit et mansit. Quem super se esse, et quo se unctum esse, et a quo se missum esse per Isaiam Dominus Christus ostendens, ait : *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me (Isai. lxi, 1).* Unde cum in synagoga hunc locum prophetici voluminis recenseret, ait Judæis : *Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris (Luc. iv, 21).* Postquam vero in eum baptizatum descendit, dixit Evangelista, *Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est ab Jordane (v. 1).* Ac deinde, postquam diabolus consummata tentatione recessit ab illo usque ad tempus, ait sanctus evangelista : *Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam (v. 14).* Considera itaque cuncta quæ a nobis in memorata sunt, et agnosces Spiritum sanctum, quia unus est sicut Pater et Filius, immensus, implens omnem creaturam, et opera faciens quæ sola divinitas facit : qua idem unus de loco ad locum mitti non potest, qui naturaliter docetur immensus : nec ei tanquam subdito aliquid imperatur, quia voluntarie illa opera fecit et facit, quæ non potest facere nisi Deus. Quapropter sapienter consideranda est missio Spiritus sancti : qui utique non mittitur sicut angelus, cujus est officium debita servitute implere ; sed sicut Deus, cujus est munera sanctificationis et sanctæ operationis, voluntaria bonitate conferre. Sanctus namque Spiritus (sicut supra docuimus) replet orbem terrarum ; quod de nullo unquam commemoratur angelo, sed de solo dicitur Deo, cui beatus Azarias in camino positus, dicit : *Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, et laudabile et gloriosum nomen tuum in sæcula (Dan. iii, 26) ;* et paulo post ait : *Et cognoscant quoniam tu es Dominus Deus solus in omni orbe terrarum (v. 45).* Ubi utique docuit, vere Dominum Deum esse, qui est in omni orbe terrarum. Qui autem orbem terrarum non implet, esse in orbe terrarum non potest, ac per hoc nec Dominus Deus est. Necesse est igitur fateamur Dominum Deum esse Spiritum sanctum, de quo dicit Scriptura, quia *Spiritus Domini replevit orbem terrarum (Sap. i, 7).* Multa possem dicere de Spiritu sancto, 617 quo terminandi hujus operis intentione prætereo. Illud tamen velim dicas, quid necesse sit ut sacramentum baptismatis non detur in nomine solius Patris, nec in nomine tantum Patris et Filii, sed in nomine totius Trinitatis, id est, Patris et Filii et Spi-

ritus sancti, si non es. Spiritus sanctus ejusdem nature ac virtutis, cujus sunt Pater et Filius. Quid sibi vult in baptismatis sacramento una commemoratio nominis, si non est illi una operatio Trinitatis? Quid necesse est ut homo in baptismo sine Spiritus sancti nomine salvari non possit, si sanctus Spiritus hominem non creavit? Aut illud quod majus est magis attende ; cur supra Dei Filium venit, si creatus est, non creator ; aut quomodo eum replevit, si non æqualis credendus est esse, sed minor? Cum utique nec illius operatio renovando esset homini necessaria, qui hominem non fecit ; nec super Christum veniret Spiritus, quem dicitis quia Pater per Filium fecit ; nec impleret illum, cui æqualis esse non potuit. At tu, qui de missione Spiritus sancti renovas quæstionem, et dicitis quia Spiritus sanctus mitti docetur ac dirigi ut angelus et minister, recogita quæ sunt a nobis superius dicta, et invenies Spiritum sanctum non sicut angelum mitti. Ille quippe mittitur de loco ad locum, ac sic illic mittitur ubi non fuit. Spiritus autem sanctus, qui totum implet, et nusquam deest, illic dignatur a Patre mitti per gratiam suam, ubi semper est per immensam divinitatem suam, et illic venit collatione muneris, unde nunquam deest magnitudine deitatis. Non ergo, sicut tu tibi pro voluntate tua ex meo nomine respondisti, missio Spiritus sancti, apparitio ejus dicenda est : quia tunc visibili demonstratione missus est, quando ad significandam gratiam ejus sic erat missio ejus intimanda fidelibus, ut ex eo quod oculis visibiliter cernerent, invisibilis gratiæ munera cognovissent. Visum vero tibi est, de prece qua tempore sacrificii postulatur adventus Spiritus sancti, velle localem ejus ostendere missionem. Sed de Spiritu sancto tunc digne cogitare poteris, si carnis prudentiam, quæ inimica est Deo (Rom. viii, 7), non sequaris. Illud enim primitus attendendum est, quod beatus Paulus fidelibus ait : *Nescitis quis templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis (I Cor. iii, 16)?* Quod utique ut diceret, promissionem nostri Salvatoris attendit, dicentis : *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum ; Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum : vos autem cognovistis eum, quia apud vos manet, et in vobis est (Joan. xiv, 16, 17).* Ecce Dominus Jesus fidelibus suis dedit Spiritum sanctum, ut cum eis sit in æternum, et in eis maneat. Quod si verax est promissio Salvatoris, quod nemo Christianus dubitat, necesse est ut Spiritus sanctus a fidelibus non recedat : qui non nisi ab illis aufertur, quos Deus a facie sua projecit. Propter quod beatus David dicit : *Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctorum tuorum ne auferas a me (Psal. l, 13).* Cum ergo in his qui recte colunt Deum, sanctus Spiritus æterna prorsus habitatione requiescat, quomodo eum postulant sibi mitti? Quia utique ad sacrificandum digni non assisterent, si in se sanctum Spiritum non haberent. In quo etiam orandum sanctus Apostolus admonet 618 dicens : *Orantes omni tempore in Spiritu, et in ipso vigilantes in omni instantia et obsecratione (Ephes. vi, 18).* Quo-

modo ergo sibi mitti postulant, quem sibi datum divinitus, et in se manere jugiter non ignorant? An forsitan priusquam sancti homines precem fundant, in eis sanctus Spiritus requiescit, et cum precaturus senserit, mox recedit? Quod si ita esset, melius fuit ut sancti homines nunquam orarent, et in se sanctum Spiritum jugiter haberent, quam oraturos aliquando ille desereret: unde consequenter illud non commodum inveniretur esse, sed noxium, quod ait evangelista, *quia oportet semper orare* (Luc. xviii, 1). Omni tempore præcipit. Quis autem sani capitis dicat, quod in seipso Spiritum non habeat qui in Spiritu orat? An forsitan tempore quo sacrificium offertur, existimas in illis quidem qui precem fundunt esse Spiritum sanctum, sed in ipso loco non esse ubi sacrificium ponitur? Sed quis ita sapit, nisi qui desipit? Aut quis existimet adventum sancti Spiritus locale, nisi qui carnali cogitatione possessus, et ob hoc a spiritali cogitatione exclusus, sic vult cogitare divina, sicut cogitat humana; et sic cogitat Spiritum Dei qui replet orbem terrarum, sicut potest cogitare humanum vel angelicum spiritum? Cum ille Spiritus sanctus sic totam repleat creaturam, ut ipse unus semper ubique sit totus. Agnosce igitur quid in offerendis sacrificiis agitur, ut exinde intelligas quare ibi adventus sancti Spiritus postuletur. Nempe illud impletur in sacrificiis offerendis, quod ipsum Salvatorem nostrum præcepisse beatus testatur Apostolus, dicens: *Quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit et dixit: Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam exaravit, dicens: Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine; hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat* (I Cor. xi, 23 et seq.). Ideo igitur sacrificium offertur, ut mors Domini annuntietur, et ejus fiat commemoratio, qui pro nobis posuit animam suam. Ipse autem ait: *Majorem hæc dilectionem nemo habet, quam ut animam quis ponat pro amicis suis* (Joan. xv, 13). Quoniam ergo Christus pro nobis caritate mortuus est, cum tempore sacrificii commemorationem mortis ejus facinus (al. faciamus), caritatem nobis tribui per adventum sancti Spiritus postulamus: hoc suppliciter exorantes, ut per ipsam caritatem qua pro nobis Christus crucifigi dignatus est, nos quoque gratia sancti Spiritus accepta, mundum crucifixum habere, et mundo crucifigi possimus: imitantesque Domini nostri mortem, sicut Christus quod mortuus est peccato, mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo (Rom. vi, 10), etiam nos in novitate vitæ ambulemus (v. 4); et munere caritatis accepto, moriamur peccato, et vivamus Deo (v. 11). *Caritas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (Rom. v, 5). Nam et ipsa participatio corporis et sanguinis Domini, cum ejus panem manducamus, et calicem bibimus, hoc utique nobis insinuat, ut moriamur mundo, et vitam nostram absconditam habeamus

A cum Christo in Deo, carnemque nostram 619 crucifigamus eum vitis et concupiscentiis suis. Sic fit ut omnes fideles, qui Deum et proximum diligunt, etiamsi non bibant calicem corporeæ passionis, bibant tamen calicem dominicæ caritatis: quo inebriati, membra sua quæ sunt super terram mortificent, et induti Dominum Jesum Christum, carnis curam non faciant in desideriis; neque contemplantur quæ videntur, sed quæ non videntur. Sic enim calix Domini bibitur, dum sancta caritas custoditur; sine qua, si corpus suum quisquam tradiderit ut ardeat, nihil ei prodest. Dono autem caritatis hoc nobis confertur, ut hoc in veritate simus, quod in sacrificio mystice celebramus. Illud utique quod Apostolus ait, *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus*; ideo B addidit, *Omnes qui de uno pane participamus* (I Cor. x, 17). Hoc autem ut tempore sacrificii postulemus, saluberrimum habemus nostri Salvatoris exemplum, qui hoc nos in commemoratione mortis ejus poscere voluit, quod nobis ipse, verus Pontifex, morti proximus postulavit, inter alia dicens: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos* (Joan. xvii, 11); et paulo post: *Non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me; ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, et mundus credat quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam mihi dedisti, dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint connumerati in unum* (Ibid., 20 et seq.). Hoc ergo nobis C poscimus, cum corpus et sanguinem Christi offerimus, quod nobis poposcit, quando se pro nobis offerre dignatus est Christus. Nam recense Evangelium, et invenies ipsum Redemptorem nostrum ista oratione completa ingressum in hortum, et statim Judæorum manibus comprehensum. Attamen post eam in qua discipulis sacramentum sui corporis et sanguinis dedit, istam pro suis fidelibus orationem Salvator effudit: ostendens, hoc nos maxime tempore sacrificii orare debere, quod ipse sacrificandi regulam constituens, dignatus est summus Pontifex postulare. Hoc autem quod petimus, id est ut in Patre et Filio unum simus, per unitatem gratiæ spiritalis accipimus, quam a nobis sollicitè servari beatus Apostolus præcipit, dicens: *Supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis*. Petimus ergo ut Spiritus sanctus veniat, non secundum substantiam immensæ divinitatis, sed secundum donum individuae caritatis. Nam si de loco ad locum existimas venire Spiritum sanctum, consequens est ut etiam Patris et Filii de loco ad locum fatearis adventum. Ait enim Dei Filius: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (Joan. xiv, 23). Veniunt itaque Pater et Filius ad dilectorem suum, qui tamen non diligantur nisi ab eo in quo habitare dignantur. *Deus enim caritas est* (I Joan. iv, 8); Deus autem caritate diligitur: tunc ergo Deus diligitur cum habetur. Sicut enim oculus, nisi lucem acceperit, ipsam lucem pe-

nitus non videbit; ita Deus tunc incipit ab homine diligi, cum homo cœperit a Domino visitari. Quomodo ergo ad dilectorem suum veniunt Pater et Filius, a quo diligere non possent, si in eo non essent; nisi quia digne venire dicuntur, cum gratiam quam donant, incremento profectus melioris accumulunt? Veniunt ergo ad dilectorem suum, non accedendo ad hominem in quo jam erant, sed augendo in homine dona sua quæ dederant. Sic et Spiritus dicitur venire, dum a fidelibus poscitur, quando donum caritatis et unanimiatis, vel conferre, vel augere dignatur. In quo munere præcipue, et, ut ita dicam, proprie cognoscitur Spiritus sanctus. Potest enim alia quælibet per omnipotentiam donare, et ipse per gratiam non adesse: se autem ipsum demonstrat per gratiam præsentem, quando tribuit caritatem. Unde si linguis hominum quisquam loquatur et angelorum, caritatem autem non habeat, fiet velut aramentum sonans, aut cymbalum tinniens; et si habuerit prophetiam, et noverit mysteria omnia, et omnem scientiam; et si habuerit omnem fidem, ita ut montes transferat, caritatem autem non habeat, nihil est; et si distribuerit in cibos pauperum omnes facultates suas, et tradiderit corpus suum ut ardeat, caritatem autem non habeat, nihil ei prodest (I Cor. xii, 1 et seq.). Quis autem illa omnia neget dona esse Spiritus sancti, cum ea per Spiritum dari testetur Apostolus? Sed nihil horum prodest ubi caritas non est. Illa enim omnia dat Spiritus sanctus, etiam illis in quibus ipse non habitat; ab illis autem quibus caritatem tribuit non recedit. Sancta ergo Ecclesia, dum in sacrificio corporis et sanguinis Christi, mitti sibi precatur Spiritum sanctum, donum postulat utique caritatis, quo servare possit unitatem spiritus in vinculo pacis (Ephes. iv, 3): et quia scriptum est: *Valida est sicut mors dilectio* (Cant. viii, 6), ad mortificationem membrorum quæ sunt super terram, illam postulat caritatem, per quam pro se gratis mortuum suum meminit Redemptorem. Sanctificat itaque sacrificium Ecclesie catholice Spiritus sanctus: et ideo in fide et caritate populus permanet Christianus, dum unusquisque fidelium, per donum sancti Spiritus, ideo digne corpus et sanguinem Domini manducat et bibit, quia et rectam tenet de Deo suo fidem, et bene vivendo non deserit ecclesiastici corporis unitatem.

621 FRAGMENTUM XXIX.

In fontis benedictione cur postuletur Spiritus sanctus. Quid Helicæ spiritus duplex; quid spiritus multiplex; quid in Apocalypsi septem spiritus ante thronum Dei. Spiritus sanctus est arbitrii sui. Quid sit mitti Filium a Patre, quid mitti a Patre et Filio Spiritum sanctum. Filius ut homo, missus est a Patre et a Spiritu sancto.

Et in fontis itaque benedictione non sic mitti petimus Spiritum sanctum, tanquam localem ejus poscimus adventum; sed in Deo Patre scientes Spiritus sancti naturaliter esse originem, ab ipso Deo Patre spiritalis doni poscimus largitatem, nomine ejus nuncupantes dona ejus; quod non sine sancte Scripture auctoritate facimus. Sunt enim horum vocabulorum plurima in canonicis libris exempla, in quibus dona

A Spiritus sancti cognoscantur ejus nomine nuncupata. Legimus enim quoniam cum esset sanctus Helias levandus in cœlum, dixit Helisæo ut quod vellet postularet, priusquam tolleretur ab eo. Helisæus autem ait: *Obsecro ut fiat duplex spiritus tuus in me* (IV Reg. ii, 9). Ubi utique spiritale donum videmus spiritus nomine nuncupatum. Nam illa Spiritus sancti simplex natura, in seipsa (sicut est plena semper et incommutabilis manens) nec minuitur, nec augetur. Dicitur est quidem in libro Sapientie: *Spiritus sanctus, unicus, multiplex* (Sap. vii, 22). Sed hoc quod multiplex dicitur, non in seipso, sed in suis numeribus invenitur. Sic autem dicitur in veteribus Libris multiplex Spiritus Dei, sicut in apostolicis Epistolis *multiformis sapientia Dei* (Ephes. iii, 10): quæ tamen non in seipsa, sed in suis est largitatibus multiformis. B Quod manifestissime beatus Petrus ostendens, ait: *Unusquisque qualem accepit gratiam, inter vos eam ministrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratie Dei* (I Petr. iv, 10). Una est itaque simplexque natura Patris et Filii et Spiritus sancti; secundum quam naturam, simplex est et Sapientia Dei, et Spiritus Dei. *Habentes autem donationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes* (Rom. xii, 6), Sapientiam Dei et Spiritum Dei, quem in sua natura simplicem novimus, in suis multiformem donationibus invenimus. Spiritus autem nomine dona spiritalia beatus quoque Joannes in Apocalypsi nuncupans, ait: *Joannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia: gratia vobis et pax ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est, et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt* (Apoc. i, 4). Hic utique septem spiritus dicens, unum Spiritum septiformis gratiæ largitorem voluit intelligi; quem Isaias Spiritum sapientiæ et intellectus, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiæ et pietatis, et Spiritum timoris Dei (Isa. xi, 12), ipsius gratia illuminatus agnovit. Ubicumque igitur 622 in Apocalypsi beati Joannis septem spiritus nominantur, septem dona unius Spiritus sancti agnoscantur. Quod si forte hic in septem spiritibus, non ipsam septiformem spiritalium donorum gratiam credis, sed septem prorsus spiritus existimas propriis distare personis: dic nobis utram eos Spiritu sancto, id est Paracleto de quo nunc agimus, æquales, an minores, an potiores, existimes. An forte unum de illis septem istum sanctum Spiritum putes? Si enim istos quos putas septem spiritus, æquales sancto Spiritui dixeris, jam non septem, sed octo spiritus sanctos unius dignitatis sine dubio nuncupabis. Quæ igitur causa fuit ut ab illis septem spiritibus gratiam Ecclesiis beatus Joannes optaret, et ab eis gratiam Paracleti Spiritus submovisset? cum in libro Actuum apostolorum scriptum sit, quod cum beatus Petrus Cornelio, et cæteris qui cum eo fuerant, verbum fidei loqueretur, *Cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum, et obstupuerunt ex circumcissione fideles qui venerant cum Petro, quia et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est* (Act. x, 44, 45). Nunquidnam hujus sancti Spiritus gratiam minorem beatus Joannes noverat, et ideo Ecclesiis quæ erant

in *Anti tuæ*; is septem spiritibus gratiam postulat? **C** **LXVII**, 29^e si octo spiritus essent, simul debuit ab omnibus spiritibus illis Ecclesiis postulare donum gratiæ spiritalis, ut eorum quos æquales asseris nulla esset separatio largitatis. Si vero illos septem spiritus minores dicis esse Paracletum, denuo requiritur cur minorum spirituum gratiam beatus Joannes fidelibus dari voluit, et potioris gratiam non quesivit? Cum profecto ille possit esse largitor melioris gratiæ, qui superioris est et naturæ. Si vero istos septem spiritus potiores sancto Spiritu pronunties, quæ causa est ut illis omissis, solus Spiritus sanctus cum Patre et Filio in baptismo nominetur, qui etiam spiritus adoptionis filiorum ab Apostolo nuncupatur (*Rom. viii*, 15)? Cum sine dubio illi quos dicis esse septem spiritus, secundum sententiam tuam et natura meliores et numero plures, debuerint cum Patre et Filio in sacramento baptismatis nominari; qui et numeri pluritate, et dignitate naturæ, possent renascentibus gratiam potiore copiosioreque largiri. Debuit ergo, si ita esset ut dicis, sanctum baptisma non in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, sed in nomine Patris et Filii et septem spirituum dari. Similis regula servari debuit et in baptismo, si unus ex illis septem spiritibus esset Spiritus sanctus. Quod si hoc faciendum sentis, aut dicis, attende Christum cujus regule contradicis. An forsitan, ut Spiritum sanctum minorem ostendas Patre ac Filio, eum de sacramento baptismatis eximis, et alium ibi Dei Spiritum introducis? Solent enim aliqui vestrum, cum cœperint de sancti Spiritus divinitate convinci, pro eo quod certum est homines in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (secundum Domini Salvatoris regulam) baptizari, ad eam se convertere pravitatem, ut dicant non istum Spiritum Paracletum, sed alterum esse Spiritum Dei, in cujus nomine accipiunt credentes baptismatis sacramentum; quem Paracletum Spiritui sine dubio præferunt. Quod si hoc ita est, dicite nobis utrum istum Spiritum, solius Patris, an solius Filii, an utriusque **623** esse credatis? Quod si solius Patris istum Spiritum dicitis, sine dubio eum potiore Filio prædicatis. Querimus ergo, utrum saltem istum unius cum Deo Patre dicatis esse naturæ? Quod si unam Dei Patris et istius Spiritus naturam dicitis, necesse est autem Dei Filio præferatis. Quod si hoc ita est, ergo secundum sensum vestrum, ordo nominum male positus est a Christo in baptismatis sacramento. Si enim cum Deo Patre et Spiritu ejus non unius est naturæ, non debet inter nomen Patris et Spiritus sancti Filii nomen interseri; cum nomen Patris et Spiritus sancti, naturalis doceat unitas debere conjungi. Verumtamen hic meminisse vos convenit, super Jesum baptizatum, Spiritum Paracletum (de quo nunc agimus) descendisse. Considerate igitur, ne illum potiore dicere debeatis qui super Christum descendit in Jordane, quam illum alterum quem nunc existimatis dari fidelibus in sancto baptismo. Sed in omnibus vos divinitas summa convincit et destruit. Testatur enim Deus Pater Spiritum suum se super Fi-

lium dedisse; quod per Isaiam dictum sanctus evangelista in persona Christi commendat his verbis: *Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo bene placuit animæ meæ: ponam Spiritum meum super eum (Matth. xii, 17; Isa. xlii, 1)*. Quod etiam in ejus baptismo insinuare curavit, dicens: *Baptizatus autem, confestim ascendit de aqua: et ecce aperti sunt ei cæli, et vidit Spiritum Dei descendantem sicut columbam et venientem super se (Marc. i, 10)*. Videsne, ipsum esse Spiritum Dei, quem vos sine reverentia blasphematis, et minorare contenditis? An forte dicis etiam istum quidem Spiritum Dei esse, sed tamen esse alterum Spiritum Dei, qui in sacramento baptismatis cum Patre et Filio nominatur? Sed (sicut superius dixi) ex eo quod iste super Christum descendit, non a vobis debet minor illo Spiritu, sed potior æstimari. Deinde quæro utrum ille Spiritus quem Dei esse Spiritum dicitis, unus sit communis Patris et Filii, an solius Patris esse dicatur? Si enim unus est iste Spiritus Patris et Filii, et idem Spiritus unius est naturæ cum Patre, profecto unius est etiam naturæ cum Filio. Unius ergo sunt naturæ, uniusque divinitatis Pater et Filius; quia unus utriusque Spiritus unam habet cum Patre Filioque naturam. Si vero istum unum Spiritum solius esse dicitis Patris, non etiam Filii, attendite illud quod Apostolus ait: *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus (Rom. viii, 9)*; et aut negate vos Christi esse, si Spiritus ejus non est in vobis; aut dicite, non Patrem et Filium et Spiritum sanctum, sed Patrem et Filium, et duos in vobis spiritus habitare. Sed cum nemo possit duobus dominis servire (*Matth. vi, 24*), quomodo vos juste poteritis quatuor dominorum servos asserere? An unum dominum Patrem cum Spiritu suo, et alterum dominum Filium cum Spiritu suo esse dicitis? Sed etiam sic duorum dominorum vultis esse servi, quandiu Patrem et Filium non vultis unum Dominum confiteri. Sed nec Patris et Filii servi esse poteritis, donec unam dominationem Patris Filiique non creditis: ac per hoc, quandiu Patrem et Filium duos dominos dicitis, et tamen duobus servire dominis non potestis, non servitute carebitis, sed salute. Quapropter **624** majestatem sancti Spiritus, Fabiane, cognosce, et eum blasphemare jam desine: qui utique ideo ad benedicendum fontem postulatur ut veniat, ut donum adoptionis filiorum donata peccatorum remissione concedat. Venit enim in largitate suorum munerum, cum ipse non desinat orbem replere terrarum. Pater autem eum mittit, quia a Patre procedit: mittit autem origine majestatis, non imperio jussionis. Sic autem Spiritus sanctus, qui ubique totus est, venit, sicut venire cum Deo Patre Filius consuevit. Missio ergo Spiritus sancti collatio est invisibilis numeris, non apparitio personalis: quia nec ipsa missio localis intelligitur, ubi qui mittitur immensus naturaliter invenitur. Cujus missionem ut in suis muneribus evidenter agnoscas, illud attende quod beatus Joannes in Apocalypsi dixit, septem spiritus Dei missos per

orbem terrarum (*Apoc. v, 6*) : cum ipse in Evangelio dixerit, Salvatorem nostrum non septem spiritus a se atque a Patre promississe mittendos, sed unum Paracletum, Spiritum veritatis qui a Patre procedit (*Joan. xiv, 26*). Nunquid ergo Evangelii sui beatus Joannes potuit oblivisci, ut illic unum Spiritum diceret esse promissum, et hic septem spiritus diceret esse missos? aut ipse Dominus non omnes septem spiritus debuit apostolis dare, quos principes sæe constituebat Ecclesiæ? An et ipsos apostolis septem spiritus asseris missos? quod te dicere sancta nullatenus permittit auctoritas. Nam et die Pentecostes ipsum sanctum Spiritum apostoli acceperunt quem eis promiserat Dominus; et cunctis fidelibus atque obedientibus Deo unum eundemque Spiritum sanctum datum esse testati sunt, dicentes : *Et nos sumus testes horum verborum, et Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi* (*Act. v, 32*). Ipse unus Spiritus omnibus est fidelibus datus, de quo Apostolus ait, *Et omnes uno Spiritu potati sumus* (*I Cor. xii, 13*). Quod ergo ait beatus Joannes, septem spiritus Dei missos per orbem terrarum, ostendere voluit qualiter unus Spiritus Dei, non in se (qui ubique semper immensus est), sed in suorum munere largitate mittatur. Dixit ergo septem spiritus Dei missos per orbem terrarum, ut ostenderet, Ecclesiæ per orbem terrarum ubique diffusæ septiformem gratiam sancti Spiritus largitate collatam. Sanctus itaque Spiritus, qui Ecclesiæ caritatem et donat et servat, et sacrificium, et baptisma divinæ virtutis operatione sanctificat. Proinde, non est baptisma nostrum (sicut tu dicis) nullius momenti, nulliusque substantiæ. Baptisma quippe, quod in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti datur, quando intra Ecclesiam catholicam datur, et formam in se pietatis continet, et virtutem. Forma itaque pietatis visibili tinctione confertur : virtus autem pietatis, dono veræ fidei et caritatis infunditur. Hæretici vero et schismatici, de Ecclesia recedentes, perdiderunt pietatis virtutem, quia non tenuerunt veram fidem, nec custodierunt ecclesiasticam caritatem : formam vero pietatis, quod est tinctionis visibile sacramentum, non amiserunt quando de Ecclesia exierunt. Remansit autem in eis ad damnationis testimonium, non ad salutis auxilium. Hoc ergo extra Ecclesiam dederunt, quod acceptum nullatenus perdiderunt, id est baptismatis visibile sacramentum. Quod baptismatis **625** non ideo dicendum est apud hæreticos non habere pietatis formam, quia virtutem pietatis ibi non habet : sed formæ pietatis reddenda est virtus, quam sola unitas catholica possidet, in qua est et rectæ fidei veritas, et caritatis indisrupta societas. Hoc unum corpus Ecclesiæ unus Spiritus vivificat. Propter quod ait beatus Paulus : *Unum corpus, et unus Spiritus* (*Ephes. iv, 4*). In hoc uno corpore permanentibus singulis quibusque membris, et forma inesse invenitur et vita. Ab hoc autem corpore omne membrum quod fuerit sive infidelitate, sive animositate præcisum, formam retinet, vita caret. Membrum enim quod a corpore separatur, invisibilem quidem vitam perdit, formam

A tamen visibilem non amittit. Deo **626** nuncupat, ut et minorem ostendi Spiritum sanctum, quod Helias postulat ut descendat aut veniat, si in libertate, vel liberi arbitrii est. Et quomodo liberi arbitrii Spiritui sancto denegat Fabianus, quod ipsi præcipue Paulus assignat apostolus, dicens : *Dominus autem Spiritus est. Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas* (*II Cor. iii, 17*)? Ergone Spiritui sancto a te, Fabiane, libertas negatur arbitrii, qui nobis ad hoc datur, ut per eum libertas nostri arbitrii gratuitum munere reparetur? Quis enim unquam sine gratia Spiritus sancti potuit mortifera servitute carere peccati? Quis, rogo, sine sancti Spiritus munere, ad interioris recidiva libertatis exordia potuit aliquatenus aspirare? Proh nefas! quantum se superbiendo præcipitat humana temeritas! et dum in sui Creatoris ac Liberatoris contumeliam prosilire contendit, divinæ bonitatis beneficia non attendit. Ait enim Dei Filius : *Si vos Filii liberaveris, vere liberi eritis* (*Joan. viii, 36*). In eo autem quod liberamur, Dei filii efficiamur, quia liberati a peccato, servi autem facti Deo (*Rom. vi, 22*), in quo accipimus donum divinæ adoptionis, in eo utique accipimus gratiam libertatis. Beatus autem Apostolus ait : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore : sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater* (*Rom. viii, 15*). Quomodo ergo ipsi Spiritui adoptionis homo libertatem audent adimere, quam sine ipso Spiritu, nec recipere potest perditam, nec valet obtinere collatam? Et quod pejus est, audes, Fabiane, dicere quia liberum arbitrium homini quidem non deest, et sanctus Spiritus liberi arbitrii non est. Nobis dicit Apostolus : *Vos enim in libertatem vocati estis, fratres : tantum ne libertatem in occasionem carnis detis ; sed per caritatem Spiritus servite invicem* (*Gal. v, 13*). Ecce caritas Spiritus nos in libertatem fecit vocari : quomodo ipse Spiritus liberi esse negatur arbitrii? Sed quoniam ille Spiritus arguit mundum de peccato, et de justitia, et de judicio (*Joan. xvi, 8*) ; cum pro hoc peccato veneris ad iudicium, tunc liberum sancti Spiritus experieris arbitrium. Dicis interea in eo esse minorem atque subiectum Spiritum sanctum, quia non petitur ut descendat, ut veniat, ut ipse se mittat ac dirigat : non autem negas Filium missum a Patre, propter quod eum **627** minorem conaris asserere. Si ergo divinorum cognoveris attestatione voluminum, Filium a prophetis postulatum ut descenderet ac veniret, saltem hinc eum fateberis non esse subiectum ; dicesque eum esse voluntatis liberæ, ac propriæ potestatis. Cui enim nisi Filio quem descensurum noverat, beatus propheta dicebat : *Domine, inclina cælos, et descende* (*Psal. cxliii, 5*)? aut cuius, nisi Dei Unigeniti poscebat adventum, dicens : *Qui pascis Israel, intende ; qui deducis velut oves Joseph. Qui sedes super Cherubim, appare coram Esrem, et Benjamin, et Manasse. Excita potentiam tuam, et veni ut liberes nos* (*Psal. lxxix, 1, 2, 3*)? Agnosce igitur, in eo quod Pater postulabatur, dicente propheta : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam* (*Psal. xlii, 3*) ; et : *Manda, Deus,*

virtutis tuæ; confirma quod operatus es in nobis (Psal. LXVII, 29), a Patre Filium missum; in eo vero quod ut veniret a prophetis ipse Filius rogabatur, Filium propria voluntate venisse. Nunquam enim a prophetis postularetur Filius, si in propria potestate non ejus fuisset adventus. Rogabatur ergo Pater, ut ipse mitteret Filium, quia genuit Filium; neque tamen Filius rogaretur ut descenderet ac veniret, si unam eandemque cum Patre potestatem naturaliter non haberet. Sancti ergo prophetæ sciebant se Filium rogare, cum rogabant Patrem; similiter et Patrem postulare, cum Filium postulabant: ideo sive ad Patris, sive ad Filii personam precem dirigerent, totam Trinitatem in unius personæ compellatione posebant, quia unam Trinitatis substantiam venerant. Filius est igitur a Patre missus, non Pater a Filio: quia Filius est a Patre natus, non Pater a Filio. Similiter etiam Spiritus sanctus a Patre et Filio legitur missus, quia a Patre Filioque procedit. Sed quia non uno modo in Scripturis sanctis dicitur missio, propterea in sacramento Incarnationis, non solum a Patre, verum etiam a Spiritu sancto missus est Filius: quia mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, totius est Trinitatis operatione plasmatus. Alio autem modo mittitur a Patre et Filio Spiritus sanctus, qui (*Æneas l. contra Græcos*, quia) naturaliter a Patre Filioque procedit. Mittitur enim a Patre et Filio Spiritus sanctus, cum ab ipsa Trinitate, uno Deo, gratiæ spiritalis donatur effectus. Aliter vero a Patre et Spiritu sancto missus est Filius, quando semetipsum exinaniens, formam servi accepit. Neque enim hoc est in personam suam accipere carnem, fierique Verbum hominem, quod est invisibili potentia conferre cujusquam muneris largitatem. Non enim vere Spiritus sanctus vere columba factus est aut vere ignis factus est, quando eum talium rerum visione significari (*Florus legit*, signari) oportuit. Verbum autem caro factum est, quando Unigenitus Deus carnem accepit. Quod tamen non aliena potestate, sed propria fecit; neque sua tantum, quia illud pietatis sacramentum, totius Trinitatis est una voluntate ac potestate perfectum. Miror autem quomodo a Spiritu sancto mitti non credas angelum, a quo missum legis ipsum Dominum angelorum. Patrem vero invocamus, propter originem et naturalem divinitatis atque individua unitatem. Quod utique dono divinæ inspirationis sancta custodit Ecclesia. Non enim poterat plurali numero Trinitatem poscere, ne ab infidelibus non Deo, sed diis putaretur religio Christiana servire. Patrem ergo sancta Ecclesia in precibus poscit, quem esse originem Filii et Spiritus sancti, recta credulitate cognovit. Ideo autem nomine Filii et Spiritus sancti, orationes precesque consummat, ut sanctam Trinitatem unius esse naturæ ac majestatis ostendat. De potestate autem Spiritus sancti quam illi in creatura denegare non metuis, cum tu ejus effugere potestatem 627 justitiamque non possis, jam tibi superius respondi. Manifestum est enim eum plenam habere rerum omnium potestatem, quia omnia ope-

ratur, dividens singulis prout vult (I Cor. XII, 11). Noli ergo negare superbus sancti Spiritus potestatem, ne condemnatus sentias æquitatem. Spiritus enim sanctus naturaliter Dominus est, quia naturaliter Spiritus Domini est; non solius Domini Patris, nec solius Domini Filii; sed unius Domini, scilicet Patris et Filii: et quia naturaliter unus est Patris et Filii Spiritus, cum Patre et Filio naturaliter unus est Dominus. Qui propterea non venit, nisi cum a Patre Filioque mittitur, quia inde est ejus voluntaria veniendi potestas, unde est ejus naturaliter æterna divinitas.

FRAGMENTUM XXX.

Non omnis missio apparitio est. In columba tantum, et in linguis igneis apparuit Spiritus sanctus, sæpe alias missus sine apparitione. Diabolus non est missus ad Job, sed permissus. Mittuntur angeli ut administratorii Spiritus. Non orat pro nobis Spiritus sanctus eo modo quo Filius.

Ecce iterum dico quod superius dixi: Non omnis missio apparitio est, et maxime missio Spiritus sancti. Cujus missionem non nisi secundo visibiliter oportebat ostendi; non per propriam naturam, sed per subditam creaturam, quæ creatura et aliquid significaret, et peracta significatione transiret. Sic autem in illa columba, et linguis igneis significari oportuit Spiritum sanctum (quem tamen non credimus localiter missum), sicut oportebat ut Deum Patrem significaret illa vox quæ super Jesum baptismatum facta est: in qua tamen sic personam significatam Patris accipimus, ut ejus divinitati temporalem locutionem ascribere nullatenus audeamus. Spiritus autem qui de cælo mittuntur, tunc apparent quando eis a Deo præcipitur, et tunc non apparent quando eis divinitus non jubetur; illuc tamen mittuntur, ubi non fuerunt antequam mitterentur. Quod de sancto Spiritu non potest recte vel credi vel dici, quem constat ubique semper esse totum, quia *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (*Sap. i, 7*). Falsum est autem quod dixisti, Diabolus cum ad Job missus est, quare non apparuit? Neque enim sancta Scriptura dixit ad Job diabolus missus, quamvis dixerit fuisse permissum. Inaniter igitur tibi verba inutilia de missione atque apparitione angelorum multiplicando versas, et versando multiplicas; quasi nos ideo negemus angelos missos, quia se plerumque manifestaverunt. Cum utique in eo quod mittuntur, sive oculis humanis appareant, sive a conspectu hominum semetipsos abscondant; sic tamen mittuntur quemadmodum 628 auctoritas apostolica protestatur: *Administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Hebr. i, 14*). Sed nunquam talis potest esse missio Spiritus sancti, Ille enim nullam potest habere cum angelis similitudinem missionis, quia ubicunque sunt sancti angeli, ipso sunt omnes uno Spiritu pleni, qui totus est in singulis, et unus incunctis. Angelus vero et minister nunquam sanctus Spiritus nominatur: cum in opere una quidem sit annuntiatio Trinitatis, et in subministratione Spiritus, non sit ministerium servitutis, sed divinæ majestatis auxilium. Quod beatus Petrus indubitanter

ostendit, dicens: *Sive qui loquitur, tanquam sermo- A nes Dei: sive qui ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus* (I Petr. iv, 11). Ubi ostenditur non cuiusquam creaturæ, sed solius esse Dei, auxilium administrare virtutis. Illi quoque objectioni, qua sanctum Spiritum postulare, gemere, atque interpellare dixisti, quantum me Dominus adjuvit, dedi responsum; ostendens quemadmodum ille sermo Apostoli secundum regulam debeat veritatis intelligi. Nam revera Christus, qui est in dextera Dei, interpellat quidem pro nobis (Rom. viii, 34), sed secundum quod dignatus est Sacerdos esse, et obtulit semetipsum pro nobis, oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis (Ephes. v, 2). Inde igitur oratio, unde oblatio; inde obsecratio sacerdotis, unde illi

nobiscum natura communis. Proinde ipse est qui et orat pro nobis, et oratur a nobis. Orat namque pro nobis secundum quod est Sacerdos noster, et caput corporis Ecclesiæ, unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus; oratur autem a nobis secundum quod cum Patre naturaliter unus est Deus. Spiritus autem sanctus, neque apud Patrem, neque apud Filium, pro nobis ullum postulationis officium gerit; sed cum Patre et Filio, unum postulationibus nostris auditum benignitatis impendit, unam misericordiam tribuit, unum confert auxilium, unam remissionem condonat peccatorum. Simul enim a nobis, dum Patrem poscimus, tota Trinitas poscitur. quia quicquid salubre nobis est, tota Trinitas inseparabili virtute ac bonitate largitur.

IX LIBRO IX. DE INVOCATIONE TRINITATIS.

629 FRAGMENTUM XXXI.

Non Pater tantum invocatur, sed etiam Filius. In una persona invocatur tota Trinitas. Quod una persona poscitur, tota Trinitas facit.

Dicis quod sive oratio Dominica, sive omnes orationes communes et preces, non nisi ad solius Dei Patris personam rite fundantur. Nos autem dicimus, orationem quidem Dominicam ad solius Patris semper fundi debere personam; quippe in qua sic orare incipimus, ut ipsum Patrem primitus nominemus. Unde, ex ista regula quam Salvator instituit, Ecclesia, quæ corpus ejus est, orationes suas ad personam Dei Patris fundere consuevit. Verumtamen ut agnoscamus, in unius invocatione personæ totam Trinitatem obsequio fidelis invocationis pariter honorari, invenimus a patriarchis et martyribus sanctis etiam Filium invocatum; quibus utique tu nec ignorantiam veritatis, nec aliquod crimen irreligiosi assignare audebis erroris. In illo igitur quem Deus posuit Patrem multarum gentium (Rom. iv, 17), rei hujus primum accipe documentum: de quo, cum adhuc Abram, et necdum Abraham divino munere vocaretur, in Genesi scriptum sic continetur: *Et visus est Dominus Deus Abrahæ, et dixit ei: Semini tuo dabo terram istam. Et edificavit ibi Abram altare Domino, qui visus est ei. Et recessit inde in montem contra orientem Bethel, secundum mare Agge, contra orientem: et edificavit ibi altare Domino Deo, et invocavit in nomine Domini Dei qui visus est* (Gen. xn, 7, 8). Elige nunc unum e duobus, ut aut Deum Patrem dicas sancto Abrahæ visum, aut Filium asseras invocatum. Vide enim quid Scriptura commendat: *Et invocavit in nomine Domini Dei qui visus est: ubi agnoscitur quia Deus qui visus est, ipse est invocatus. An pro eo quod dictum non est, Invocavit Dominum Deum qui visus est, sed, In nomine Domini Dei qui visus est, ex hoc alterum visum, alterum forsitan existimas invocatum? Dic ergo quem sanctus patriarcha invocaverit, aut in cuius nomine eum existimes invocasse. Procul dubio aut Patrem in nomine Filii, aut Filium in nomine Patris asseris in-*

B vocatum. Sed quodcumque delegeris, necesse est veritatis virtute vincaris. Si enim Filium in nomine Patris asseris invocatum, propter illud quod ait: *Ego tui in nomine Patris mei* (Joan. v, 43); ecce interium Filium a sanctis patriarchis invocatum necesse est fatearis. Quid est autem invocare, nisi orare? Ipsius ergo Abraham oravit, quem invocavit. Placetne tibi, an displicet, Filium a sancto Abraham 630 invocatum? Si placet, aut dic ibi non invocatum Patrem, aut in unius invocatione personæ honorificentiam agnosce communem. Sed profecto, dicens Filium invocatum in nomine Patris, ex hac invocatione Patrem separare non poteris. Cur ergo invocato Filio invocatum credis et Patrem, et invocato Patre etiam Filium non credis invocatum? Cum utique sicut illie invocatio a prole recurrit ad originem, sic etiam hic ab origine recurrit ad prolem. Deus igitur, qui invocatur in nomine Domini Dei, in suo utique nomine invocatur: nec aliud est invocare Dominum, quam nomen Domini invocare. Alioquin quis est cui dicit Isaias: *Domine, præter te alium non novimus, nomen tuum invocavimus* (Isa. xxvi, 13)? Aut cui Jeremias dicit: *Et tu in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos* (Jer. xiv, 9)? David quoque orans, *Deus, inquit, in nomine tuo saltrum me fac, et in virtute tua judica me* (Psal. liii, 3). Postremo, si putas quia non habet regula fidei ut Filius invocetur, beatum Stephanum necesse est reprehendas, de quo scriptum est quod eum Judæi lapidabant *invocantem et dicentem: Domine Jesu, suscipe spiritum meum* (Act. vii, 59). Petri quoque apostoli sine dubio doctrinam abiciens, dicens: *Gratia cum omnibus qui invocant Jesum Christum in perpetuitate. Pax vobis omnibus qui estis in Christo* (I Petr. v, 14). Cur itaque beatus Stephanus ad Filium orationem fundit, si nunquam est Filius exorandus? aut quem alium invocat David nisi Filium, dicens illud quod supra posuimus: *Qui pascis Israel, intende; qui deducis velut oves Joseph* (Psal. lxxix, 1)? Cujus et adventum postulat, dicens (e. 3): *Excita potentiam tuam, et veni*

* Sed priora verba non habentur in Vulgatis.

ut *liberes nos*. Agnosce igitur, invocato Patre, Filium quoque pariter invocari, et invocato Filio, invocari nihilominus Patrem, et ab eadem invocatione Spiritum sanctum pullatenus separari. Unum enim sanctæ Trinitati obsequium orationis debemus, in cuius nomine baptizati, gratiam redemptionis accepimus. Patri ergo dicimus orantes, *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum*, poscentes ut per ipsum faciat quod oramus, per quem nos facere dignatus est ut essemus. Omnia enim Pater per Filium fecit et facit, quia *unus Dominus Jesus Christus per quem omnia* (I Cor. viii, 6); de quo item scriptum est, *quia omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (Joan. 1, 3); et *quia omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant* (Coloss. 1, 16, 17). Sed quia illud quod dicitur, *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, adjurationem existimas, etiam in hoc æqualem Filium Patri cognosce. Apostolica quippe dicit auctoritas: *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum* (Hebr. vi, 15). Deus ergo qui non jurat nisi per semetipsum, non adjuratur nisi per illum qui cum eo unius esse naturæ cognoscitur. Quamvis orationis illa conclusio magis per quem Pater operetur ostendat, non sermonem adjurationis contineat. Quocumque tamen modo dicatur, sufficit, quoniam ad hoc dicitur, ut omnis oratio, omnesque preces, Filii et Spiritus sancti nomine concludantur. Ergo ex quo et beatum martyrem Stephanum ostendimus, in ipso articulo passionis, orationem suam non ad Patris, sed ad Filii direxisse personam; rursusque ad personam Patris orationem sive precem tota dirigit Ecclesia semper; debes agnoscere, omnem rationem fidei nostræ quamvis ad unam ex Trinitate personam videatur dirigi, totius in ea tamen Trinitatis honorificentiam contineri. Ille enim qui ait: *Qui me odit, et Patrem meum odit* (Joan. xv, 22), et de quo beatus Joannes dicit: *Qui diligit genitorem, diligit eum qui natus est ex eo* (I Joan. v, 1); sicut communiter cum Patre vel odio haberi vel diligi, ita cum Pater exoratur, simul cum eo cognoscitur a fidelibus exorari. Et quoniam unus est Patris et Filii Spiritus, necesse est ut dum invocatur Pater aut Filius, in Patre et Filio etiam ille qui unus est utriusque Spiritus invocetur. Unus est autem Jesus Christus, unigenitus Dei Patris Filius, cujus nomine concludimus omnem orationem quam destinamus ad Patrem: nec tamen sine sancti Spiritus nomine, ut ostendamus totam nos humiliter poscere Trinitatem. Non enim omni Trinitati dicimus: *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum*, sed soli Patri, cujus est unigenitus Filius Dominus Jesus Christus. Ad hoc autem, sicut supra jam diximus, nomen Jesu Christi et Spiritus sancti cum Patrem oramus adjungimus, ut quidquid poscimus, a tota nos Trinitate postulare monstremus. Alioquin ostende nobis quomodo possit illud impleri, quod ipse Salvator noster, in ipso sermone novissimo, quem (secundum Evangelium Joannis) ad discipulos habuit, præcepisse cognoscitur. Quodam

enim memorati sermonis loco ait: *Si manserint in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis* (Joan. xv, 7). Illic petendum dixit, sed utrum ab ipso, an a Patre petendum sit non ostendit. Paulo post tamen curavit petendam Patris aperire personam, dicens: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat; ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis* (Ibid., 16): quod rursus inculcans ait: *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (Joan. xvi, 2). Verum tamen audi quomodo etiam seipsum petendum curaverit discipulis intimare, dicens: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet; quia ego ad Patrem vado, et quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam* (Joan. xiv, 12, 13, 14). Ecce Dei Filius petendum insinuat et seipsum. Si quid autem Pater in nomine Filii fuerit petitus, sine dubio daturus est, quia hoc promisit Filius qui est fidelis in verbis suis: si quid etiam Filius in suo petatur nomine, hoc se promittit sine dubitatione facturum. Proinde, aut dic Patris et Filii unum opus esse, et personas in oratione conjungi; aut si separas personas, ut quod petitur Pater, Filium peti non credas, necesse est ut si cui vindicandum putas orationis obsequium, soli ascribas etiam operationis effectum. Ac per hoc, secundum sententiam tuam, in ipsis sanctis apostolis et martyribus magna in suis orationibus diversitas invenitur: dum alius Patrem orat, alius Filium invocat. Nam legimus a beato Paulo Patrem pro fidelibus invocatum, sicut ipse dicit: *Hujus rei gratia, flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitiarum gloriæ sure virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorum hominum, habitare Christum per fidem in cordibus vestris* (Ephes. iii, 14). Quod utique Pater sine dubio fecit. Beatus autem Stephanus Dominum Jesum, ut spiritum ejus susciperet, invocavit. (Act. vii, 59). Quod utique item Dominus Christus invocatus implevit. Quid ergo nunc dicis? Fecitne Filius cum Patre, quod Paulus Patrem petiit, et Pater cum Filio, quod Filium Stephanus invocavit? An quod solum Patrem Paulus petiit, solus Pater fecit, et quod solum Filium Stephanus invocavit, solus Christus implevit? Si enim dixeris illud quod, secundum sententiam tuam, solum Patrem Paulus petiit, a solo Patre fuisse factam, nihilominus fateberis etiam illud quod solum Filium Stephanus poposcit, a solo Filio absque ulla Patris cooperatione perfectum. Ac per hoc separata opera Patris et Filii dicis: ubi ipsi Dei Filio contradicis, dicenti: *Quæcumque enim Pater facit, hæc et Filius facit similiter* (Joan. v, 19). Si vero dixeris, in implendis postulationibus Stephani martyris et apostoli Pauli unum opus esse Patris et Filii, agnosce utriusque unum opus nullatenus esse potuisse, nisi per unitatem naturæ; ut et Pater se a Stephano invocatum in Filio cerneret, et a Paulo exoratum se in

Patre Filius agnovisset. Sed et agnosceas hoc habere apostolicam doctrinam, ut a nobis et Pater et Filius invocetur, vide quomodo invocandam Christum beatus commendat Apostolus, qui Corinthiis ita scribit: *Paulus vocatus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Sosthenes frater, Ecclesie Dei. quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsorum, et nostro. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo (I Cor. 1, 1, 2, 3).* Cernis nempe, illis qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, gratiam et pacem ab Apostolo divinitus postulari. Quid ergo superest, nisi ut omnis qui Domini Jesu Christi non invocatur nomen, nec gratiam ab eo possit habere, nec pacem? Qui autem non acceperit a Deo gratiam, penam recipiet sine dubio sempiternam; et qui a Deo Patre et Domino Jesu Christo non accepit pacem, nullatenus perveniet ad salutem. Ipsius enim nominis invocationem propheticè beatus Paulus commendat eloquio, dicens: *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit (Rom. 10, 13; Joel, 2, 32).* Certum est itaque secundum verè fidei regulam, in qua sanctæ Trinitatis una substantia creditur, nullam separationem Patris et Filii fieri, sive Pater, sive Filius a fidelibus invocetur. Ab illis autem nec Patrem invocari, nec Filium, qui invocatione quæ offertur Patri, non credunt cum Patre, Filium naturaliter invocari. Hoc enim habet naturalis unitas Trinitatis, ut inseparabiliter cuncta illis tribus personis exhibeantur sanctæ religionis obsequia, in quibus una est inseparabilis incommutabilisque natura. In orationibus quippe quas una vera Ecclesia fundit ad Deum, et naturæ servatur unitas, et personarum discretio custoditur: ut cum ad Patrem dirigitur oratio, qui est origo Filii et Spiritus sancti, unam esse naturam Trinitatis appareat; commemoratione 633 vero Filii et Spiritus sancti, Trinitatem veram ipse finis orationis ostendat. Sic Sabellii atque Arii perfidia vincitur, dum in ipsis quoque orationibus et precibus, tam unius naturæ quam trium personarum veritas a catholicis sacerdotibus prædicatur.

FRAGMENTUM XXXII.

Jesum Christum non est filium Trinitatis, quamvis secundum carnem sit opus totius Trinitatis: sed secundum deitatem filius est solius Patris, secundum humanitatem filius solius Mariæ Virginis.

Quis enim unquam tantæ reperiri possit insanie, qui auderet Jesum Christum totius Trinitatis Filium prædicare? Ecclesia quippe Dei vivi, columna et firmamentum veritatis (I Tim. 3, 15), unum sciens Patrem unius Filii, et unum sciens Spiritum sanctum Patris et Filii, nunquam potest Jesum Christum Filium Trinitatis dicere, quia neque duos Patres, neque duos Filios, neque duos Spiritus sanctos potest aliquatenus prædicare. Jesus Christus itaque, non solum secundum divinitatem (in qua naturaliter æqualis est Deo Patri), sed et secundum animam et carnem (in qua idem Deus consubstantialis est matri), non solum Filius Dei Patris est, verum etiam unigenitus Filius. Proinde, non solum Jesum Christum Filium Trinitatis

omnino non dicimus, sed etiam sic constemur Jesum Christum solius Dei Patris Filium, ut omnimodatenus asseremus. Magna quippe impietas est alium putare Christum, alium Jesum Christum, cum unus sit utique Dei et hominis filius Jesus Christus: Filius scilicet solius Dei Patris, non totius utique Trinitatis. Nam idem Jesus Christus secundum carnem opus totius Trinitatis agnoscitur, nec ideo tamen totius Trinitatis filius invenitur. Humanam quippe naturam Filii Dei, id est formam servi, simul Pater et Filius et Spiritus sanctus, id est ipsa sancta Trinitas fecit, sed eam solus Jesus Christus accepit, dicente beato Apostolo: *Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens (Philip. 2, 5, 6, 7).* Ipse igitur Jesus Christus, non solum in forma servi, verum etiam in forma Dei, unus est solius Dei Patris Filius, quia formam servi accipiens, non personam accepit hominis, sed naturam. In utero quippe Virginis ut Verbum fieret caro, simul una facta est Verbi carnisque conceptio; et in una Verbi persona simul concepta est divina humanaque natura: non ut utraque natura una fieret, sed ex utraque natura, unius Jesu Christi illa quæ semper erat persona constaret. Iujus rei veritas, sicut non permittit quartam personam plenitudini divinæ Trinitatis 634 adjungi, sic omnino prohibet Jesum Christum Trinitatis Filium nuncupari. Quod utique etiam sancti Symboli tenor ostendit, ubi cum dicitur: *Credo in Jesum Christum, Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto ex Virgine Maria; ipsum utique quem Dei Filium dicimus, eundem quoque natum de Spiritu sancto ex Maria Virgine constemur.* Itaque cum dicimus, *Jesum Christum Filium ejus*, id est Dei Patris Filium Jesum Christum, nativitatem divinitatis ostendimus, qua sine initio est æternus de Patre: dicentes autem *natum de Spiritu sancto ex Virgine Maria*, nativitatem fatemur qua idem Unigenitus Deus, secundum carnem temporaliter initium sumpsit ex Virgine. Proinde Jesus Christus, sicut supra dictum est, secundum carnem quidem opus est totius Trinitatis, secundum vero utramque nativitatem solius Dei Patris est Filius: quia idem solus Unigenitus Deus est temporaliter D verus homo de Virgine præcreatus, qui de solo Patre sine initio verus Deus est natus.

FRAGMENTUM XXXIII.

Jesum Christum non est solius hominis vocabulum, sed etiam Dei: et in Scripturis interdum secundum divinam naturam solam, interdum secundum humanam solam, nunquam secundum utramque accipitur. De uno et eodem Spiritu sancto, et Dei Filii dignatus est Filius hominis fieri, et nobis donatum est in Dei filios adoptari. Ariani non sunt cultores unius Dei, sed plurium.

Ac primum quod ex mea mendaciter persona dixisti, (Jesus Christus vocabulum est hominis,) Paulus doctor gentium in fide et veritate, sicut contrarium veritati, contrarium convincit et fidei, qui Jesum Christum et Deum demonstrat et hominem. Ita ut uno

eodemque nomine Jesu Christi, in una duntaxat eademque persona, nonnunquam solam divinam, plerumque solam humanam, vel utramque simul intelligi velit aliquando substantiam. Idem namque dicit: *Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo (Philip. ii, 5 et seq.)*. Timotheo quoque scribens, ait: *Memor esto Christum Jesum resurrexisse a mortuis, ex semine David secundum Evangelium meum (II Tim. ii, 8)*. Ecce in utroque loco unus Christus Jesus nominatur, sed non secundum unam naturam in Christo Jesu uterque locus accipitur. Unus est enim Christus Jesus, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed **635** semetipsum exinanivit, *formam servi accipiens, et qui resurrexit a mortuis*.

David. Sed Christus Jesus in forma Dei semetipsum exinanivens, et formam servi accipiens, secundum solam intelligitur divinam naturam: secundum quam intelligitur etiam, ubi ait: *Et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum (I Cor. viii, 6)*. Idem vero Christus Jesus, resurgens a mortuis ex semine David, secundum humanam tantum recte potest cognosci substantiam. Rursus Apostolus dicit: *Obsecro igitur, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per caritatem Spiritus (Rom. xv, 30)*. Et alio loco: *Testificor coram Deo, et Christo Jesu, qui judicaturus est vivos et mortuos (I Tim. i, 4)*. In quibus utique locis, non secundum solam divinam, neque secundum solam humanam, sed secundum utramque naturam, totum Christum Jesum accipimus ab Apostolo nominatum. Videsne quia Jesus Christus, non secundum hoc solum quod Deus est, neque secundum hoc solum quod homo est, in omnibus Scripturæ locis est accipiendus: sed in unoquoque Scripturarum loco secundum id accipi debet, secundum quod Veritas docet? Unus est enim Christus Jesus, Dei et hominis Filius in utraque natura, unus in utraque verus. Unde nec illud potest constare quod dicitis, «Filius Dei vero cum dicimus, ipsum Deum Filium, id est ipsum Christum spiritalem significamus.» Neque enim spiritus erat sine corpore ipse Redemptor noster, quando ait illi cæco nato, cui oculos misericorditer et mirabiliter dedit: *Tu credis in Filium Dei?* Cui cum ille dixisset: *Quis est, Domine, ut credam in eum?* dixit ei Jesus: *Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est (Joan. ix, 35, 36, 37)*. Manifestum est autem quod in eo corporis oculis non divinitas, sed humanitas videbatur. Attende etiam beati Petri confessionem dicentis: *Tu es Christus Filius Dei vivi (Matth. xvi, 16)*, et ipsum Filium Dei non Deum tantum, sed Deum hominemque cognosce: præsertim quia se Filium hominis dixit ipse Christus, quem Filium Dei vivi confessus est Petrus. Unde cum sit unus Christus Filius Dei et hominis, sicut non semper eum secundum solam divinitatem Filium Dei videmus dictum, sic nec secundum solam carnem invenimus semper Filium hominis nuncupatum. Ipse

A enim qui dixit discipulis suis: *Ecce ascendimus Hierosolimam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis; et damnabunt eum morti, et tradent eum gentibus, et illudent ei, et conspuent eum et flagellabunt eum, et interficient eum, et tertia die resurget (Matth. xx, 18, 19)*; idem dixit: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit, Filius hominis, qui est in caelo (Joan. iii, 13)*. Quis vero sanæ intelligentiæ, in utroque loco Filium hominis secundum unam putet locutum fuisse substantiam, cum utique nec secundum divinitatem potuerit Filium illa omnia pati, nec secundum carnem tunc fuisset in caelo quando talia loquebatur in terra? Unus igitur idemque est Filius hominis, qui et secundum solam carnem vere traditus, et vere interfectus, die tertio resurrexit, et secundum solam divinitatem totus in terra, et totus in caelo fuit, quando secundum carnem in terra tantum positus, illa de se veraciter dixit. Verum est itaque quia in Christo una est persona deitatis et carnis, sed utriusque naturæ **636** proprietate servata. Nam Christus dicitur aliquando secundum solam divinitatem, aliquando dicitur secundum solam carnem, aliquando secundum utramque substantiam. Secundum solam quippe divinitatem intelligendum Christum monstravit Apostolus, dicens: *Nolite mentiri invicem: expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitione, secundum imaginem ejus qui creavit eum. Ubi non est Gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scythæ, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus (Colos. iii, 9 et seq.)*. Tale est autem quod hic ait: *Omnia et in omnibus Christus; quale est istud: Ut sit Deus omnia in omnibus*. Secundum solam quoque carnem Christum cognoscimus ab Apostolo nominatum, ubi ait: *Tradidi enim vobis in primis quod et accepi, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas (I Cor. xv, 3, 4)*. Ille quoque locus ejusdem Apostoli huic invenitur intelligentiæ convenire, ubi ait: *Quicumque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem (Rom. vi, 5)*; et paulo post: *Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur (Ibid., 9)*. Quem tamen Christum secundum utramque cognoscitur prædicare naturam, dicens: *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, quæ est super omnia Deus benedictus in sæcula (Rom. ix, 5)*. Manifestum est igitur, illas regulas quas in prædictis voluisti firmare nominibus, nullo robore fulciri, quia nullatenus Christianæ congruunt veritati. Non solum enim cum dicitur Dei Filius, aut cum dicitur hominis Filius, sive cum dicitur Christus, vel cum dicitur Jesus Christus; verum etiam cum ipse qui est Unigenitus a Patre, plenus gratiæ et veritatis (Joan. i, 14), in sancta Scriptura dicitur Deus, considerandum est, in ipsa una Filii Dei persona quænam recte debeat accipi sine ullo errore substantiæ. Nam in illo Actuum apostolorum loco, ubi idem Paulus apostolus majoribus natu et seniori-

bus dicit : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo (Act. xx, 28)*; utique hic Deum non accipimus nisi ipsum Filium Dei : qui tamen non secundum æternam atque incommutabilem divinitatem suam, quam habet incommutabilis ex Patre, sed secundum humanitatem qua de Virgine verus factus est homo, intelligitur idem Deus Ecclesiam acquisisse sanguine suo. Non ergo dicimus Jesum Christum esse humanitatis et solius hominis nomen, sed unum Jesum Christum Deum hominemque dicimus, in quo sic est de natura matris vera natura hominis, sicut de natura Dei Patris vera et æterna manet substantia deitatis. Ipse enim qui Veritas est, verus Filius est et Patris et matris, de quò dicit beatus Joannes : *Scimus quia Filius Dei venit, et dedit nobis intellectum ut cognoscamus verum, et simus in vero Filio ejus Jesu Christo (1 Joan. v, 20)*. Et quoniam verus Dei Filius naturaliter Deus verus est, qui nec verus Deus esset si verus Filius de Patris natura non esset, propterea statim beatus Joannes adjuvit : *Hic est verus Deus, et vita æterna (Ibidem)*. **637** In eo vero quod Christus Dei Filius, natus de Spiritu sancto ex Virgine Maria dicitur, non est alius Spiritus sanctus quam Paracletus, qui est unus Patris et Filii Spiritus. Idem namque est Spiritus veritatis qui a Patre procedit (*Joan. xv, 26*), qui solet in Scripturis sanctis Spiritus sanctus evidentissime nuncupari. Nam est quidem naturaliter et Pater spiritus, et Filius spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus; sed tamen non invenitur locus in divinis eloquiis in quo Pater aut Filius absolute, et sine aliqua adjectione dicatur Spiritus sanctus. Scriptum est enim : *Spiritus est Deus (Joan. iv, 24)*; sed additum est ibi *Deus*, ubi sine dubio Pater agnoscitur Deus. Ergo cum Patrem aut Filium sancta Scriptura significat, consuevit aut Spiritum tantummodo, aut sanctum dicere, et aut nomen adjungere quo vel Pater vel Filius possit intelligi, aut si nomen non adjunxerit, ex præcedentibus vel subsequens agnoscatur utrum uni personæ, an simul ipsi sanctæ Trinitati, secundum regulam debeat veræ fidei coaptari. Ipse est igitur unus Spiritus sanctus, de quo secundum carnem natus est Christus, ex quo spiritaliter omnis renascitur Christianus. Ea quippe sancti Spiritus gratia, qua Deus Unigenitus dignatus est Filius hominis fieri, nobis donatum est in Dei filios adoptari. Non autem Trinitatis, sed solius Dei Patris est Filius Jesus Christus : qui utique digne dicitur coæternus Deo Patri, etiam accepta carne sua, quia una est in illo divinitatis carnisque persona : et ipse Dei Filius qui in personam deitatis suæ accepit carnem, naturaliter habet Deo Patri coæternam sine initio deitatem. Nec est alter Spiritus sanctus quem in nostris orationibus cum Patre et Filio nominemus, præter unum Paracletum Spiritum : quem sic unum Spiritum Patris et Filii novimus, ut consubstantialem et coæternum Patri et Filio certissime noverimus. In eo autem unum Deum nos colere demonstramus, quia unam Trinitatis substantiam credimus et fatemur. Vos autem nullatenus estis

A cultores unius Dei, qui aliam naturam dicitis Patris, aliam Filii, aliam Spiritus sancti : et cum unum Deum non colatis, nec tres tamen deos colitis ; sed quod pejus est, quia dicitis vos colere quidem duos deos, id est Patrem deum majorem, et Filium deum minorem ; et cum eis quasi colere Spiritum sanctum, cui omnino nomen Dei adimitis, et eum creaturam sine aliqua reverentia nuncupatis. Unde, quia creaturæ vos esse cultores ostenditis, profecto (si volueritis) non tres tantum, sed etiam quinque deos colere poteritis.

638 FRAGMENTUM XXXIV.

Non soli Patri sacrificat Ecclesia, aut soli Patri dat gloriam, sed toti Trinitati. Christus pro nobis corpus suum et templum et sacrificium fecit. Gratias agimus Patri et Filio ut Deo, Patri autem per Filium ut hominem. Spiritus sanctus locum non habet inter opera Dei.

Oportet autem tuum consequenter refutari mendacium, in eo quod dicitis, semper me firmasse, soli offerri omne sacrificium Patri : quod ego nec alquando dixi, nec dico. Sancta enim Ecclesia catholica non soli Patri, sed simul sanctæ sacrificat Trinitati ; et sicut ad solius Patris personam dirigens orationem, lætam simul invocat Trinitatem ; ita quod Patri Deo immolat, simul Trinitati sacrificat. Sive enim in oratione, sive in sacrificio, nullam facit fides vera discretionem muneris, quia non est in Trinitate diversitas potestatis : unde quidquid uni personæ offertur, necesse est Trinitati pariter offeratur. Quod sanctorum patriarcharum et prophetarum demonstratur exemplis : ubi principaliter attendendum nobis est, altare ad hoc semper ædificatum Deo, ut debito sacrificii Deus honoretur obsequio. Altare namque ibi primum in sanctis voluminibus nominatur, ubi sanctus Noe, de arca egrediens, Deo perhibetur hostias obtulisse. Sic enim scriptum est : *Et ædificavit Noe altare Domino, et accepit ab omnibus pecoribus mundis, et ab omnibus volatilibus mundis, et obtulit hostiam super altare Deo (Genes. viii, 20)*. Nam et Dominus ostendens quod hujus rei gratia construat altare, Mosis famulo suo sic loquitur : *Altare de terra facietis mihi, et immolabitis super illud holocausta et salutaria vestra (Exod. xx, 24)*. Inquiramus ergo cuinam patres nostri altare construxerint, ut ipsi eos agnoscamus etiam sacrificium obtulisse. Post illud itaque altare quod Noe Domino fabricavit, a sancto Abraham legimus altare constructum. Sic enim scriptum est : *Et visus est Dominus Deus Abrahæ, et dixit ei : Semini tuo dabo terram istam. Et ædificavit ibi Abraham altare Domino, qui visus est ei. Et recessit inde in montem contra orientem Bethel, et statuit ibi tabernaculum suum Bethel, secundum mare Agge, contra orientem : et ædificavit ibi altare Domino Deo, et invocavit in nomine Domini Dei, qui visus est (Genes. xii, 7, 8)*. Cum superius de invocatione Dei ageremus, istum locum jam nos posuisse meminimus ; ipsum etiam nunc repetamus sensum. Volentes enim Filium a Patre minorem ostendere, soletis dicere, Filium sanctis Patribus visum. Quid ergo nunc dicitis ? Quandoquidem Abraham noster, Deo, qui ei visus est, altare

ædificavit: non autem fuit necessitas ædificandi altaris, nisi pro 639 sacrificiis offerendis. Deo igitur qui visus est ei, sanctus Abraham sacrificium obtulit, cui non ob aliud nisi ut sacrificaret, altare construxit. Ipsum etiam invocavit, quandoquidem in nomine Domini Dei qui visus est, legitur invocasse. Proinde, aut consistere, simul unius orationis obsequio Patrem et Filium invocari, et unum sacrificium Patri et Filio simul offerri; aut si hoc non vis, necesse est ut aut Patrem dicas visum, aut soli Filio sacrificium a sanctis patriarchis fatentis oblatum, et Patri compellaris adimere quod Filio conaris auferre. Similiter et de Isaac legimus, de quo dicit Scriptura: *Ascendit autem inde ad puteum juramenti, et visus est ei Dominus in illa nocte, et dixit ei: Ego sum Deus Abraham patris tui. Ne timeas, tecum enim sum, et benedicam te, et multiplicabo semen tuum, propter Abraham patrem tuum. Et ædificavit ibi Isaac altare, et invocavit in nomine Domini (Gen. xxvi, 25 et seq.).* Diligenter attende, ipsum esse Deum Abraham qui et Abraham et Isaac visus est, ipsique altare ab Abraham et Isaac ædificatum, ac per hoc ipsi ab utroque sacrificium immolatum. Veniamus et ad Jacob, ut ipsum quoque simili fide præditum, ostendamus Deo Abraham, et Deo Isaac, et Deo Jacob altare construxisse, et ipsum similiter invocasse. Sic enim de eo scriptum est: *Venit autem Jacob in Salem civitatem Sichimorum in terra Chanaan, cum venisset de Mesopotamia Syriæ; et applicuit secundum faciem civitatis; et emit partem agri, in quo statuit tabernaculum suum, ab Emmor patre Sichem, centum agnis. Et statuit ibi altare, et invocavit Deum Israel (Genes. xxxiii, 18 et seq.).* Item paulo post sancta Scriptura sic ait: *Dixit autem Deus ad Jacob: Surgens ascende in locum Bethel, et inhabita ibi, et fac ibi altare Deo qui visus est tibi cum fugeres a facie Esau fratris tui (Gen. xxxv, 1).* Et paulo post: *Venit autem Jacob in Luz, quæ est in terra Chanaan, quæ est Bethel, ipse et omnis plebs quæ erat cum eo; et ædificavit ibi altare; et vocavit nomen loci illius, Domus Dei. Ibi enim apparuit ei Deus cum fugeret a facie fratris sui Esau (Ibid., 6, 7).* Certum est autem a sanctis patriarchis illi Deo sacrificium oblatum cui est ab eis altare constructum, et quem constat ab illis suppliciter invocatum. Puto autem quod non audebis dicere alium Deum patriarchas, et alium sanctos apostolos et martyres invocasse. Unum enim Deum invocaverunt, quia in quem credebant patriarchæ, in ipsum quoque apostoli et martyres crediderunt. Quia vero Deus Abraham, et Deus Isaac, ipse congruo tempore Vetus Testamentum dedit, in quo Testamenti Novi promissa tenebantur figuris congruis obvelata (unde etsi fuerunt alia temporis illius sacramenta, fides tamen Christianæ religionis non fuit aliquando diversa); hoc ordinavit Trinitatis una et vera divinitas, ut etiam prophetis eloquiis, sacrificium verum Christo Domino, tempore Novi Testamenti diceretur a fidelibus offerendum. Quod Sophonia propheta his verbis Spiritu sancto repletus insinuat: *Sustine me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ, in testimonium. Quoniam iudicium meum in congre-*

gationem gentium erit, ut recipiam reges, et effundam super eos iram furoris mei: quoniam in igne æmula ionis meæ consummabitur 640 omnis terra. Quia tunc transferam super populos linguam in progenies ejus, ut invocent omnes nomen Domini, et serviant ei sub iugo uno. A trans flumine Æthiopiæ suscipiam observantes me. Qui dispersi sunt, offerent hostias mihi in illo die (Sophon. iii, 8, 9, 10). Quis est qui sibi dicit hostias offerendas, nisi qui se in die resurrectionis suæ præcepit sustineri? Quis autem se resurrecturum prædixit, nisi ille qui *traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram (Rom. iv, 25)?* Sed quis dubitabit et sanctos patriarchas, et prophetas tempore Veteris Testamenti unum Patri et Filio sacrificium obtulisse? Quandoquidem in ipso exordio nativitatis, quam de Virgine Christus habuit, sacrificium sibi crediturarum gentium, Magis offerentibus, dedicavit: ipsos scilicet primitias gentium faciens, et in eorum numero primitias sibi debitæ immolationis ostendens. Magi quippe Christum Dominum adorantes, etiam aurum, thus, et myrrham suppliciter obtulerunt. Thus autem, certum est in sacrificiis Deo semper offerri, aurum regie potestati annua devotione persolvi, myrrham vero in sepulturam mortuis corporibus adhiberi. In isto igitur trino oblationis genere, perfectum continetur fidei Christianæ mysterium; quo cognosceretur in Christo et assumptæ infirmitas carnis, et sempiterna atque regalis omnipotentia deitatis. In uno etenim eodemque Christo crediderunt mortalem carnem, regiam potestatem, excelsum super omnia deitatem; ac per hoc docuerunt credendam esse veram Redemptoris mortem, et ipsi vero Regi reddendam, quam in nobis suam creavit et renovavit imaginem; et eidem Deo summo et vero exhibendam, quam Græci *λατρίαν* vocant, sacrificii servitutem. Sic in eorum cordibus inventum est, non atramento, sed Spiritu Dei vivi conscriptum: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies (Deut. vi, 13); et: Sacrificans diis, eradicabitur, nisi Domino soli (Exod. xxii, 20).* Nam, ut de tuis quoque litteris tibi aliquid ingeramus, ut thus in sacrificio solere semper offerri facillime recorderis, canentem recense Virgilium,

Centumque Sabæo
Thure calent aræ. (*Æneid. l. i, v. 425.*)

et Christo, cui thus cognoscis oblatum, etiam sacrificium in unitate Patris et Spiritus sancti, ab una et vera Ecclesia non dubites immolari. Nam et beatus martyr Stephanus Christo Domino se sacrificium obtulit, quem ut ejus spiritum susciperet invocavit, dicens: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum (Act. vii, 59).* Scriptum est autem quia *sacrificium Deo spiritus contribulatus (Psal. l, 19);* cui sanctus Azarias ait: *In anima contribulata et spiritu humiliationis accipimur, sicut in holocaustis arietum et taurorum, et multitudine agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo (Dan. iii, 39, 40).* Illi autem Domino suum spiritum obtulit, quem sanctus Stephanus ut ejus spiritum susciperet invocavit. Nemo autem sanctorum virorum invocasse dicitur, nisi Deum. Et maxime sau-

clī patriarchæ tunc commemorantur nomen Domini invocasse, quotiens altaria exstruxerunt, in quibus utique illi Deo quem invocabant, sacrificia offerebant: ita ut vix interdum quisquam eorum sine constructione altaris nomen Domini invocasse dicatur. Unde **641** commode multumque congrue in hoc loco beatus martyr Stephanus, non postulasse, sed invocasse Dominum Jesum dicitur, quando semetipsum Deo sacrificium obtulisse cognoscitur. Ubi apparet quia illum sine dubio cum lapidaretur invocabat, cui se sacrificium, et vivam prorsus hostiam offerebat. Neque vero Patri tantum et Filio, sed etiam Spiritui sancto, id est ipsi sanctæ Trinitati, uni vero et bono Deo, unum vera fides offert sacrificium, unum exhibet adorationis obsequium: cujus tota Ecclesia sic unum est templum in omnibus Sanctis, sicut in uno nomine Patris et Filii et spiritus sancti, liberatam se novit de regno mortis atque peccati. Inde est quod beatus Apostolus unam demonstrans sanctæ Trinitatis naturaliter majestatem, dicit, *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis (I Cor. iii, 16)?* Et ut ostenderet Spiritum sanctum, non ut ministrum, sed ut verum ac summum Deum, habitare in nobis, in templo suo, rursus ait, *Nescitis quia corpora vestra, templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis a Deo (I Cor. vi, 19)?* Et ut Deum verum Spiritum sanctum demonstraret, adiecit, *Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Non potest igitur in sacrificio sanctæ Ecclesiæ alienus esse Spiritus sanctus a Patre et Filio, qui totam sanctam Ecclesiam unum templum habet cum Patre et Filio. Nec possumus ei cujus templum sumus sacrificium non offerre, cum ipsa corpora nostra, quod templum est Spiritus sancti, *hostiam vivam, sanctam, Deo placentem (Rom. xii, 1)*, Paulus apostolus præcipiat exhiberi. Quomodo autem Spiritui sancto in pane et vino sacrificium Ecclesiæ non offertur, quando ipsam Ecclesiam et templum et sacrificium ipse Spiritus habere cognoscitur? Nam ipse Salvator noster, qui pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, et qui est caput corporis Ecclesiæ, ostendens in se quod agnoscamus in nobis, unum idemque corpus suum, non solum templum, verum etiam sacrificium fecit. Ipse quippe ait: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud (Joan. ii, 19)*. Quod evangelista Joannes exponens, ait: *Hoc autem dicebat de templo corporis sui.* Paulus autem apostolus semetipsum pro nobis Christum obtulisse sic commemorat: *Estote itaque imitatores Dei, sicut filii carissimi; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et obtulit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis (Ephes. v, 1, 2)*. Christus igitur pro nobis corpus suum et templum fecit, et hostiam obtulit. Cujus corpus esse totam Ecclesiam beatus testatur Apostolus, dicens de ipso Domino: *Qui est caput corporis Ecclesiæ (Coloss. i, 18)*. Qui rursus ait (v. 21), *Et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia.* Christus autem pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, ut se-

A quamur vestigia ejus. Christus itaque suo nos exemplo docuit, et ostendit illius esse sacrificium, cujus sumus et templum. Templum autem non solum Patris et Filii, verum etiam Spiritus sancti sumus: proinde unum sacrificium Patri et Filio et Spiritui sancto suppliciter immolamus. Et quia in templo duobus maxime officiis, id est, orationis atque immolationis, invenitur summo illi uni et vero et bono Deo humana servire **642** conditio, propter quod et Salvator noster ingrediens templum ait: *Domus mea domus orationis vocabitur (Matth. xxi, 13)*; et duos homines dicit ascendisse in templum orare, unum pharisæum, et alterum publicanum (*Luc. xviii, 10*): propterea sicut ipsi Trinitati, id est uni Deo, unum sacrificium offerimus, sic ipsi Trinitati unum orationis ac deprecationis obsequium suppliciter exhibemus. Quocirca quisquis sacrificium quod offertur Patri, negat Filio et Spiritui sancto, alienum se cognoscat esse a Christi membris. Quia sancta Ecclesia, quæ verum corpus est Christi, sicut unum templum, unumque sacrificium sanctæ Trinitatis novit esse, sic unum sacrificium Patri et Filio et Spiritui sancto consuevit in veritate fidei, spei et caritatis offerre. Sanctæ itaque Trinitati, cui unam debemus et individuan per omnia servitatem, sicut unum sacrificium offerimus, sic unam quoque gloriam fidei devotione cantamus. Nam quia unam naturam constat esse sanctæ Trinitatis, dignum est ut una gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto dicatur a fidelibus, in hymnis et psalmis. Verumtamen propter susceptionem formæ servilis, et officium nostri Pontificis, gratias Patri per Filium recte ac fideliter agimus: quia secundum veram fidem, in Unigenito matera utriusque cognoscimus veritatem. Unde veraciter eum confitentes, non solum æqualem Patri secundam veritatem divinitatis æternæ, verum etiam minorem Patre secundum gratiam humanitatis assumptæ, quia, docente sancto evangelista, certissime novimus Unigenitum a Patre, plenum gratiæ et veritatis (*Joan. i, 14*): recte agimus gratias Patri et Filio, quia cum Patre Filius naturaliter unus est Deus: et recte gratias agimus Patri per Filium, quia ille qui de natura Patris unicus est Dei Filius, idem de natura matris factus est hominis Filius. Gratias itaque agimus Patri per Filium, in quantum se nobis tribuit humiliatum: gratias agimus Patri et Filio, in quantum se nobis largiatur (*Flor.*, largitur) altissimum. Gratias agimus Patri per Filium, quia æternus atque immortalis Unigenitus Deus pro nobis temporaliter homo mortalis est factus: et gratias agimus Patri et Filio, quia idem Unigenitus Deus, Patri Deo manet naturaliter coæternus. Gratias agimus Patri per Filium, quia opus nostræ redemptionis implevit: gratias agimus Patri et Filio, quia munus nobis futuræ beatitudinis repromisit. Redemit enim nos humilitate carnis, beatos nos faciet celsitudine deitatis. Utrumque igitur ideo facimus, quia utrumque faciendum in sanctis eloquiis invenimus. Nam quia oportet nos gratias agere Patri per Filium, apostolica sermone cognoscimus; et quia oportet nos gratias

agere Patri et Filio, non solum in apostolicis dictis, A
 verum etiam in angelicis laudibus invenimus. Quas
 tamen nobis apostolicus sermo prodidit, quia hoc
 Deus ipse apostolis suis ad utilitatem nostræ instru-
 ctionis ostendit. Scimus enim dixisse beatum Pau-
 lum, cum Romæ scriberet : *Primum quidem gra-
 tias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus
 vobis (Rom. 1, 8)*. Qui etiam Colossensibus ait : *Omne
 quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in
 nomine Domini Jesu, gratias agentes Deo et Patri per
 ipsum (Coloss. iii, 17)* ; et si qua talia possunt in
 apostolicis litteris inveniri. Sed et eundem apostola-
 m legimus dixisse : *Gratias ago ei qui me conforta-
 vit, Christo Jesu Domino nostro, 643 quia fidelem
 me existimavit ponens in ministerio (I Tim. 1, 12)*. Agit
 ergo Apostolus gratias per Christum, agit gratias Chri- B
 sto. Agit gratias per Christum, secundum id quod est
 ex Patribus Christus secundum carnem ; et agit gratias
 Christo, secundum id quod est ipse Christus super
 omnia Deus benedictus in sæcula (Rom. ix, 5). Agendas
 autem Patri et Filio gratias, evidenter idem bea-
 tus ostendit Apostolus, cum nobis gratiam Dei non
 solum a Deo Patre, sed et Christo Jesu Domino no-
 stro dari, et orat et commemorat. Docens enim per
 Christum nobis a Deo gratiam dari, ait : *Secundum
 spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum
 Jesu Christi Domini nostri. Per quem accepimus gra-
 tiam et apostolatam, ad obediendum fidei in omnibus
 gentibus pro nomine ejus (Rom. 1, 4, 5)*. Et rursus
 ait : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore
 mortis hujus ? Gratia Dei per Jesum Christum Domi- C
 num nostrum (Rom. vii, 24, 25)*. Sed idem apostolus,
 in omnibus suarum proceris litterarum, gratiam nobis
 a Deo Patre et Domino Jesu Christo postulare
 non desinit. Nam si apostolicarum Epistolarum velis
 recensere principia, pene hoc in cunctis invenies, in
 quibus duntaxat nomen ipsius Apostoli continetur,
*Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino
 Jesu Christo (Rom. 1, 7)*. Proinde, sic nos necesse
 est gratias agere, sicut nos gratiam certum est ac-
 cepisse. Nam quoniam accepimus gratiam a Deo per
 Jesum Christum Dominum nostrum, ex ista regula
 veritatis agimus gratias Patri per Filium : quia vero
 accepimus gratiam et pacem a Deo Patre et Christo
 Jesu Domino nostro, ex ista rursus regula veritatis,
 agimus gratias Patri simul et Filio. Sicut enim non D
 solum a Patre per Filium, verum etiam a Patre et
 Filio gratiam accepimus, ita non solum Patri per
 Filium, verum etiam Patri et Filio gratiarum actio-
 nem debite necesse est servitutis humilitate solva-
 mus. Hoc enim quod agimus gratias Patri per Filium,
 ad incarnationis pertinet sacramentum ; in eo autem
 quod agimus gratias Patri et Filio, unius claret divi-
 nitatis agnitio. Sicut enim Filius ita nostram suscepit
 carnem, ut paternæ unitatis naturalem non amitteret
 veritatem, sic nobis utrumque donavit, ut et
 per Filium gratias agamus Patri, et gratias Filio si-
 mul agamus et Patri. Gratiam enim quam nobis do-
 navit Pater per Filium, simul nobis donante Patre
 donavit et Filius. Necesse est igitur ut sicut per

ipsum accepimus donum, per ipsum exhibeamus obse-
 quium : et sicut gratia nobis a Deo Patre et Christo
 Jesu Domino nostro datur, sic a nobis gratiarum
 actio Patri Filioque solvatur. Sicut enim rectum est
 fideique conveniens, per eum Patri gratias agere,
 per quem nos a Patre certum est accepisse, sic im-
 pium est, veræque religioni contrarium, si quis in
 apostolicis litteris legat gratiam fidelibus a Deo Pa-
 tre et Domino Jesu Christo dari, et nolit gratiarum
 actionem simul Patri Filioque persolvi : Qui enim
 per Filium Patri gratias agere non vult, veram in
 divinitate Christi non intelligit carnem ; si quis au-
 tem gratias Patri Filioque non agit, veram non vult
 in Christi carne cognoscere deitatem. Quia ergo
 utrumque impium est, et animæ valde contrarium,
 tenenda est veræ fidei regula, ut et propter formam
 servi, qua Patre minor est Filius, gratias agendas
 Patri per Filium recte dicamus, et nihilominus pro-
 pter formam Dei, in qua 644 Filius æqualis est
 Patri, gratias agendas Patri et Filio moverimus. Quia
 vero una gratia nobis est a sancta Trinitate collata,
 communiter est a nobis Patri, Filio et Spiritui sancto
 una gratiarum actio persolvenda. Sicut enim ab
 Apostolo fidelibus dicitur, *Gratia vobis et pax a Deo
 Patre vostro, et Domino Jesu Christo (Rom. 1, 7)* :
 sic in Actibus apostolorum (Cap. x, 4) scriptum est :
Quia et in gentibus gratia sancti Spiritus effusa est.
 Unam ergo gratiam sanctæ Trinitatis accepimus :
 unde dignum est ut unam gratiarum actionem Patri
 et Filio et Spiritui sancto, in veritate fidei et cordis
 simplicitate solvamus. Unam quoque gloriam decan-
 tandam Patri et Filio et Spiritui sancto, sicut sancta
 Scriptura non desinit admonere, sic et omnis et nosse
 debet et persolvere Christianus. In apostolicis quippe
 litteris, non solum Patri, verum etiam Domino Jesu
 Christo, dictam gloriam nihilominus invenimus. Sci-
 mus quidem beatum Julianum apostolum in Epistola
 sua dixisse : *Ei autem qui potens est conservare vos
 sine offensione, et constituere ante conspectum gloria
 suæ immaculatos in lætitia, soli Salvatori nostro Deo,
 per Jesum Christum Dominum nostrum, honor, poten-
 tia, claritas, et potestas ante omne sæculum, et nunc,
 et in omnia sæcula sæculorum. Amen. (Jud., 24, 25)*.
 Sed hoc secundum mysterium incarnationis recte ac-
 cipitur, quo pro nobis et Pontifex et sacrificium
 factus Dei Filius invenitur. Utriusque enim naturæ,
 tam divinæ scilicet quam humanæ, in Dei Filio
 agnoscenda est veritas ; ut sine cujuslibet infidelitatis
 errore, et Patre minor Filius, et Patri recte cogno-
 scatur æqualis. Unde beatus Petrus gloriam Christo
 dicit, non solum in hoc tempore, verum etiam in
 illa æternitate dicendam, qui hoc sermone secun-
 dam sic terminavit Epistolam : *Crescite vero, inquens,
 in gratia et cognitione Domini nostri et Salvatoris
 Jesu Christi. Ipsi gloria et nunc, et in diem æternita-
 tis (II Petr. iii, 18)*. Et quoniam unus spiritus fidei
 datus est apostolis et prophetis (quod beatus Paulus
 asseverat, dicens : *Habentes autem eundem spiritum
 fidei, sicut scriptum est : Credidi propter quod locutus
 sum ; et nos credimus, propter quod et loquimur*

(II Cor. iv, 13), concordem beatus David proferens in fide et veritate sententiam, dicit: *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, et sancti tui benedicant te. Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam pronuntiabunt. Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiæ regni tui* (Psál. cxliv, 10, 11, 12). Et ne putaretur hoc ad personam Filii nullatenus pertinere, alio loco illi Deo dandam gloriam dicit qui super cælum cælorum ascendit. Sic enim ait: *Regna terræ, cantate Deo, psallite Domino. Psallite Deo qui ascendit super cælos cælorum ad orientem. Ecce dabit vocem suam vocem virtutis: date gloriam Deo* (Psál. lxxvii, 33, 34, 35). In quo loco, si oculos vestros infidelitatis caligo non claudat, necesse est ut recte fidei vobis veritas innotescat. Nam quia nos, cum cantamus et psallimus, sicut gloriam Patri, sic Filio gloriam damus; vos autem cum cantatis, non gloriam Patri et Filio, sed gloriam Patri per Filium datis: hoc egit plenus Spiritu Dei propheta sanctissimus, ut et nos cantantes atque psallentes, recte dare gloriam Patri et Filio ostenderet; et vos qui cantantes et psallentes, gloriam Deo qui ascendit **645** super cælum cælorum non datis, ingratos contumacesque monstraret. Prævidebat enim beatus David, Deo Patri gloriam non solum a Christianis catholicis, verum etiam ab hæreticis decantandam. Illos ergo admonendos corrigendosque curavit, quos sciebat in canticis et psalmis gloriam Filio negaturos; ideo dicit: *Regnu terræ, cantate Deo, psallite Domino. Psallite Deo qui ascendit super cælum cælorum ad orientem. Ecce dabit vocem suam vocem virtutis: date gloriam Deo.* Tanguam diceret: Scio quia omnes Deo Patri cantatis et psallitis, et cantantes atque psallentes ei gloriam datis; sed psallentes Deo Patri, simul Deo Filio psallite; et Patri gloriam dantes, Deo qui ascendit super cælum cælorum gloriam date. Hoc est quod nos facientes, propheticis obedimus oraculis: quod cum vos non facitis, fidei prophetarum contumaciter repugnatis. Certum est igitur non soli Patri gloriam dicendam, sed etiam Filio. Sed ne istis testimoniis omnino convicti, dicatis quidem dandam esse gloriam Filio, sed non cum datur Patri, etiam in hoc divina vobis resistit auctoritas, quæ Patri et Filio unam gloriam dici a sanctis angelis demonstrat in cælo. Hujus rei testis est beatus Joannes apostolus, qui in Apocalypsi, cum de quatuor animalibus loqueretur, ait: *Et quatuor illa animalia habebant singula alas suas in circuitu; et erant intus plena oculis, neque habebant requiem die et nocte dicentia, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui fuit, et est, et venturus est. Et cum darent illa animalia gloriam et honorem et gratiam sedenti in throno, viventis in sæcula sæculorum, statim cadebant in faciem viginti quatuor seniores in conspectu throni: et adorabant viventem in sæcula sæculorum, mittentes coronas suas ante thronum, et adorantes viventem in sæcula sæculorum, dicentes: Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et potestatem; quoniam tu creasti omnia, et ex tua voluntate sunt constituta* (Apoc. iv, 8 et seq.). Hic tu

A forsitan respondebis, ista omnia de Patris tantum accipi debere persona. Ubi primum considerare debes illud quod legimus a quatuor animalibus dictum, *Qui fuit, et est, et venturus est*, magis Filio quam Patri competere. Filium enim venturam, et Veteris et Novi protestatur series Testamenti. Ibi autem dicitur, *Et cum darent illa animalia gloriam et honorem et gratiam sedenti in throno, viventis in sæcula sæculorum.* Sedere autem in throno Filium nullatenus negas, cui beatus David dicit, *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi* (Psál. xlvii, 7). Viventem quoque in sæcula sæculorum Filium si hic appellatum negare velis, ipsius Filii sermone convinceris, qui eidem beato Joanni dixit: *Noli timere. Ego sum primus et novissimus, et vivus qui fui mortuus: et ecce sum vivens in sæcula sæculorum* (Apoc. i, 17, 18). Quod si adhuc existimas repugnandum, et non vis hoc dictum esse de Filio, audi quid in subsequentibus idem beatus Joannes apostolus dicat: *Et vidi, inquit, et quidivi velut vocem multorum angelorum in circuitu throni, et in circuitu animalium, et circa seniores. Et erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus qui occisus est accipere potestatem, et divitias, et sapientiam, et fortitudinem* **646**, *et honorem, et gloriam, et benedictionem. Et omnem creaturam quæ est in cælis, et in terra, et subtus terram, et quæ est in mari, et quæcunque sunt in eis, omnes audivi dicentes: Sedenti in solio, et Agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum. Et quatuor animalia dicebant: Amen* (Apoc. v, 11 et seq.). Saltem nunc, Fabiane, cognosce quantæ impietatis sit, non solum apostolicis, verum etiam angelicis vocibus reluctari. Audi millia millium dicentium voce magna: *Dignus est Agnus qui occisus est accipere potestatem, et divitias, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. Et omnem creaturam quæ est in cælis, et in terra, et subtus terram, et quæcunque est in mari, et quæcunque sunt in eis.* Et ne putes, seorsum Patri et seorsum Filio, vel gratias agi debere, vel gloriam dici, audi quid continuo beatus Joannes adjunxit: *Omnes, inquit, audivi dicentes: Sedenti in solio, et Agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum. Et quatuor animalia dicebant: Amen.* Ecce testimonio devotionis angelicæ cognoscitur debere dici gloriam Patri et Filio, debere gratias agi Patri et Filio, debere etiam unam potestatem dici Patri et Filii. Simul enim omnes beatus Joannes dicentes audivit, *Sedenti in solio, et Agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum.* Isto autem sermone, quo additum est, *In sæcula sæculorum*, evidenter ostensum est, illos angelorum Dei æterna societate, ac beatitudine potituros, qui Patris et Filii unum honorem agnoscunt, unam Patri et Filio gratiarum actionem persolvunt, unam Patri et Filio gloriam cantant, unam Patris et Filii predicant potestatem. Hæc enim omnia qui in hoc sæculo simul Patri et Filio dare noluerit, omnium angelorum, illa quæ supra memorata sunt in sæcula sæculorum dicentium consortio non hærebit. Neque enim aliud

in illa æternitate dicturi sunt omnes, de quibus beatus David dicit Deo: *Aktaria tua, Domine virtutum, Rex meus, et Deus meus. Beati omnes qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te* (Psal. LXXXIII, 4, 5). Cum enim æquales angelis Dei erunt (Luc. xx, 36), certum est eos hoc esse dicturos in sæcula sæculorum, quod in laudem Dei semper sancti angeli dicunt. Ne quis autem putet, aliam laudem Patris esse, aliam Filii, idem beatus Joannes de his qui in illa cœlesti Hierusalem superna, quæ domus Dei est, habitant, et iusæcula-sæculorum laudabunt Deum, in libro memorato sic dicit: *Post hæc vidi turbam multam, quam dinumerare nemo poterat, ex omni genere, et ex omni tribu, et populo, et lingua, stantes in conspectu throni, et in conspectu Agni: et erant amicti stolis albis, et palmæ fuerunt in manibus eorum; et magno clamore dicebant: Salus Deo nostro sedenti super thronum, et Agno* (Apoc. vii, 9, 10). Ubi Deum Patrem, et Agnum, unum esse Deum continuo secutus est, dicens: *Et omnes angeli qui stabant in circuitu throni, et circa seniores, et circa quatuor animalia, mox ceciderunt in faciem suam ante conspectum throni, et adoraverunt omnes dicentes: Amen. Benedictio et gloria, et sapientia, et gratiarum actio, et honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum* (Ibid., 11, 12). Nonne quod superius dixerant, *Sedenti in solio, et Agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum; et quatuor animalia dicebant, Amen*; hoc nunc idem omnes angeli sub unius Dei professione, ipsum Deum adorantes firmasse cognoscuntur? Attende enim quid dixerint; imo quid dicant intente considera: *Benedictio, et gloria, et sapientia, et gratiarum actio, et honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.* Hæc autem omnia superius iidem omnes angeli Agno danda esse dixerunt, quorum hæc illa vox magna est, *Dignus est Agnus qui occisus est accipere potestatem, et divitias, et sapientiam et fortitudinem, et gloriam, et benedictionem*: quæ cuncta Deo continuo dederunt, dicentes, *Sedenti in solio, et Agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum.* Quos eadem rursus sub unius Dei nomine dedisse cognosce, quandoquidem adoraverunt Deum, dicentes, *Amen. Benedictio, et gloria, et sapientia, et gratiarum actio, et honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.* Attende ista tria loca, et invenies veritatem nostræ fidei angelica devotione firmari. Prius enim honor, et gloria, et benedictio, et potestas, ab omnibus angelis danda esse dicitur Agno, id est Filio; deinde ab omnibus benedictio, et honor, et potestas una datur sedenti in solio, et Agno: quod quid est aliud quam Patri et Filio? Post hæc, benedictio, et gloria, et sapientia, et gratiarum actio, et honor, et virtus, et fortitudo dantur uni Deo, quæ superius data sunt sedenti in solio, et Agno, id est, Patri et Filio. Agnosce igitur, et gloriam dandam esse Filio, et unam gloriam simul dandam Patri et Filio, et unum Deum nostrum esse Patrem et Filium. Hoc enim jugiter canit illa quæ summum est Hierusalem libera, quæ est mater nostra

(Gal. iv, 26): *cujus pars quæ hujus sæculi peregrinatione laborat, propterea ad illum ejus delectabilem vultum, dulceque consortium recto cursu nititur; quia illam matrem non solum in bonis operibus, verum etiam in istis laudibus imitatur.* Hoc ista cantans ambulat in fide, quod illa cantans requiescit in specie. Hoc ista pars illius Ecclesiæ cantans viatico pane reficitur, cujus illa Hierusalem jugi atque indefessa plenitudine satiatur. Quomodo autem se filiam sanctæ cœlestis Hierusalem credere vel dicere audeat illa Ecclesia, quæ dicendum a se non putat in terris, quod illa sancta mater dicere non cessat in cœlis? Aut quomodo communem cum ea poterit habere beatitudinem, cum qua ipsius Dei non communicat laudem? cum utique nullatenus illius sanctæ Hierusalem possit adipisci consortium, quisquis nunc ejus non imitatur obsequium; cum ipsa militia cœlestis, nato secundum carnem Filio, non aliud in terris cantaverit quam, *Gloria in excelsis Deo* (Luc. ii, 14). Si quis autem quaerit, cui Deo, illa statim angelica multitudo respondet, *Sedenti in solio, et Agno.* Hoc ab angelis dicitur in excelsis, hoc in terris cantatur ab hominibus bonæ voluntatis; ut ostenderetur unus idem ipse Christus, cui et ab angelis dicitur, *Gloria in excelsis Deo*, et qui factus est in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum* (Ephes. ii, 14). Ab ipso quem habemus pacem, accepimus bonam voluntatem, per quam dono gratiæ justificationis, **648** Patri et Filio et Spiritui sancto unius Deo gloriam dicimus, ut ad angelorum consortium pervenire possimus: ubi munere glorificationis accepto, gloriam sedenti in solio, et Agno Deo nostro in sæcula sæculorum dicere valeamus. Neminem autem moveat, quod in his omnibus nihil dictum est de Spiritu sancto. Evangelica quippe doctrina, quidquid servitutis exhibendum præcipit Patri et Filio, simul exhibendum ostendit et Spiritui sancto. Quid Salvator noster uno præcepto monstravit, dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (Matth. xxviii, 19). Quod utique dicens, insinuavit eidem Trinitati simul a nobis deberi omne religionis obsequium, in cuius nomine creditibus et baptizatis confertur salvationis exordium. Maxime tamen et in illo loco Isaïæ prophætæ, una gloria Trinitatis agnoscitur, in quo Seraphin clamant, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth* (Isai. vi, 3); ubi Trinitatem, unum Dominum Deum ostendunt, continuoque subjungunt, *Plena est omnis terra gloria ejus.* Tale nobis aliquid etiam David beatus insinuans, canit: *Vox Domini præparantis cerros, et revelabit condensa, et in templo ejus omnes dicent gloriam* (Psal. xxviii, 9). Templum vero non solum Patris et Filii, verum etiam Spiritus sancti nos esse, sicut in hoc opere jam memoravimus, apostolica confirmat auctoritas. Dicit enim beatus Paulus: *Nescitis quia membra vestra templum est in vobis Spiritus sancti, quem habetis a Deo* (I Cor. vi, 19)? Quomodo ergo fieri potest, ut gloria, quæ in templo sancti Spiritus dicitur, ipsi sancto Spiritui non dicatur? cum profe-

cto quidquid ad laudandum Deum in templo Dei dictum fuerit, ab ipso Deo, cujus templum est, alienum esse non possit. Hoc itaque dixit beatus David, ut ipsa Trinitas, cui gloria in templo ejus dicitur, unus naturaliter esse Dominus agnoscatur. Quod ut plenius noveris, laudes divinas in Psalmis aspice, et in libro Danielis prophetæ, trium puerorum benedictiones diligenter attende (*Dan. III, 57 et seq.*); et cum inter universa quæ facta sunt, nullatenus inveneris Spiritum sanctum nominari, agnosce Spiritum sanctum creatorem esse, non creatum; factorem omnium rerum esse, non factum: et ex hoc intellige unum cum Patre et Filio naturaliter esse Dominum Deum. In Psalmis enim, ubi ad laudandum Dominum omnia quæ facta sunt convocantur, ab angelis incipitur, id est ab ipsa sapientia de qua scriptum est: *Prior omnium creata est sapientia, et intellectus prudentiæ ab ævo* (*Eccli. I, 4*); et de qua paulo post dicitur, *Ipsæ creavit illam Spiritu sancto* (*Psalm. CXLVI, 1*). Dicit autem beatus propheta: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis*; et incipiens ab ipsa prima et præcipua creatura, supra quam sola naturaliter est substantia Creatoris, angelos ponit in hujus laudationis exordio, dicens (*v. 2*): *Laudate eum, omnes angeli ejus, laudate eum, omnes virtutes ejus*; deinde dicit (*v. 3, 4*): *Laudate eum, sol et luna. Laudate eum, omnes stellæ et lumen. Laudate eum, cæli cælorum, et aquæ quæ super cælos sunt laudent nomen Domini*: causa nque hujus laudationis ostendens ait (*v. 5*): *Quoniam ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt*. Hæc itaque omnia ideo dicuntur Dominum debere laudare, quoniam ab ipso **649** facta sunt. Quod si factus esset etiam Spiritus sanctus, in illo laudationis ordine, ante angelos et virtutes prophetico poneretur eloquio. An hoc vobis placet, ut Spiritus sanctus, qui secundum vestram sententiam factus per Filium dicitur, sine divinæ laudationis obsequio relinquatur? et ille qui a vobis asseritur per Filium cæteris creaturis potior factus, laudantibus creatorem eunctis, sine laude perseveret ingratus? et ab ipso Dominus non laudetur, in quo, secundum credulitatem vestram, creator ejus magis laudabilis invenitur? Benedictiones quoque trium puerorum, sicut superius dixi, prudenter attende: in quibus primitus ita ipse factor omnium rerum benedicitur, ut ei dicatur: *Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, et laudabilis, et gloriosus in sæcula* (*Dan. III, 52*). Ecce, tres illi tanquam ex uno ore, Dominum Deum et benedicere et laudare et glorificare non desinunt. Ubi solum Patrem intelligi Scripturæ divinæ non permittit auctoritas; primitus enim ab illis tribus pueris ponitur: *Benedictum nomen gloriæ tuæ, quod est sanctum, et laudabile et gloriosum in sæcula* (*Ibidem*); istud autem nomen sanctum, non solius Patris, sed unum naturale nomen est Trinitatis: quod superius est a nobis sancti Iacobi testimonio demonstratum, qui Seraphin ad invicem sic clamare commemorat: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus*

Deus Sabaoth; plena est omnis terra gloria ejus (*Isa. VI, 3*). Quod si hoc nomen, quod est sanctum, non unum esse sanctæ Trinitatis asseras, restat, hoc nomen sanctum soli sancto Spiritui (velis, nolis) assignare cogaris: ipse enim in Trinitate proprie Spiritus sanctus dicitur; quamvis et Pater et Filius secundum rectam fidem et Spiritus et sanctus naturaliter non negetur. Unde beatus Apostolus unum seiens nomen esse sanctum Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in ipso fideles sanctificari testatus est dicens: *Sed abluti estis, sed justificati estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri* (*I Cor. VI, 11*). Recole igitur in quo nomine sanctum baptisma detur, et invenies quoniam in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti unusquisque justificatur et sanctificatur, quisquis in eodem nomine recte credens, in unam substantiam Trinitatis abluitur. Unde unum nomen sanctum Patris, et Filii, et Spiritus sancti naturaliter esse cognoscit, quisquis in eodem nomine conferri (*Florus, confert*) donum veræ sanctificationis intelligit. Dicit deinde in benedictionibus: *Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ, et laudabilis et gloriosus in sæcula* (*Dan. III, 53*); templum autem nos esse, non solius Patris, sed ipsius sanctæ Trinitatis, jam in hoc opere sanctarum Scripturarum attestatione sufficienter ostendimus. Trinitas est igitur unus Dominus Deus, benedictus et laudabilis, et gloriosus in sæcula: quem in templo sancto gloriæ ejus illi veraciter benedicunt, qui se unum templum esse sanctæ Trinitatis agnoscunt. Deinde ab illis tribus pueris dicitur: *Benedictus es, qui vides abyssos, sedens super Cherubim, et laudabilis, et gloriosus in sæcula* (*Ibid., 55*). Et Pater autem, et Filius, et Spiritus sanctus ita totum aequaliter videt, sicut totum ipsa Trinitas replet. Nec Filio igitur, nec Spiritui **650** sancto abyssorum visio denegatur; quoniam ipsa sancta Trinitas simul omnia in cælis et in terra, visibilia et invisibilia, omnipotentis naturalis agnitione complectitur: et in eo omnia manifestissima visione cernit, quia plenitudine scientiæ suæ sicut præterita et præsentia, sic etiam futura universa cognoscit. Cum vero deinde in benedictionibus dicitur: *Benedictus es supra sedem regni tui, et laudabilis, et gloriosus in sæcula* (*Ibid., 54*), quis ita desipiat, ut ab hac benedictione Filium aut Spiritum sanctum separare contendat? cum beatus Isaias unam esse sedem sanctæ Trinitatis insinuet, dicens: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* (*Isa. VI, 1*). Quem Dominum, clamantibus ad invicem Seraphin, ita prædicari commemorat: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth; plena est omnis terra gloria ejus*. Ipsum ergo ^a unum Dominum in uno throno sedentem propheta cognovit, in sacramento Trinitatis tertio vocari sanctum; et semel dici Dominum Deum, revelatione gratiæ spiritualis audivit. Inde est quod unum regnum unamque sedem Patris et Filii apostolica prædicare non cessat auctoritas. Beatus enim Paulus, unum regnum Filii

^a Florus legit, Spiritum ergo ... autem in sacramento, etc.

et Patris ostendens, ait: *Hoc enim scitote intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habebit hæreditatem in regno Christi et Dei (Ephes. v, 5).* Sedem quoque unam esse sanctus Joannes in Apocalypsi evidenter ostendit, dicens de angelo a quo sibi sanctam civitatem testatur ostensam: *Et ostendit mihi flumen aquæ vivæ candidum quasi crystallum, exiens de sede Dei et Agni. Per mediam plateam ejus, ex utraque parte fluminis, lignum vitæ, afferens duodecim fructus, per singulos menses reddens fructum suum, et folia ligni in curationem gentium. Neque ullum jam maledictum erit, et thronus Dei et Agni in ea erit (Apoc. xxii, 1, 2, 3).* Trinitas igitur unus Deus intelligendus est in illa trium puerorum benedictione, ubi dicitur: *Benedictus es supra sedem regni tui*: quia sicut una sedes, sic unum regnum est Patris et Filii et Spiritus sancti. Illud deinde quod inferitur: *Benedictus es in firmamento cæli, et laudabilis et gloriosus in sæcula (Dan. iii, 56)*, quis non videat in laudem Trinitatis dictum? quandoquidem ipsum firmamentum cæli, unum opus est Trinitatis; *Verbo, enim Domini cæli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum (Psal. xxxii, 6)*. Ut autem Dominum Deum patrum nostrorum, non solum Patrem, nec solum Filium, nec solum Spiritum sanctum, sed simul sanctam Trinitatem, unum Dominum Deum ab omnibus operibus suis benedicendum, laudandum, et glorificandum tres illi viri ostenderent, vide unde divinatorum operum initium sumpserint: dicentes enim, *Benedicite, omnia opera Domini, Dominum (Dan. iii, 57)*, ostenderant non debere inter opera Domini computari quodcumque in his operibus quæ hic comprehenduntur non poterit inveniri. Deinde omnia prorsus quæ sunt opera Domini Dei, ad obsequium debitæ benedictionis creatori Deo reddendum, hoc invitare cognoscuntur exordio: *Benedicite, cæli, Dominum (v. 59)*; *Benedicite, angeli, Dominum (v. 58)*; *Benedicite, aquæ omnes quæ super cælos sunt, Dominum (v. 60)*, *Benedicite, omnes virtutes Domini, Dominum (v. 61)*, et cætera, sive quæ in cælis, sive quæ in terra sunt, visibilia et invisibilia: in quibus tamen omnibus operibus Domini non invenitur Spiritus sanctus; quem utique si oporteret inter divina opera deputari, nec angelica, neque alia quælibet ante illum creatura debuisset nominari. Quid est ergo, quod Spiritus sanctus nec inter omnia quæ a Domino facta sunt, Dominum laudat, nec Deum inter omnia ejus opera benedicit? An forte prophetis subrepsit oblitio, ut Spiritus sancti non meminissent, cum ad laudandum Dominum omnia quæ a Domino facta sunt, et ad benedicendum Dominum omnia opera Domini

A convocassent? sed hoc quemquam beatus Petrus credere non permittit, dicens: *Non enim voluntate humana allata est unquam prophetia, sed Spiritu sancto acti locuti sunt sancti homines Dei (II Petr. i, 21)*. Alio quoque loco de iisdem prophetis hæc memorat: *Scrutantes in quibus vel quale tempus significaret qui in eis erat Spiritus Christi (I Petr. i, 11)*. Proinde Spiritus sanctus, quo utique acti locuti sunt sancti homines Dei, si se non factorem, sed factum sciret, et si se non operatorem Deum, sed opus Dei esse cognosceret, ante illa omnia quæ facta sunt, et quæ opera Domini nominantur, seipsum primitus sine dubio posuisset, ut ab ipso, in quo excellentia divini operis esset præ angelis agnoscenda, operatori Deo laus præcipua redderetur. Hoc autem idco non fit, quia unus est Deus creator omnium rerum, Pater et Filius et Spiritus sanctus: qui ab omnibus quæ fecit, ideo digne laudatur, et ab omnibus operibus suis nihilominus benedicitur, quia ipse creator atque operator rerum omnium Deus Dominus invenitur. Unge ergo benedictio, una laus, una glorificatio, uni Deo Trinitati debetur ab omnibus operibus ejus; quia Pater et Filius et Spiritus sanctus, solus Deus factor omnium invenitur esse, non factus, et solus Deus creator est, non creatus.

FRAGMENTUM XXXV.

Pater non est auctor totius Trinitatis, sed tantum Filius et Spiritus sancti.

Quis autem illam tui mendacii non detestetur ineptiam, qua me confingis Deum Patrem totius Trinitatis auctorem, in illis gestis falsis atque fallacibus nuncupasse? Quod utique tantum est a fide veritatis alienum, quantum est sanctæ religioni contrarium. Deus quippe Pater non est auctor Trinitatis, sed auctor est Filii et Spiritus sancti, in eo quod de illo natus est Filius, et de illo procedit Spiritus sanctus. Nam quisquis recte intelligit auctoris vocabulum, relationis nomen inveniet; non naturæ. Auctor enim nemo esse dicitur sibi, sed alteri: unde non ad se ipsum, sed ad alterum auctor veraciter nuncupatur. Nemo autem quolibet relativo nomine sic potest ad suam sicut ad alterius referri personam: quod enim ad suam quisque personam dicitur, secundum relationem dici nullatenus invenitur. Deum itaque Patrem, non totius Trinitatis, sed Filii et Spiritus sancti fatemur auctorem: de quo habet, et unigenitus Filius æternæ nativitatis, et Spiritus sanctus æternæ processions originem. Unitas autem naturalis, creatorem Filium de creatore Patre naturali nativitate insinuat exstitisse, et creatorem Spiritum sanctum de Patre Filioque procedere.

EX LIBRO X. QUI DEFENSIONEM CONTINET SYMBOLI APOSTOLORUM ADVERSUS ARIANOS.

FRAGMENTUM XXXVI.

Quid Symbolum. Ad usum ejus legitimum necessarius est rectus credentis animus. Quod in eo Pater et omnipotens et creator dicitur, hoc de tota Trinitate intelligendum est. Immortalis est et invisibilis Tri-

nitas alia ratione quam angelus vel anima hominis. Enarrantur omnes Symboli articuli

Christianæ fidei Symbolum (quod Græco eloquio et pactum solet et collatio nunoupari) sancte quidem, recteque, et omnino sapienter secundum regulam

veritatis est ab apostolis ordinatum. Dominus enim, qui verbum consummans et brevians fecit super terram, sicut in brevitate consummavit omnia præcepta legis (*Rom. 13, 23*), dicens, in illis duobus præceptis dilectionis Dei et proximi totam legem prophetasque pendere (*Matth. xxii, 40*); sicut etiam in orationis brevitate perfecit, quidquid ad præsentis vitæ auxilium, et ad futuræ pertinebat effectum; sic etiam in Symboli brevitate, perfectum voluit per apostolos suos fidei sanctæ ordinari tenorem, qui recte credentibus proficeret ad salutem. Est autem Symbolum quoddam verum pactum veraque collatio in cujus brevitate totius credulitatis Christianæ summa consistit. Ubi tamen necessarius est rectus credentis animus, ne quod audit ad salutis effectum, ipse sibi velit ad mortis retorquere supplicium. Nam *bona est et lex, si quis ea legitime utatur* (*I Tim. 1, 8*). Quapropter inaniter tibi visum est, male intelligendo, ad tuum sensum velle rectitudinem Symboli retorquere, et inde præseribere sanctæ fidei catholicæ, quæ in Symbolo non omnia dicta sunt de Filio, quæ sunt dicta de Patre: cum utique propterea plenitudo divinitatis, quantum oportebat debuerit in origine commendari, quia non debuit aliter in prole cognosci. Cum enim quisque se dicit credere **653** in Deum Patrem omnipotentem, hoc ipsum quod in Deum Patrem dicit, sicut in eo veritatem naturalis divinitatis, ita veritatem naturalis quoque paternitatis, et ex hac veritatem naturalis etiam generationis ostendit. Nec enim Deus Pater naturaliter Deus est, et Pater naturaliter non est, cum utique naturalis in eo sit, et divina paternitas et paterna divinitas. Totum igitur in se habet illa generatio divina, quidquid in se habet Dei Patris æterna substantia. Proinde sufficiebat ut diceretur de Patre solo quidquid æqualiter intelligendum esset in Filio. Pater enim sic omnipotentem Filium genuit, sicut est ipse Pater omnipotens; sic universorum creatorem, sicut ipse universorum creator est; sic Regem sæculorum, sicut ipse Rex sæculorum est; sic immortalis et invisibilis, sicut ipse immortalis est et invisibilis. Omnia igitur quæ Deo Patri dantur in Symbolo, ipso uno Filii nomine naturaliter tribuuntur et Filio. Nam universorum creator est Pater, sed omnia per Verbum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan. 1, 3*); et: *In ipso creata sunt universa in cælis et in terra, visibilia et invisibilia: sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in illo constant* (*Coloss. 1, 16, 17*). Unus est itaque Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipsum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum (*I Cor. viii, 6*). Rex sæculorum est Pater, sed non minus Rex invenitur et Filius, cui dicit Propheta: *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum* (*Psal. cxliv, 13*). Immortalis vero et invisibilis simul est ipsa Trinitas, qui est unus, verus, et bonus Deus: non utique sic immortalis atque invisibilis, sicut est anima humana vel angelus. Deus enim in eo maxime invisibilis dicitur, in quo nisi per gratiam non vide-

tur. Nullus enim creatus spiritus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum propria facultate videt, si hoc Deus ipse non donet. Necesse est autem ut non corpore, sed spiritu Deus Trinitas videatur, si hoc bonitatis suæ munere largiatur: alioquin quomodo verum erit quoniam angeli sancti semper vident faciem Patris? et: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth. v, 8*)? Angelus igitur et animæ rationalis, quoniam spiritus sunt a Deo creati, non possunt oculis videri corporeis; Trinitas autem, qui est Deus universorum creator, et vere invisibilis, procul dubio si ab eo gratia non donetur, etiam cordis oculo non videtur. Deus enim lux est vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan. 1, 9*): gratis itaque illuminando confert emundationem, ut videndi tribuat facultatem. Immortalis quoque non eo modo Deus dicitur, quo vel anima vel angelus invenitur: quoniam et in angelo etsi non est naturalis extinctio, potest tamen naturalis inveniri mutatio: illa vero natura recipit ex mutabilitate quamdam mortem, quæ recipit qualitatem. Nos autem Deum sine qualitate dicimus bonum, cui non est aliud Deum esse, aliud bonum esse: unde, cum bonitatem dicimus, ipsam divinitatem ejus ostendimus; et cum divinitatem dicimus, bonitatem sine dubio demonstramus. Deus ergo noster in eo vere immortalis agnoscitur, **654** in quo naturaliter non mutatur: quod nulla creatura potuit aut potest habere per naturam, quamvis hoc quædam cognoscitur accepisse per gratiam. Omnis quippe res quam Deus fecit, originem ducit ex nihilo: unde consequenter agnoscitur a certo initio cœpisse esse, et priusquam esse inciperet, non fuisse. Unde hoc habet omnis res cujus non est una cum Deo Patre natura, ut per semetipsam mutabilitati subjaceat: incommutabilitatem vero, illius naturæ dono consequatur, in qua naturalis incommutabilitas invenitur. Sola vero est natura Trinitatis quæ naturaliter mutari non possit, quia natura esse non cœpit: in omni autem substantia quæ cum Deo Patre non est unius ejusdemque nature, sicut origo ex nihilo ducta cognoscitur, ita naturalis mutabilitas invenitur. Quam mutabilitatem sola Trinitatis divina natura non habet, quæ esse non cœpit, et quæ omnia quæ fecit, ex nihilo fecit: quæque propterea in se tantummodo credi voluit, quia sic sola sufficit ad renovationem humanæ naturæ, sicut ad creationem omnium rerum sola sibi naturali virtute ac bonitate sufficit. In illam igitur naturam sanctæ Trinitatis iuste ac salubriter credimus, quam et omnipotentem, et rerum omnium creatricem, et regem, et regnum omnium sæculorum singulariter possidentem, et invisibilem corporibus atque spiritibus per naturam, visibilem vero spiritibus justis per gratuitam gratiam, immortalis quoque per æternitatem naturalis incommutabilitatis agnoscimus. Quapropter cum hæc omnia commemorarentur in Patre, in quo principaliter commendanda erat divina natura, sufficit Filium ejus unicum Dominum nostrum Jesum Christum deinde nominari, quandoquidem ipso unici Filii vocabulo, plena inve-

niter Patris et Filii naturalis significata communio. A Patre una divinitas naturalis. Christus enim, qui veritas est, sicut est verus homo de natura matris, sic verus Deus est etiam de substantia Patris: cui sic non est diversitas divinæ naturæ cum Patre, sicut non est naturalis diversitas animæ carnisque cum Virgine. Proinde, quia mortem veritate carnis accepit, quam veritate divinitatis absorbit, ideo scemur quia sepultus, die tertia resurrexit. Hoc enim ad confirmationem spei nostræ operata est divina benignitas, ut in quo vincebatur mortis nostræ supplicium, in ipso refulgeret nostræ resurrectionis exemplum: et quia *Christus resurgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur* (Rom. vi, 9); sicut nunquam morietur Christi caro vera, ita nostra quoque corpora resurrectionis æternitate credamus sine fine victura. Deinde autem scemur Christum ascendisse in cælum, et inde venturum judicare vivos et mortuos: *Patet enim non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem* (Joan. v, 22). Proinde unus est honor Patri et Filio deferendus, quia Pater, qui non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, unum demonstravit esse suum Filiique judicium: quod ideo Filio dedit, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem. Ad removendam quippe differentiam honoris, ostensa est unitas judiciariæ potestatis: ut scilicet Filio, cui a Patre datum omne judicium novimus, æqualem simul cum Patre honorificentiam deferamus; nec separemus honoris obsequium, ubi separatum judicium non videmus. Expleta vero confessione veræ divinitatis, veræque humanitatis unici Filii Dei, constemur nos credere in Spiritum sanctum, qui est unus Spiritus Patris et Filii, de Patre Filioque procedens, in Patre Filioque **656** naturaliter (*ul. fideliter*) manens: de Patre ac Filio habens divinitatis originem, cum Patre ac Filio unius deitatis habens naturaliter veritatem. In Spiritu autem sancto quid amplius ad perfectionem divinæ majestatis potuit aut debuit prædicari, quam cum de Spiritu sancto ex Maria Virgine natus Dei Filius dicitur, ipse opifex illius sancti corporis invenitur? In quo ergo digne minor Patre vel Filio dici potest, qui est ipsius unici Filii Dei secundum carnem creator omnipotens? Hæc est Trinitas unus Deus, cujus sacramentum sancto Symbolo continetur, propter quod in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti sanctum **D** baptisma datur. Remissio vero peccatorum, carnis resurrectio, et vita æterna, propterea in Symbolo post commemorationem sanctæ Trinitatis adjungitur, ut illius confessionis utilitas, hujus mercedis subjunctione monstretur. Ad hoc enim utilis est fides Patris, et Filii, et Spiritus sancti, unius scilicet æterni, veri, et boni Dei, ut remissionem peccatorum accipiamus, et in ista carne in qua nunc vivimus resurgentes, in æternum beate vivamus. Ipsa est pietas, quæ *ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ præsentis et futuræ* (I Tim. iv, 8); præsentis utique bonæ, et futuræ æternæ ac beatæ. Subjungitur autem

* Videtur hic deesse adderetur.

et sancta Ecclesia, ut agnoscat quæ sit domus Dei conditoris, æterna civitas Redemptoris: sine cujus societate atque unitate remissio peccatorum non acquiritur, et per resurrectionem carnis non ad æternæ vitæ gaudia, sed ad æternæ mortis supplicia pervenitur. Proinde illi sanctum Symbolum prodest, qui Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum Deum naturaliter credit: ipse enim remissionem accepit peccatorum, et per resurrectionem istius carnis in qua nunc bene vivit, vitam æternam sine dubio possidebit; non autem sic credimus in remissionem peccatorum, in carnis resurrectionem et in vitam æternam, sicut credimus in Spiritum sanctum. Discretionem quippe largitoris largitatisque servata, in Patrem et in Filium et in Spiritum sanctum credimus: remissionem vero peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam æternam, a Patre et Filio et Spiritu sancto danda nobis credimus et speramus. Nam ipse Salvator noster, in quo nobis credendum sit, evidenter ostendit, dicens discipulis suis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (Math. xxviii, 19). In Patre autem, et Filio, et Spiritu sancto, personarum fuit insinuanda proprietates, ne in Trinitate Deo, in quo una natura saluberrime creditur, una quoque persona perniciosissime crederetur. Miror autem te confiteri quia de Deo nihil aliud nasci poterat nisi Deus; et non attendere, in ipsa natura et nomine Dei omnia illa quæ de Deo Patre dicta sunt contineri. Si enim de Deo nihil aliud nasci poterat nisi Deus, utique de Deo omnipotente nihil aliud nasci poterat nisi Deus omnipotens, de Deo universorum creatore nihil nasci poterat nisi Deus universorum creator, de Deo Rege sæculorum nihil aliud nasci poterat nisi Rex sæculorum, de Deo immortalis nihil aliud nasci poterat nisi Deus immortalis, de Deo invisibili nihil nasci poterat nisi Deus invisibilis. Quoniam ergo de Deo natus est Deus, de Patre **657** Filius, de omnipotente omnipotens, de universorum creatore universorum creator, de Rege sæculorum Rex sæculorum, de immortalis immortalis, de invisibili invisibilis, quid reliquum est nisi ut Patri Filius per omnia credatur æqualis?

FRAGMENTUM XXXVII.

Pater vere Dominus est, et Christus vere Deus, et tota Trinitas vere Dominus Deus. Quomodo baptizamur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et tamen in solo Christi nomine salvamur. An bonus baptizamus in nomine Jesu Christi.

Neque enim Symboli tenor soli Patri tribuit deitatem, sed in Deo Patre naturalem Filii et Spiritus sancti ostendit originem: in quo utique demonstranda erat divinitas vera per omnipotentiam nomen, quia Deus non esset, si omnipotens non fuisset: demonstranda erat etiam vera generatio nomine paternitatis, ut Patris et Filii vere significaretur natura communis. Et quia Deo competit naturaliter Dominum esse omnium rerum; in eo quod tenor Symboli Christum dixit Dominum, veraciter insinuavit et Deum. Proprium quippe est ac naturale vero Deo, non aliud esse quam Dominum; et vero Domino, non aliud esse quam Deum. Inde est quod et beatus Pau-

lus apostolus sic ait: *Nobis tamen unus est Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (I Cor. viii, 6). Ut sicut Deo Patri non ademit jura veræ dominationis, sic nec Domino Filio agnosceretur unitatem subtrahere deitatis. Unum enim nobis licet Deum unumque Dominum confiteri. Una est enim dominatio unius divinitatis, et una divinitas unius dominationis, et sic præter unum Dominum non est alius Dominus, sicut præter unum Deum non est alius Deus. Unius ergo Dei una dominatio in una ejus divinitate cognoscitur; et unius Domini una divinitas in una ejus dominatione naturaliter invenitur. Præter unum Deum Patrem non est alius Deus, et præter unum Dominum Jesum Christum non est Dominus alius. Sed nec Deus Pater sine Deo Filio unus est Deus, nec Dominus Christus sine Domino Patre unus est Dominus. Quia Deus Pater et Dominus Jesus Christus naturaliter unus est Dominus Deus: plenitudinem deitatis naturaliter habens in plenitudine dominationis, et plenitudinem dominationis habens in plenitudine deitatis. Inde est quod beatus David dicit: *Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum* (Psal. xvii, 32)? Tenor igitur Symboli in Patre et Filio unitatem deitatis ac dominationis ostendit, quando et Patrem, quem Deum dixit, non aliud quam Dominum; et Christum, quem Dominum dixit, non aliud quam Deum recte erudentibus intimavit. De uno enim Deo **658** Patre natus unus Deus Jesus Christus, non aliud potuit nasci quam Deus: qui tamen unus Dominus naturaliter non esset, si natus de Domino non fuisset. Pater itaque Deus, qui Dominum genuit, verus cognoscitur Dominus; et Christus Dominus de Deo genitus, verus cognoscitur Deus; et Spiritus sanctus, unus idemque Patris et Filii Spiritus, quia unius naturæ est cum Patre et Filio, verus est Dominus Deus. Una quippe illi est naturaliter eum Domino Deo Patre, et Domino Deo Filio, et deitas veræ dominationis, et veræ dominatio deitatis. Hinc est quod unusquisque catholicus Christianus, cum fuerit interrogatus, utrum Deus Pater Dominus sit, et utrum Dominus Jesus Christus Deus sit, utrumque sine dubio confitetur; nec tamen duorum deorum, aut duorum dominorum, sed unius Domini Dei prædicator veridicus invenitur.

D Quid enim restat illi cui duos deos, aut duos dominos prædicare non licet, nisi ut interrogatus, Deum Patrem et Dominum Christum unum Dominum confiteatur intrepidus? nec aliud utique respondeat de Spiritu sancto, quia unus est Dominus Deus cum Patre et Filio, qui unus est Spiritus Patris et Filii? Quod quisquis verum esse aut negat aut dubitat, necesse est ut aut solum dicat colendum Deum Patrem, aut seipsum profiteatur creatoris creaturæque cultorem. Sed fides Christiana ideo unum Dominum Deum prædicat Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quia nec duos vel tres dominos aut deos fas est credere, nec creaturam cum Creatore licet cuiquam colere, nec sine cultura Filii aut Spiritus sancti potest fides Christiana constare. Unus est igitur Deus, et

Dominus omnium rerum, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Deus enim non solius vocabulum Patris, sed unum communiter naturale nomen est Trinitatis. Ideo Salvator noster præcepit discipulis suis, dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (Matth. xxviii, 19). Vide quid respondeas beato Petro, qui in solo Christi nomine sic collocavit humanæ salutis effectum, ut in nullo alio nos assereret posse salvari. In libro quippe Actuum apostolorum, postquam ille sanatus est qui erat claudus ex utero matris suæ, cum Petrus et Joannes a principibus sacerdotum interrogarentur, in qua virtute aut in quo nomine hoc fecissent, ita scriptum est: *Tunc Petrus repletus Spiritu sancto dixit ad eos: Principes populi et seniores, si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est; notum sit omnibus vobis et omni plebi Israel, quia in nomine Jesu Christi Nazareni quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Illic est lapis qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, et non est in alio aliquo salus. Nec enim nomen est aliud sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri* (Act. iv, 8 et seq.). Ecce Petrus repletus Spiritu sancto dicit, sic nos in nomine Christi salvari, ut non sit aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Confer nunc illud præceptum Christi quo præcepit baptizari gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, tuar isto beati Petri sermone, quo sic in solo nomine Christi **659** salutem humanam commendat, ut omnino neget nomen aliud esse sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri. Confer itaque nunc sermones Christi cum sermonibus Petri; confer doctrinam magistri cum doctrina discipuli; confer quod Petrus audivit a Christo, et quod dixit repletus Spiritu sancto. Christus præcepit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizari; Petrus vero dixit solum nomen Christi datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri. Dic ergo utrum conveniat quod Petrus a Christo audivit, et quod repletus Spiritu sancto prædicavit. Si enim convenit utrumque, necesse est unum nomen esse Patris et Filii et Spiritus sancti, et hoc solum nomen datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri. Si vero istam doctrinam Petri ab illo præcepto Christi dixeris discrepare, hoc tibi reliquum est, ut non tam Petrum quam Spiritum sanctum dicas esse mentitum. Spiritu enim sancto repletus hoc dixit, et ab ipso utique quod prædicaret audivit. Cum autem in mendacio Petri mendacem dixeris Spiritum sanctum, continuo mendacem prædicabis et Christum. Ipse enim Spiritum veritatis a se promisit mittendum esse discipulis, ut eum Spiritum qui illos doceret in omnem veritatem. Quod si eos in aliquod mendacium Spiritus sanctus induxit, non solum ipsum mentitum asseris, qui veritati aliquid contrarium docuit; sed et Christum ne-

cesse est dicas esse mendacem, si non talem Spiritum misit qualem promisit. Si enim prælicationem illam beati Petri veracem esse negaveris, ipsum Christum (id est Veritatem) necesse est mendacii fatearis auctorem: ipse enim ait, loquens de Spiritu sancto: *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis* (Joan. xvi, 13, 14). Si de Christo quod diceret Spiritus sanctus accepit, et mendacium dixit, ergo Christus Spiritui sancto mendacium dedit. Sed si hoc a Christo non accepit, sed Spiritus sanctus locutus est a semetipso quod non accepit a Christo, ergo, secundum sententiam tuam, aut sciens aut ignarus mentitus est Christus, qui ait, *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur*. Sed quia nec Christus potuit mentiri, nec Spiritus sanctus, quia ipsa sancta Trinitas naturaliter una est veritas, quapropter sicut veritatem confitemur esse Deum Patrem, sic etiam Filium et Spiritum sanctum naturaliter cognoscimus veritatem; Filius quippe de seipso dicit: *Ego sum via, veritas, et vita* (Joan. xiv, 6); Spiritum quoque veritatis beatus Joannes veritatem esse testatur, dicens: *Et Spiritus est qui testificatur, quia Spiritus est veritas* (I Joan. v, 6); quoniam igitur Pater veritas, et Filius veritas, et Spiritus sanctus veritas, non sunt tres veritates, sed ipsa sancta Trinitas una est naturaliter veritas; et quidquid sancti apostoli docuerunt, pleni veritate dixerunt: necesse est ut verum sit et quod Petrum docuit Christus, et quod plenus Spiritu sancto docuit Petrus. Nam, sicut nemo salvatur nisi baptizatus fuerit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; sic excepto Christi nomine, non est aliud nomen datum hominibus **660** in quo oporteat nos salvos fieri. Unum enim naturale nomen est Patris et Filii et Spiritus sancti, quod est Deus; et hoc est solum hominibus datum nomen, in quo qui recte credunt, per sacramentum baptismatis perveniunt ad salutem. Quapropter si non in uno eodemque nomine, quod est naturaliter Patri et Filio et Spiritui sancto commune, sanctum baptismum credentes accipiunt; sed (sicut tu putas) in tribus diversis nominibus baptizantur, quando, secundum regulam Christi Salvatoris imperio constitutam, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti qui crediderint baptizantur: responde nobis, utrum subtracto vel Patris vel Filii vel Spiritus sancti nomine, possit in duobus nominibus baptismum datum Christiana firmitate constare. Quod utique nullatenus dicere audebis, quia hoc te dicere prohibebit ipsius sententia Veritatis. Quid igitur restat nisi ut respondeas, illud esse integrum baptismi sacramentum, quod secundum præceptam Domini datur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Nunc veniat in mentem liber Actuum apostolorum, in quo beatus Petrus invenitur dixisse Judæis: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in*

Ita^s Syrus et Græcus textus, et nonnulli antiqui Patres. In Vulgatis habetur, *Quia Christus est veritas.*

nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrum, et accipietis donum Spiritus sancti (Act. ii, 38). Deinde considera quia in eodem contineatur libro, ubi scriptum est: Cum autem audissent apostoli qui erant Hierosolymis, quia recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad illos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat Spiritus sanctus, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu (Act. viii, 14 et seq.). Item in eodem libro, cum Petrus apostolus missus ab Spiritu sancto, magnum pietatis prædicaret centurioni Cornelia sacramentum, et adhuc eo loquente super omnes qui audiebant verbum Spiritus sanctus cecidisset, tunc sanctum apostolum Petrum ita respondisse memorata Scripturâ testatur, Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos? Et iussit eos in nomine Jesu Christi baptizari (Act. x, 47, 48). Illic quoque locum in eodem libro considera, ubi dicitur: Factum est autem cum Apollo esset Corinthi, et Paulus, peragratis superioribus partibus, venisset Ephesum, et invenisset quosdam discipulos, dixit ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est audivimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis baptismate. Dixit autem Paulus: Joannes quidem baptizavit baptismate penitentiae populum, dicens, in eum qui venturus est post ipsum ut crederent, hoc est in Jesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu: et cum imposuisset illis manum Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis et prophetabant (Act. xix, 1 et seq.). Ecce tot locis attestantibus, invenimus quosdam in nomine Domini Jesu Christi, auctoritate apostolica baptizatos. Dic ergo mihi utrum illi qui baptizati dicuntur in nomine Jesu Christi, in nomine quoque Patris et Spiritus sancti fuerint baptizati, an hoc omnimodis neges. Quod si dixeris in illo 661 Jesu Christi nomine, simul et Patris et Spiritus sancti nomen accipiendum, procul dubio unum Patris et Filii et Spiritus sancti confiteberis nomen; et ex uno nomine, unum Deum necesse est sanctam confitearis continuo Trinitatem. Si vero baptizatos in nomine Jesu Christi, dixeris non esse baptizatos in nomine Patris et Spiritus sancti, quid restat nisi ut illud baptismata verum esse non putes, sed ipsos sanctos apostolos prævaricationis reos esse pronunties? Quod cum dixeris, vide quemadmodum te audebis Christianum dicere, cum cœperis Christo in suis apostolis repugnare, quem ipsis apostolis dixisse non nescis, Qui vos recipi me recipit; et, Qui vos spernit, me spernit (Matth. x, 40; Luc. x, 16). Audi ergo sermonem apostolicum, et doctrinæ atque operi apostolorum reverenter obedientiam præbe. Ille itaque in his apostoli Petri verbis nullam patitur difficultatem, qui audiens Christum præcipientem baptizari gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; audiens etiam beatum Petrum dicentem, excepto nomine Christi, nullum nomen esse in quo oporteat nos salvos fieri:

A certissime credit et indubitanter fâtetur unum naturale nomen esse Patris et Filii et Spiritus sancti. Quapropter necesse est, ut aut in uno nomine Trinitatis dari sanctum baptismata fatearis; aut nomen Patris, et nomen Spiritus sancti necessarium esse non credas ad salutem humanam, et ex hoc saluberrimam Christi coneris evacuare doctrinam. Sed attende quid dixerit Christus, cujus doctrinam veraciter tenuit Petrus. In nomine quippe Patris et Filii et Spiritus sancti, gentes baptizari debere præcepit. Hoc præceptum Petrus tenacissime custodivit, hac doctrina oves Christi usque ad effusionem sanguinis pavit. Christianæ quippe fidei custodiens veritatem, et sciens unum esse nomen Trinitatis; et illud verum dixit, quia, excepto nomine Christi, non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri; et quod docuit baptizari in nomine Jesu Christi, in uno baptizavit nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Nulla est enim in Trinitate diversitas naturalis nominis, ubi est ipsa unitas naturalis.

FRAGMENTUM XXXVIII.

Filius est omnipotens sicut Pater, et sic habet omnia sicut Pater.

Addis, et dicis: « Est ergo Filius omnipotens, sed non sicut Pater, quia Filio ipsam omnipotentiam Pater dedit et contulit; Patri autem omnipotentiam nullus contulit neque dedit. » Cum utique ex hoc magis agnoscat Filius æqualis Patri, quia quod est, non habet aliunde, sed de Patre: nec est de nihilo, sed de genitore subsistit 662 æterno. Servavit ergo quod suum est natura Patris in Filio, quia nihil ex se potuit proferre diversæ divinitatis illa generatio naturalis. Dedit autem omnia Pater Filio, nec ei aliquid negavit, in quo totam naturam suam ineffabiliter genuit. Quod ergo dedit Pater omnipotentiam Filio, in sola est origine, non in diversitate ipsius omnipotentiae vel naturæ. Illic dedisse qui quærit, non aliud quam genuisse reperiet. Generatio autem illa, quæ naturaliter divina est et æterna, in quo plenitudinem omnium quæ habet ostendit Filio dedisse Patrem, in eo Patri Filium naturaliter demonstrat æqualem. Sic ergo habet omnia Filius, sicut Pater: quia ubi generatio naturalis agnoscitur, ibi generatoris et geniti nulla naturalis diversitas invenitur.

FRAGMENTUM XXXIX

Spiritus sanctus unus est naturaliter cum Patre et Filio Dominus Deus.

Memento itaque omnibus tuis objectionibus nos Domino adjuvante dedisse responsum: et noli credere Spiritum sanctum subjectum aut minorem in divinis eloquiis inveniri; nec ejus missionem carnaliter cogites, nec localem putes, nec ei obsequium servilis conditionis assignes. Est enim Spiritus sanctus cum Patre et Filio naturaliter unus Dominus Deus. Quod evidenter agnoscitur, et in creatione omnium rerum, et in redemptione fidelium. Si enim Deus non esset, communia opera cum Patre et Filio non haberet; si Deus non esset, virtutem cœlorum:

non ipse firmaret; si Deus non esset, angeli ad se prospiciendum non concupiscerent; si Deus non esset, super Jesum baptizatum nullatenus advenisset; si Deus non esset, unum nomen cum Patre et Filio non haberet; si Deus non esset, adoptionis divinae gratiam non dedisset; si Deus non esset, tem-

plum nostra corpora non haberet; si Deus non esset, Christus in illo daemonia non ejecisset; si Deus non esset, caelum et terram nullatenus implevisset. Haec igitur et his similia si recte cogitaveris, rectam fidem de sancto Spiritu mox habebis.

EX LIBRO III HINC MARI ARCHIEPISCOPI RHEMENSIS,

ADVERSUS OBJECTA GRÆCORUM, AD ODNEM BELLOVACENSEM;

NEC NON EX LIBRO III RATRAMI CORBEIENSIS MONACHI CONTRA GRÆCORUM OPPOSITA.

663 *Fulgentius episcopus, litterarum studiis admodum eruditus, et vitæ sanctitate perspicuus, ab Arianis quoque pro catholica fide multa perpessus, in libro Quæstionum de Spiritus sancti processione sic ait:*

Sic totum quod est ipsa natura, commune tribu invenitur esse personis, ut aliquid tamen inveniatur, quo proprie unaquæque persona noscatur: quod tamen nec inveniatur separabile, nec possit esse commune. Nam proprium Patris dicimus esse quod genuit; proprium dicimus Filii esse, quod solus de solo Patre natus est; proprium Spiritus sancti, quod de Patre Filioque procedit. In his vero propriis nulla est naturæ separatio, sed quædam personalis agnitio.

Item in consequentibus.

Non ergo potuit Spiritum sanctum divinitas Filii

accipere, cum ipse Spiritus sanctus sic procedat a Filio, sicut procedit a Patre, etsic detur a Filio, sicut datur a Patre. Nec illa natura, unde Spiritus sanctus habet originem, potuit vel expectare, vel accipere largitatem. Spiritus ille totus est Patris, totus est Filii: quia unus naturaliter Spiritus est Patris et Filii. Proinde totus de Patre procedit et Filio, totus in Patre manet ac Filio: quia sic manet ut procedat, sic procedit ut maneat. Unde naturaliter hanc habet cum Patre ac Filio unitatis plenitudinem, et plenitudinis unitatem, ut totus a Patre, totus habeatur a Filio. Non ergo accepit Spiritum sanctum divinitas Filii, cum qua unius est naturæ Spiritus sanctus, et ex qua habet quicquid habet, imo de qua est hoc quod est, quia quod naturaliter habet, hoc est.

ADMONITIO

IN SERMONES DUOS QUI SEQUUNTUR.

664 *Sermones hosce duos hactenus ineditos, e Vaticano codice a viro clarissimo Luca Holstenio olim descriptos, et ab eminentissimo cardinale Barberino huc missos, quia cum cæteris sancti Fulgentii sermonibus suo ordine in lucem edere non licuit, visum est hic ad cal-*

cem operum ejus apponere. Horum autem priorem vera Fulgentii esse vix dubitamus; posteriori vero auctorem alium, et hunc quidem probatum, licet forte Fulgentio posteriorem vindicandum arbitramur. Quis vero sit ille hactenus non comperimus.

S. FULGENTII

DUO SERMONES HACTENUS INEDITI.

SERMO PRIMUS.

In circumcissione Domini.

1. Incarnationis divinæ mysterium, nostræ reconciliationis egregium sacramentum, ob hoc a nobis annua revolutione celebratur et colitur, ut tanti commemoratio beneficii quid nobis indignis impensum ostendat, et quid tantæ gloriæ debeamus admoneat. Proinde, fratres, quanto magis audivimus Dominum Jesum Christum pro nobis misericorditer humiliatum, tanto magis agnoscamus ineffabiliter gloriosum. In eo namque suam circa nos insuperabilem caritatem Deus Unigenitus evidenter ostendit, in quo pro nobis humilitatem veræ carnis veræque mortis, non coactus necessitate, sed bonitate miseratus assumpsit. Quid enim boni feceramus, fratres, ut tantum nobis beneficium præstaretur? Quæ nostra bona merita fue-

runt, ut Unigenitus Deus homo fieri dignaretur, ut Altissimus humiliaretur, ut indeficiens angelorum panis femineis uberibus lactaretur, ut rex seculorum contumeliis afficeretur, ut vita æterna mori patientissime dignaretur?

2. Attende igitur, o homo, tantæ benignitatis dignationem, ut actionem persolvas humiliter gratiarum. Scito autem te non honorificentiam, sed contumeliam divinæ gratiæ reddere, si cœperis de tanti beneficii magnitudine dubitare. Imo illa omnia quæ de humilitate atque humanitate Domini Salvatoris audivimus, vera esse sine aliqua hæsitatione credamus. Et ideo magis agamus gratias, fratres, qui cum mereremur poenam, percepimus gratiam: quæ gratia factam est ut dum juste mors debetur perditis, vita gratis donaretur indignis. **665** Altissimi namque Salvato-

ris humilitas non ipsi aliquod intulit detrimentum, sed incrementum nobis contulit magnam; nec excelsos dejecit, sed dejectos erexit. Ut enim Dei Filius plenum operaretur redemptionis nostræ negotium, non solum dignatus est totius carnis creator, de carne Virginis secundum veritatem carnis naturaliter nasci, et Deus factor hominis, homo verus ex homine fieri; quin etiam pannis involvi, in angustissimo præsepio collocari, octavo die circumcidi, et ad templum suum humanis manibus bajulari. O clementissima Dei benignitas! o excelsa altissimi Dei humilitas! Ille a matre nutriebatur infantulus, qui matrem sibi creavit immensus. Ipse a parentibus ad suum templum puer parvulus portabatur, qui Deus magnus in eodem templo a sanctis hominibus rogabatur. Et idem pro se sacrificium præcepit offerri, qui sine peccato pro nostris venerat impietatibus immolari. Considera igitur, homo, quid debeas excelsæ atque humiliato pro te; excelsæ Creatori tuo, humiliato Redemptori tuo.

3. Verumtamen, carissimi, hoc semper Christianæ fidei tenere consuevit integritas, ut si quid a Christo secundum canonicam Evangelistarum narrationem factum legimus vel audivimus; historiam primum veram esse sine dubitatione credamus, deinde in historica veritate spiritalem quoque intelligentiam requiramus. Cum enim divinæ textus historicæ verus esse creditur, Manichæus in sua severitate confunditur: qui dum in Christo Dei Filio veritatem non credit carnis, Scripturis sanctis et veteribus et novis crimen nititur imponere falsitatis. Nam Veteris Testamenti deificam miser execratur historiam, in Novo Testamento ipse sibi denegat utique medicinam. Non vult enim humanam credere carnem a Deo plasmam, neque circumcisionem carnis imperatam a Deo nostris sanctis patribus, nec victimam de carnibus animalium Deo vivo et vero priscis temporibus immolatam, nec sabbatum ex Dei præcepto ac voluntate servatum, nec fabricatum Domino templum, jubente Deo. Itaque dum in Scripturis sanctis non discernit temporum qualitatem, spernit et despicit saluberrimam veritatem dominicæ incarnationis. Quapropter ut Manichæus evidentissima ratione vincatur et convertatur, utinam victus ex hodierna evangelica lectione, veritatem Testamenti Veteri defendamus, ut ex hoc Veteris et Novi Deum unum manifestissime comprobemus!

4. Ecce sancto Evangelio narrante cognovimus Christum Dei Filium veraciter circumcisum, pro Christo Dei Filio sacrificium de carnibus, secundum morem tunc divinæ institutionis oblatum: sive autem circumcisio carnis, sive carnalium sacrificiorum regula in Veteri Testamento cognoscitur instituta. Cur igitur, dilectissimi, non credatis justissime in Veteri Testamento, quoniam Dei manibus plasmatus est homo, quando in Novo Testamento, ut non in æternum periret homo, ipse Unigenitus Deus pro nobis factus est verus homo? Cur non credatur Deus etiam circumcisionem ad aliquid significandum congruo tempore jussisse fieri, cum eam Dei Filius in suo

corpore fecerit celebrari? Cur autem non sibi Deus noster præterito tempore populum Judæorum typicas jussisset victimas carnis offerre, quando ipse Deus Unigenitus ex Judæis temporaliter natus, se ipsum pro nostris peccatis secundum carnem dignatus est immolari? Attendat igitur Manichæus utriusque Testamenti manifestissimam et concordissimam veritatem, et vanitatem conversus abjiciat suam. Videat in Veteri Testamento significationem futurorum, ut Novo præteritorum revelationem; Christum autem Deum amborum Testamentorum, in Veteri Testamento quod exhibiturus fuerat promittentem, in Novo exhibentem quod promiserat: nec in promissione mendacem, nec fallacem in donatione; sed ubique bonum, ubique justum, ubique sanctum, ubique potentem, ubique clementem: in Veteri Testamento carnis atque animæ potentissimum creatorem, in Novo ejusdem carnis atque animæ clementissimum susceptorem; ac sic primo carnis animæque salvatorem. Hæc Manichæus audiat, conferat, agnoscat, et credat, credensque ad Ecclesiam catholicam redeat, in qua beneficium veræ salutis inveniat.

5. Per hæc autem quæ Dominus gessit in corpore constitutus, non solum utriusque Testamenti dignatus est concordiam demonstrare, verum etiam Christianorum mores informare salubriter voluit: ut quod in illo pro salute nostra gestum esse corporaliter intuemur, imitemur nos quoque spiritaliter. Ideo namque parvulus in terra natus est Christus, ut humilitatem disceret Christianus. Ob hoc etiam parentibus carnis suæ subditus erat, ut honorificentiam semper patri et matri omnis Christianus exhibeat. Ideo autem Christus vilibus pannis involutus est, ut Christianus non delectaretur vestibus pretiosis. Propterea vero Christus in terra pauper voluit apparere, ut divites Christiani discerent terrenas divitias non amare; sed eleemosynam pauperibus erogando, possent suas divitias in celo servare. Ob hoc fuit in angusto præsepio positus Christus, qui totius in latitudine non finitur mentis suæ: ut in eum credentes spirituale haberent pabulum, et Christiani discerent non inhiare domibus aut possessionibus aliorum. Cui enim Christiano quantumlibet vilis domus, vel possibilitas propria non sufficiat, quando Christo Dei Filio modici præsepit sufficit angustia?

6. Per circumcisionem vero quam Dei Filius in carne suscepit, nostri cordis circumcisionem in spiritu præmonstravit. Quam circumcisionem n. bis sermo legalis indicit, dicente Moyse: *Circumcidite præputium cordis vestri, et circumcidimini Deo v. stro* (Deut. x, 16). Cui præcepto concordat beatus Apostolus, dicens: *Non enim qui in manifesto est Judæus, neque quæ in manifesto in carne circumcisio; sed qui in abscondito est Judæus et circumcisio cordis in spiritu, non littera; cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est* (Rom. ii, 28, 29). Proinde circumcisionem in corpore habuit Christus, ut spiritaliter in corde habeat Christianus. Ob hoc namque ille, qui nullum habere potuit omnino peccatum, deposuit præputium carnis, ut nos abjiciamus desideria pravitatis.

Christus igitur manibus est portatus ad templum, ut Christianus bonis operibus consentat in cœlum. Sacrificium pro se offerri voluit Christus, ut ad altare Domini se offerat Christianus. Máximæ autem bene vivendo seipsum offerre festinet. Si vero delectatur mundum sacrificium divinis exhibere obtutibus, ipso quoque genere illius sacrificii quoddam spiritale sacrificium nobis agnoscimus indicari: *Par* (inquit) *turturum, et duos pullos columbarum* (Luc. II, 28). In hoc genere avium, dilectissimi fratres, magnam vobis commendatur catholicæ fidei sacramentum. In columba enim caritas agnoscitur, in turture castitas invenitur. Turtur namque intemeratam servat uni viro fidem; columba vero aliarum cohabitantium non deserit unitatem. Catholicus igitur Christianus tunc vere spiritalis turtur efficitur, si veram Trinitatis fidem firma credulitate conservet, et hæreticæ pravitatis sensum, tanquam fornicationis inquinamenta repudiet. Tunc vero erit columba, si longanimiter usque in finem in catholica societate permaneat, et contra tentationes et scandala immobili firmitate persistat: ut nec hæretica fornicatio corrumpat in corde fidei castitatem, nec amara dissensio ecclesiasticæ castitatis deserat unitatem. Hæc est enim legitima Ecclesia quæ fidem uni Deo, tanquam legitimo viro servat, et congregationem filiorum in caritate multiplicat.

7. In hac turture et columba, dilectissimi fratres, sollicite permanete, hanc votis omnibus custodite, ut eam nec Arianus violet, nec Donatista conculcet, nec Manichæus inquinet. Il enim, velut accipitres mali, unitatem columbæ cupiunt dissipare, et castitatem turturis desiderant violare. Nam Manichæus veram in Christo non credit carnem; Arianus veram in eo minorat divinitatem, Donatista quoque dissipat catholici corporis unitatem. Manichæus sacramentum non videt Redemptoris, Arianus magnitudinem non cogitat Salvatoris, Donatista vero, tanquam rapax lupus, non dubitavit dissipare gregem boni Pastoris. Si (forte Hi) ergo, sicut dixi, tanquam accipitres mali, miseros et vapitatis cupidos, aut veritatis ignaros, occidere cupientes, persequuntur columbæ caritatem, execrantur turturis castitatem, et si quos possunt, aut ore devorant, aut unguibus lacerant. Vos ergo, sanctissimi fratres, in fide custodite catholicam veritatem, in caritate servate catholicam pacem.

8. Ille offert sacrificium gratum Deo qui cum caritate fraterna verum catholicæ fidei servaverit sacramentum. Ubi unus Deus, una Trinitas colitur; nec Pater major Filio, nec Pater minor secundum divinitatem Filii prædicatur; nec ab eis discernitur substantia sancti Spiritus, qui cum Patre ac Filio naturaliter unus est Deus. Una est enim Trinitatis sanctæ potentia, quia in tribus personis una manet substantia naturalis; una est potestas, quia una est majestas; una æternitas, quia una divinitas; una Creatoris dominatio, quia una creature conditio. Quidquid enim Pater creavit, per Filium fabricavit, et in Spiritu sancto firmavit. Filius autem natus est

de lignente, Spiritus sanctus procedit de permanente. Nec tamen Filius divisit Patrem nascendo, nec Spiritus Deum minuit procedendo, quia nec auget hærendo. Ergo nec nascendo est Filius minoratus, nec procedendo Spiritus separatus. Ipse enim beata Trinitas illa permanet, quia ibi substantialis unitas permanet: et quoniam nihil est in Trinitatis divinitate creatum, propterea ibi nihil est utique separatum.

9. Hæc, dilectissimi fratres, fidei tenete, in his jugiter permanete. Hæc sit in corde cogitatio, et ore confessio. Tenete fidem quam accepistis in nomine Trinitatis. Servate unitatem spiritus in vinculo pacis, et turturis, et columbæ: ut spirituales in domo Dei semper esse possitis. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre et Filio vivit et regnat Deus.

SERMO II

(ut habetur in ms., etsi dubio titulo).

In Purificatione beatæ Virginis Mariæ.

1. Si subtiliter a fidelibus hujus diei festivitas pendatur, eo devotionis affectu hanc celebrandam suscipiant, quo Dominicæ Nativitatis, Circumcisionis, atque Apparitionis solemnitas sunt secuti. Illius est enim ista solemnitas, cujus et illa, sed nec minor est ista quam illa. Quod utique in hoc sermone aperitis monstrabimus documentis. Hujus quippe diei solemnitas, sicut a quibusdam Christianis ignoratur, sic a multis præ cæteris anni solemnitatibus honoratior habetur. Maxime autem eo loco quo primatum Ecclesia catholica in Pastore sortita est, in tanta ea reverentia ab illis habetur, ut ea die cuncta civitatis turba in unum collecta, immensis cereorum luminibus coruscans, missarum solemnitas concelebrant: nullusque aditum publicæ stationis intret, qui lumen manu non tenuerit: tanquam scilicet Dominum in templo oblaturi, imo etiam suscepturi; fidei lumen quo interius fulgent, exteriori oblationis suæ religione demonstrent. Hodie namque, juxta legem atque evangelium, peractis a Nativitate Christi quadraginta diebus, in templo est a parentibus idem Dominus præsentatus. Hodie a sancto Simeone susceptus, Patrique cum sacris muneribus oblatus. Hodie redemptionem Israel expectantibus ab eodem Simeone et Anna publice prædicatur. O quam pium spectaculum, quo non nisi pii delectari probantur! Stat hinc virgo et mater, non cujusque, sed Dei: suscipitur hinc parvulus virginis filius, cujus divinitatem non capit mundus. Occurrunt hinc inde prophetæ, atque de puero uterque sexus prophetat. Offeritur oblatio pro puero, non tamen quæ delicta emundet, sed quæ sacramenta declaret.

2. Et quia hujus diei præconium attollere cupio, libet ipsam Evangelicam lectionem colloquendo transcurrere, in qua ista narrari cognosco: quatenus ad ea quæ dico illa respondeat; imo ad ea quæ illa narrat, vox exhortationis meæ respondeat. Denique Lucas evangelista veritatis historiam de Christi incarnatione plenius atque ordinatius cæteris evangelistis

exsequens, post annuntiationem ejus ab **669** angelo A factam, post nativitatem angelorum vocibus declaratam, post circumcisionem diei octavi in domo parentum, hæc in ordine sequitur dicens: *Postquam impleti sunt dies purgationis matris ejus, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino: sicut scriptum est in lege Domini, Quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur* (Luc. II, 22, 23). Cunctis fidelibus liquet nequaquam Redemptoris matrem ex ejus nativitate maculam contraxisse, quia (forte a qua) illorum dierum a sacris ædibus abstinens purgaretur. Quia sine humana concupiscentia, sine aliqua carnis corruptione virgo peperit, et sine fine virgo permansit; ac per hoc nec masculus ex ea natus vulvam ejus aperuit. Sed nec legis narrationem evangelista contexens, clauditis impiis sacramentum divinæ incarnationis, matremque legem observantem introducit. Sed nec mirum si mater observaret legem quam ejus Filius non venerat solvere, sed adimplere. Sciebat enim quo ordine conceperat, et quis esset quem genuerat. Sed legem communem observans, exspectavit purgationis diem, celavit filii majestatem. Hinc est quod eum in templo duodecim annorum inveniens, filium Joseph vocat, dicens: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te* (Ibid., 48). Quem procul dubio sciebat se sine concubitu Joseph concepisse, sine corruptione virginali edidisse.

3. Sed cur abscondit conceptionis ac nativitatis illius sacramentum, quem novit Deum immensum? Nunquid invidet aliis, quem ad templum deferens sancti senis tradidit manibus? Absit. Sed vel spiritu prophetiæ repleta, redemptionem mundi impiis non aperiat. Sciebat enim jam tunc gratia plena, spiritu divinitatis afflata, quia si hunc sæculi principes cognovissent, nunquam pro salute nostra crucifixissent. Offer ergo, beatissima Virgo, tanquam legem observans, in templo quem edidisti, ut non omnibus, sed paucis reveletur quis est quem genuisti. Appareat interim lapis humilis abscissus de monte sine manibus, ut reprobetur ab ædificantibus, usquequo statutam in pedibus percutiens, crescat in montem magnum, impleatque universum orbem terrarum.

4. O quam parvus, o quam magnus est quem peperisti! Parvus in humanitate, magnus in divinitate; parvus in regno Judæorum, magnus in regno gentium. Sed non ab omnibus in regno Judæorum parvus æstimatur. Nam et ipsa quæ hunc genuisti, ex ipso populo Israel in virgam crevisti. Virga enim de radice Jesse surrexisti, et floruisti. Virga Aaron fronduisti, et nucem peperisti: et quia præ omnibus immensitatem ejus agnovisti, quem tamen parvissimum ex te natum vidisti; procul dubio quem infantem genuisti, Deum omnipotentem tremens adorasti, adorans tremuisti: quem tamen quia secundum humanitatem filium recognovisti, lactasti, fovisti, aluisti. Quis putas nobis possit indicare, inter hujusmodi obsequia, animi tui sensum, o beatissima Virgo? cum hinc cereres ex te natum tantillum infantem, illinc attenderes Deum immensum; hinc creatum, il-

linc creatorem; hinc infirmum, illinc fortissimum; hinc alendum, **670** illinc alentem; hinc non loquentem, illinc angelos docentem. Quis, inquam, tui pectoris arcana nobis reserare valeat, quibus modis cogitatum ad utraque flectebas; cum unum eodemque Dei atque hominis filium manibus tenens, hinc adorares ut Dominum, illinc osculares ut parvulum?

5. Quis ad tam ineffabile miraculum non obstupescat? Quis non pene elinguis fiat? Generat puella suum et omnium creatorem, nutrit suum et omnium nutritorem, portat ad templum suum et omnium rectorem. O admirandum spectaculum, ad quod non solum humana, verum etiam angelica stupescit natura! Ad hoc, fratres carissimi, fidei oculos erigite; ad hoc pietatis affectu convenite. Ibi suscipite Christum pro vobis in carne humiliatum, sed adorare in sua divinitate excelsum Deum. Amplectimini parvulum, sed cogitate immensum. Amate humiliatum, et timeite excelsum.

6. Jam vero, dilectissimi, si quæritur quid mystice significatum fuerit in eo quod Redemptor noster a matre et parentibus ex propria civitate in Hierusalem ad templum Domini se portari voluit, invenimus ipsam gloriosam matrem et virginem, ejusque propinquos figuram gessisse illius Ecclesiæ quæ ex Judæis in apostolis credidit. Quando enim Ecclesia non virgo? cujus membra Apostolus affatur, dicens: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (II Cor. XI, 2). Quando ipsa non mater? Sed quia per Psalmistam dicitur: *Mater Sion dicet, Homo* (Psal. LXXXVI, 5); et Dominus in Evangelio: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, soror, et mater est* (Math. XII, 50). Quando electi non propinqui, qui fratres et sorores sunt appellati? Mater itaque ac propinqui Redemptoris nostri, a Nazareth in Hierusalem ad templum Domini deferunt: quia primitiva illa in primis discipulis Ecclesia, a Judæis repulsa, ejusdem redemptionis dispensationem ad notitiam gentium perduxit. Ipsa enim Ecclesia non solum ex gentibus, verum etiam ex Judæis Hierusalem, id est Visio pacis, recte vocatur: de qua per Psalmistam dicitur: *Hierusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum* (Psal. CXXI, 3). Ipsa et templum, sicut per Paulum fidelibus dicitur: *Templum Domini sanctum est, quod æditis vos* (I Cor. III, 17). Ac per hoc cum apostoli ex Judæa Christum annuntiantes veniunt ad gentes: nimirum Hierusalem ad Hierusalem convenit, et templum ad templum occurrit: cum hi omnes una sint Hierusalem civitas, unum et templum. In hac itaque civitate, atque in hoc templo ab apostolis oblati Christum excipitur. Unde et ipsa Ecclesia Psalmistæ voce loquitur, dicens: *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui* (Psal. XLVII, 10). Subaudis, in medio ecclesiæ, quæ est templum tuum.

7. Sive autem juxta historiam, sive autem juxta mysticam intellectum, cur Christus a parentibus ad sanctam civitatem et templum ducatur, causa manifestatur cum subjungitur: *Ut darent hostiam, secur-*

aut quod dictum est in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum (Luc. 11, 24). Præceptum si quidem legis fuerat, ut cui forte agnus defuisset, et unum horum, id est aut par turturum, aut duos **671** pullos columbarum invenisset, Deo in oblatione filii offerret; nec præjudicaretur ex altero, qui unum quodlibet horum obtulisset. Denique in hac oblatione avium, illa præfigurabatur oblatio quæ pro salute mundi oblata est vespere diei, Domini videlicet passio, per quam sumus Deo reconciliati. De hac quippe hostia per Paulum fidelibus dicitur: *Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo, in odorem suavitatis (Ephes. v, 2);* et rursus: *Qui dilexit me, inquit, et tradidit seipsum pro me (Gal. 11, 20).*

8. Quia vero omnes electi membra sunt Christi, **B** in turture scilicet turtures, atque in columba columbae, designat etiam hæc avium oblatio mortificationem electorum, quibus per eundem apostolum dicitur: *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem (Rom. xii, 1).* Sed nulla potest esse accepta Deo mortificationis oblatio, in quibus non fuerit veræ fidei castitas, veræ castitatis concordia. Proinde non sine causa sacrificium quod pro Domino mystice oblatum perhibetur, ex turturibus et columbis fuisse narratur. In turture enim castitas invenitur, et in columba unitas commendatur. Turtur namque intemperatam servat uni viro fidem, columba vero aliorum cohabitantium non deserit unitatem. Catholicus igitur Christianus tunc vere spiritualis turtur efficitur, **C** si veram Trinitatis fidem firma credulitate conservet, et hæreticæ pravitatis sensum, tanquam fornicationis inquinamenta repudiet. Tunc vere erit columba, si longanimitate usque ad finem in catholica societate permaneat, et contra tentationis scandala immobili firmitate persistat: ut nec hæretica fornicatio corrumpat in corde fidei castitatem, nec amara dissensio ecclesiasticæ castitatis dissipet unitatem. Hæc est enim Ecclesia catholica quæ fidem uni Domino tanquam legitimo viro conservat, et congregationem multorum in fide multiplicat.

9. Sequitur: *Et ecce homo erat in Hierusalem cui nomen Simeon; et homo iste justus, et timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo: et responsum acceperat a Spiritu sancto non visurum se mortem nisi videret Christum Domini. Et venit in Spiritu in templum (Luc. 11, 25, 26, 27).* Nihil minus de sanctitate isti specialiter homini ascribitur, qui et in Hierusalem, id est in visione pacis commoratur, et fidei operatione justus, et reverentia timoratus, et Israelis consolatione attonitus (*forte consolationi attentus*), et Spiritu sancto repletus, ejusque responsione de incarnati Verbi jussione (*forte missione*) roboratus fuisse perhibetur. O quam ardenti desiderio homo iste expectabat, secundum Spiritus

A sancti promissionem, videre in carne Redemptorem! Quæ putamus fuerit instantia orationis ejus, quæ divino responso meruit firmari de his quæ petebat? Quæ erant ejus gemituum continuata verba in sancta prædicatione? Non enim in petendo cessavit, usquequo responsum acciperet super his quæ posebat.

10. Fuerunt siquidem in retroactis temporibus multi simili desiderio accensi, Domino attestante ad discipulos, qui ait: *Multi reges 672 et prophetae voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ vos auditis, et non audierunt (Luc. x, 24).* Sed ex illis huc isti soli concessum est qui in plenitudine temporis horum ultimus apparuit. Sed si vigilantissimo studio subsequentium sanctorum attendimus desiderium, quibus Christus vivere est et mori lucrum (*Philip. 1, 21*), invenimus eos non minoris anxietatis ardore divinitatem ejusdem Salvatoris intueri velle; quam ille concupivit conspiceri in carne. Hinc Paulus dicit: *Cupio dissolvi et esse cum Christo. Multo autem melius (Ibid., 23).* Hinc Psalmista ex persona sua dicit: *Sitivit anima mea ad Deum vivum. Quando veniam et apparebo ante faciem Dei (Psal. xli, 3)?* Quis ergo etiam hinc videat in uno Simeone multos, per unum significari cunctos electos; qui nunc et justus ex fide atque operatione, et timorati ex futura expectatione, et attoniti inveniuntur ex ventura consolatione? In quibus etiam Spiritus sanctus inesse cognoscitur, quia et per Apostolum dicitur: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (Rom. v, 5);* et rursus fidelibus dicitur: *Corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, quem habetis ex Deo (I Cor. vi, 19).* Quique responsum accipiunt a Spiritu sancto non se visuro mortem nisi prius videant Christum Domini: quia in hac adhuc corruptibili vita, ejusdem Spiritus sancti gratia revelante, apertis oculis fidei, eum qui se cum illis usque in finem sæculi mansurum esse (*Matth. xxviii, 20*) repromisit aspiciunt, non jam carne parvulum, sed divinitate immensum. Qui etiam cum Apostolo dicunt: *Etsi noveramus Christum secundum carnem, sed jam nunc non novimus (II Cor. v, 16).* Habitat etiam isti in Hierusalem, atque in Spiritu in templum quo Christus introducit veniunt. Ipsi enim sunt Hierusalem qui habitant in Hierusalem: ipsi et templum qui veniunt in templum, in quibus et **D** a quibus Christus excipitur.

11. Breviter, fratres, ista percurramus, ne dum quæ sunt hujus diei sacramenta, quodque sanctum purumque præconium indicare studuimus, cuilibet in fastidium veniamus. Sequitur: *Et cum introducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace (Luc. 11, 27, 28, 29).* Qui vivit, etc.

APPENDIX AD S. FULGENTII OPERA!

ADMONTIO.

De libro de Prædestinatione et Gratia, et subsequente epistola Ferrandi ad Egyptium.

Ut librum qui proxime sequitur Fulgentio minime tribuamus, præter iudicium Lovaniensium theologorum et consensum virorum eruditorum, a quibus nihil in eo deprehenditur Fulgentio dignum, imo multa Fulgentianæ doctrinæ maxime contraria, facit etiam quod auctor libri hujus nec sibi ipse concinit. Cum enim dixisset capite 3: *Facilius fieri posset ut quamvis transeunte* (a primo scilicet homine in posteros) peccato, pœna minime sequeretur, quam ut nulla communicatione peccati, partem sumat pœnæ qui non habet culpæ; capite tamen 16 sic ait: *Si humanum genus, quod creatum primitus constat ex nihilo, non cum debita mortis et peccati origine nasceretur, et tamen ex eis creator omnipotens in æternum nonnullos damnare vellet interitum, quis omnipotentis Creatori diceret: Quare me fecisti sic? Quæ quidem quantum secum invicem pugnent facilius deprehenditur, quam ut pluribus egeat demonstrari. Quantum vero hæc sen-*

tentia adversetur doctrinæ sancti Fulgentii, imo et episcoporum cum ipso in Sardinia exsulum, patet ex his verbis epistolæ 15 eorundem ad Joannem et Venerium, p. 272, n. 9: *Quia certum est Esau fuisse vas iræ, Jacob autem vas misericordiæ, certissime tenendum est quod et ille ut damnaretur iram juste meruit, non enim injustus Deus qui insert iram, etc.* Mitto alios hujus libri locos jam ante notatos ut ab Augustini, proindeque a Fulgentii quoque, ejus in omnibus discipuli, mente et doctrina degeneres.

Epistolam vero Ferrandi Diaconi ad Egyptium ideo hic in Appendice excudi curavimus, quia cum hæc neque a Fulgentio, neque ad Fulgentium sit scripta, inter opera ejus locum habere non debuit, nisi ut omnino non pervret, et quia placuit omnia quæ hactenus ex Fulgentio aut cum ipsius operibus fuerunt edita, in hac quoque editione repræsentare.

LIBER DE PRÆDESTINATIONE ET GRATIA.

CAPUT PRIMUM. Cum in sacris voluminibus litterarum, seu futurorum quid prophætico spiritu pronuntiantibus, seu præteritorum historica veritate narrantibus, seu vitæ morita apostolica auctoritate tradentibus, aliqua veluti diversum sonante sententia vel movetur lector, vel sollicitatur auditor, certa et inconcussa fide cognitum teneri debet, unius atque ejusdem spiritus, et ejus præter quem nullum nihil est veritatis, apertius alibi, paulo occultius alibi sonare mysteria. Ac proinde si quid occulta significatione suspensum, aut a conscribente breviter indicatum, minusque quam humani cordis obtusio poscebat expositum est, hic lucidius apparere, ibi altius latere, nusquam deesse noverit veritatem. Quod si etiam pro magnitudine rei de qua quæritur, non facile intellectus sensibus quærentis occurrit, maxime si de incommutabili voluntate omnipotentis Dei, diversum sonet canonicæ auctoritatis utraque sententia: ita illa omnia ad pietatis regulam dirigenda sunt, ut nec injustum Deum esse, nec merita singulorum confusa quadam personarum acceptione taxantem, nec infirmum, ut quidquid voluerit non valuerit explicare, inconcussa definitione teneatur.

CAP. II. Sub hujus igitur definitionis jugo, ne in sacrilegam temeritatem male libera colla luxurent, quæstionis hujus, quantum Deo donante possumus, occulta memoremus, quam beatus apostolus Paulus diversis in locis, non parum discrepantibus verbis, studiosis proponit scrutatoribus, eisque per ipsam loquitur veritatem. Sententiam siquidem in Dei gratia præcærente, latissima et robustissima disputatione confectam ita concludens, ait, *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat* (Rom. ix, 18); cum in aliâ Epistola de divina benevolentia, ipse sic dicat: *Qui vult omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veri-*

tatis venire (I Tim. ii, 4). Occurrit enim, cur peccant ex his aliqui, cum omnipotens Deus omnes homines; salvos fieri velit, et in agnitionem veritatis venires; deinde cur rursus induret alios, miseris aliorum: aut quo modo omnes salvos fieri velit homines, cum ipse nonnullos ne salventur induret. Hoc quantum ad humanam justitiam videtur injustum. Sed quis ita desipiat, vel potius quis ita blasphemet, ut dicat de justitia Dei, lege humanæ justitiæ disputandum? quæ profecto si justitiæ Dei adversatur, injusta est. Ab illo enim qui summe justus est, omne quod qualitercunque justum est, manare manifestum est. Quis ergo erit qui incommutabiliter manentem, et omnia que sunt condentem, regentem atque servantem Dei sapientiam, pendeat humanæ sapientiæ arbitrio? De qua idem apostolus dicit, quia *sapientia carnis inimica est Deo* (Rom. viii, 7). Et alibi, *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum* (I Cor. iii, 19). Non est ergo de illa majestate divinæ sapientiæ, humanæ vanitatis arbitrio disputandum.

CAP. III. Si quis autem peccata sua ita nutriendo, figura vel umbra, vel typho superbæ blandiente decipitur, ut deat quod nonnullos esse dicturos statim vidit beatus Paulus apostolus. Subjunctum enim, *Dicit aliquis: Si cujus vult miseretur, et quem vult indurat, quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis resistit* (Rom. ix, 19)? Noverit hac plus nos ad humilitatem ac pietatem cogi atque arctari sententia. Cum enim totum ad Deum referens humanis viribus neget doctor amplissimus, quid aliud quam ut in Deum toto corde suspensi, ab eo salutis auxilia postulemus hortatur? Quem ergo movet hæc in divinæ gratiæ dispensatione diversitas, et injustum putat negari alteri quod alter acceperit, intelligat quemadmodum divinitus dixerit Psalmista, *Universæ*

ria *vomum misericordis et veritas* (Psal. xxiv, 10); A atque agnoscat tali Deum agitare res humanas iudicio, ut debitas pœnas aut juste reddat, aut misericorditer donet. Vitiæ enim radices macula ita propaginis traduce per generationum sarmenta diffusa est, ut nec infans quidem unius diei a culpa sit primæ prævaricationis alienus (Job xiv, 4, sec. LXX), nisi per indebitam Salvatoris gratiam fuerit liberatus. Quod si nec hic quidem sine peccato est qui proprium habere non potuit, conficitur ut illud traxerit alienum de quo Apostolus dicit: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (Rom. v, 12). Quod qui negat, negat profecto primum nos esse mortales. Si enim, ut dicit Apostolus, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors*: mors intrare non potuit, nisi intrante peccato. Et quoniam mors non naturæ conditio, sed pœna peccati est, sequatur necesse est pœna peccatum. Quia vero in omnes homines mors pertransiit, in omnes necesse est pertransisse peccatum. Peccatum quo modo cum parvulis originale nascatur, carnis oculis videre non possumus. Quia vero omnes ex Adam carnaliter natos, et si illi jam etiam qui in Christo renati sunt, videmus mortis lege constringi, per hoc quod videmus semper parvulos mori, cogimur conlitteri semper parvulos nasci cum peccato originali. Facilius enim fieri posset ut, quamvis transeunte peccato, pœna minime sequeretur, quam ut nulla communicatione peccati, partem sumat pœnæ, qui non habet culpæ. Si ergo, ut apparuit, de prævaricatoris semine omnes nascimur debitores, quoniam in ipso omnes, ut ait Apostolus, peccaverunt, et ipsa jam in principio unde descendimus massa damnata est; nullus de duritia sua, nullus de pœna sua conqueri audeat, quæ etiam non existentibus peccatis propriis, sola nascendi conditione debetur. Quod vero Deus aliis gratuita vocatione conversis, misericordiam largitur indebitam, non ad dispensationis iustitiam, sed ad donantis misericordissimam largitatem (*alias libertatem*), veritatis ratione referendum est. An audebit debitor creditore iniquitatis arguere, si alteri donans, ab eo quod debebat exegerit? Si ergo inter contractus hominum nullus ex hoc præscriptionis locus est, ut a se dicat debitor injuste exigi, quia scit alteri debitori ab eodem quod debebat creditore donatum; quis in tantam insaniam profanæ vocis erumpat, ut iustitiæ Deum arguat, si uni indebitam donaverit gratiam, alteri reddiderit debitam pœnam?

CAP. IV. Itaque ex superiori hujus parte sententiæ, quæ dicit: *Cujus vult miseretur*, puto quod nullus nisi indignus misericordia audeat disputare. Quod vero sequitur: *Quem vult indurat*, ibi paululum humanæ mentis intentio verbi nuptitate confunditur. Sed non ita intelligendum est, quasi Deus in homine ipsam quæ non esset duritiam cordis operetur. Quid enim aliud est duritia, quam Dei obviare mandatis? Unde illud beatus Stephanus dicebat ad populum: *Dura cervice, et non circumcisio corde, et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis* (Act. vii, 51). Quam qui a Deo fieri putat, propter quod dictum est: *Quem vult indurat*, ipsum prævaricationis intueatur exordium, et Deo donante mandatum, per quod transgressionis culpam in corde fuerit operatus attendat, quamvis ne ab ipso quidem, si negaret assensum, potuit tentatore compelli. Ergo quidquid quoad illam prævaricationem natus supplicii homo patitur, juste reddi meritoque fateatur. Indurare enim Deus dicitur eum, quem mollire noluerit. Sic etiam excæcare dicitur eum, quem illuminare noluerit. Sic etiam repellere eum quem vocare noluerit. Quos enim prædestinavit, illos et vocavit: et quos vocavit, illos justificavit (Rom. viii, 30). Ipse enim dedit ut simus, ipse ut boni esse possimus.

CAP. V. Præscivit enim nos ejus divinitas, sapientia condidit, iustitia damnavit, gratia liberavit. Mundus enim quamvis pro tempore ex quo factus est cœ-

perit, in illa divinæ præscientiæ luce faciendus nullum potuit habere principium: et quancumque vel ex Adam usque in hodiernum diem homines nati sunt, vel post nostram ætatem generationis sunt propagine nascituri, apud Deum nati sunt jam, et decurso totius vitæ tempore transierunt, in illo nihilominus divini obtutus lumine permanentes. Deus enim qui nec loco clauditur, nec tempore prævenitur, omnium rerum, tam præteritarum memoria, quam imminentium scientia plenus est: nec reminiscens volvitur in præteritum, nec sperans tenditur in futurum. Et quæcunque omnino sunt, quæ temporum motibus agitantur, ab eo principio in quo erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (Joan. i, 1), usque in finem omnium sæculorum. De quo sine cum diceret beatus Moyses: *Domine, inquit, qui regnas in sæculum et sæculum* (Exod. xv, 18), et adhuc nec sperantur futura, nec præterita transierunt, sed in præsentia divinitatis præsentem semper luce cernuntur. B Ab illo ergo quia æternus et præscius, quia et justus et pius est, qui exercet debitam severitatem, et exhibet indebitam pietatem, et habet in creandis atque eligendis hominibus, sicut in luto figulus potestatem, facta sunt alia quidem vasa in honorem, alia vero in contumeliam. Antequam faceret nos, præscivit nos, et in ipsa nos præscientia, cum nondum fecisset, elegit. Sed a quo hoc fieri potuit, nisi ab eo qui *vocat omnino quæ non sunt tanquam ea quæ sunt* (Rom. iv, 17)? Apostolus enim dicit, *Qui elegit nos ante mundi constitutionem* (Ephes. i, 4). Intra mundum facti sumus, et ante mundum electi sumus: atque ita uno eodemque, nec transeunte, nec futuro, sed continuo tempore, vel si quo alio modo dici potest, si tamen apud Deum est, et præsciri, et facere, et eligere, et præscientia sua incommutabiliter permanente eligere facientes: quos facturus fuerat eligendos: hæc quidem, quantum ad fidei regulam, Deo illuminante prædicta sint.

CAP. VI. Sed jam video quid etiam hinc calumniosè pravitas possit opponere. Sequitur enim, ut si eos quos prædestinavit, illos et vocavit, et si eos quos vocavit, illos et justificavit (Rom. viii, 30), qui nec prædestinati, nec vocati, ac per hoc nec justificati sunt, ab omni culpa debeant esse innocentes, injusteque ab eis pro vitæ pravitate transactæ, in ille agnitionis die sint poscenda supplicia. Dicat istis Paulus apostolus, *Nunquid iniquitas apud Deum* (Rom. ix, 14)? Statim ipse respondeat, *Abii*. Cumque hoc fuerit in hominis mente sana pietate fundatum, quod nulla sit iniquitas apud Deum, ita intelligat, *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat* (Ibid., 18); quasi diceret: *Cujus vult miseretur, et cujus non vult non miseretur*. Itemque hoc ipsum rursus intelligat, quasi diceretur: *Cui vult donat, et a quo vult debitum poscit*. Quod qui dicere perseverat injustum, at Apostolo audiat, *O homo, tu quis es qui respondeas Deo* (Ibid., 20)? Congruè siquidem hujusmodi impietatem apostolica reprehendit auctoritas, tantum de exaggeratione nominum pondus incutiens, cum dicit, *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* O homo Deo, lutum figulo! Subjunctum enim idem apostolus: *Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quare sic me fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam* (Ib., 21)? Si ergo habet, imo quia habet potestatem figulus luti facere ex eadem massa, aliud quidem in honorem, aliud vero in contumeliam, o homo, tu quis es qui respondeas Deo, quia cujus vult miseretur et quem vult indurat? Sed priusquam ad hujusmodi conclusionem beatus Apostolus disputationis ordine perveniret, hoc potissimum de veteribus litteris sumpsit exemplum, in quo indurationem quæ a Deo fieri dicitur, edoceret: *Dicit, inquit, Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra* (Ibid., 17; Exod. ix, 16). Indurasse autem cor ejus Deus in eadem Scriptura apertissime dicitur, cum Moysi de signis quæ in

Ægyptios per eum facienda fuerant loqueretur. Sic enim dicit, *Ego autem indurabo cor Pharaonis, ne dimittat populum* (Exod. ix, 21). Hinc jam per aperta se jactans calumniator astutus justitiam Dei ad eum libret arbitrium, et quanta potest vociferatione respondeat, Si cujus vult miseretur, et quem vult indurat, quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis resistit? Hujus elationi Apostolus dicat, *O homo, tu quis es qui respondeas Deo* (Rom. ix, 19, 20)? Qui autem pie querens aliquid desiderat invenire, illum locum ejusdem Scripturæ relegat, ubi primo Moysi in rubo ignis apparuit, atque ita cor ejus ardore divinæ caritatis ignivit, ut in conspectu regum, sicut David dicit (Psal. cxviii, 46), testimonia ejus siue confusione loqueretur; et ibi inveniet totum hoc, quod indurasse Deus cor Pharaonis præmittit, non ad operationem Dei, sed ad præscientiam pertinere. Loquens enim Dominus de rubo sic dicit: *Ego autem scio quod non dimittet vos Pharaon rex Ægypti, nisi per manum magnam. Sed extendens manum meam percutiam Ægyptios in omnibus mirabilibus quæ faciam, et postea dimittet vos Pharaon rex Ægypti* (Exod. iii, 19, 20). Hæc prima vox Dei est, qua futuram voluntatem Pharaonis, sicut præviderat, indicat. Postea jam inter ipsos miraculorum imbres dixisse legitur: *Ego autem indurabo cor Pharaonis, ne dimittat populum* (Exod. ix, 21). Ubi jam aperte intelligitur primam iterasse sententiam. Quid est enim, *indurabo cor*, nisi, non molliam? Apparet enim in alios manente justitia, in alios gratia profuente, Scripturæ illius sententiam fuisse completam, quia dixit Deus Pharaoni: *In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra* (Exod. ix, 16). Utente enim Deo bene etiam malis, induratione Pharaonis, flagellis Ægypti, et tot ac tantis in illa gente miraculis pariter acervatimque peractis, quid aliud gestum est, quam ut Dei virtus apud se magna, in se plena, ad humani generis notitiam perveniret, non Deo, sed ipsis relegendibus et credentibus profutura? Pharaonem non esse mutandum, et illam omnem gentem, quæ post tot verbera, vix sibi erutum populum Dei armis etiam insectari conabatur, et bello, alta illa Deus providentiæ suæ luce præscivit. Sed periturorum interitum prædestinatis a se vasis misericordiæ, salutis voluit esse argumentum, et aliorum perditione ad salutem usus est aliorum, quia potestatem habet sigulus lutu ex eadem massa, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam facere (Rom. ix, 21).

CAP. VII. Hoc etiam divinæ potestatis in hominum electione judicium paulo ante commemorans beatus Apostolus robustissimis monstravit exemplis, cum de Rebecæ partu adhuc intra uterum constituto, totum ad gratiam Dei referens loqueretur. Sic enim ait: *Sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri, cum nondum nati fuissent, nec aliquid boni egissent nec mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexit, Esau autem odio habuit; statimque subject: Quid dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum* (Rom. ix, 10, 11, 12, 13; Gen. xxv, 23; Malac. i, 2)? Negansque respondit: *Abst: ut jam cætera quæ sequuntur, ad hanc sententiam suspensa referantur, et relata solvantur, qua negavit apud Deum esse iniquitatem. Sed hic quid egerit hæc apostolicæ disputationis intentio, satis admodum claret. Non solum enim fratres, sed et geminos; nec solum geminos, sed uno etiam concubitu fusos in utero comparavit: ut quoniam in nondum natis, nondumque aliquid operatis, nulla esse poterant momenta meritum, nec ex parentum quidem meritis, quæ diverso tempore varia esse poterant, aliquid contra gratiam relinqueretur obstaculum. Quæ utique parentum merita, etiamsi permittamus divinum parvulis vel avertisse, vel conciliasse præsidium, seu bona, seu mala circa geminam prolem, quæ eodem concepta concubitu, eodemque*

A in litem projecta momento est, paria esse debuerunt. Quod si futuros eorum mores dicitur divinum discretivisse judicium, profecto illud evacuabitur quod præmisit Apostolus dicens: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori*. Non enim ait: *Ex præteritis operibus, sed cum generaliter dixerit: Non ex operibus, ibi et præterita intelligi voluit, et futura: præterita scilicet quæ nulla erant, futura quæ nondum erant. Prædestinatus est Jacob vas in honorem, quia non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Major serviet minori*.

CAP. VIII. Et ne forte vasa in honorem prædestinatis, suis aliquid viribus tribuendo, negarent gratiam Creatoris, alio eos loco Apostolus vasa misericordiæ nominavit, ut totum quidquid essent secundum misericordiam se esse cognoscerent. Sic enim et alibi dicit idem Apostolus: *Et hæc non ex vobis, sed Dei donum est* (Ephes. ii, 8). Beatus etiam Moyses in Deuteronomio dicit ad populum: *Et ne dicas in corde tuo: Fortitudo mea, et potentia manus meæ fecit mihi virtutem magnam hanc; sed memoraberis Domini Dei tui, quia ipse tibi dat fortitudinem facere virtutem, ut statuat testamentum suum, quod juravit patribus vestris* (Deut. viii, 17 et seq.). Item paulo post ibidem ad eos: *Ne dicas, inquit, in corde tuo, cum consumpserit Dominus Deus tuus gentes istas ante faciem tuam, dicens: Propter justitias meas induxit me Dominus hæreditare terram bonam istam. Non propter justitiam tuam, neque propter sanctitatem cordis tui intras hæreditare terram eorum, sed propter iniquitatem gentium istarum, Dominus disperdet eas a facie tua* (Deut. ix, 4, 5). Ecce quam antiquum Spiritus sancti dogma, non solum in apostolicis litteris prædicatum, sed etiam in prophetis atque in ipsis Israelitici populi exordiis, sancti Spiritus voce firmatum, novellæ præsumptionis impetus conatur evertere. Clare siquidem in uno atque eodem Scripturæ loco, bonitatem, et severitatem Dei propheta beatus ostendit, dicens, non propter justitias populi hæreditatem terre illius reddi, sed gratia tantum miserantis donari, illos autem propter iniquitias suas pelli. Ecce in illis juste punitur iniquitas, in istis gratis nulla justitia muneratur. Nec sufficit beato Moysi quod dixerat, non propter merita ipsorum hæreditatem terre Israelitico populo fuisse concessam; nisi etiam adderet quod adjunxit, unde eos omni bono monstraret indignos. Sequitur enim post illud quod supra memoravimus: *Et scies hodie quia non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dat tibi terram istam bonam hæreditare, quoniam populus duræ cervicis es tu* (Ibid., 6). Quis hic secundum debitum præcedentium meritorum mercedem redditam dicat? Quis non gratiam fateatur indebitam? Quotiens ait propheta: *Tentaverunt eum in deserto* (Psal. xciv, 9)? Quotiens iracundiam Dei cordis aversione meruerant, et salvavit eos propter misericordiam suam, ut notam faceret potentiam suam (Psal. cv, 7, 8)? Hoc iterum Apostolus dicit: *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias suas in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam* (Rom. ix, 22, 23).

CAP. IX. Ne vero rursus homo in ultimam fecem desidie resolutus, arduum virtutis iter, et quamvis adjuvante gratia Dei, non nisi labore gradiendum inertis sibi crederet posse deferri, et nullius laboris industriam studio sui profectus adhiberet, ita inter se atque hominem Deus tempora officiaque distribuens ordinavit, ut vocatione ipsius honorum principia sumeremus, vocati autem atque illuminati vias mandatorum ejus boni ingenii intelligentia nosceremus, et eas libero vel eligeremus vel relinqueremus arbitrio. Quas tamen, si ipsius fulti adjutorio continuæ devotione sequeremur, in fine rursus non repugnantiæ mandatis suis subjectam in nobis obedientiam coronaret. Liberum vero quod ab eo habemus arbitrium, prono ad nequitiam lapsu sinit, et cum ad virtutis indolem Dei auxilio deserente nihil possit, ad genus omne peccati idonea fultum virtute subsistat. Trahit enim lex in membris nata peccati, et Deus a

levi iugo mandatorum suorum levique sarcina recedentes, atque in peccati durissimam servitutem, libero a iustitia voluntatis arbitrio defluentes, secundum suam iustitiam derelinquet. Eos vero qui vocationis munus congrua pietate susceperint, qui carnalibus non subjungantur illecebris, qui jactantiæ vitio, avaritiæ facibus, vento superbiæ caruerunt, et quantum in homine est, Dei in se bona servantes, ad spiritualia exercitia omne studium contulerunt; et in agone hujus vitæ certantes adjuvat, et coronas vincibilis largitur æternas: ipse rursus delinquentes deserit, resistentes indurat, contemnentis condemnat.

CAP. X. De horum graduum distributione, quam vel in nobis Deus operatur, vel nos jubet aliquid operari, ipsum interrogemus, de cujus verbis orta est quæstio quam, si Dominus adsit, enotare conamur, ut ejus sensibus per diversa volumina, varia quidem locutione, sed una atque eadem intentione digestis, si quid in hoc loco latet, alterius sententiæ collatione reseretur. Vocatum a Deo apostolum Paulum, vel in eo libro legimus ubi ejus gesta cum omni veritate narrantur, vel ipse in Epistola sua confitetur, dicens: *Paulus servus Jesu Christi, vocatus apostolus* (Rom. i, 1). Secundo autem loco vocationem secutus, et totum quod in homine fuerat operatus, ipse sic dicit: *Plus omnibus illis laboravi* (I Cor. xv, 10). Sed ne hoc ipsum quidem sibi tribuens, sollicita pietate subjunxit: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum* (Ibidem). Jam ergo et vocato et vocationem per opera iustitiæ subsequuto quid supererat aliud, nisi ut liberatus de corpore mortis hujus, ad illius alterius vitæ, quæ sanctis omnibus Veritatis ore promissa est, beatitudinem perveniret? Quod nullis humanis meritis reddi, sed Dei donantis gratia largiente donari, sibi ipse respondet, post gemitus quibus dixerat: *Miser ego homo, quis liberabit me de corpore hujus mortis? Gratia Dei*, inquit, *per Jesum Christum Dominum nostrum* (Rom. vii, 24, 25). Hanc itaque distributionem, qua diximus a Deo homines nullis existentibus meritis vocari, et vocatos, ut honi aliquid operentur, Dei adminiculis indigere, sumpto de veteribus litteris Apostolus monstrat exemplo, postquam illam de duos geminis electionem, omni repulsa laude meritum, ad Dei gratiam iudiciumque contulerat, videns quid impia posset blasphemare garrulitas, dixit: *Nunquid iniquitas est apud Deum* (Rom. ix, 14)? Et sequitur: *Abstulit*. Et quasi diceretur ei: Unde probas? parum putavit auctoritatem suæ valere doctrinæ, nisi sententiam suam etiam legis doceret exemplo. Sic enim intelligi voluit quod Moyses dixerat: *Misereor cujus miserebor, et misericordiam præstabo cui misericors fuerit* (Exod. xxxiii, 19): ut primam misericordiam vocatione credamus hominibus prærogari, quæ sola ad recte vivendum non sufficit, si deserat qui vocavit. Ideoque additum est: *Et misericordiam præstabo cui misericors fuerit, ut a Deo accipi manifestum sit, et ipsa misericordiarum opera, quæ cum videtur impendere, Dei misericordiam promeremur*. Sic enim in Evangelio dicit: *Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus* (Matth. v, 7). Quod nisi sic intellexisset Apostolus, nunquam pro bonis gratiæ disputatio.ii suæ hoc testimonium curasset inscribere.

CAP. XI. — Si quem vero movet quod non omnes, etiam de his qui jam vocati sunt ad secundam gratiam, id est ad recte vivendi donum pervenire mereantur, sicut Dominus in Evangelio dicit, *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (Matth. xx, 16): hinc intelligat quale sit quod contra Dei gratiam defensare molitur, qui de libero sibi blanditur arbitrio. Quicumque enim, divinæ vocationis munere derelicto, ad impiam rursus fluxere perfiliam, ipsis Dei gratiam deserentibus, ad implendum quod voluerant sufficit arbitrium. Vidit enim quemadmodum Psalmista misericordiarum Dei ordinem, quem ex Moysi sensu interpretatur Apostolus, prophetici spiritus veritate decantet, *Audi, inquit, popule meus, et testificabor tibi* (Psal. lxxx, 9). Quid eos volebat audire, quod

A cum iustificatione loquebatur? Quid utique, nisi mandata vitæ? sicut alius propheta dicit: *Audi, Israel, mandata ritæ* (Baruch. iii, 9). Sed quæ sint ista mandata vitæ Psalmista subjungit et sequitur: *Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti* (Psal. lxxx, 11). Et hæc esse mandata vitæ in oratione qua discipulos suos Patri Dominus commendabat ostendit, dicens, *Hæc est enim vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (Joan. xvii, 3). Post hanc vocationem illi sequitur, quod et vult ad conatus hominum pertinere, et ostendit sine se non posse compleri: hoc est enim quod dicit Apostolus, Quoniam ab ipso habemus velle et perficere pro bona voluntate (Philip. ii, 13). Ab ipso enim habemus velle, quia vocat et illuminat; ab ipso perficere, quoniam ad nos pertinet conari bona, quæ et velle donavit. Nec incaute ab Apostolo cum dixisset, Quia ab ipso habemus et velle et perficere, additum est *pro bona voluntate*: ut etiam atque etiam videant, ubi haheant a Dei iustitia liberum de quo gloriantur arbitrium. Sed illum ordinem quo misericordias diversas Dominus temporum dispensatione distribuit, sicut Moyses dixisse sensit Apostolus, etiam in continuata psalmi hujus oratione videamus. Quid enim ait, postquam vocatos docuerat, dicens: *Ægo enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti? Dilata, inquit, os tuum, et ego adimplebo illud* (Psal. lxxx, 11). Hic aliquid rursus apparet homini fuisse servatum, quod per liberum facere debeat arbitrium. Dilatare enim jubetur os suum, sed Deus se implere promittit. Sicut etiam discipulis suis in Evangelio dixerat: *Nolite cogitare quo modo, aut quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (Matth. x, 19, 20). Hoc solum ad illos retulit, ut omnem tribulationis necessitatem libenter pro veritate susceperent, penes se autem promissis effectum. Libero ergo qui locus servatur arbitrio, ut sine Dei adjutorio ad explendum quid voluerit rationali dignitate suffulta, sibi ipsi si non sufficit humana natura, continuo Psalmista ostendit, *Et non audivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi* (Psal. lxxx, 12). Qui dixerat cum vocaret, *Audi, popule meus, et loquar; Israel, et testificabor tibi*; quid testificans commendaverat mentibus audientium? *Dominus Deus tuus ego sum*. Quid etiam ab ipsis fieri jusserat, quos de terra Ægypti et ignorantie tenebris liberatos, in luce mandatorum suorum, splendore vocationis eduxerat? *Dilata, inquit, os tuum*. Statimque, quasi diceret, *Si dilatare te deserente me volueris, nihil proderit, ita addidit, et implebo illud*. Quid ergo qui vocaverat, et vocatos docuerat, querula de eisdem voce subjungit, *Et non audivit, inquit, populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi*? Exeat nunc liberi contra Deum defensor arbitrii, audiat dicentem Apostolum, cum de bonis suis laboribus loqueretur, *Non ego autem, sed gratia Dei mecum* (I Cor. xv, 10). Audiat Dei vocem in psalmo, de his quos deseruerat dicentem: *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in voluntatibus suis* (Psal. lxxx, 13). Audiat unum eundemque Apostolum de vitæ suæ variis temporibus sibi tantum mala, gratiæ autem Dei bona omnia tribuentem: *Qui prius sui blasphemus, inquit, et persecutor* (I Tim. i, 13). Et alio loco, *Gratia Dei sum id quod sum* (I Cor. xv, 10). Cum diceret, *Qui prius sui blasphemus et persecutor*, nulla gratiæ mentio iniquo operi copulabatur: quia sufficit sibi, sicut dictum est, ad nequitiam natura libertatis humanæ. Cum vero de præsentis vite beatitudine loqueretur, *Gratia, inquit, Dei sum id quod sum*. Et illum ordinem quo miseretur Deus vocando, miseretur deinceps in cœptis conatibus adjuvando, sicut serio psalmi narratum atque digestum est, beatus etiam apostolus Paulus continua narratione servavit. Si enim in ordine quem posuit excerpta testimonia relegantur, ita loquitur; *Gratia Dei, inquit, sum id quod sum*. Hæc est prima misericordia, quam libere voluntatis opera consequuntur. Sed ut apostoli Pauli

vocationem bona opera sequerentur, quid ait, *Et gratia ejus in me vacua non fuit, Quid enim fecisti? Plus, inquit, omnibus laboravi.* Ne multum superbias, o liberi defensor arbitrii, audiens Paulum de suis laboribus gloriantem; attende quod sequitur, *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Puto sane quod nullus de his qui contra Dei gratiam exaltato ante ruinam, sicut scriptum est (*Prov. xvi, 18*), corde blasphemant, tantum arrogantiae impudentis assumet, ut beati prophetae David meritis aut æquandum se, aut etiam existimet præferendum. Cujus ut de illa prima remuneratione quam nullus non fateatur ut indebitam, delati scilicet regni, interim taceam, orationum et confessionum ejus intentiones affectusque pensemus. Ipse siquidem desinit in psalmo, *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* (*Psal. xciii, 12*). Sed videamus utrum ipsi jam eruditi, et omni legis scientia secundum instructionem Judaicam sufficienter instructo, ad beatitudinem res hæc sola suffecerit. Cur ergo rursus idem clamavit ad Dominum, *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo* (*Psal. cxviii, 34*)? Parum erat quod ad scrutandam legem poposcerat intellectum, nisi etiam ad custodiendam necessarium significaret auxilium, dicens, *Et custodiam illam in toto corde meo*; quasi diceret, Tunc custodiam illam in toto corde meo, si tu dederis intellectum.

CAP. XII. Adhuc superbus ille propriae voluntatis defensor ad ista respondeat, quod propheta ad intelligendum tantum mandata divina, quæ tamen propria virtute impleturus fuerat, opem divini postulaverit auxilii. Quæ si ita sunt, a te paululum libet, beate David, consuum tuorum occultis perquirere. Unde ergo, rogo te, pugna carnis et spiritus? Unde apostolicum, sicut ipse lateris, certamen? Etiam utique illuminatus atque eruditus intelligentiæ munere, quam divinitus postulaveras, clamas et dicis, *Averte oculos meos, ne videant vanitatem* (*Psal. cxviii, 37*). Nam intellectus certe discernendæ vanitatis a veritate, sicut posebas accepto, cur oculos tuos a vanitate quæ displicet non avertis? Si avaritiam reprehendis, cur non ab ea proprio separatus arbitrio cor tuum ad mandata salutis inclinas, sed tanquam infirmus in omnibus clamas ad Deum, *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam*: nisi quia suggerit avaritiam in membris nata lex peccati, et adhuc vult oculos suos, nec potest se potest vir sanctus avertere; ac sic *caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Galat. v, 17*): ex qua lite non liberat, nisi gratia, quæ per Dominum nostrum Jesum Christum parvis magnisque donatur (*Rom. vii, 25*). *Velle enim adjacet, perficere autem non invenio* (*Rom. vii, 18*). Quamvis et ipsum velle non ex nobis, sed Dei donum est, quoniam ab ipso habemus et velle et perficere, pro bona voluntate (*Philipp. ii, 1*). Beatus ergo os, quoniam cum apostolis Christi et doctrinæ, et pugnae æqualitate concordas: quia et in scriptis tuis apostolorum bella cognoscimus, et tua certamina in apostolicis litteris invenimus.

CAP. XIII. Ubi ista in uno eodemque homine, qui ex anima et corpore constat, rerum voluntatumque diversitas, nisi quia justa Dei judicia contemnens, homo Deum, creatura Creatorem, infimus summum, intra semetipsum inobediendiæ poenas et contumaciam inferioris invenit? Qua enim justitia, quamvis meliori deterior, creature tamen creatura serviret, si ipsi qualiscunque creatura servire noluit Creatori? Sed ne hoc quidem sufficit ad poenam, ut pars illa deterior melioribus repugnaret cordis affectibus, nisi etiam plerumque superaret, in captivitatem duceret, possideret, non solum vel natos in Adam homines, sed lex ipsa peccati ad motus sui ministerium vindicaret, nisi etiam renatos in Christo, manente suggestione, pulsaret. Quia revera per id regenerationis munus reatus dimissus est; non soluta conditio gratiæ est, veterum delens chirographa debitorum; non a passione carnali jam separans adhuc hominem in carne viventem, ut omnis homo

A futuro tempore divinum per singulos imploret auxilium. Et quoniam lex non tam auerere potuit, quam monstrare peccatum, quod peccatum in se nascentes passim sibi homines vindicabat, et consensientiae consensione possessos, in æternum mergebat interitum: Dominus noster Jesus Christus Filius Dei, Verbum Patris, æquale et coeternum Patri, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens (*Philipp. ii, 7*), et cum peccatum ipse non esset, factus assumpta carne peccatum, ut a peccato carnis homine sanato, peccatum damnaret in carne, venit querere quod perierat (*Luc. xix, 10*), sanare quod ægrotabat, erigere quod jacebat, potestatem habens dimittendi peccata, quod non debebat donare, quod ei debebatur dimittere, deletisque omnibus veteris culpæ maculis, quam fecerat reparare naturam. De his quibus poenam severitas justa decreverat, secundum ineffabilem dispositioni occulte misericordiam, elegit vasa quæ laceret in honorem, et alios a ventura ira dono gratuita vocationis absolvit, alios derelinquens ad æqualitatis iudicium reservavit, nulli tamen agnoscendæ veritatis abstulit facultatem: et ita plenitudo divinæ præscientiæ in alios manante justitia, in alios gratia profluente completa est: ut peremittibus quos præscierat Deus esse perituros, et salvatis quos in illa secreta electione præscierat esse salvandos, toto orbe diffusa multiplicaretur Ecclesia.

CAP. XIV. Gratulare igitur, o quicumque illuminatus es, et gratiam quam non merebaris agnosce. Gemen quicumque induratus es, et justitiam confutere. Dic quicumque ab originali contagio, lavacro gratiæ te gratularis ablutum, *Misericors et miserator Dominus, patiens et multæ misericordiæ. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis* (*Psal. cxl, 8 et 10*). Dic quicumque damparis, *Justus es, Domine, in omnibus quæ fecisti nobis, et omnia judicia tua vera: quia in veritate et iudicio superinduxisti omnia hæc, propter peccata nostra* (*Dan. iii, 27, 28*): et nobis iniustitiæ Dei culpam te indurationis ascribere, quia omnes viæ Domini misericordia et veritas (*Psal. cxiv, 10*), ut nec hi qui misericordiam fuerint consecuti a Deo, iudicio veritatis de meritis suis aliquid gloriantur; nec hi qui indurati atque damnati sunt, excusationem culpæ ex hoc habere posse se credant, quod nullam qua converterentur, sint misericordiam consecuti. Hanc ergo Pharao misericordiam non accepit, et ideo ei ad perendum liberum sufficit arbitrium, quem quidem nullus ita ignarus divinarum Scripturarum erit, qui audeat dicere illa omnia injuste esse permissum. An forte si pie de Deo scire expedire sentiamus, etiam Pharaoni datam misericordiam reperimus? Patientia enim Dei valere ei debuit ad salutem, qua differens justum meritumque supplicium, miraculorum verbera crebra densabat. Numquid non potuit, sicut flagellis cadens expulit populum, ita miraculis credens Deum tantæ virtutis agnoscere? Si dicitur jam Pharaonem non potuisse mutari, quia eum præciverat Deus non esse mutandum, respondetur Dei præscientiam non cogere hominem ut talis sit quem præcivit Deus; sed præscire talem futurum qualis futurus est, quamvis eum non sic fecerit Deus. Quem si cogeret esse, hoc utique cogeret quod non est. Porro si hoc præscierat futurum esse quod non est, præscientia non est, quod de Deo quam impie dicatur, advertit quisque qui peccatis suis inde blanditur, quod Deus eum peccatorem futurum esse præscierit.

CAP. XV. Existere nihilominus, fortasse aliquem reor qui dicat minus idoneam ad salutem viam, si nulla intrinsecus vocatione pulsatus, tamen quispiam flagelletur. Unde Nabuchodonosor penitentiam meruit fructuosam (*Dan. iv, 35*)? Nonne post innumeras impietates flagellatus poenituit, et regnum quod perdiderat, rursus accepit? Pharao autem (*Exod. viii et seq.*) ipsis flagellis est durior effectus, et perit. Hic mihi rationem reddat qui divinum consilium nimium altum sapienti corde diducit, cur medicamentum unius medici confectum, alii ad interitum, alii valuerit ad salutem, nisi quia *Christi bonus calor*

aliis est odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem (II Cor. II, 15, 16)? Quantum ad naturam, ambo homines erant; quantum ad dignitatem, ambo reges; quantum ad causam, ambo captivum populum Dei possidentes; quantum ad poenam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diversos, nisi quod unus manum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingenuit, alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnavit arbitrio? Hic quicunque respondet, illi ut mutaretur adfuisse divinum, huic ut induraretur defuisse præsidium, et hoc contendit injustum, propter quod rerum ipsarum fines in Dei voluntate constituens, dixit Apostolus, *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat* (Rom. IX, 18), dicente Domino, *Sine me nihil potestis facere* (Joan. XV, 5), intelligat illa omnia, vel adjuvante Domino perfici, vel deserente permitti, ut noverit tamen nolente Domino nihil prorsus admitti.

CAP. XVI. Sed reditur ad parvulos, reditur ad geminos: parum est quod dixi, reditur ad necdum natos, qui et eodem concubitu seminati, et eodem momento in lucem fuerant proferendi. Eis discrepans diversumque judicium divinæ voluntatis apparet, sensus hominum de voluntate Dei superbe nimium disputantes, magnitudo questionis obturbat. Exalta jam viribus vocem tuam, o injuste accusator justis, et dic mihi quid ille mali commisit, quid boni ille meruit? Et respondet tibi, non ego, sed Paulus apostolus, Nihil quidem ambo meruerunt; sed *habet potestatem figulus lutæ ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam* (Rom. IX, 21). Dicturus es, Quare? Quæ est judicii hujus tam confusa diversitas? Rursus hanc præsumptionem ille confutet, et dicat, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo* (Ibid., 20)? Maxime quia ad illam humanorum actuum comparationem rursus intentio conversa respondet, injustitiæ non posse argui creditorem, qui duobus debitoribus tale voluerit habere judicium, ut uni donet, ab alio exigat, quod ab utriusque debetur. Et certe in omnibus humanæ conversationis actibus atque contractibus ad discernendum aliquid, ad iudicandum hanc, qua videmur aliquam probare justitiam, ex ineffabili divinæ justitiæ plenitudine in humilitatis nostræ corda manare manifestum est, beato Joanne hoc in Evangelio suo confirmante, quoniam omnes de plenitudine ejus accepimus (Joan. I, 16). Quod si ita est, qua tandem impudentia homo de Deo, lutum de figulo iudicabit, non solum dicens, Quid me fecisti sic? sed etiam de aliis damnabili curiositate perscrutans et dicens, Quare de eadem massa fecisti alium quidem sic, alium vero sic? Si humanum genus, quod creatum primitus constat ex nihilo, non cum debita mortis et peccati origine nasceretur, et tamen ex eis Creator omnipotens in æternum nonnullos damnare vellet

interitum, quis omnipotenti Creatori diceret, Quare fecisti sic? Qui enim cum non essent, esse donaverat, quo fine essent habuit potestatem; nec dicerent cæteri, cur paribus omnium meritis divinum discreparet arbitrium, quia *potestatem habet figulus lutæ ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam* (Rom. IX, 21). Nunc autem cum damnatis poena justa reddatur, salvatis autem gratia donetur indebita, quis usque adeo humanæ conditionis oblitus, divini sensus arcana discutiat, ut cum ipse poenam merito fuerit consecutus, quærat cur alius gratiam, quæ non debebatur ei, acceperit? Hanc itaque divinam electicentiam non meritis reddi, sed solâ voluntatis munificentiâ donari hominibus, Moyses cum jam tunc, quamvis carnalem populum doceret, ostendit. Sic enim evidenter in Deuteronomio dicit ad populum, *Ecce Domini Dei tui cælum est, et cælum cæli, terra et omnia quæ sunt in ea: verumtamen patres vestros elegit Dominus diligere eos, et semen eorum elegit post ipsos vos præ omnibus gentibus*. Et adjecit, *Circumcidimini ergo a duritia cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius* (Deut. X, 14, 15). Sed hanc in eis mansisse duritiam cordis, sicut supra jam diximus, beatus Stephanus, cum Judæos increparet, ostendit. In Actibus enim apostolorum, sicut ipse dicit, *Dura cervix et incircumcisi corde et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis* (Act. VII, 51). Unde dura cervix in illo populo, qui ex omni mundo electus est, qui de servitute decem miraculis meruit liberari, cui lex data est, cujus salutis ora prophetarum omnium militarunt, ex quo factus secundum carnem, et ad quos missus est Christus, nisi quia cæcitas ex parte in Israel facta est, donec Israel adoptatus ex plenitudine gentium intraret in regnum (Rom. XI, 25); et conclusit in incredulitate omnes Dominus, ut omnes indigerent misericordia Salvatoris? Cujus divini consilii sacramenta perstringens, et majestatis mysterium, quæ quamvis magnitudine revelationum noverat, tamen pro humana infirmitate succumbens, etiam ille qui pro persecutionibus et blasphemis Vas electionis meruit nominari, miratus exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei* (Ibid., 33)! et inscrutabiles vias ejus, et inscrutabilia confitens Dei esse judicia. Cum illo ergo, quando de talibus quæritur, admiremur, et manente sententiâ quod non sit iniquitas apud Deum, si quid est illud quod quæritur, quod modum nostri sensus excesserit, et intellectus nostri non dignatur angustias, in illa justitiæ, misericordiæ, præscientiæque divinæ plenitudine permanere inconcussa æquitate fateamur. Ne de superioribus divinæ voluntatis arcanis aliter quam modus conditionis nostræ patitur disputantes, Dei justitiam relinquamus, et nostram statuere cupientes, in imam contumaciæ voraginem decidamus.

FERRANDI DIACONI

EPISTOLA AD EGYPTIUM.

DE ESSENTIA TRINITATIS AC DUABUS CHRISTI NATURIS.

Domino beatissimo fratri Egyptio presbytero Ferrandus exiguus, in Domino salutem.

Carissime, considera quales habeat vires ab Ariano comite nuper proposita quæstio, sed prius quibus inter se sententiis vel dogmatibus Ariani et catholici

Differant, deliberemus. Ariani volunt individuum Trinitatem predicare, sicut Scripturæ prædicant unum Deum; catholici vero præcepta legis salubriter audientes, etc. *

* Reliqua videsis inter Ferrandi Diaconi opera quæ mox sumus edituri. EdrT

ADMONITIO

AD OCTOGINTA SERMONES SUBSEQUENTES.

Universos sancti Fulgentii sermones perlegendibus nobis, visum est ipsos ad tres omnino classes posse facile revocari. Harum prima eorum est qui certo Fulgentium auctorem agnoscunt, aut saltem ad ejus stylum et ingenium quam maxime accedunt. Secunda classis continet plures sermones, diversi a Fulgentio auctoris, et quidem certi : quem alium ab Augustino haecenus non invenimus, ut patebit ex iis quæ infra ad singulos suo loco præmonēbimus. Tertia denique complectitur cæteros omnes scriptoris diversi, at omnimodo incerti. Ad primam classem attinent ii quos supra ut genuinos S. Fulgentii fetus edidimus ex antehac excusis, tum prior ex his quos nunc primum ex codice Vaticano damus. Ad secundum spectant aliquot ex his quos inferius exhibituri su-

mus, suo ordine : qui quidem Augustinum patrem sibi vindicant, et inter ejus opera leguntur. Tertiam demum classi assignamus reliquos omnes hac in appendice proxime subjiciendos. Qui (si paucos exceptis Africano cuidam nec indocto viro tribuendos) vix quidquam referunt non Fulgentio tantum, sed nec ullo alio probato scriptore dignum. Nisi forte eidem ipsos auctori tribuere libeat, quo auctore plerique inter opera S. Augustini irrepserunt, legunturque in appendice ad tomum quintum editionis hodiernæ, aut decimum anteriorum editionum. Si quid autem de quibusdam sigillatim notandum, aut in ipsis fortasse merito reprehendendum videatur, in præfixa cuique notatiuncula observabitur.

S. FULGENTII EPISCOPI

(falso titulo)

IN SEQUENTES HOMILIAS sive SERMONES

PRÆFATIO.

Cum enim in nobis vult exercere caritatem, solitam vobis sancti sermonis sui non exhibuit claritatem. Itaque et nos obedienter convenit tacere quod voluit, et vos libenter tolerare quia voluit. Orate ergo pro nobis, ut verbis nostris facta conveniant : quia cupimus magis precibus vestris adjuti factorum fructibus opimari, quam verborum foliis obumbrari. Exhortamur caritatem vestram, dilectissimi fratres, ut impigre et vigilanter verbum Dei ministrantibus fratribus et compresbyteris, vos audire non pigeat. Dominus enim et Deus noster, ipsa veritas quam auditis, per quemlibet loquatur, pie et vigilanter audienda sunt quæ loquitur. Nam in nobis nemo est major, nisi qui minor fuerit. Proloqui autem vobis volumus ex more, ut ea quæ dicimus faciatis amore. Omnium quidem ciborum sal salubre est condimentum, si mensura non desit. Alioquin et ipsum perit, et quod salierit perdet. Amarum enim nimietas quod poterat saporari mensura. Sic qui in nobis est sensus, si teneat modum, dat sapere, intellectum parit, prudentiam generat, cor dilatat, auget ingenium, maturat dicenda, audienda componit : fitque sibi dulcis, fit etiam gustantibus tota dulcedinis plenitudo. Erit etiam plane ipse melleus sensus de cujus ore prolatum fuerit nihil amarum. Hoc præmisimus, ut sit nobis in evangelicis sententiis nostri sensus certa constringenda mensura : quatenus vitalem cibum, divinum pastum, celestem saporē non violet, sed cautissima nobis sobrietate custodiat, juxta illud Apostoli : *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (Rom. xii, 3). Proinde jam quid

in Evangelio Dominus dixerit, audiamus. Inter principales stellas, septentriones, oriones et luciferos, stella semper minutior obscuratur claritate magnarum : sed non ita est in cælo novo matris Ecclesiæ, in quo stella seminis Abrahamæ fidei fulgore coruscat. Ubi nunc me tanquam parvissimam stellam inter sidera Patrum ipsis allucentibus et præcipientibus procedentem non obscurari, sed clarificari confido. Ut quod minus habeo de circulo sideris mei, de splendore merear paterni oraculi, et auditus vestri, et cordis intenti, quod mihi est velut cælum, in quo mei sermonis adjuta stella procedat, et paterna interpellatio cum vestro favore succedat. Secura pugna est jaculatori sagittarum, cum protegentium tegitur murato agnine clypeorum. Cum igitur scuto benignitatis Patres me video munientes, non timeo de parva pharetra tenuissimos jaculare sermones. Ut cum infirmæ vocis ex arca trepidantium labiorum jaculator sermonis incompti sagitta mei cordis, non timeam : protecta lorica sanctorum Patrum clypeata corona. Sagittæ namque sunt etiam ipsæ potentis, de arca parvi sermonis, quæ cum carbonibus desolatoriis, et nostra deliquent verba, et vestra illuminent corda, et et insidiantis ignita exstinguantur jacula, et vestra libenter audiat sapientia, sine laboriosa pugna de paterna victoria. Video quidem, fratres dilectissimi, alacritatem animi vestri, et impigrum studium, luminosumque fervorem : sed ne in hac vestra agilitate piger ipse reperiar, non videar superfluum, quod excito vigilantes, exhortor accensos. Etsi enim tantum agonem in vobis invenit sermo, ut plus non

possit accendere, vobiscum tamen vult et ipse ter-
 vere. Terret meam parvulam rudemque facultatem
 sanctorum Patrum antiqua doctrina, et vestra, fra-
 tres, intentio luminosa: sed rursus me exhortatur
 et illorum jussio, et vestra benignitas. Nam etsi cum
 eruditissima examinatione dicta perpenditis, ita ta-
 men in Christo omnes pinguissima caritate diligitis,
 ut non solum fortes et mediocres, sed etiam tenues
 et pauperes libenter audiat. Loqui verbum Dei cog-
 nitis et amicis magna fiducia est caritatis, ubi fru-
 ctus præsumitur pietatis. Ut si quid etiam minus
 compositi profertur eloquii, facile ignoscat amicus, cui
 non est dictor incognitus. Nam in hac parte prophe-
 tam Ezechielem de exsequendo præconio dubitantem,
 confortat omnipotens Deus, ne de sua imperitia tre-
 menter excusans, cervicibus parvis sub magno prophe-
 tæ onere vacillaret. Dicit ad eum Dominus: *Quare dubitas? Non enim ego ad gentem alienam mitto*
te, sed ibis ad populum tuum, non ignotæ lingua, sed
cognitæ (Ezech. iii, 5). Nec dicturus es: Linguam
quam non noveram audivi: una est lingua, paria
sunt verba, civilis est audientia. Et ne esset aliquid
quod reprehensibile cognitis in amico cognito vide-
retur, porrigit ei librum intus et foris cœlestibus ca-
lami exaratum, et jubet eum avidis faucibus absor-
bere, ut inde posset gustatas delicias eructare. Accep-
it, devoravit. Instructa est lingua, obdulcata sunt
membra, et cœpit de homine divini magisterii sua-
viter vorata resonare peritia. Sic et nobis dignetur
Dominus istius libri donare delicias, ut ipse doceat
quod homo non docuit. De cognita vestra non timeo
civili congregatione, præsumens quia qualemcumque
gaudebitis audire sermonem. Quotiescumque divini
sermo profertur imperii, et regalis in medium do-
ctrina tractatur, adsunt angeli ministri verbi Dei,
commendatores eloquii, et interpretes sacramenti.
Adfuit enim beato Daniel Gabriel interpretator, cum
ei a dextris Cyrus assisteret imperator, et ait: Ga-
briel, fac intelligere istam visionem (Dan. viii, 16).
Iste idem Dominus et nunc jubeat inter sancta et
magna colloquia, tanto nos angelo commendari, ut
interpretationis angelicæ accipere mereamur ratio-
nem. Tunc poterimus aptum quoquomodo ad vestram
caritatem cum fiducia proferre sermonem. Sancto et
dulci et largo sermone, plurimoque affectu non ne-
scio semper dilectionis animos esse perfusos. Et quia
magnis dapibus spiritualium rerum, subministratione
domini fratris et consacerdotis mei, sæpius assue-
vistis expleri, quibus ausibus, quavè fiducia poteritis
oblectari, non potest comprehendi. Hoc mihi propo-
nens tantillus homo, minus audeo quam præsumo.
Sed quoniam communi voto, jussis parere con-
tendo, erubescere non recuso. Et ideo velut advoca-
tionem quamdam parvam profero mediocris, non ut
animum expleam, sed ut fastidium tollam. Ergo si
satis non sorduerint, quæcumque fuerint libenter,
quæso, accipere dignemini. Adhibete huc intentas
aves, qui amatores estis verbi Dei, et considerate

A diligentius quæ Domino donante dicere poterimus.
 Quantum enim prædicantibus nobis creditur verbum
 Dei, tantum vobis sacramentorum cumulus augetur.
 Sed sicut quis exiguo vectus navigio ingreditur ma-
 re, donec terræ vicinus est, minus metuit, cum vero
 paulatim in altum fuerit progressus, et undis intum-
 mescentibus cœperit in ima deduci, ibi continuo
 mentem pavor invadit, et formido percellit, quod
 exiguam ratem immensis fluctibus credidit, ita etiam
 nos pati videmur, qui exigui meritis et ingenio ten-
 ues, tam vastum mysteriorum pelagus audemus ing-
 redi. Sed si, orantibus vobis, Dominus dignetur
 Spiritus sui sancti auram nobis prosperam dare, se-
 cundo verbi cursu portum salutis intrabimus. Nun-
 quam facile auspicia nostræ temeritatis erumperent,
 nisi vester erga me primatus ac dilectus affectus ve-
 niam dicendi mihi tribuere dignaretur audaciæ.
 Quodcumque ergo potuerimus de divinis fontibus
 haurire, et ad potanda vestra pectora spiritaliter
 tradere, quæso ut dignemini libenter accipere.

SERMO PRIMUS.

In Natali Christi.

Inclinantur organa de cœlis, quæ Dei gloriam
 possunt cantare nascentis. Descendentibus namque
 angelis ætherea geritur per ventos Ecclesia, ut cœle-
 stis patriæ exemplar jam vivam transferatur ad ter-
 ram. Ubique silentium, quia organa cœli universa
 succumbunt. Silentium prophetarum, taciturnitas sa-
 cerdotum, melodia sola modo est competens angelo-
 rum. Zacharias tacet in templo, angeli cœperunt hym-
 num cantare de cœlo, qui faciunt et stellam micare,
 et noctem lucere, pastores vigilare, oves ruminare,
 agnos tripudiare. Nuntius clarus, suavis cantus, mitis
 Dominus natus, pastoribus virtus, pecoribus pastus.
 angelis cantus. Describit beatus Joannes (*Apoc. vii, 4*)
 millia centum quadraginta quatuor in Sion monte
 hymnum cantare suavem, in modum citharædorum:
 sed alter est sonus angelorum. Pastorum stupere ora
 pendunt, agni et oves siluere, tanquam ad tibi-
 am pastoralem, cum angeli nuntiant in præsepe
 jacentem hymno mulcente pastores. Pater Abraham
 desiderat in veritate suscipere Trinitatem, quam sus-
 cepit in imagine sub tentorio convolante. Isaac
 gaudet sub Bethlehæmitica casa, velut sub centena-
 ria spica; ad triticeam medicinam illustratur, jam non
 visitatur. Pater Jacob ille sub scala conspexit Do-
 minum non scalæ incubantem, sed de terra nascentem,
 in præsepe jacentem, ubera materna lactentem.
 Ducatum gerit Moses Israeliticis populis (*Deut. xviii,*
15), quia suscitatus est nobis Propheta de fratribus
 nostris. Isaias sub vinea dilecta concantat, faciens
 sub palmitibus spinosis Ecclesiam, quia *puer natus*
est nobis, filius datus est nobis (Isa. ix, 6). Qui invi-
 tat pastores ad præsepe, electurus est piscatores ex
 littore, facturus organa terrestria, declinando cœle-
 stia. Jam Matthæus hominem pingit Deum, quem
 Spiritus pinxit sanctus in virginalium tabella mem-
 brorum. Jam incipit Marcus evangelista leonem pro-
 ducere, non de venatoria cavea, sed de stabulari
 spelunca. Jam Lucas evangelista vitulum portat pon-
 tiscalibus humeris saginatum, ut pascatur de eo ge-
 nus humanum; et jam terra tota sulco crucis aratur,
 in semine lacrymarum, in manipulis gaudiorum, et
 vituli saginantur ad Christianarum convivium nup-
 tiarum. Aquila ecce jam volat, et usque ad pectus
 dominicum suarum Joannes declinat remigia pen-
 nularum, ut de pectore Christi accipiat odoratum,
 et volatum suum pertendat ad cœlum, volatu cantu

* Deest *huc advocator*, aut quid simile.

que persulcans, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (Joan. i, 1). Delectat enim evangelistas cum Christo Domino nascente in terra ambulare, cum patiente rugire, cum moriente sacrificare, cum resurgente et ascendente volare. Ab Oriente et Occidente producant pennas aquilæ, dimittendo terram, tradendo membra, tolerando tormenta. Pennæ martyrum usque ad nostra littora navigarunt, et nos ad Dominum volare pennis justitiæ docuerunt. Ossa martyrum, membra sanctorum, pennæ sunt aquilarum, quas cantus invitat angelorum, volatusque cælorum, ut fiat lætitia pastorum, ruminatio ovium, nutritio dulcis agnorum, quia natus est Agnus Dei, qui tollat mundi peccatum.

SERMO II :

In Nutuli S. Stephani.

Hesternæ die celebravimus natalem tuo Rex martyrum natus est mundo, hodie celebramus natalem quo primicerius martyrum migravit ex mundo. Oportebat enim ut primo immortalis pro mortalibus susciperet carnem, et sic mortalis pro immortalibus contemneret (*al. susciperet*) mortem. Natus est Dominus ut moreretur pro servo, ne servus timeret mori pro Domino. Natus est Christus in terris, ut Stephanus nasceretur in cælis. Ingressus est Dominus mundum, ut Stephanus ingrederetur in cælum. Altus ad humilia descendit, et humilis ad alta ascendit. Filius Dei factus est filius hominis, ut filios hominum faceret filios Dei. Fecit Christus miracula, tecit et Stephanus. Nunquid Stephanus potuit tacere sine Christo? Vivebat enim Stephanus de Christo, sicut sarmentum de vite. Miraris fructum de sarmento pendentem, et vide sarmentum in vite manentem. Eia, sancte Stephane, dic aliquid de Incircumcisis cordibus, et morieris lapidibus. Dic aliquid de eo cujus nomen noluit audire, et erubescant et sæviant, et *muta fiant labia dolosa* (Psalm. xxx, 19). Dic eis ubi vides vivum, quem irriserunt crucifixum. Dic eis ubi eum vides, et hic non vives, sed cum eo melius vives. Dic eis quia nihil est quod fecerunt, vivit enim quem occiderunt. Dic eis quia eum vides in cælo ad dexteram Patris astantem, quem irriserunt in cruce pendentem. Et ille sanctus Stephanus, *Ecce inquit, video cælos apertos, et Filium hominis stantem ad dexteram Dei. Clamantes autem continuerunt aures suas* (Act. vii, 56). Aures clauserunt, et ad lapides cucurrerunt, impetumque ceperunt omnes in eum. *Et lapidabant Stephanum invocantem et dicentem* (Ibid., 57) : Adhæsit anima mea post te, quia lapidator caro mea pro te. Oravit Christus pro crucifixoribus suis, oravit et Stephanus pro lapidatoribus suis. Dominus Christus oravit affixus in ligno, et sanctus Stephanus, genu flexo. Qui stando suum spiritum commendavit Domino, pro illorum delicto fixo genu oravit. Orabat Dominum pro inimicis, ut amicus dicens: Certe ego patior, ego lapidor, in me sæviant, et in me tremunt, sed *ne statuas illis hoc peccatum* (Ibid., 60) : quia ut hoc dicam tibi, a te primo audivi. Ego servus tuus patior, sed multum interest inter me et te. Tu Dominus, ego servus. Tu Verbum, ego auditor Verbi. Tu magister, ego discipulus. Tu Creator, ego creatus. Tu Deus, ego homo. Multum interest inter peccatum istorum qui lapidant me, et illorum qui crucifixerunt te. Quando ergo dixisti, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (Luc. xxiii, 34), pro magno peccato petiisti, et me pro minimo petere docuisti. *Domine, inquit, ne statuas*

illis hoc peccatum. Tanquam diceret, Ego patior in carne, isti non pereant in mente. Illi lapides mittebant, et sanctus Stephanus orationes fundebat. Magna pietas, fratres, magna clementia. Crorsus qualia ir mensa Domini sui comedit, talia et ipse in suo convivio præparavit. Scriptum est in lege, *Ad magnam mensam sedisti : scito quoniam talia te oportet præparare* (Eccli. xxxi, 12). Talia ergo in oratione exhibuit, qualia in suæ Domini mensa comedit. Dominus Christus dixit : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*; sanctus Stephanus dixit : *Ne statuas illis hoc peccatum; et hoc dicto obdormivit in Domino.* O somnum pacis! quid illo somno tranquillius? quid illo somno quietius? qualis ibat ad amicos, qui sic diligebat inimicos? Nam ut noverit sanctitas vestra, quantum valuerit oratio sancti Stephani martyris, recurrite nobiscum ad illum adolescentem persecutorem nomine Saulum, sicut ex libro dum lægeretur audivimus, qui cum Stephanus lapidaretur, et ab ipso omnium lapidantium vestimenta servarentur, ut tanquam in manibus omnium ipse lapidare videretur. Hic cum iret in via, *subito circumfudit eum lumen de cælo, et audivit vocem dicentem sibi : Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra simul calcitrare. Et ille : Et tu quis es, Domine? Et Dominus ad eum : Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris* (Act. ix, 3, 4, 5); quid mihi et tibi? Quare te erigis contra me malo tuo, et te non potius humilias bono tuo? Ad tanta mala quæ commisisti in me, olim quidem debui perdere te; sed Stephanus meus oravit pro te, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Sed quia insanis contra nomen neum, ego te faciam servum meum. O Saule lupe rapax, comedisti, expecta paululum, et digeres. Dicam plane, elisus est filius perditionis, et erectus est Vas electionis. Nam si sanctus Stephanus non orasset, Ecclesiæ Paulum non haberet. Sed ideo erectus est Paulus, quia in terra inclinatus exauditus est Stephanus. Ergo quod fecit Saulus, patitur Paulus; quod fecit persecutor, patitur prædicator; quod fecit lupus, patitur agnus: quia sic est in tali homine vindicandum, ut discat pati quod faciebat, sentiat et ipse quod aliis inferebat. Dicitur Ananias a Domino Jesu Christo, *Vade ad eum, et signa eum signo meo* (Ibid., 11). Abiit Ananias, baptizavit Saulum, et fecit ex lupo agnum. Cœpimus habere nos prædicatorem quem sanctus Stephanus habuit lapidatorem. Sic ergo exauditus est sanctus Stephanus, ut ejus orationibus deleteretur peccatum quod commiserat Saulus. Commendemus ergo nos orationibus ejus: multo magis enim nunc exauditur pro veneratoribus suis, qui sic exauditus est tunc pro lapidatoribus suis.

SERMO III **:

In Natali S. Stephani.

Dominus noster Jesus Christus, pastor bonus, mitis et pius, oves suas miscet inter lupos in hoc sæculo, ut eas adjuvet de throno suo. Vis videre quicunque es, Christiane, Dominum Jesum Christum oves inter lupos miscentem? Ipse in præsentis Evangelii lectione clamabat dicens, *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum* (Matth. x, 16). Vis iterum videre Dominum Jesum Christum oves suas de luporum manibus educentem? Ipse clamet et dicit, *Ego sum pastor bonus, Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis* (Joan. x, 14). Lupus destruitur, quando pastor occiditur. Ovis redimitur, quando pastor crucifigitur. Non enim timere debent oves misce in medio luporum. Ad hoc enim lupis miscentur,

mus. Edit.

** Nec Augustini est, nec Fulgentii, nec alterius docti viri, ut patet ex hoc quod infra dicit, Christum in cruce suspensum dixisse, *Amen, amen dico vobis, amodo videbitis*, etc. — Exstat tamen editionis nostræ Augustini tomo V, col. 2143.

* Legitur apud Augustinum serm. I de Sanctis; exstat autem editionis nostræ tomo V, col. 2145. Hunc nonnullosque alios qui in hac appendice occurrunt, jam antea inter opera Augustiniana occurrent, rursus hic edere non dubitavimus, propter variantes quas, utramque editionem conferentes, deprehendimus.

non ut la ipsorum malitia commutentur, sed ut lupi in innocentia ovium convertantur. Sed si nolunt fieri agni, oves non deficiant, sequentes Agnum qui tollit peccatum mundi. Ecce enim prima ovis sanctus Stephanus, quomodo testimonio fidei lupos excutit proclamantes, et oculis suis caelos cernit patentes! Optima ovis pugnaus in medio luporum; sequens, non adhuc perveniens ad Dominum, et jam amicus est angelorum. Quam manifeste familiaris angelis erat amicus, qui in medio luporum ut angelus parebat! Adaperitis etenim caeli, aspectus mutatus est confessoris; et crepit tanquam Sole illustratus iustitiae resplendere, ut humanam speciem non haberet ipsis patentibus caelis, ipsis latentibus inimicis. Nam stabat in medio luporum, et erat facies eius tanquam facies angeli stantis in medio Iudaeorum (Act. vi, 15). Quid agitis, o Iudaei? non timetis ovem Christi primam pedisequam, quae habet in fronte sua nomen Patris et Filii et Spiritus sancti? Istud est signum quod vobis in Stephani fronte lucebat, hoc signum viderunt caeli et patefacti sunt, et tanquam ostenso signaculo in specie angelorum, patefactae sunt portae caelorum. Venit enim sanctus Stephanus cum clavibus fidei, et ipse sibi aperuit, quod fideliter credidit, et libenter assepsit. Quod ergo vidit, non tacuit. *Ecce, inquit, video caelos apertos, et Filium hominis stantem ad dexteram Patris* (Act. vii, 15). Sed quid stebat ut caelis patefactis videret, nisi ipsum qui in caelis ascenderat Dominum Salvatorem? Nam istos caelos omnes videmus, sed clausos, non patefactos; lucentes in stellis, non micantes in angelis. Iste autem jam non homo, sed angelus homo sedem palatii Domini sui non aspiciet clausam, sed patefactam. Non videt angelos, sed archangelos; siquidem et ipsos aspiciet, sed ipsum predicat cui testis erat. Ipsum praconat cui est ianulus in agone perfectus. Nam quanta fuerat sancto Stephano gratia donata! Videbat exercitum caelestis militiae stantem: videbat hominis Filium ad dexteram Patris sedentem. Ecce videt Dominum qui jam migrabat ad Dominum, confessionisque merito aspiciet congregationem caelestium potestatum, qui jam migraturus erat ad provinciam mortuorum. Sed inter mortuos clamabat, qui inter lupos coruscabat. *Ecce, inquit, video caelos apertos, et Filium hominis stantem ad dexteram Patris.* Gaudeant amici, si blasphemant inimici. Non taceat ovisustificando, etsi lupi clamant blasphemando. Concluserunt enim mentes suas, et dixerunt, Blasphemavit. Hoc dixit et Caiphas princeps Iudaeorum de hominis Filio patiente et omnia tolerante. Cum enim diceret Dominus noster Jesus Christus suspensus in cruce: *Amen dico vobis, amodo videbitis caelos apertos, et Filium hominis stantem ad dexteram Patris* (Matth. xxvi, 64), clamavit Caiphas dicens, *Blasphemavit* (Ibid., 65). Caiphas concidit vestes, isti ipsas clauserunt mentes. Caiphas ut nudus remaneret, isti ut in sua malitia permanerent. O magnum miraculum! caeli januae aperiuntur, et Iudaei mentes impias concluserunt. Sed sanctus Stephanus non tacuit, non defecit, nec blasphemantibus cessit. Ibi attendebat, ubi oculos cordis aperiobat. *Ecce, inquit, video caelos apertos, et Filium hominis stantem ad dextris Dei.* Sed quid mihi irascimini pro tanta testificatione, Iudaei? Numquid mea iussione aut potestate patefacti sunt caeli? Patefacti sunt, non ut meam gloriam proderent, sed ut pastorem meum in meum astantem adiutorium demonstrarent. Considerate igitur, et videte quam longe sum a caelis, positus vobiscum in terris. Numquid ego attingere potui, et januas aperire caelorum? Palatium suum ipse mihi aperuit Dominus angelorum. Merito quodammodo video, et quod video non taceo. Non eum contempni in cruce pendentem, ideo video ad dextram Patris sedentem. Vobis istud est datum de caelestibus testimonium; sed si non creditis, ego quid feci vobis? Caeli aperti enarrant gloriam Dei (Psal. xviii, 1), et ego taceo misericordiam Christi mei? Video Chri-

stum in sua gloria sedentem, pro mea salute astantem. Ipse mihi testis est in caelis, ego ei non ero testis in terris? Si eum fuero confessus coram hominibus, confitebitur etiam ipse me coram angelis suis. Si autem negavero eum in terris, et ipse me negabit in caelis. Sed pro tam fidelibus testimoniis lapides jactatis, mentem clauditis, integra vobis et manifesta dicentem audire non vultis. Cædite, cædite lapidibus confitentem; habeo meum ad Patris dexteram adiutorem. Vos cæditis caput meum, ego illi commendo spiritum meum. *Domine, inquit, Jesu, suscipe spiritum meum* (Act. vii, 58). Isti maledicunt, tu benedic. Isti persequuntur, tu suscipe persecutum. Non sine causa, Jesu meus, Domine meus, pro me ad dexteram Patris dignaris astare, quem novi et credo ad dexteram Patris sedere. Pro me est quod stare dignaris, qui stando non deficis, qui tuos adjuvandos non deseris. Tu me, Domine meus, misisti in medio inimicorum, nunc dignatus es facere primum martyrem post tuam ascensionem. Si vis ut non deficiam a te, adjuva me. Cesset contusio petrarum, ne deficiat in me fortitudo membrorum. Pro me enim, Domine meus, appellas dum stas: vocis tuae legationem audio; credo, suscipio, cognosco pro me apud Patrem postulante, donante et adjuvante, ne mea fides deficiat sequendo te. Quid dicit Jesus meus, Dominus meus, petendo pro me apud Patrem? Pater, ecce iste primum pedisequus novam pro me mundi intravit palestram; dona misericordiam, perveniat ad victoriam; sentiat ovis mea se adjuvante, ne me inter lupos existimet traditorem. Ecce video stantem, praesumo pro me postulante. Et ideo Domine meus, qui spectas certamen meum, suscipe spiritum meum. Verum quia non timeo, Domine, lapidata membra, ponespiritum meum in requiem sempiternam. Inter istos sum deputatus tanquam ovis occisionis, apud te ponar in requie suavitatis et pacis. Iudaei lapidabant, iste ingemiscebat. Iudaei credebant caput, iste commendabat spiritum. At ubi de spiritu commendato crepit esse securus, et pro inimicis factus est advocatus, et non sicut pro se petebat, ita pro inimicis interpellat. Hic stabat, quando Christum videbat; hic genua flegebat quando pro inimicis orabat. Ipsa enim necessaria erat advocatio pro tantis ac talibus inimicis. Sciebat enim quod eum Dominus Jesus non cito posset audire, sed pro ipsorum peccato, non pro merito suo. Ideo pro tanta iniquitate lapidantium Iudaeorum genua flegebat, lacrymas effundebat, dicens: *Domine, ne statuas hoc illis ad peccatum* (Ibid., 59). Vide, quicumque Christiane, quomodo ovis ista in omnibus sequitur, et pastorem imitatur. Dominus Christus suspensus in cruce clamabat: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*; iste dicit: *Domine, suscipe spiritum meum*. Dominus Christus pro inimicis clamat: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*; iste dicit: *Ne statuas hoc illis in peccatum*. Et manifeste, fratres mei, in medio lapidantium istorum qui amplius sciebat, beatus apostolus Paulus praesens erat. Si ergo tunc daretur Stephano de lapidante vindicta, quomodo talem magistrum habuisset Ecclesia? His dictis emisit spiritum, ascendit in caelum, veniam meruit inimicis. Gaudere meruit in caelis de amicitia beati Pauli subsequenti, quia ipse est Dominus qui facit sterilem matrem in domo filiorum lactantem (Psal. cxvii, 9). Ecce hoc sanctus Stephanus meruit, qui videbat Filium hominis stantem, quem novimus ad dexteram Patris sedentem. Petamus enim ut interpellat pro nobis, et pro peccatis nostris, et cruat nos a tantis periculis et parturitionibus universis, pro pietate sua, non pro conscientia nostra. Nam qui aut quanti fontes peccati nostri flammam possunt extinguere? Ipse dignetur nostra crimina sepelire: ut sicut in monumento novo ad modicum commendavit membra sua, sic in fonte indulgentiae sepeliat peccata nostra, ut nobiscum semper gaudeamus in Ecclesia sacrosancta.

SERMO IV.

De Epiphania Domini et de Innocentibus.

Christus natus est, lætantur cœli simul et terra, quia gaudet stella, et Magi offerunt munera. Obtulerunt Magi xenium magnum, quia cantaverunt canticum novum in medio pastorum, dicentes: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (Luc. II, 14). Obtulerunt xenium et stellæ cœlorum. Ecce enim stella de medio stellarum, velut in magna legatione directa processit. Aspicit Magos iter agentes, viam nescientes, et Dominum requirentes. Dicitur stellæ, Vade, ostende eis viam: hæc est gratia mea diligentibus me, in stella habeant præcursorem. Ecce dum viam considerant Magi, ad munera prompti, de via ignari, de Domino minus instructi, dedit eis stellam, ut in nocturna deductione lampadem. Præbuit eis faculam, ut in nocte non paterentur injuriari. Cœperunt stellam sequi, facti certi, instructi legati, usque ad locum deducti, inde stella secedit, ubi Magis Dominum demonstravit. Cum enim quis cœperit cognoscere Dominum, nullum necesse habet timere inimicum. Ecce quanta meruerunt, qui Domino munera obtulerunt. Ita et nos deducunt angeli, quando offerimus gloriam Domino perpetuo Regi, offerimus ei gloriam et honorem. Præbent nobis angeli deductionis suæ dulcissimum servitium. Sed munera perpendenda sunt pro qualitate personæ. Imperator est, auro debet ornari; Dominus, incensum ei debet offerri; homo factus pro nobis, ut habitaret in nobis; de myrrha debet fieri sepultura, ut in corde nostro maneat viva memoria, et appareat nobis semper in gloria. Et admoniti sunt Magi in somnis ab angelo, ne reverterentur Herodi uuntiare, sed per aliam viam ad suam pergerent regionem. Tunc Herodes cum videret se a Magis esse delusum, facie inmutatus, animo conturbatus, scribas et seniores vocari misit, de quibus sciscitabatur, dicens: Ubi certum habetis regem futurum nasci? Illi autem dixerunt: *In Bethlehem*; scriptum est enim: *Et tu, Bethlehem Juda, non minima eris in ducibus, ex te enim exiit Rex qui regat populum meum* (Matth. II, 4, 5). Tunc Herodes armatum militem destinavit, cui terribili jussu interminans dixit: Ite in Bethlehem Judæ, et quidquid ibi inveneritis a bimatu et infra, masculum occidite, feminam autem vivificate. Tum modo videbam Dominum amicos sibi diligentem, innocentes ad se vocantem, ut sit innocens amicus, sicut est innocens Dominus, Agnus immaculatus qui tulit peccatum mundi. Et facti sunt ei innocentes amici, sicut scriptum est: *Innocentes et recti adhæserunt mihi, quia sustinui te, Domine* (Psal. XXIV, 21). Sustinuit fugiens in Ægyptum, et fecit sibi amicos legiones infantum, quibus dedit sine dolore martyrium: quia et dolebant matres, et nescientes lætabantur infantes. Non curabat gladium percussoris conscientia innocentis, quia gaudebat cum illis fuga innocens Salvatoris. Dominus quæritur, et amici jugulantur, ut lugeret eos sanguis innocuus, quos separavit gladius impudicus. O inverecunda dextera percussoris! Non habet quod feriat in membris, et extendit brachia feritatis. Gladius locum non habebat, et carnificem non pudebat: latior erat machæra quam viscera, ut gladius haberet crimen, et non innocentia. Dum enim avellerentur a complexibus matrum manu severa tortorum, matres suas digitis teneris constringentes, et miseris gemitibus deplorantes, clamabat mater, O filii, quid me retines, et te a me separas carnifex? Tu stringis manus, et meus torquetur affectus. Hoc præcepit rex, ut separeris a me, sed est æternus Rex per quem conjungaris ad me. Filii, facio tibi vale. Terra bibit sanguinem tuum, sed Deus suscipiet spiritum tuum. Alia ex parte clamabat, et alia mater plangebatur, ubique luctus, ubique gemitus. Indictio fuit non cupiditatis, sed orbitatis. Clamabant ergo hinc et inde diversæ matres: Carnifex, parvulum meum a me festines dŕvellere. Dona moras si habes pietatem. Tu tollis a

A me filium meum, et ego in illo non debeo habere momentum? Ego genui, ego peperii. Sed te vitricum crudelitatis inveni. Saltem non a me parvulus meus jejunos abscedat, dabo illi viaticum lactis, ut habeat viscera pinguedinis, ubi sagines gladium crudelitatis. Parvus sanguis, accedant et nutrimenta lactis, ut tua satiatur machæra, et filii mei impinguetur anima, lacte et sanguine candidata. Sicut tunica medio clavata sanguis erat purpura, et lac fuit stola candida pretiosa. Quid erat aspicere lactentium peremptorum lacte et sanguine permisceri, et ab invicem non separari? Et mater carnifici clamabat: Tecum vado, tecum venio, filium dulcissimum meum spectatura deduco. Ego infigo osculum, et tu infige gladium tuum. Tu percutis, et ego suscipio sanguinem innocentis. Tu jugulas sine causa, et ego suscipio viscera mea. Si mihi non licuit lac dare, liceat mihi vel sepulcrum componere. Inter matrum planctus, et filiorum ululatus, in fuga erat Dominus. Spiculatorum percutiebant, matres sepeliebant, et angeli spirituum suscipiebant, et Christus dicebat, *Innocentes et recti adhæserunt mihi*. Si volumus Christo adhærere, careamus malignitate, teneamus simplicitatem, ut mereamur a Domino pietatem.

SERMO V.

De Abraham.

Gratum est spectaculum contuentibus cortinæ umbratam picturam, quando penicillo pingentis gladius formatur patris super filium caritatis. Pingitur ibi pater erectus, filius incurvatus. Quomodo movetur quodam stimulo pietatis compunctus spectantis aspectus, infantem cernere fixis genibus, retortisque manibus innodatum, et nullus alligat captivator extraneus, nisi contempserit viscerum paternum affectus. Grata est spectantibus ista pictura in umbrata cortina; et veritas Agni immolati, quem pro mundo Deus obtulit Pater a paucis spectatur, ab aliquantis despiciat, quod spectat, et in ligno, et in throno, omnis exercitus angelorum. Dicunt quidam: Qualis est qui sacrificium de sanguine postulavit? Non fuit desiderium sanguinis, sed probatio amoris et caritatis. Specta ergo istius lectionis pendentem cortinam, et oculis libenter infixis, specta Abraham patrem asinum sternentem, iter ingredientem filium comitantem, non ad convivium, sed ad sacrificium, imo ad convivium, ut eis exhiberet aries sacramentum. Quid sibi vult arie constructa, nisi crux in monte porrecta? Quid est alligatus filius, nisi Christus clavibus insertus, ut ipse portaret catenam, qui debitrice non habuit conscientiam? Pater erigit dexteram, angelus clamore valido commovet terram, ut non contristaretur de puero mactato, sed gauderet de agno dominico jugulato: *Abraham, Abraham*. Erigit vultum qui tetendierat gladium. Quid est, Domine (Genes. XXII, 11)? Quod jussuras impleri curavi, tardas gaudium avocatione clamoris tui. Quid jubes, Domine? non tardetur ulla mora, quod facio cum lætitia. Cum gaudio enim faciebat. Audiebat enim spiritu intèrius prophetante, pro mundo salvando oportere mactari innocentem, et æstimabat per filium jugulatum, mundo proventuram esse salutem. *Noli*, inquit, *injicere manum tuam super puerum* (Ibid., 12). Aliud est quod opinaris, aliud quod lætaris. Ecce habes principem in ariete. Nam filius tuus ad ipsius pertinet gregem. Retorquet vultum, ut tectum caperet sacramentum. Ecce aries vepribus tenebatur, et frons ejus in illius umbraculis tegebatur. Libi vultus, clarus intuitus. Spinæ illæ cornibus ejus tanquam redimiculæ fuerunt et ornamenta gemmarum, in quo spinæ non erant peccatorum, ut corona pararetur capiti gregis, de capite pretioso pastoris. Arripit arietem, et revolvit infantem. Tacet aries qui successit, tacet et angelus qui de cœlo clamavit. Ubi est vox angeli qui interdixit pro infante? quare non clamat similiter pro ariete? Ne sæculum dimitteret in crimine, si Agnus cessaret a cruce. In Isaac enim probatio fuerat caritatis, in ariete præfiguratio veri-

tatis. Ibi obedientia, hic misericordia. Ibi voluntas A dedit, hic gratuita gratia. Tacet angelus, quia dum pateretur, angelicus gaudebat exercitus. Si angelus de cœlo clamaret: Abraham, parce agno, sicut dixit, parce filio tuo, tædiatus agnus proximus passionem, et nemo de sna morte scandalum pateretur in cruce. *Tristis est anima mea usque ad mortem (Matth. xxvi, 38)*. Non clamabat de cœlo, quia imperator ex suo patiebatur arbitrio. *Pater, inquit, si fieri potest, transeat a me calix iste (Ibid., 39)*. Et nullus angelus clamabat de cœlo, sed angelus descendit disputans cum Domino suo; et confortans eum non suo consilio, sed ipsius potius sacramento. Isaac illesus redit ad donum, et agnus clarificatus revertit ad cœlum. Abraham duxit filium ad mortem, ut melius suscipere resurgentem. Abraham obtulit Filium, et vos de justis operibus ac laboribus offerite Domino sacrificium, ut unum cum Patre Abraham habeatis gaudium in regno cœlorum.

SERMO VI.

De unico filio et puero centurionis.

Benedictus Dominus, qui facit mirabilia solus. Testis est centurio pro puero, testis est vidua mater in filio. Ibi potestas, hic pietas. Ibi magna legatio, hic mira (*ms. misera*) destitutio. Centurio mittebat legatos seniores, et illa querebat filio mortuo portitores. Hic dicebat: *Puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur (Matth. viii, 6)*, et illa dicebat: *Fructum viscerum meorum * doleo acerba mihi indignatione sublatam. Filius quidem meus requievit in pace, et viscera mea relicta sunt in dolore. Centurio mandabat: Non sum dignus ut intres sub lectum meum (Ibid., 8)*, et illa cogitabat unico suo miserandum parere sepulcrum. Inter has utrasque personas, centurionis et matris, divitis et egentis, militis potentis et viduæ lamentantis consuetam Dominus tractabat misericordiam ^b, qui nullius accipit personam. Cito misit verbum, et sanavit puerum paralyticum, ut celerius pergeret ad unicum suscitandum. Non exspectavit legationem: sciebat enim miseram matrem legatos non habentem, sed ad sepulcrum effodiendum operas conducenem. Pergebat tacitus ad civitatem, qui portas (*al. parat*) credentibus aperit Hierusalem. Ad portam patriæ, mulier cum defuncto filio proximabat, et Christus medicinæ januam reseverabat. Ipsum sequebantur apostoli, et lætantes angeli, et cum matre comitabantur flentes populi communi conditione compuncti. Inter mortuum et Dominum porta erat objecta. Egressus est portam, et invenit vitam. Resonabant plateæ civitatis plangentibus matris, et cœlum resonabat gemitu pietatis. Clama, Raphael angelus comitatum Domini venientis. Noli, noli, mater, flere, proximum est tibi gaudere. Illa autem quæ ejulando dicebat, quibus querelis cœlum terramque replebat, quæ filium amiserat quem habebat! Ubi est, ubi est unicus meus inaniter (*ms., in senecta*) natus? Cito subreptus, in pace locus tuus, mihi remansit horribilis luctus. Tu portaris in lecto, et ego jam onerosa sum mundo ^c. Quare non tu mihi superstes maternos in morte oculos conclusisti, et oculis mortis ruina compressis, me miseram præcessisti? Quare non merui tuis (ut semper optabile est) manibus sepeliri, sed tuæ mortis merui catenis crudelissimis alligari. Tu me debuisti tradere terræ, quia tu meo processisti de ventre. Non pater, non frater, putasne verum est quod frater non redimet, redimet homo (*Psal. xlviii, 8*)? Ubi est ille Dominus, iudex viduarum, et pater orphanorum? Quare non attendit luctum meum, qui promisit lugentibus gaudium? Audivi eum dicentem: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (Matth. v, 4)*. Ecce vidua sum, ubi est

A iudex meus? Ecce tu orp^{us} es, ubi est pater tuus? Utinam, Domine, repentinum tulisses de meo peccato iudicium, et unico meo faceres in meo ventre sepulcrum, et essent viscera mea, domestica fossa, et sepultura secreta! In luce huius aeris et cœli processit clogium cari funeris mei. Respiciant qui filios habent, et multiplici filiorum corona resfulgent: videant unam flosculam capitis mei, et unam gemmam verticis mei de meo capite cecidisse, et me pro corona lætitiæ ad calvitium remansisse. Nemo accuset lacrymas meas. Unicus fuit quem lusse, culpabilis non sum, quia alterum non habeo. Et si est aliquis reprehensor meus, putasne occurreret mihi consolator meus? Et continuo antequam his lamentationibus cœlo teste querelas finisset, ecce jam Dominus civitatis venit ad januas; proximavit ad portam, aperuit vitam, et clausit gehennam. Tenebrosus luctus de porta processit, et lux veniente Christo retulsi. Coruscavit coruscationes, et dissipavit turbas sequentes. Ante tamen stetit (*ms. attendit*), condoluit. Non enim habemus principem sacerdotum, qui non possit compati infirmitatibus nostris (*Hebr. iv, 15*). Compassus est pro unico, qui unicus pendit in ligno. State, inquit Dominus, state, nolite jam bajuli laborare. Ponite mortuum, exspectate miraculum. Replete terra sepulcrum, quia resuscitavit mortuo terra gaudebit et cœlum. Steterunt, posuerunt et silentium (*al. spatium*) præbuerunt: aliquid operis exspectabant, sed nihil audierunt, nisi unum verbum, et expaverunt mortuum vivum. Qui dixit, et facta sunt omnia; dixit, et recepit juvenis vitam. Exsuta (*ms. dirupit*) linteamina, dirupit unestam catenam, resedit, surrexit, adoravit. Gratias, inquit, tibi ago, Domine Deus meus. Quam terribilis es, quam suavis es! Quia terribilis es, testis est infrenata gehenna; quia suavis es, testis est mater mea, et vita mea. Terribilem vidi tui nominis potestatem, quando videbam trementem mortem, quæ te agnoscebat (*ms., quia te agnoscebam*) ad meam misericordiam proximantem. Et inperasti, et illa contremuit. Reddidit quem non genuit, et apertas fauces oppressit. Gratias tibi ago, Domine, quia non aperuit super me puteus os suum, sed lacrymas meas persisti per vitæ fontes aquarum. Tunc Dominus qui dixerat: *Juvenis, tibi dico, surge (Luc. vii, 14)*, matri respondit: *Mulier, ecce filius tuus, et cognosce quia ego sum iudex viduarum et pater orphanorum (Psal. lxxvii, 6)*. Vidi lacrymas tuas, et agnovi querelas tuas. Non culpavi plangentem, sed consolatus sum lamentantem. Et mater voce turbata præ gaudio dicebat: *Domine Deus meus, quas tibi gratias agam, testis est pietas. Quibus te debeam laudibus honorare, quia me non permisisti desolatam ac miseram inedicare? Gratias tibi pro me agant angeli, quia ascendunt et descendunt, et totum pro me lætetur clima cœlorum. Aperiat tibi porta cœli, qui ante portam mihi reddidisti pignus funeris mei. O bonum et grande miraculum! Extra (*al. ante*) portam Dominus suscitavit mortuum, qui foras Hierusalem genus redemit humanum. Ecce processit unicus in lecto, sed cum crucis improprio. Mulieres plangebant, ipse gaudebat, quia crux illa non fuit improprium, sed potius ornamentum, unde decoratus est orbis terrarum, et fideliū retulsi cum matre exercitus populorum.*

SERMO VII.

De duobus cæcis.

Quanti lucris est in via sedere qua Christus delectatur transire! Via est regalis, plena angelis sanctis, ut illuminetur visio cecitatis collyrio claritatis. Transit imperator noster, non præcedunt currucæ cum splendore, sed præcedunt miracula cum virtute, dum claudi merentur currere, et cæci lumen accipere.

* In Vatic. ms. tribuitur Augustino.

^a Al. Ubi est fructus viscerum meorum?

^b Sic ms. Alius, propriam Dominus tractabat curam

secretorum.

^c Ms., inhonorata sum in mundo.

Haec est Imperatoris nostri via, qua venit ad vitam, quia ipse est via, veritas et vita (*Joan. xiv, 6*). Qui sedet in via, qua Christus transit, non ei potest dominari tyrannus, nec remanere homo potest ægrotus, quando transit medicus Christus. Hæc crediderunt Domino isti cæci, qui sedentes in via forti voce clamabant ad medicum, reddi sibi cupientes aspectum. Ad ipsorum vocem fremebant turbæ præcedentium populorum, gaudebat exercitus angelorum, et ipse medicinam parabat illuminator cæcorum. Quid enim illi cæci clamabant, qui lumen aspicerere cupiebant? *Miserere nostri, Domine fili David (Matth. xx, 30)*. Turbæ autem putabant medico nostro fieri lædium, imperabant illis Christo transeunte silentium. Illi vero validius clamabant, et illorum voces increpatorias non curabant. Magis iterabant clamorem, ut penetrare possent ipsis vocibus Salvatorem: *Miserere nostri, Domine fili David (Ibid., 31)*. Humanas non curamus penitus voces: tu miserere, qui humanos sanas errores. Ambulabat ergo Dominus via sua, qui est vita æterna. Transibat, et curabat, et cæcorum cogitationes ante videbat, et eorum clamore gaudebat. Non delectabatur contradicentium officio populorum, sed gaudebat desiderio clamantium magna voce cæcorum. Stetit, ut plus ambularet medicina quam vestigia. Et sequentibus turbis jubet cæcos ad se venire, et nihil de subcælesti conspectu timere. Turbæ increpabant, cogebant, invitabant, et mirabiliter impellebant. Illi quantum delectabantur, qui a Domino vocabantur! Hoc eis præstitit clamor eorum quos non terruit contradicentium populorum. Ante videntes desiderio Salvatorem, quam luminis claritatem. Steterunt ante Dominum claritas et cæcitas. Stetit via ad sedentes in via. Steterunt manentes in tenebris, dum staret lumen æternitatis, qui lumen oriri facit in tenebris. Factum est de sequente et præcedente turba theatrum, et gaudebat Ecclesia angelorum. Dicit eis Jesus: *Quid vultis ut faciam vobis (Ibid., 32)*? Et illi audita voce medici, voce et corde prostrati, Domine, vides causam nostram, tu dona medicinam tuam, ut aperiantur oculi nostri, et mereamur esse comites itineris tui, quia a te in via meruimus medicina curari. Dominus, qui erigit elisos et illuminat cæcos (*Psal. cxlv, 8, 9*), audivit, misertus est, et curavit. Nulla remedia intercesserunt, et cæci solo verbo videre cœperunt. Nulla observatio ciborum, sola intercessit medicinalium auctoritas præceptorum. Dicit eis Jesus: *Sicut credidistis, fiat vobis (Matth. ix, 29)*. Illico fugit cæcitas, redditur claritas. Aspiciunt in facie Salvatorum, quem non noverant virtute curantem. Discunt oculis quem presumpserunt verbis. Cadunt ad genua, scientes jam tangere Christi vestigia, qui sola voce clamabant, sedentes in via, et cœperunt cum Christo Domino uno itinere comitari. Comitatu ejus gaudentes, jam claritate sociati, a Christo nunquam penitus recessuri. Ita et nos, fratres, in ipsa via sedeamus, qua Christum Dominum posse transire speramus. Neque enim ambulat in via impiorum, qui in via non stetit peccatorum. Transitum ergo Christus Dominus modo facit de mundo, dum pro nobis interpellat in cælo. Sed non ambulat, nisi in via munda, quia via ejus est impoluta. Ibi sedeamus, ibi clamemus. Ipse quotidie transit, quia nunquam a nobis discedit. Sed si quis nos viderit de murmurantibus sæculi, et viderit nos ad Christum validius proclamare, et cœperit nos pro suo scandalo blasphemare, ejus invidiam non debemus omnino curare. Ibi habeamus aspectum, unde speramus auxilium.

SERMO VIII.

De tribus pueris.

Vicina est liberatio redemptorum, quia jam triumphat libera captivitas puerorum. Jam proximum est, ut sicut vincula sanctorum liquescunt in ignem, ita et peccata electorum solvantur in fontem. Utrobique roris spirat amœna tranquillitas, quia refrigerat eos

A calida caritas. In fonte autem exstinguitur fervens iniquitas, quia et in fornace, et in fonte Angelus magni consilii descendit e cælo: ut quod pueris donavit in refrigerio, hoc credentibus tribuat in sacramento. Ecce quantum tubæ sanctorum singulariter sonuerunt, nunc tria cornua in uno concrepant amœno campo flammam. Pulchrum est videre tria aurea candelabra. Pulchrum est aspicere trium puerorum impetita corpora, quia una erat anima, dum tenderent ad coronam. Flamma eos non dividebat, et cantica compingebant: quia magni consilii Angelus amplexabat, et ulnis opacantibus confovebat. Quid palatia regum ad caminum psallentium puerorum? Facta est aula regis, secretarium sanctitatis, ut ibi rex delectaretur aspicere magis quam in domo regia habitare. O ille plateæ stratae, non marmore, sed igne. non crustis, sed flammis! Ambulant superbi reges in tapetibus purpureis, gressu delicato ludentes; in platea autem ignita incedunt nostri decantantes. Quem non delectet cum eis pari vestigio comitari, quando angelum cum eis delectat pari cantico sociari? Aliud prodebat visus, aliud præbebat sensus, aliud monstrabat tactus, aliud intus, aliud foris: quia angeli intus et inimici foris, intus canebant, foris ardebant. Videte, fratres mei, quantum interest esse intra domum magnam, in qua sunt vasa aurea et argentea (*II Tim. ii, 20*), quam foris ardere inter vasa lignea, inter ligna, enim, stipulam. Sed vos templi Dei fornax continet aurea probata, auro producentur vascula vestra, in quibus Hierusalem lætetur patria sempiterna; et non ipse miretur Nabuchodonosor, sed de flammis mundi, amœnantis vitæ refrigerio, vos nobiscum consoletur de cælo Salvator.

SERMO IX.

De muliere in adulterio deprehensa.

Timendus est Dei Filius et amandus. Timendus ut iudex, amandus ut rex: quia non venit ante iudicare, sed primitus liberare, et juste postea iudicare. Mansuetus et verus, sed ignoravit calumniator Judæus. Voluerunt culpare mansuetudinem, et invenerunt in crimine suo virtutem. Ambierunt in Christo mansuetudinem, et justitiam violare, aut justitiam de mansuetudine reprehendere. Steterunt in angusto duarum maceriarum, obsidentes Salvatorem, tradendum quasi latronem. Faciunt calumniam, inveniuntur in propriam conscientiam. Accusant ut ipsi accusentur, et adultera liberetur. Non factum displicebat, sed Dominus non placebat. Nam omnes adulteri erant. Occasionem inveniunt de adultera, ut possent quasi juste coloratam aptare calumniam. Inveniunt miseram mulierem recentis adulterii ustione fuscata, ut ante pedes Domini nive indulgentiæ aspicerent dealbatam. Adducunt pluriim congregati calumniatores et peccatores, insidiatores et fures. Cum adultero portionem suam ponebant (*Psal. cxlix, 18*), et adulteram deducebant. Adduxerunt multi unam, ad unius Domini indulgentiam. Trahite, Judæi, trahite, ejicite de iniquitate adulteram mulierem; liberate de fluctibus apertis rimatam tabulis navem. Consuluisis navi confractæ, novit eam artifex Dominus compaginare, concludere, castigare, linire. Exsiccavit de illa humerosam sentinam, at vobis sæculenta remanet conscientia. Non bene voluistis malitiæ remos tenere contra miseram navem, ecce vos incipietis calumniæ vestre internis fluctibus laborare, et illa incipiet velis pudicitia navigare. Vade, mulier, ad pietatem deducere, non ad severitatem; ad imperatorem trahere, non ad iudicem. Et illis et tibi venit finis: tibi ne male vivas, illis ut se male viventes agnoscant. Fit magnus concursus, tenetur trepida mulier, multorum manibus adducitur, in medio statuitur. Quasi non interrogaturi, sed jam reprehensuri levatis in altum cum furore palliis, et tunicis, vultibus conturbatis, oculis cruentatis, vocibus permixtis confuse, stantes ante sedentem, clamabant ad tacentem, sed tacite iudicantem: *Mulier, inquit, ista in adulterio depre-*

hensa est. *Moyse hujusmodi lapidari jussit. Tu de illa quia censet (Joan. viii, 5, 6)?* Interrogant Judicem judicium, qui Judex est judicium. Ipse autem sedens, inclinato capite humilitatis, mansuetudinem digitis scribebat in terram, non Judæam, sed Christianam. Illi lapides parabant, et ille digito in terra scribebat. Interrogantes responsum non acceperunt, percontationem impudenter repetunt, putantes quod non inveniret responsum. Urgent furentes, sententiam flagitantes, volentes aucupari non agilem passerem, nec aquilam in alto volantem. Erigens vultum pietatis, lento maturius gradu respondit, et quod illa volebat, et quod illi nolebant. Quid dicitis? Mosi judicium flagitatis? Juste petitis, juste fiat quod appetitis, lapidanda est mulier, vos estote executores, qui estis accusatores, si vos præsumentis innocentes. *Qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat (Ibid., 7).* O sententiam magnam, quam digito spiritus sui scribebat in terra! Recitavit, et Judæus obmutuit. Nullus prior, nullus posterior, nullus medius, onnis homo reus. Cœperunt se attendere, et unus post unum toras exire. Vehementer intrastis, silenter existis. State, quare disceditis, qui mulierem inscripsistis? Facite satis legibus, si estis securi de moribus. Quid injustum dixi? Vos lapidate eam: si rei estis, discite a me mansuetudinem, quia et vos egetis judicii pietate. Ubi sunt qui volebant mansuetudinem vitare, et justitiam de justitia reprehendere? Et mansuetudinem tenuit, et justitiam reservavit. Si diceret: Lapidetur, quasi non erat mansuetus. Si diceret: Non lapidetur, videretur non esse justus. Respondit ita ut judicium tentatoribus, et sola verecundia remaneret calumniatoribus. Restitit mulier ante Judicem, remansit sine calumniatore. Non dimittitur, ut iterum fluctuaret, sed docetur misericordissima castitate. Non sic liberatur, ut peccato dimitteretur. *Mulier, inquit Dominus, adsunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit? Et illa: Nemo, Domine (Ibid., 10, 11).* Ad hæc justus Judex: Fugerunt a te calumniatores, fugiat et peccatum. Fugisti Judæos accusantes, time angelos ad meum judicium te trahentes. *Nec ego te condemnabo.* Qula non veni ut judicem mundum, sed ut salvum per me faciam mundum. Disce bene vivere, et jam noli peccare. Disce justitiam, quia jam liberata es a sententia. *Mulier, non sic sedeo in judicii throno, quemodo nunc inclinatus ad terram sedeo.* Alius ille terror erit, non erunt accusatores Judæi. Ipsi se accensant, qui sic ad judicium veniunt, ubi ignis non extinguetur et vernis non morietur (*Marc. ix, 44*). Ibi est fletus, et stridor dentium (*Matth. viii, 12*). Ibi tuba terribilis, ibi cœli commoti, angeli properantes, et tuba magna canentes, sol obscuratus, luna confusa, stellæ cadentes, rei trementes, judicium flammæum, thronus igneus, et in conspectu ejus tempestas valida (*Psal. xlix, 4*). Concedo pietatem, tribuo dilationem. Et ideo disce castitatem, ut merearis in futuro perpetuam jucunditatem.

SERMO X.

De Salomonis judicio.

Dum sanctæ prædicationis, jubente nunc sancto patre, altissimum conscendimus thronum, vestris immolaturi sensibus verbi Domini sacrificium, Dei primitus expectamus eloquium, qui loquentem tacit mutum, ut cum nos gradus ascendimus absidæ, ipse descendat de throno cœlorum, qui inclinavit cœlos, et descendit (*Psal. xvii, 10*), quia per se homo ascendere non potuit, qui male descendit. Nec potest solus prædicator ascendere, nisi cum illo Dominus angelorum præsentis gloriæ suæ prætulgidam dignatus fuerit accendere majestatem. Ergo, fratres, audiant quæ dicuntur, ut mereamur percipere promissa cœlestia. Nam cum Salomon ascendisset in montem, deducebatur fulgente officio militum, et circumdabatur in monte lucido observatione cœlesti. Requiescit in lecto, et vigilat cum Deo dicens: *Ego dormio, et cor meum vigilat (Cant. v, 2).* Aut ubi immolavit sa-

crificium, et millia mactavit agnorum, præsens erat exercitus angelorum. Fit in monte clarum Domino visitante palatium. Collocatus est thronus, admonetur et servus, ut de altaribus Domini sui, ubi obtulerat sacrificium, peteret inde precum suarum speciale rescriptum. Quid, inquit, quiescis? Adsum ego donorum largitor, et tu dormis negligens postulator. Salomon, pete de me aliquid, ut faciam tibi. Expecta de me thronum David patris tui, qui magna in suis visceribus ferro dignatus est, cui te feci mea prælectione sessorem. Dedi regnum, simul non conferam domum? Imposui purpuram, non dabo simul et gloriam? Pete de me: hoc requirit ille qui cuncta cognoscit. Nunquid non secretorum ejus erat præsciis omnipotens Dominus, ut ab illo disceret quid præstaret? Sed vult nos nostrarum precum atque votorum clariores fieri oratores, et interni cordis interpretes, ut petitio nostra innotescat apud Deum, quatenus liberum gratia præcedente servetur arbitrium: ut quod expetit lingua, hoc cœlestis conferat gratia, vel tribuat indulgentia. Ita et huic dicitur Salomoni: Pete de me aliquid, ut faciam tibi. Et ait: Domine, contulisti regiam dignitatem, et desiderii mei a me interrogas voluntatem? Benedictus es, Domine, qui me dedisti super thronum David patris mei. Dedisti mihi magnam gloriam, sed parvam teneo sapientiam. Circumdant me vulgor gemmarum, sed gravissime angit interpellantium judicatio populorum. Hoc peto, Domine, quod et tu ipse venisti donare, quia ut hoc peterem, tu dignatus es inspirare. Populus enim tuus quem dedisti sicut arena maris, diversis me angit interpellationibus, et nescio introitum, et exitum meum, quali debeam justitia respondere populo tuo. *Da mihi, Domine, sapientiam et intellectum (III Reg. iii, 9),* ut sciam inter justum et injustum judicio secante dividere, ne mea tibi sententia incipiat displicere, et incipiat populus tuus sub meo tam parvo et minus instructo examine laborare. Et Dominus: *Quoniam sapientiam petisti, et non divitias, neque mortes inimicorum tuorum, et hæc quæ non petisti præstabo tibi, et super adjicium (Ibid., 11).* Sapientiam autem dabo tibi super sapientes Ægypti, ut scias adopertum interpellantis revelare secretum, atque ad interna totius, et profundæ descendero questionis, ut throni judicatio splendore penetrantis scientiæ pertundatur, et nulla te allat obscurantium interpolatio tenebrarum. Ecce visitatur et instruitur, petit et accipit: ascendit minus instructus, et pariter imperitus, et descendit juris cœlestis magistris discipulus, factus judex interpellantibus, et populis advocatus. Ecce subito de montis sacralo descendenti occurrerunt duæ ei cominus mulieres, et quod atinet, meretrices. Magni hic sacramenti vertitur ratio, ut post castam visitationem, meretricum sustineret interpellationem. Quia et Dominus noster, vere pacificus Salomon, descendens de monte sancto cœlorum, salutem tecit peccatorum, et pium judicium meretricum, dum clamat de throno indulgentiæ judex misericordiæ. *Meretrices, inquit, et publicani præcedent vos in regnum Dei (Matth. xxi, 31).* Quid ergo una istarum mulierum? Domine rex, audi me (*III Reg. iii, 17 et seq.*). Ego et hæc mulier unius habitaculi communicantes hospitium, cum ambæ nocturnam declinarem in somnium, novum de me mulier ista excogitat furtum, et mutaret naturam, quod non admitteret conscientia. Filium suum ruine desidioli lateris obliviosa mater oppressit, et clamantem sub materno pondere somnolenta pietas non audivit, donec gemitus infantis in tenuem vagitum deficeret mortis. Surgit ista vigilans ad trandem, quæ dormiebat contra pietatem: invenit filium mortuum et sui lateris ruina compressum. Surgit, et ad latus meum pignoris sui mortui rixosum voluit facere sepulcrum, ut meum suo lateri transferret infantulum. Vigilavi ego, porrigo ubera, et non offert labia sua. Sensi mortuum, et fraudis non intellexi commercium. Lux mihi adruit testis, adruit et natura astipulatrix, quæ meum non esse filium proclamaret. Hæc inter

nos fuit domestica controversia, dum ego mortuum A non agnosco, et vivum filium repeto: et illa suum deputat vivum, et meum dicit esse defunctum. Adest, domine, testis natura: dignare inter nos justam proferre sententiam. Continuo Dominus ille qui visitaverat, qui sapientiam promiserat, ingreditur intra Salomonis arcana. Posuit ibi sedem suam, cœpit de illo tanquam de templo suo sola interjecta nube corporis judicare, ut posset talem naturæ rixantis intelligere quæstionem. Quid, inquit, dicitis? Tuus est vivus filius? Meus, domine, illa clamabat. Non, sed meus est vivus, et ipsius est mortuus. Hoc alternantes, dubiam reddebant caliginem mulieres. Lux de Salomone coruscans, illam cœpit nebulam dissipare, et talem prorupit in vocem, inlonans regiam potestatem: *Afferite, inquit, machæram, et date vivum infantem ut gladio dividatur* (*Ibid.*, 24). Ne ulla pars membrorum a mulieribus separaretur, jubet ut parvulum vivum machæra scerent, et a natura dividerent. Exclamat veræ matris affectus; commota sunt viscera, dum esset armata machæra. Noli, noli, domine. Interpellavi pro lucro, non pro dispendio meo. Opposui querelam, ut me peccatricem non facerem parricidam. Noli, domine, ne seces: dum parvulum dividis, omnem, si dignaris, finio quæstionem. Totum possideat innocens, totum tollat infantem. Vivus sit, et ipsius sit. Si ambarum erit, nullius erit. Noli oculos meos pignoris mei innocuo sanguine funestare, ne ista incipiat de mea orbitate gauere. Certe, domine, si ipsa possederit parvulum, habeo et ego in ejus oculis participium. Videbo sub aliena matre possessum. Aspiciam gradientem, crescentem, currentem; tenebo aliquando per plateam furtivis vera mater amplexibus transeuntem. Et illa, quam non admonebat natura, non interpellabant et viscera. Bene, inquit, jussisti, rex; dividatur, dividatur. Certe mater es. Ante dicebas, meus est vivus, nunc dicis, dividatur. Certe mater es. Vera mater avertebatur lacrymis oculorum. Continuo rex: Parce, inquit, parce, noli scære integrum, quia integrum sensi matris affectum. Dolor testis est, gemitus probat, quod facta mater accusat. Hæc est vera mater quæ non dividendum proclamat innocentem, sed suam in integro vult amittere portionem. Ipsi eum date. Ipsa est mater ejus. Accipit illa ulnis patentibus puerum, cœleste cœpit laudare judicium. Illa acceptum puerum circumplexatur, et dulcia ligens oscula, clamabat et dicebat: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ jucundaverunt animam meam* (*Psal.* xciii); quia lucidam mihi præbuisi justitiam tuam, et ego semper feram gratiam tuam; quia inter me et matrem... isam dividit machæra tua, ut unde alii judices solent interre mortem, tu veram de gladio defenderes genitricem. Bene nosti, rex, de gladio proferre gladium, et non sanguinem, sed amorem, quia machæra tua, domine, non mihi sunt vulnera, sed potius medicina.

SERMO XI.

De eodem.

Salomon sedit in domo David patris sui, et apparuerunt ei duæ cominus mulieres. Dum cœlesti dogmate intusa Davidica propago gemmaret, et regalis aulæ solium justæ regnaturus ascenderet. Erat (ni tallor) alta sedes, speciem templi, cui collatas divitias eminentia tecta portabant, aurumque trahibus infixam artificis manu conclusum, pulchrius cœlabatur inconstructa parietibus moles, decisis nitebat utrobique in marmoribus et purpureis lapidibus stratis, ut regalis domus claritudo iulgesceret, quidquid pretiosum fuerat calcabatur. Ebenus speciei suæ ornamento resurgens, infixa postibus relucebat, magnitudinem sui auxilii asserens quam decorem atrii. Eboræ vestiuntur, thronus gemmis ornatus insignibus, et atratis quodammodo purpuratis aurata bractea crepitabant. Sedit inter hæc sapientissimus Salomon, fulgido diademate coruscum caput extollens, et vibrantis metalli (ut ita dixerim) operimento perfusus,

diem verum gemmarum luce vincebat. Inter hæc itaque regis nomen meritumque monstrabat, quæ quam magna, quam perspicua, tam videlicet pretiosa. Pretiosior collatæ sapientiæ inerat claritudo, quæ prophético vapore resplendens, præterita docuit, monstravit presentia, cœcinit et futura: Dum itaque paterni regni potiretur imperio, primo frontis examine duarum mulierum durior cura proponitur, quæ unius temporis partus pares fecerat matres, et unius compagi tegmine retentæ, inter sera silentia, quibus morti similis somni sopor inducitur, e duabus unius oppressione sui corporis prægravata misere natum in mortem deprimit innocentem. Alia vero vigili data custodia, servavit filium materna pietate victura; at illa mendacii dolis arinata, vivum filium matri somniantem subduxit, sibique i. l. faciter applicuit, remedium non possessara quod cœt. Dum igitur in lucem noctis tenebræ runperentur, et collata die umbrarum caligo cum somno ad tempus e mundo transisset, mater sui caritate sollicita mortuum filium aspexit esse non proprium, ac suum vivum miratur alterius latere copulatum. Mendaces ergo simulque veraces prosurgunt, strepere mulierum certamina, verba simul ac lacerti manus armantur. Sed pia mater quæ caro sinu servaverat, tali prece regis sensus inclamat: Novi quidem paterni regni hæres simul et nomen, concessa tibi cœlesti justitia et sapienti libramine, nihil sensibus tuis obœclatur. Age nunc causam nati aniseri mei, quem ideo videor in lucem profudisse, ut dum sibi a falsidica vindicaret, et mortes exaggerat, et se singulibus innoxium maternis ablatum uberibus conqueratur. Teneo itaque propositum meum, et, te judex, non dimittam: quæ servavi vivum filium, cadaver non accipiam alienum. Angitur inter hæc Salomonis regis deprompta justitia, et defigendo sententiam mulierum certamina. Pari veluti dolore surgentes judiciariis motibus intuentur mortuum: utraq; dicunt esse non suum, vivum utraq; suis exclamationibus defendunt. Nullus testis asserter inducitur, causa nocturni silentii ventilatur, et solius tantum nefandi lectuli latrocinium monstratur. Cum subito nutu illo divinæ virtutis in quo veritas comprobatur, in partes scindi jubet infantem, ut inter servatricem matrem, et inter sui partus netariam homicidam, judex gladius separaret. Dum igitur vera mater in miserum corpus infantis impendere vulnus aspiceret, internis cruciata visceribus erupit in vocem: O durior naturæ necessitas, quo cogites, vel quo cogis amari filios, aut liberos procreari! Ecce in dividendo corpore infantis maternum scinditur pectus, et quæ edere sic meruerunt filium, ipsæ in filio naturali vinculo laniantur. Imple ergo, clementissime regum, causam justissimæ pietatis. Si filium non mereor habere quem peperit, si sic falsitas inert orbitatem, habeat plenum corpus in filio, habeat integrum quem non edidit natum. Dum alitur, dum nutritur, dum ad majora provehitur, si quando in semet maternam agnoverit pietatem, fortassis agnoscet ætas legitimam genitricem. Alia vero, justa crudelitate frendescens doloris, simul male a semet perdita et livore percussa, ne bona matre filium lucrifacere pervidisset, talibus indignata præstigiis conclamavit: Justissime regum, optinam et condignam protulisti sententiam, ne uni lavere, alteram premere videretur. Scindatur medium corpus infantis, nec mihi, nec illi proficiat, qui unus remansisse visus est e duobus. At contra regalis justitiæ sapientissimus Salomon talem increpando protulit sententiam: Sæva, crudelior, et omnium genere noxiorum infanticida severior, quid novercale odium in bene servatum filium male componis? Habeat integrum filium, quam veram matrem pietas comprobavit. Utatur et hæc cadavere suo, quæ non quod nutiret peperit, sed quod occidisset invenit.

SERMO XII.

De Joseph.

Omnnes præclari sunt qui Dei mysterium gerunt,

sed illi potissimum clariores qui venturum predicaverunt Christum. Sed inter omnes magnificentior Joseph, qui claritatis ejus imaginem et passionem plena figuratio demonstrat. In sanctorum enim figuris et imaginibus agnoscimus Dominum Christum, quorum passiones præteritæ vel præsentis testantur simile documentum, sicut scriptum est : *Ne tetigeritis christos meos, et in prophetas meos ne fueritis molesti* (1 Paral. xvi, 22). Nam facile est unumquemque oneris sui sarcinam sustinere, alienam vero difficile. Denique justis omnes et sancti in passionibus suis singula supplicia pertulerunt. Superveniens autem Dominus Christus, quidquid omnes perpessi sunt solus ille portavit, sicut aliorum probant de multis exempla. Daniel (Cap. xiv, 28), post interpretationem somniorum, post mirabiles glorias, post regum munera sæpe contempta, post inanitatem idolorum regibus approbatam, furore populi persequentis opprimitur, et contra votum ac pene salutem regis populo traditur. Quem rex apud se fide probatum, divino Spiritu, sævientis populo, non sine animi fletu ac mœnore dimisit. Nonne similiter Christus passus est? quem Judæi graviter persequentes, et usque ad invidiam Pilati regis (Math. xxvii, 24), cum acrius sibi tradi Christum nefandis vocibus postularent, continuo rex nequitiam populi et divini hominis apud se silentium cogitans, aquam ad lavandas manus accepit, et innocentem se ab ejus sanguine pronuntiavit. Idem Isaias a rege dilectus, a filio regis odio habitus, idem cum regis filio commendatus, sic ad regem locutus est, dicens : Commendatio tua, rex, nihil manet, sed prodest. Jam enim insecvit Belial in cor Manasse. Nunquid non et ejusmodi factum ipse pertulit Christus, quia cum a Deo Patre dilectus Filium haberetur, a Juda traditur? Denique sic ad suos discipulos locutus est, dicens : *Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me* (Marc. xiv, 18). Veniamus nunc ad passionem sancti Joseph, cujus exordium præfert, quæ nos signata castitas, et ex servitute nobilitas lacere non sinit. Hic namque cum simpliciter fratribus visionis suæ quietem exponit, fomitem livoris incurrit, ut se a luminariibus cœlestibus, et duodecim sideribus in somno cerneret adorari, et manipulum suum supra ceterorum fratrum manipulos levare (Gen. xxxvii). Ad hæc quid peccavit ille qui vixit? aut quid votum fraterni sanguinis profuit? quin potius futuræ dignitati ejus consulerent, quam odisse nescirent. Denique inde fovit calamitas justum, unde nocuit perniciosa crudelitas fratrum. Sicut scriptum est, *Noli timere, quia ego te vocari nomine tuo* (Isa. xlv, 4). Ibat igitur beatus iste Joseph, ibat per ignotos transitus, ibat solus, et ubique tutus. Ut frater venit ad fratres, nesciens futuros esse latrones. Nam et illis non ut frater veniens videbatur, quorum mentes mortalem possederant cogitatum. Concepto igitur scelerata mente consilio, in profundam projicitur foveam (Genes. xxxvii, 23), in qua plus tutius quam cum fratribus haberetur. Dehinc in Ægypto venundatus, atque ibi inter dura servitutis obsequia inverecundæ mulieris ab impudica pudicus appellatur (Genes. xxxix), quasi in omnibus primi hominis exire posset exemplum, cui fuit ex muliere naufragium, sicut scriptum est, *Domine, mulier illa quam mihi dedisti, ipsa me decepit* (Genes. iii, 12). Cumque Joseph genitor castitatis, importunos mulieris animos evitare, et simulati criminis reus in mariti conscientia ligeretur, carcerem per triennium excepit. Carcerem meruit qui probabiliter vixit. Carcerem meruit qui a se improbatam repulit. Carcerem meruit qui eam nesciente marito servavit. Sed non defuit innocentie ille tutor sublimius, ut justo in carcere constituto, somniorum mitteret sapientiam. Cum duobus spadonibus secum in custodia constitutus somnia præcise aperiret, uni in vitam, et alteri in mortem, et sic ad conspectum regis advenit (Gen. xl); et somnio regis manifestius patefacto, futuram inopiam designavit. Hic copiarum

A villicus factus clavem meruit horreorum, et in curru secundus a rege susceptus, princeps omnium declaratus est. Jam enim cœli priuum ubertas fluxerat, et circumfusa imbrum largitate superna fecunditas maritaverat terras. Fluctuabat messis sulco pinguiore distenta. Congesta sunt horreis recusantibus semina, futuris necessitatibus succursura. Deinde subsequitur insanabilis fames, et imbrum siccitate suspensis, alienum tempus æstas habebat. Arebant siccis radicibus herbæ, annis sequentibus semina negaturæ, et inter omnes erga pallorem deformes solus populus Joseph dives exsultat. Sicut scriptum est, *Junior fui, et senui, et non vidi justum derelictum, neque semen ejus egentem pane* (Psal. xxxvi, 25). Præstat semper, miseretur, et acquirit, et advenientibus fratribus frumenta lactus impartit. Suos in necessitate servavit, qui a suis in ubertate servari non potuit, et misericordiam quam non accepit, impendit. In auctores inopia revertitur, et Dei famulus honestatur. B Onerat frumentis, et cumulat, et antequam agnoscat, præstare festinat. In præstando quoque moras aggenerat, ut fratres diutius videat. O calumniosa pietas! Poculum sui argenti supponit, ut lactens cognosci a fratribus possit. Terrorem in audiendo falso intentat, intuentur in horreis regem : adorant dejectis luminibus terram, subjacet vindictæ tota fraternitas, et reis non furti, sed pernicii detentis tantam largitus est veniam, quam meruere ponam. Solet nobilitas facile parentum oblivisci miseria. Joseph autem nihil oblitus est in fratribus, nisi solas injurias. Denique pro odio misericordiam, pro crudelitate lætitiã, pro gladiis oscula representat, facit de hostibus dominos, de ignobilibus claros, de fame fortiores, et omne in unum recolligit sui sanguinis genus. Nos quoque, dilectissimi fratres, si lucrimus eadem imitati, erimus sicut in Evangelio scriptum est, *Si feceritis quæ mando vobis, jam non vos dicam servos, sed amicos* (Joan. xv, 14).

SERMO XIII.

De Exodo.

C Male cadit supina pernicietas, si contumacia superbum caput extollit. Sic contumacibus animus pro-silit, ut nec casurum se videat, nec ruiturum cognoscat. Furebat imperiis sævientibus Ægyptius tumor, et inflammantibus animis invidiæ fomitem cruciabat. Sic divinum populum crudelibus animis lacerabat, sine addictos operibus opprimebat, ut minus crederet de pœna cognosci, si non ce neret innocentes occidi. Nusquam est contra odium regis segura justitia, quia non est tutus innocens, ubi reus agnoscitur. Surgit in rabiem potestas horribilis, immanisque impetus furor vesanis frendoribus intumescit. Cum lædit, incenditur. Cum anhelat animus, pectus inflatur. Uruntur viscera, membra candescunt. Necessi tyrannus potest intelligi, quem futura damnatio fecerat extimescere. Jubet futuris maribus inferri perniciem, et in lapsum nature pendentes, occultis vulneribus jugulare. Jubet occidi quos nescit; jubet interficere quos ignorat. Proh dolor generis! proh lacrymæ pietatis! Si linteri potuerant vivi, quid tamen fecerant nascituri? Sic enim Scripturæ auctoritas approbavit : *Et præcepit Pharaos omni populo dicens : Omnem masculum qui natus fuerit Hebræis, in amnem projicite, feminam vero vivificate* (Exod. i, 22). O infanda libidinis flamma! O insanæ mentis incendium! Sustinet ira quos feriat, querit pœna quos nescit. Vult habere quos torqueat, et non novit quos occidat. Cogita, naturalis pietas, quam impius fuerit, qui vorantibus parvulos jussit aspergi, undisque rapacibus jactare nascentes. Cogita, inquam, quid illie vivus potuit perpeti, ubi necdum natus quidebatur occidi. Quos tunc casus maternum nomen expavit? quos fecit dolores parentibus impia feralisque per-

* Le cretur melius, qui. LINT.

ceptio, vel in ipso miserabili partu naturalis conditio? Cognoscite quibus concludi periculis poterant quæ homicidium parturiebant. A satellitibus regis obsidebatur uterus partui proximus, ut nasceretur masculus omnis non vitæ, sed mortis, non lætitiæ parentum, sed immanitati satellitum. Non erat illa natalis dies, sed de luctibus nata perniciēs. Denique celebratur partus, et nullus est filius. Miserandarum matrum madent oculi, stillantibus genis, lugubrisque in faciem ritus officii feta natalibus emarcescit. Surgit in membris jejuna colluvies, squalidus in luctibus forma, sævientibus lacrymis macule hæserunt, ossibus cunctis inlixam atque in lætam nodis calcantibus frontem nebulosa tristitia connodaret. Quos nunc casus de miseris vellet, qui se compulsi ut periret? In tant ultio, nascitur vindex, et grassantibus penis compellitur pietas vindicare. Mittit Dominus Moysen, proprium postulans populum. Pharaeo vero denegat alienum. O præsumptio pertinax et dura perniciēs! Deus postulat, ille contemnit. Contemnit judicem. Negligit imperantem. Intendite qualis posset accurrere, qui virtutibus prius admonitus, postea nec plagis voluit obedire. Deseruit tyrannicæ feritatis lassata crudelitas, et in suos impetus moribunda torpescit. Sed tamen primogenitorum suorum mortibus victus, quos nolebat projecit, quos negligebat expulsi. Fecit devotum pœna, quem non fecit gratia. Jubet exire, compellit excludi. Jam et sibi timet, quod in alteros videt. Sed quia reos suos facilis ira condemnat, detrectat, quia perdidit; pœnitet, quia amisit. Quid, inquit, fecimus, ut dimitteremus filios Israel ne servirent nobis (Exod. xiv. 5)? Junxit igitur Pharaeo currus suos, et omnem exercitum secum duxit, et sumpsit sexcentos currus et omnem equitatum Ægyptiorum, et armatos in eis omnes; sumpsit arma, proripit currus, exit, urget, insanit. Parat quos nuntiet fugientibus casus, quos metus parentibus promittebat. Terribilis stabat, ut caderet, tremebundus venerat, ut periret. Ibat armis fulgentibus male credula multitudo, turba superat ambitum, copia vincit armatum. Volvunt pretiosiss ignibus lucem volubiles currus, diffusaque in temones incendia micantibus loris ardescunt. Inter flammam vivebat exercitus, qui in undis fuerat periturus. Surgit in galeis terribilis fulgor, accensaque in rutilis flamma radis gemmantibus coruscabat. Sternitur lumen patentibus campis, et extensa viarum latentium spatia, profusis splendoribus rubescebat. Nutant oculorum sereni prospectus, solisque puniceus minor radiis pallentibus erubescit. Vicerat lucem speciosa damnatio, et aratæ squamis fulgentibus cristæ splendorem luminis radiabant. Cognoscite qualis posset accurrere, qui venerat cum Deo pugnare. Moyses vero post admirabiles cœli et terre virtutes, etiam super mare jusus est manum tendere, et potentiam Domini in fluctibus demonstrare. Calcabat igitur vindicis pelagis sinus Moyses ille gloriosus, atque undarum stridentium subulantis sonis, murrurantes procellas intrabat. Cogebat spumis natantibus moles, ludens æquor in fluctibus conflatos vertices procellarum undis migrantibus deducebat. Ictus venientes exhorruit, et manus ferientis expavit. Rapit divinus exercitus undis patentibus gressum, pulsataque vindicis æquoris januam aperit. Intrat, exit et claudit. Qui justitiam non poterat nosse, cui didicit et mare servire. Sequitur hostis ille furiosus, pœna ineluctante succensus, et inflammantibus animis ultrices semitas proculcabat. Fleetebat undis crispantibus comas tumens in vertices fluctus, et inter liquidos parietes ac destinas fragiles animatum reum sonis blandientibus invitabat. Inter stabiles motus pendebat procella sollicita, et inter immobiles impetus stetit pœna suspensa. Sed ubi Pharaeo temere ingressus est, redeunt fluctus, jungit mare, elisique in semet commixtis fragoribus æquora spumis rixantibus obligant. Inserit aquis arcantibus jussu pelagus membra, et Inclinata in semet retortis fluctibus maria, curvatos in prouum vortices deponcbat. Sævit in hostes

A mare, diuicant undæ. In se pœna constiterat, secum pœna migrabat. Nunc obligatis curribus subleuat aqua pendentes, nunc deliscentibus cumulis vorax unda contorquet. Nunc evomit raptos profunda jactatio, nunc dejecit in prouum mutata submersio; monstrat inferis, porrigit cœlo; injectos digerit, deductos absorbet. Rumpitur pelagus, frangitur mare, discussaque in suos impetus littora tonantibus undis illatrant. Quid minus enim sumpsit ad gloriam, per quem Deus voluit habere vindictam? Attende nunc, Ægyptus aliquando furiosa, disce perire, disce peccare, cæde justos, flagella captivos. Quid enim pro scelere parum commisisti, qui cum justis nascentibus raperes vitam, negasti quod pejus est, sepulturam!

SERMO XIV.

De eodem.

Qui se hominem non intelligit, neque Dominum fabricatorem agnoscit. Qui fragilitatem ignorat, quomodo divina nosse poterit beneficia? Qui monentem audire noluerit, pœnitentiæ subjacebit. Qui jubentem contemnit, jubentis in se indignationem graviter commovebit. Qui Dei præceptis parere noluerit, reus vindictæ remanebit. Parere enim Domino supinis conatibus tyrannus ille gentilis Ægyptiæ reluctabatur, et onustum venenis tumoribus pectus in malis suis se constituerat odiosum. Ferebatur enim elatis criminibus in furorem circumdatus armorum terrore, et contumelia militante peccati, a suis mentibus effectus fuerat alienus. Sed quia gravis invidia ipsa sibi suggerit pœnas dum calumnia stimulante fervescit, sic didicit pœna promerente torqueri. Præcipitator malis ferventibus in furorem, et obrusi pectoris sævitia convalescens in tormentis suis increpaverat periturus. Dum enim hæbræa propago benedictionis munere florisset, non aliter quam cæcæ mentis ardore succensus afflictam quassationibus vitam justorum comprimeret per laborem. Fovebantur enim fecunda viscera genitricum, ac producta sancti seminis proles increverat. Quanto eos Ægyptii deprimebant, tanto plures fiebant. Nova gloria sanctitatis, nova sunt et persecutoris exitia. Dum duris quassationibus hostis exultat, magis Dei populus pœna juvante crescebat. Agebantur enim duri mœroribus laborantes: et interclusa operibus viscera sævis verberibus cogebantur addicti. Innovatur in hostes consilium, ut luctum in pœnis indiceret puerorum. Jubentur miseri atequam vitam discederent, mori; et damnati non erant, quærebantur occidendi. Qualesnam gemitus in matribus fuerunt, quæ per dolorem exsequiis præperantibus parturiebant? Nam qualiter patres regalis ira damnabat, quibus etiam flere filios non vacabat? Ad hoc enim interficere masculos jusserat, ut increcente populo, occidendo vinceret innocentes. Proh dolor! cogebantur matres in utero plangere sepulturam, et atequam natum conspexerat, casuros exitus mater miseranda plangebat. Sed dum diuturnis contusionibus valescente sævitia quassarentur, ac mœtilicis horribus dura eos tormentorum series implicaret, horrisso murmure vitam deflentes silentio, pulsaverunt. Murrurabant enim tacitis doloribus metuentes, et interclusa vulneribus pectora obscuris doloribus deprimebant. Qualesnam fuerant exitus murrurantium, ut nec voces tantis mœroribus crederent? Considerate quibus lacrymis oculorum imbribus poterat rumpere, cui nec flere licuit in dolore. Tandem Dominus in clamore pulsatus audivit, et nuntium doloris cœlum sine voce cognoscit. Mittitur namque Moyses ille gloriosus, qui repensatis vulneribus illud quod Ægyptius irrogaverat redderet. Magistratque virtutum virgam suscipiens, Deus ingressus est per hominem pignaturus. Migrant in hominis potestatem Dei virtutes, et officia cœlestia Moyses securus in virga portabat. Compellitur hostis, ut audiat patientem, et in malis suis obduratus efficitur, ut suis eum gradibus tormenta servarent. Nullus enim reus ante poterit mori quam tortus est, et non magis exitus proficere veritatis, nisi fuerit ultionis pœnæ deductus

exitio. Sic etiam tyrannicus error invaseral, ut ordinibus numeratis invenisset quam poena torqueret. Cædit explicatis in se regalis invidia, et exhausta refrigerens in sententiis suis timuit quos tenebat. Exit igitur Moyses ille artifex virtutum, populosque Dei ab hostibus educiturus, dux agminum constitutus est in deserto. Ducebantur enim per arida loca camporum, purisque viæ regionibus incidentes ducente Domino servabantur. Ignotisque littoribus propinquantes, hostem dimisisse populos poenitet, ut sua eum mortis necessitas inveniret. Exsurgit protinus igne succensus, ardore armatus, secum indaginein mortura potestas excludit. In suos exitus iterum surrexerat periturus. Aptantur quadrigis firmiteribus curus, qui veloces ad supplicium cum suo damno festinarent. Ferebantur itaque terroribus circumdati armorum, ut strepitus eis Ægyptius forsitan minaretur. Audit Israel hostium increbrescere marmur, rotarumque fragore turbatus, audaciam perdidit in timore. Nam quales fuerant hostes agnoscite, quos et Moyses ipse visus est formidare. Statim virgæ virtutibus percussa maria evanuerunt, turbatumque suis legibus mare captivitatis curribus impeditur. Eriguntur evitatis manibus fluctus, et irriguo silice fixæ sunt aque. Promptus ingreditur procacibus animatus insidiis, securusque in periculis eos toto discrimine æquebat. Ingreditur fidens, quasi et illi per timorem servitutæ fuerant undæ. Placet redire, sed nec redire jam licet. Jubentur aquæ suos exitus celebrare, resolutisque virtutibus in redeuntis officium suum jussa maria susceperunt. Quid est, Pharaonem perdidit? speciosos festinabas ad mortem. Ubinam te cogitas, injuste hostis? Non illo moriuntur vulnere quo feriisti. Poenis enim tuis non labor indicitur, non nubes compluitur gladiorum. Nihil est enim quod grave sentirent. In exitium tuum una virga servata est.

SERMO XV.

Unde supra.

Cum jam dudum populus Israel beneficiorum divinarum oblitus, cælesti brachio erutus de servitio tyrannicæ potestatis, profunda æquoris sicco pede transisset, et aquarum parietes frenati penderent, scævissimum tyrannum sua feritas maximis visceribus propinavit. Ut ibi cum suis cunctis interiret, qui prius accinctus properabat, ut innoxios captivaret. Cameratis undis inter pericula fluctus constituitur murus, et ingreditur cum populis Deus, salutis victoriam ostensurus. Calcatur unda tætarum vestigiis, et nullus est humor in plantis. Ingreditur Pharaonem demens, et cæcus suo consilio in fluctibus periturus. Denique uadarum scatentium furiosa compressit, quos furiosos inspirata cognovit. Intellexit autem quia non potuit evadere, cum populis Dominus Deus transitum daret, et dum in secretis molibus frenati æverent, in se volvuntur fluctus sepulturæ Pharaoni, et exercitibus ejus paratur locus, et populum suum Dominus illæsum adduxit ad littus, et naufragiis Pharaonem cum suis in mari mansit obrutus. Populus Dei in marino campo undam sulcabat, et naufragium Pharaonem ad mortem proximam irritabat. Stat Moyses juxta mare, et clamoribus concitat cælum, quia Pharaonem cernebat cum ipso committere bellum. Et Dominus: Moyses, Moyses, quid vociferaris? modo de inimicis tuis gratularis. Moyses, Moyses, quid clamas? Ego cælum mensus sum palmo, et mundum complexus pugillo, et tu putas quia cum Pharaone non pugno? Ingreditur mare populus, et Pharaonem ad naufragium armat diabolus. Dominus illæsum ad ripam adduxit Hebræos. Nam Pharaonem cum sexcentis euribus electis in mari reliquit demersus. Ingreditur mare Pharaonem præsumptor, tanquam si ei dicerent undæ: Salvum te venire viator, magnum est quod existis præsumptor, magnum est quod te currendo pervadit sudor. Hoc magnificentius est, quod te modo statando pervadit rigor. Nobiscum venisti pugnare, modo Dei populum portavimus ad ripam, et sic tecum redimus ad pugnam. Nos tibi pelagi paramus

campum, et tuæ animæ inferimus damnum. Veni securus amplius jam ad tuos non reversurus, unde fallacis pelagi fluctus tranquillitate pascuntur? qui arinat quadrupedes, nec desunt celeres quos ira incendebat in hostes. Tuo jussu, Domine, Israelitarum populus Ægypti rabiem jurgens Moysæ duce tandem felix liberque evasit, ut usque ad maris terminum furor ipse deficeret. Stat populus inter discordantes undas, et terram circumseptus minis armorum fugam querebat in fluctibus. Vapulavit mare scissam prophetica plaga, et verberatas aquas increpuit virga. Siluit pelagi secretum stabili lapsum glaciali ædificio, steterat fabrica, et occurrit mare cum hostibus pugnaturum. Enatabat gladius crudelitatis naufragi, ingreditur mare præsumptor sententibus unguis quadrigarum, unde violentiam patiuntur. Et ecce subito unda veluti a somno expergefata, fit dira noctis imago teterrima adversus Ægyptios lugubris, immatura, obligat limites, præparat sinus unda adversarios populi exceptura, et crispantibus fluctibus obruit omnes in vigilia matutina. Eho viator aquarum, quare violentiam pateris undarum? Nemo puguat, et peris viator. Percute undas, si potes, Jugula fluctus, si prævales. O aquarum concordia! exercitus Ægyptiorum demersit, et furor erravit. Transit populus Israel siccis pedibus mare, et sequitur Pharaonem sedens in curribus, in fluctibus demergendus. Calcatur unda vestigiis, pulsatur unguis quadrigarum. Et libenter unda cædem adversantium tolerabat, quibus ipsa naufragium procurabat. Ingreditur tyrannus a matorum multitudine septus, et super undas molles, eurrum equorumque ausus est dirigere gressus. O caligo impiissima cæcitas! Petrus cum Christo titubavit, et merserat; et Pharaonem se solum transire putabat. Sed contra apostolum mergentem manus a Christo porrigitur, et levatur; Pharaonem desertus a Christo undis sævientibus devoratur. Quis tantum non æstuarer? Hinc aqua spumat, inde arma coruscant. Hinc aquarum sonus, inde armorum strepitus. Sic o, erari Deus, sic adesse consuevit, ut ubi deserit humanum consilium, illic intercedat divinum citius auxilium. Statim Moysi erecta manu virgæ ictu rumpitur mare, et secreta pelagi panduntur. Fit littus ubi fuerat pelagus. Resupinata convertitur unda, funeribus repleta sunt littora. Quibus in ipsa morte major erat poena, quod post extortam aquis ultricibus animam, nec ipsam meruit sepulturam. Ante omnes exivit Pharaonem ad ripam, sed jam perditam vita nullus statuit pugnam, et de inimicis exivit tota victoria.

SERMO XVI.

De Jona.

Cum Jona mitteretur Ninivitis interitum prædicare, mox ei improba vanitas fuge ingressit consilium; properusque descendit in Joppem, ratemque adhibuit contempto Deo fugere Tharsis, quasi posset scientiam latere divinam, ac si esset (quod non licet) extra Dei orbem aliqua regio. Orbis totus brevis locus est Deo, cum sit minor brachio ejus, qui nec possit auctoris sui fugitivos aliquibus latebris adumbrare opacis, cujus sub obtutu conspicitur tremens. Nullus locus vacat occultus, sed a suo auctore occupata sunt omnia. Sicut Isaias sanctissimus quod intra pugillum suum Deus teneat universa loquitur dicens (Cap. xl, 12): Palmo mensus est cælum, pugno comprehendit, et congregavit orbem terrarum conclusionem dexteræ suæ. Et iterum, Manu sua velut nidum occupat mundum. Quasi posset latere istum qui terrarum pugno occupat orbem, qui cælorum, terræque, et abyssi fixos obtinet fines, qui murmurantibus tonitruis concutit mundum, quando incendio vibrante fladitur cælum. Cujus potentiam nemo fugere potest, cui est nihil abstrusum. Et ut expressius dixerim, quidquid non aspicit videns. Omnia nuda sunt Deo, ut ipse testatur: *Ego Deus approximans, et non Deus de longinquo. Si absconsus fuerit homo in absconsis, ergo ego non ridebo eum? Nonne ego inpleo cælum et terram (Jer. xxiii, 24)?* Nam et

propheta testatur dicens, *Oculi Domini ubique speculantur bonos et malos* (Prov. xv, 3). Et David dicit: *Quod est imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnia scribuntur* (Psal. cxxxviii, 16). Et iterum: *Homo videt in facie, Deus in corde* (1 Reg. xvi, 7). Et: *Scient omnes Ecclesie quia ego sum Deus scrutator renum et cordis* (Apoc. ii, 23). Ergo cui sunt arcana pectorum prescia, nulle sunt latebræ, que obtutibus ejus non speculentur. Absens omnia videt, qui presens a nullo videtur. Frustra ergo propheta sanctissimus spreto Deo profundo imperio fugit, qui sine Deo comite fugere non potuit, fugisse se putat sequentem sibi junctum, vel se potius præcedentem. Cunque hic ita navem ascendens a Deo præsentis reus navigasset, Divinitatis nutu extemplo eversus est gurges, sedibusque evulsus ab rivis, erectoque vertice pinne exæstivas obumbrabat. Periculis quoque furentibus silva tundeatur, undaque deliscens jactam acerrimo absorbere dubitabat. Undarum etenim discordia ratem furens ictum creberrimo verberabat. Boatur pelagus amne, atque litibus frendens in profugum rugit, undisque latrantibus inquietus ac turbidus pelagi tumor, crispator capite per aera furens errabat. Dira enim diversitas invaserat gurgitem. Pelago quoque rixante septa quatitur puppis. Nam rabidi fluctus diverso certamine in fugitum fredebant, erectique ad navem latrantes currebant. Pelagus curctum circa fugitivum impatiens fuit. Sub ictibus itaque turbidis carina stridentibus linguis tremebat. Pontus hinc illinc ruinis verberantibus tabularum compages laxavit. Sic denique legimus: *Et Dominus excitavit spiritum in mari, et facta est inundatio maxima in mari, et navis periclitabatur, ita ut commineretur* (Jonæ i, 4). Nautici itaque non voce sola, sed lacrymis exprimuntur. Lacrymarum imbres effusi, juncto gemitu largiter genis liquuntur, totamque regionem oculorum affluenter humectant. Manibus quoque suppliciter expansis diversos pia voce rogabant. Universi igitur rapti pondus omne in lethali præcipitant nullum, certatimque nituntur discrimina viacere, damnis aane vel præmiis possent pelagi rixantis fluctus tumidos mitigare, certantes vincere periculum, devoti faciunt damnum. Ibidem sic legimus: *Et timerunt navæ timore magno, et exclamaverunt unusquisque ad proximum suum, et jactum fecerunt vasorum suorum quæ erant in navi in mare, ut relinqueretur ab eis* (Ibidem). Hæc fecerunt miseri plangentes, qui nec perditis mercibus potuerunt esse securi. Magis ac magis fluctibus densissimis, ictibusque durissimis navis inundabatur. Horum autem ignarus erat fugitivus. Erat enim subter tegmine scilicet ratis sopore irrigans fugitiva proprii corporis membra. Ad quem proreta orto planetu accessit, eumque pulsans ait: *Quid tu stertis? Surge et invoca Dominum tuum, ut liberet nos Deus, et non pereamus* (Ibid., 6). Tandem expergiscitur reus proreta pulsante, sorteque ostenditur declarante. Sors declarat, reus non negat. Quid autem cum tali agerent cogitabant. Cumque expectatus vidisset clangoribus lacrymosis rugientem carinam, pontumque ex imo fluctibus vulsi, ejus causam arguentem, atque atro agmine polum confusum sibi indicavit, ponto bacchanti petiit ab ipsis jactari. *Tollite me, inquit, et mittite me in mare, et tranquillabit mare a vobis. Agnovi enim quia propter me ista inundatio maxima est super vos* (Ibid., 12). Illi autem trepidantes periculo concedere justum, remeare certabant, et differre navigium. Sed clamorum duritia noluit flecti aspera, nec carinæ libram voluit regio omnis. Igitur antenna sub ictu tremens irregibilis fuit, fluctus vero multo magis sævientes tumbant, arreptique cælum pulsabant. Efflicitur cælum pelago profundum, dum lit pelagus cælo vicinum. Tum vero reclamantibus atque rixantibus undis præcipitatur propheta. Jamque cetus immanissimus vorax (Jonæ ii, 1) surgens ex imis properabat, atque scindens cursum acerrimos fluctus, divino scilicet nutu intelligens prædam de navi dejectam, hauit faucibus diris, sed nec dente

laniavit; nec morsu necavit. Deducitur Jonas illesus per hebetata rabidi oris pericula in alvum profundum, recessibusque viscerum altis triduo captivatur inclusus. Jam tunc Domini Christi inclytam eximiamque gestabat personam, quod esset in passione per spatium tridui abdita scrutaturus terrarum, sicut in Evangelio legimus, *Natio, inquit, iniqua et adultera signum quarit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophete. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit et Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus* (Matth. xii, 39, 40). Hic tamen æquoris confragosa sedavit discrimina, cujus erant imperio mota. Caliginis fugiente mœstitia, aer sinceravit, mundumque efflicitor cælum. Periculis quoque placatis marmore navigat carena sereno: undasque secat tumido venti flamine carbaso currens, secura navigat. Propheta sepultus aquis, exter ab undis, scindens aquas, sub aquis siccus. Immanitas autem ceti quæ interno viscerum hospicio captivum inclusit, a sua digestionem impunem servavit. Marina pereditur fera, quia negatur ei quod alvo proprio gestat. Saginato ceto indigestus esurit. Rabies ventris satiatam feram per triduum consumpsit. Cruditate consumeris, fera. Negatur tibi quod tenes. Æstuans igitur bellua, per vastum æquoris navigans gravida atque nec assumens dapem digessit. Tunc cetus immanis dape onustus, jejunio aridus, imperio præceptoris intumi sui ad æquoris metas celeravit, aquarum agmina navigio findens, ex opaco nigroque viscerum carcere fusum profugum præda produxit, atque intactum ad limitem profudit.

SERMO XVII

De cæco nato.

Speculum transit, speculum tergit. Ipse est enim Patris speculum verum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (Joan. i, 9). Christus, inquam, transit speculum Patris, et a non vidente tergit speculum cæcitatibus. Transit Christus veniens de cælo, ut eum videret omnis caro, secundum Simeonis illius beati senis propheticam vocem, qui in manibus Verbum accepit infantem, letusque aspexit et dixit: *Nunc dimittis, Domine, serrum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum* (Luc. ii, 29, 30). Solus ergo cæcus non habuit speculum Patris videre. Et ubi esset fidele præconium prophetarum: *Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum audient, et claudis saliet velut cæcus, et plana erit lingua mutorum* (Isa. xxxv, 5, 6)? Itaque speculum cæci, vultusque mendici, quasi quamdam habebat thecam conclusam, que faciem tegetet tenebrosam. Ipsam thecam Christus absolvit, speculum tersit, et speculum Patris in Christo cæcus aspexit. Grandis medicina contra naturam! Non erant oculi vitati, sed penitus denegati. Cæcus erat natus, non effectus. Et quia luminosus erat primus homo factus, sed discessit a serpente cæcatus, cœpit nasci iterum jam cæcus credens, quia vitata natura debilis fuerat corpore, gemino indigens lumine, qui de sua non erubuit nuditate. Sedebat igitur cæcus transitu publico vestitus, paupertatis angustia nudus, naturali lumine spoliatus: sedebat, inquam, nihilque petebat, collarium a nullo medico postulabat. Quod enim contra naturam erat humanam, procul dubio necessariam non habuit medicinam. Venit artifex ad speculum imaginis; aspectu miseriam cæci sedentis, et stipein suppliciter postulantis. O divinæ virtutis miraculum! quod aspexit curat, quod visitat illuminat. Interrogant denique discipuli, et dicunt: *Quis peccavit hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur* (Joan. ix, 2)? Dominus ait: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed ut appareat gloria Dei in eo. Me enim oportet operari opera Patris mei* (Ibid., 3, 4). Tenebantur igitur universa sub peccato, sub duro supplicio. Cæci, claudi, surdi, lipposi, mortui, tenebantur, inquam, sub custodia primi supplicii. Venit liberator qui fuerat judicator. Aspexit cæcum et vilis; surdum tetigit et

audivit; leprosum mundavit et refulsit; claudum erexit, et cucurrit; ad mortuum descendit, et de morte surrexit, et cœperunt jam pœnales carceres vacuari, fractis januis inferni vectibus ligni in quo pependit Dominus cœli. Jam ergo qui fecit orbem terrarum, orbem aperuit cœcorum. O rotator figulus! rotatus est verbo, et visus donatus est cæco. Figulus enim quando vasa convolvit de limo formanda, volubilem tangit pedibus rotam. Et figulus noster vidit rotas oculorum cæci vacantes, tangit eas, non pede, sed voce. Tetigit agitando, et formavit oculos limum ponendo. Quid est hoc? unde tale collyrium? Non de pigmentis herbarum collyrium. Non in pila contritum laboribus medicorum. Homo de limo, collyrium de luto. Quomodo enim aurifex monile contractum non argenti specie renovat, nec argentarius vasa argenti de metallo reficit auri: ita et artifex figulus noster Dominus Christus, vas quod de limo fecit, de luto refecit. Et unde oculos primos formavit, inde secundos oculos renovavit. Quæ major est gloria orbem solis formare, an cæci nati oculos reformare? Solem illuminari fecit in throno sedendo, cæcum videre concessit per plateas sæculi ambulando. Itaque non rogata venit claritas, et sine labore precum discessit naturalis cæcitas. Mittitur ad piscinam, lavat lumina, recipit claritatem, et ducitur ad certamen. O speculum illuminatum! ante non poterat pugnare et vincere, nisi Christum illuminatis oculis adoraret. Illuminatum est speculum cæci, et tenebris sunt aperti Judæi. Nolunt videre in lumine alieno: ideo non potuerunt superbi verum aspicere lumen in Deo. Palæstra paratur post lucem, et lucis auctor non deserit servi sui illuminati certamen. O palæstra delectabilis, pugna claritatis contra tenebras cæcitatibus! Adducitur præceptum seniorum et principum Judæorum, circumdatur lumen a tenebris, et erigit faculam responsionis pro miraculo Salvatoris. Interrogatur et respondet, circumdatur et non clauditur, agitur et non circumvenitur. *Quis, inquit, tibi aperuit oculos (Ibid., 10)?* Nonne tu eras cæcus sedens et mendicans in via? Ego eram mendicans in via, antequam transiret via. *Aperta sunt lumina mea, quia ille transit qui est via, veritas et vita. Ego, ego sum, qui abscondo cæcitatem meam, ut confitear gratuitam medicinam. Curatus sum in loco singulari, contestor sub lumine cœli, quia Christus est qui me fecit videre. Dic nobis, inquit, qualitatem medici tui. Dico, non erubescio. Evangelium est novum illuminare cæcum. Dico, dico, utinam et vos ejus caperetis amorem, qui medici queritis qualitatem! Lutum fecit spu: o oris sui commixtum, liniit oculos meos, misit me ad piscinam. Quid fuerim consecutus contestantur lumina mea. Quid dicis? nova res est, mentiris; de luto nunquam, nunquam scimus oculos cæci esse patefactos. Vere dicitis, quia nescitis quod non vidistis. Ego novi qui video, qui credidi, sensi et vidi. Erat certamen magnum, quia lumen venit magnum. Alii dicebant, non est ipse. Alii dicebant, ipse est. Omnes verum dicebant, et ipse erat, et non erat ipse. Si hominem attendas, ipse erat; si oculos consideres, non erat ipse. Si speculum attendas, ipse erat; si lumen in speculo contempleris, non ipse erat: quia medicus ejus in principio erat Verbum, et Verbum apud Deum Deus erat. Non nobis, inquit, sufficit testificatio tua, non ipsa imago tua. Non est ipsa, scio, imago mea. Sed ille ad me venit qui me fecit ad imaginem et similitudinem suam. Mentiris, non ipse es. Non ipse sum, quia mutatus sum. Jubent adduci parentes, ut filio serent assertores. Adducuntur parentes, et testimonia crescant, et accusatores erubescunt. O malignitas! contra se congregant testimonia, ut plena seret de cæco victoria. Veniunt, stant in medio seniorum, interrogant: Hic filius vester est qui sedebat cæcus et mendicans in via? Et illi: Ipse est, novimus illum nostrum: et si negamus, accusat affectus; sed apertos ejus oculos videmus, et nos ipsi miramur: venter noster effudit cæcum. Ignoramus autem quis fecit de cæco illuminatum. Filius quidem noster est, sed justè*

A cogere pro loqui pro infante, si ipse pro se loqui non posset. Hic autem olim loquitur, modo videt: cæcum a nativitate novimus, loquentem olim audivimus, videntem modo videmus. Ipsum interrogat, ut instruamini. Quid nos calunniamini? *Ætatem habet, ipse pro se loquatur (Ibid., 21).* Aptatus est enim ut non esset parvæ ætatis, sed legitimus, ut testimonium ejus plenus proveniret triumphus. Reditur ad luctamen et pugnam, donec summus cerneret coronatorem. Dic nobis, inquit. Quid vobis dicam? *Jam dixi. Quid iterum vultis audire? Nunquid et vos vultis discipuli ejus esse? Et illi: Tu sis discipulus ejus (Ibid., 27, 28).* O magna injuria, quod desiderio dicitis, sine causa increpatis? a lumine me non separatis. Sed nos, inquit, *discipuli Moysi sumus.* Et ille: *Et Moysen audivi, et prophetas audivi, a sæculo auditum non est, quia aperuit quisquam oculos cæci nati (Ibid., 32).* O magnus defensor! Jam defendit antequam credit, in medio nebularum stat unum stillicidium, et capit de vivo fonte triumphum. Irati sunt, et ejecerunt eum foras. Beatus qui exit de synagoga malignantium; deducit eum exeuntem de palæstra victorem exercitus angelorum. Pugnavit, defendit, vicit, et sine corona discessit, quia oportebat illum a Domino coronari. Occurrit illi Dominus coronator innocentium, illuminator cæcorum, tergit de ejus fronte sudorem. Consolatur verbo, qui curaverat limo. Quid, inquit Dominus, o tu speculum meum? foris vides, putasne intus vides? Vides me quo tibi appereo; putasne vides in me quo tibi non appereo? Aspicias quia homo sum, putasne aspicias quia Verbum caro factus sum? *Credis in Filium Dei? Domine, quis est, ut credam in eum (Ibid., 36, 37)?* Ego te aspicio medicum meum, novum audio verbum: *Quis est, ut credam in eum? Ego, inquit, sum, qui loquor tecum.* Et ille, *Credo, Domine.* Sensi majestatem tuam, et recepi claritatem meam, quam minus habui per naturam. Audivi vocem tuam, cognosco gloriam tuam. *Credo, credo, credo, Domine. Et proci dens adoravit eum (Ibid., 38).* Adoravit quod vidit, credidit quod sensit. Adoravit illuminatus lumen, et gratias agens Domino. Qui dixit cum propheta, *Apud te, Domine, fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen (Psal. xxxv, 10).*

SERMO XVIII.

De Elisæo, ubi viduæ oleum multiplicavit.

Quoniam venit Dominus, qui humiliet calumniantorem, non timeat Ecclesia feneratorum, quia securam reddidit mulierem. O grande mysterium subvenientis olei sacramentum, quo debitum solvitur, vita transigitur, et venturi judicis securitas comprobatur! O grande mysterium, quod est in cornu conclusum! Unde unguuntur sacerdotes, inde vincuntur cupidi creditores. Unde ungebantur prophete, inde mater cum filiis non timet feneratorum. Unde sacerdotes liniebantur, inde sacerdos major efficitur cum dulci ecclesia filiorum. Et sicut de multis unum liquatur unguentum, ita hoc mysterium fecit cum matre habitare fratres in unum. O gratia olei, unde plangentis succurrit matri, et violentia adimitur feneratori! O confectio cum qua est facta curatio! Inde vulnera linita foventur: inde superba corda mitescunt, ut delinita oleo chrysmatis colla jugum accipiunt mansuetum. Quis non attendat ad olei sacramentum, unde mulier libertatem conquirat natorum? Omnes enim facit videre, quia sine oleo non potest lucerna fulgere. In sacramento itaque olei gratia est Spiritus sancti. Illuminationis pinguedo, noctis casta successio tenebrarum fugat accessum. Inter tenebras enim erat ista vidua. Mater desolata viro, gravata debito, et addicta gemino jugo; amiserat præ tædio lucis aspectum. Tenebras patiebatur de conventionem crudelium feneratorum. Foris violentia, intus miseria. Querit misericordiam, et non est qui faciat, nisi propheta. Interpellat Elisæum mulier angustata. Subveni, domine serve Dei; causa requiritur et panditur, et lacrymæ non retinentur. Scis, domine,

servum tuum, virum meum, quia timens Deum erat (IV Reg. iv, 1). Hic mortuus est exstante debito, quod non potuit ipse reddere. Ego compellor exsolvere. Omnes divitiæ meæ duo sunt filii mei, gemitus ventris mei. Nihil aliud feneratoribus exspectant, quam ut filios meos cœlesti ingenuitate creatos suæ libidini faciant subjugatos. Non argentum illis fuit, quod clarum est, quia etsi esset, non nisi ad ingenuitatem natorum meorum feneratores impii festinasset. Ipsos voluit tollere, quos Deus mihi dignatus est condonare. Nunquid possunt paritare debitum patris? Nonne anima quæ peccat, sola puniatur? Me non optant ancillam, sed viscera mea sibi vindicant mancipanda. Ut quid genui? ut quid cum gemitu pepererim? ut quid aperta sunt portæ uteri mei, et effudi in luce quos in aliena video potestate? Ipsos inquirunt, me despiciunt, et in dōmo feneratorum filii mei quale poterunt habere solatium? Non mater quæ fovet febrientes, non mater quæ consoletur languentes. Flentes flebunt, et non erit qui consoletur. Offero eos tuis aspectibus, beate propheta; fac illos servos Domino suo. Si subveneris debito meo, non eos tollant profani feneratores, sed nutriant eos angelicæ potestates. Et propheta: Desine, inquit, lugere; redde mihi de tuis enthecis rationem. Quid habes in domo (Ibid., 2)? Et illa, Pudor est dicere, domine, quod habeo: inde misera patior violentiam. Non est mihi nisi modicum olei in vase. Et propheta: Mulier, non est parvum quod habes. Vincet tenebras feneratorum, et lucem conciliabit angelorum. De oleo tibi possum consulere, quia nemo potest sine oleo ad Deum pertinere. Videte, fratres, ubi propheta plangentem dirigit matrem? ad chrisma scilicet unctionem, id est, ad Christi pinguis simam pietatem. Clamat Joannes: Non sum ego Christus. Attendite et videte: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (Joan. i, 29, 30). Clamat Isaias: Ecce Dominus noster ipse venit, et salvabit nos (Isa. xxxv, 9). Clamat David matri plangenti: Si vis carere violentia feneratorum, accipe oleum sanctum, ut filii tui tecum possint habitare fratres in unum (Psal. cxii, 9). Et quid faciam, inquit, de modico oleo quod remansit in vasculo Ecclesie de utrisque populis venientis? Ista persona est adorantis, et vere modicum Israeli remansit oleum in vasculo Judaico. Jam propheta veniebat ad finem, sperans Dominum Salvatorem, qui est in modico relicto oleo. Quia nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma fuisset (Isa. i, 9). Accipe, inquit, consilium, mulier, de illo vasculo. Noli penitus desperare. Accipe tibi vasa nova quamplurima. Intra tu et filii tui domesticum cum taciturnitate cubiculum, et claude ostium tuum. Intra in promptuarium tua, absconde te pusillum, quousque transeat furia feneratorum. Ita mulier fecit ut propheta mandavit. Accepit mulier vasa nova: accepit Ecclesia de vicinis omnibus gentibus hominum membra de dominicâ Agulina. Intus intrant mater et filii. Intra illud cubiculum quid agitur? Pasche illic video sacramentum: Sanctum sanctorum est. Cornu ibi florescit, fenerator ibi marcescit. Pascha est cum matre et filiis, cum Ecclesia et populis. Fontem video, chrisma considero, Christum adoro. Accipiebat subinde mulier ministrantibus filiis vasa, et defundebat, et applicans iterum defundebat, et oleum non desinebat. Nonne in aperto est quod agitur, quando vasa nova replentur? Dives facta est mulier et secura. Agit gratias quæ effuderat lacrymas. Vade, inquit, vende et redde debitum, et de reliquo vive tu et filii tui. De reliquo vivendum est. De Christi gratia transigendum est: quia Christus humilis venit, et Ecclesie sufficit, quia nunquam oleum tenebrescit. O olei sacramentum! Inde sapientes probatæ sunt virgines: inde securæ redduntur et matres. Inde virgines patriam merentur intrare: inde mater meretur Domino servitium exhibere, et perpetua cum filiis libertate gaudere.

SERMO XIX:

Item de Elivaro.

Dulcis insonuit auribus nostris recitata libertas, dum sevit in nobis amara captivitas. Quomodo si inter graves fetores boni incenduntur odores, et in domo ægrotorum adventus medici nuntiatur: ita requievit gemitus compeditorum, quia resurrectio recitata est mortuorum. Hinc David clamat conveniens ultionis divinæ censuram: Vindica, inquit, Domine, sanguinem servorum tuorum qui effusus est: introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum (Ps. lxxxviii, 10, 11). Hic miserabilis mater funus includens, mortem excludens sub testimonio montium apud Elisæum exaggerat luctum, et repetit filium jam defunctum, quem non sperabat der repente conceptum. Hinc piæ sorores missam legationem perorant. Domine, inquit, Ecce Lazarus, quem amas, infirmatur. Inter sorores et matrem non habes, mors, quomodo tuæ crudelitatis impleas voluntatem. Vacuatur tua dira conditio sive in lecto, sive, quod majus est, in sepulcro: quia successit fraterna maternaque legatio. Sine causa fudisti venenum, ad nihilum productum est per misericordiam lacrymarum. Festinas curvare aculeum tuum: conterent illum, servus de monte, Dominus de cruce. Servus destinando, Dominus præsciendo. Servus descendens ad domum, Dominus veniens ad sepulcrum. Ubique vacuatur tua dira conditio, sive in lecto, sive, quod majus est, in sepulcro. Sed Lazari resuscitati lætium participati sumus cum pietate sororum. Ad maternum nunc veniamus luctum, et ad unicum filium suscitandum. Mulier illa quæ prophetam de filio defuncto convenit, ante illum condigna hospitalitate (al., cognita dignitate) suscepit. Fuit meritum resurrectionis gradus hospitalitatis. Nam cum frequenter (al., semper) per eos propheta haberet excursus atque recursus, et communi cum eis fuisset mansio contentus, eis hospes pius futurus, et melior advocatus: convenit se mulier corde tractans, cum conscientia rixans, animum cum hospitio præparans, maritum rogans: Ecce, inquit, homo Dei frequenter venit ad nos, et satis excedit nos. Ille justus, nos peccatores. Ille cœlestis, nos terrestres. Ille in spe singularis, nos sine fructu conjuncti. Durum est ut communes nobiscum mansionis habeat parietes, cum quo non habemus similes mores. Faciamus illi, marite meus, in superioribus domum, ubi veniens tanquam ad proprium declinet hospitium. Inferior debet esse mansio nostra, quia inferiora sunt et merita nostra. Martyres jacent sub ara Dei. Nos non debemus manere (ms., jacere) sub mansione hominis Dei? Placet sanctum in commune cum illam, et similitudine apum fabricare cœperunt hospitium susceptorium. Non indignatur mulier illa bonæ hospitalitatis amans aquam infundere vel tigna (ms., ligna) portare. Dulcis enim erat labor quem caritatis suggesserat amor. Cogitat sensibus, ædificat laboribus. Parat ornatibus domum. Collocat mensam, sellam, lectum, et candelabrum, et dignum venienti præparavit hospitium. Ubi es, inquit, mei Domini servus? Exspectat te tuis parata ornatibus domus, ut hospitium tuorum dulcis lætetur affectus. Suscipitur, fovetur, honoratur, et cogitat reddere beneficium. Dic, inquit, Glæzi; dic, puer, voca istam Sunamitidem, ut reddamus ei aliquam vicissitudinem, quæ nobis tantam exhibuit caritatem. Venit puer, vocat mulierem. Et propheta: Dic, inquit, mulier, quid tibi forte opus est necessitatis, ut fructum possis recipere pietatis? Nec apud regem aut principes nostra pro te debet operari legatio, ne alicujus tibi importuna sit inquietudo? Et mulier: Nihil est, domine, quod mihi sit importunum. In medio populi mei ego habito, longe est a nobis publica controversia, quando tu nobis hospes esse dignaris. Nullum tibi ingerimus injuriosum laborem: delicatam de te apud Dominum unam tam-

tummodo exposcimus precem. Et puer: Domine, inquit, utique non est ei filius, et vir ejus jam senex est. Et propheta: Ad hunc diem videbis te conce, to filio. Illa desiderio plena, sensibus verecunda expavit, gaudio contremuit, fructum vero suscepit. Nascitur ei filius, tarde conceptus est cito moriturus. Æstivi enim solis ardore decoctus super genua matris suspirans oculos in morte conclusit. Et illa mortuum suum lecto hominis Dei patienter imposuit, et rogat maritum ut ad hominem Dei citius festinaret, et celet necessitate, ne de una spe faceret desperatum dolorem. Novi, inquit, patres mortem filiorum gravius condolere, et interdum dolori amarior labiis Dominum blasphemare. Melius tacebo, et maritum meum in peccatum tristitiæ non provocabo, ne amittens filium perdere incipiam et maritum. Cum silentio disposuit, superiora consendit, vale filio cum lacrymis fecit. Filius meus tardus, et luctuosus, ante te didici plangere quam nutrire. Da veniam, sic pergo, ut cito ad te veniam. Dimitto te solum, itura sola, sed non sola ad te reversura, nec te solum sine Domino repertura. Cito venio non tardabo, miserabilem invidiam factura hospiti meo. Ut quid tibi locum sepulture, nesciens quid placeat Domino meo? Modicum est corpus tuum, si non fuerit effectus, momento tibi sepulture parabitur locus. Quantus labor in fovea ubi parva sunt membra? Ego tamen non præteribo hospitem meum, ne mihi imputet de taciturnitate peccatum. Vadit via luctuosa cum misericordia reditura. Velox est cursus, quem concitat luctus: velox erit via, ut velox sit et medicina. At ubi pervenit ad montem, cepit de longe lacrymosam monstrare faciem, et maternum testari dolorem. Nunquid ego petivi filium, Domine? Nunquid a me tibi facta est importuna suggestio? Tua fuit promissio, tua per Deum perfectio, tua sit et curatio. Jejunus fuerat uterus meus, jejunus erat et luctus. Per te didici plangere, per te merear et gaudere. Hic propheta præcedente matre festinat, secumque miratur, et tractat. Quare abscondit a me Dominus Deus? Omnia mihi revelat Spiritus sanctus de cælo: et tacuit a me de parvo hospite meo? Puerum dirigit præcursorem, qui mortuum baculo tangeret, et vixisset. Et illa: Vivit Dominus et vivit anima tua, si dereliquero te. Tu reddo quod dedisti: quia ut haberem, non per discipulum promissisti. In testimonium habeo lectum tuum, ubi posui mortuum meum, si contempseris dolorem meum. Veni mecum, aut suscita mortuum, aut commenda certe defunctum. At ubi propheta de superioribus ad superiora descendit de monte ad domum, de eremo ad silentium, ingemuit ad Dominum, qui est Julex vivorum et mortuorum. Domine, inquit, intende in me, et in istam hostem meam: non accuser in misericordia tua ut tu lauderis in medicina tua. Ascendit in lectum angustata qualitate membrorum. Insufflavit septies in jacentem, et reddidit matri viventem. Qualis in domo lætitia? quam humilis et mitis decuerit medicina? Qui vult sanare laborantem, assumat humilitatem. De superbo nullus est fructus, quia superbos humiliat Deus. Humiliatus est propheta, et infanti reddidit vitam. Ita et Salvator noster Jesus Christus, verbum brevialium faciens super terram humiliatus est, factus vermis et non homo, opprobrium hominum, qui est Dominus angelorum; resurrexit, ascendit in cælos, et omnis gavisus est exercitus angelorum. Amen.

SERMO XX.

De Elia et Eliseo.

Patet Jordanis præsummentibus, quia patet fons vite: credentibus. Bonum est et delectabile Jordanis alveum videre divisum recessione undarum, et societate cervorum; quando greges transeunt sitientium; quod desiderabant velut cervus ad fontes aquarum. Familiare est Jordanem virga dividit, et melote se-

A parari. Divisit eum Jesus Nave (*Josue* iii, 15) cum testamenti arca fulgeret; divisit eum Elias dum pellis caprina terreret. Divisit eum Jesus Nave angelo stante cum gladio: divisit eum Elias (*IV Reg.* ii, 8), occurrente sibi curru igneo cum magno triumpho. Transivit per aquam, pervenit ad flammam. Sed nec aqua mundavit, nec ignis inussit; recessit unda, portavit flamma. Ibi baptismus cum victoria: hic triumphus igneus cum corona. Ut diceret inter ventos et æthera decantans: *Transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium* (*Psal.* lxxv, 12). Quia post aquam et ignem portatus est ad paradysum. Stetit ad oram Jordanis cum discipulo caritatis Elias et Eliseus, magister et discipulus, Dominus Christus et populus acquisitus. Quia transeunte Christo per Jordanis alveum, cepit omnis populus competentium transire fluctus aquarum. Ascendit Dominus de Jordane, et egressus est igneam tentationem, flammam in deserto certamen, ut de sua vincente victoria totum mundum amœnaret ardentem, et refrigeraret triumphis tentationum viridantibus æstantem. Occurrit illi quadriga ignea, et nubifera, dum currus Dei descendunt lætantium angelorum, et ministrant vincente Domino post triumphum: sicut Matthæus evangelista contestatur (*Cap.* iv, 11). Sequuntur Dominum competentes, per Jordanis medium transeuntes. Et dicitur eis in ripa occurrente flamma, id est ignea pugna, ut florescat de flammis amœna corona. *Fili,* inquit, *accedens ad servitutei Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* ii, 1). Sed redeamus ad Eliam triumphatorem, et Eliseum carissimum sectatorem: illum testatorem, istum hæredem. Testamentum isto postulat, ille dicitur, calamus fuit lingua, non canna: atramentarium, non nigredo fumi, sed candor baptismi. Quid dicit magister testator voluntarius? Pete a me aliquid priusquam absumar a te. Et ille: Spiritus qui in te est, duplicior fiat in me. Et magister: Durum est quod petisti, sed inter aquas quod petitur non negatur (*IV Reg.* ii, 9). Quid non accipiunt, cum transeunt per fontes aquarum, ut regnum possint intrare cælorum? Ergo Elias quid respondit avaro discipulo, sine avaritiæ vitio? Avarus enim in regno Dei non reprehenditur, sed laudatur. Si me, inquit, videris absumi a te, fiet tibi. Ille pollicetur, iste sectatur. Magister undam Jordanis percussit pelle. discipulus vivam magistri non deserit caritatem. Indumentum prophete qui portatur in igne non serico cum lineæ, sed pellis mortua cum vita nova. Pellem enim portabat, quia membra sua super terram mortificabat. Pellis capri mortui, quem Christus portabat, qui venit in *similitudinem carnis peccati* (*Rom.* vii, 3). Pertranseunt petitor et promissor, oblato et præsumptor. Refusa est unda, et apparuit obvia quadriga cum flamma. Turbatur aer, venti moventur, procellæ quiescunt, demones fugiunt, tenebrarum principes disperguntur. Suspenditur discipulus, et levatur magister. O mirabilis evectio, ubi non equi Cappaloces, sed equi ardentis. Currus de incendio, non de ligno. Quadriga ju ti valoris non erit vestita argentea massa, sed aurea cortina de flamma. Rogo, quales equi erant? animalia videbantur, sed ignis non palpabatur. Ille amœnus castitate erat qui sedebat. Rotæ ubi currebant? Ubi ungula quatiebatur eorum. Qualis campus? Aer et ventus: ubi volubiles rote spiritali rotatu fulgebant atque sonabant. Aer illi erat campus, ignis ascensus, patria paradysus. Sed quantum delectat magistrum suscipere ascendentem, tantum delectat discipulum cervuere flebili post magistrum expectatione pendente. Clamavit, convenit, *Pater, Pater, agitator Israel* (*IV Reg.* ii, 12). Et ille jactavit pellem, ut consolaretur amantem. Suscepit magnum thesaurum hæreditatis, pellem fortissimi testatoris. In illa pelle sortitus est potestatem ut divideret et ipse Jordanem, secaret torrentem, leprosum muni-

* Reliqua addimus ex ms.

daret, duos mortuos suscitaret, viduam a debito fenoris liberaret, pupillos de servitutis eatenis erueret. Istæ erant divitiæ pellis, qua se expoliabat testator, et hæres amictus est. Quia et Christus Dominus, cuius propheta erat Elias, spoliavit se carne per vivam mortem, et totus vestitus est mundus novitate gratiæ per Jordanem.

SERMO XXI.

De filiis Zebedæi.

Benedictus Dominus qui facit mirabilia solus, qui aedet super sedem regni sui, abyssos dignatus est nostri visitare peccati, ut et nos de throno mortis eriperet, et secum atque in se Patris dextera collocaret. Sed quæ attingebat ad sedentem, nisi videremus transeuntem, quem Stephanus vidit stantem? Hoc rogabat beatus David, sicut in præsentem cantavimus, et post psallente concordi voce respondimus: *Qui sedes super Cherubim, appare coram Ephrem, et Benjamin et Manasse (Psal. lxxix, 2)*. Hoc audierat, et legendo didicerat beata mater filiorum Zebedæi, et intellexit Dominum super Cherubim sedentem, quia magnam possidet dignitatem. Accedit illuminanda, adorat ut ancilla. Postulat non dona terrena, sed vota cælestia. Dominus est enim cælorum, a quo cælestis flagitat desiderium. *Dic, inquit, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam in regno tuo (Matth. xx, 21)*. *Dic, inquit, in verbo tuo: et effectus proficit voto meo. Dixisti, et factum est cælum: dic, et parabitur filiis meis thronus, claritudo thronorum. O mulier conditione! Sed quia mater es pietate, humanam supergressa es dignitatem. Christus de cruce prædicabat, et illa imperium cognoscebat. Ille dicebat, *Ecce ascendimus Hierosolyman, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur (Ibid., 18)*. Et illa interpellatrix accesserat dulcium filiorum. O mater filiorum beatorum! Meritum præcessisti beatorum, et honorem prætergressa es angelorum. Non tibi sufficit quia filios tuos feci excelsos prædicatores, quos inopes nutrieras piscatores? Post retia cælum, post hanc Evangelium, post navicellam postulas thronum? Non audisti in libris paternis quid angelis dixerit elaritati? Raphael inquit: *Ego sum unus de septem angelis qui astamus, et conversamur ante claritatem summi Dei (Tob. xii, 15)*. Et tu dicis, *Sedeant filii mei? Non audisti quid dixerit Daniel? Videbam, et ecce thronus positus, et sedit Antiquus dierum. Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei (Dan. vii, 9)*. Et tu dicis, *Sedeant filii mei? Isaias cernit propheta Seraphim in circuitu altaris ante Dominum astantem (Isa. vi, 2)*, et tu postulas filios tuos in thronis sedere? Quasi si stent, parum est tibi, mater. Aut si angelorum ordinem nesciebas, patrum nostrorum merita quare non legebas? Non est dignum ut coæqueur illi tui patri nostro David, qui per citharam pellebat dæmonia (*I Reg. xvi, 23*), qui humana lingua angelicum cantavit Alleluia, qui allophytum Goliath vicit innocentia, non lorica (*I Reg. xvii, 49*), et qui dixit orans Dominum suum ex semine suo secundum carnem futurum, *Mane, inquit, adorabo, Domine: mane exaudies vocem meam. Mane astabo tibi, et contemplantor te (Psal. iv, 4, 5)*. Quid dicamus de Elia, qui cælesti eVectus carruca ante meruit triumphum quam sumeret præmium? Et quid dixit cum manum levasset ad cælum? *Vivit Dominus, cui assisto in conspectu ejus hodie (III Reg. xvii, 1)*. Et tu postulas filios tuos in throno sedere? Domini etiam vox est manentis, terrentis, idque firmanentis. *Vigilate, inquit, et orate, ut digni efficiamini effugere omnia quæ ventura sunt, et stetis ante Filium hominis (Luc. xxi, 36)*. Et tu filiis tuis thronos postulas majestatis? Da veniam, mater: admirantes ista diximus, non culpantes. Noli, inquit, noli, beata mater, tanquam impossibilibus me cupidam judicare. Dominus mihi tribuit istam avidam voluntatem, qui regni sui diligit violentos, et solos odit qui potentari cupiunt super egenos. *Regnum, inquit, cælorum vim**

A patitur, et qui vim faciunt diripiunt illud (Matth. xi, 12). Quia hoc dignatur amare, hoc ab eo ausa sum postulare. Ab illo audivi, *Petite, et accipietis: quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis (Matth. xxi, 22)*. Dum patet, pulso; dum accipere licet, peto; dum tempus est, quæro. Audivi enim dictum, *Quærite Dominum dnm inveniri potest (Isa. lv, 6)*: ne tunc quæralis quando inveniri non potest. Modo, modo, dum in forma apparet servi, dum patiens est usque ad mortem crucis, dum privatum gerit vultum, et necdum incensæ sunt ab illo scintillæ carbonum. Cæterum cum cœperunt præcedere venientem angelicum cum tuba et voce magna, quando virtutes cæli commovebuntur, interpellatio ibi quid faciet mulieris? Dum commovebitur ignis in circuitu ejus, et tempestas valida, mea quid prævaleant desideria? Potero ad igneam accedere thronum, congregatis ad iudicium legionibus peccatorum? Ideo modo videns eum in ista humilitate, istam præcipere cupio sponsonem, sed Dominum meum audiam respondentem. **B** *Dic jam, Domine, ut sedeant tecum filii mei, in lateribus regni tui. Et Dominus, Magnum est quod petis, sed agonis meritum non discutis. Ante vis filiis tuis mercedem, quam incipient subire laborem. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum (Matth. xx, 22)? Mater petit, et fidem Dominus poscit de filiis. Non enim erat idonea mater pro liberis fidem dicere, quorum voluntatem in suam non habuit potestatem. Sed Dominus, ut justus et sapiens, ab eis fidem poscebat, quibus agonem martyrii proponebat. Ipse enim calix passionis martyrii cruenta potione bibitur, ut sanguine mortis excludatur venenum quo per Adam perierat totum genus humanum. Ipsi enim interrogati, responderunt, *Possumus (Ibidem)*. Quid dicendum, Domine? *Possumus*. Per te, Domine, valeamus, per quem hoc petimus quod cupimus. Possibilitas nostra in tua est potestate. Petitio nostra in tua sit voluntate. Bene petitis, bene promittitis. Promissionem vestram veritas subsequatur: sed petitio vestra humanorum excohit gratiam meritum. *Calicem quidem meum bibetis (Ibid., 23)*: meum, non vestrum; vestra potio, sed mea dignatio: quod quia munere meo vobis bibentibus conceditur, bene sperate. Illi autem quod petitis, quia repositum est agonizantibus, certis sensibus expectate. *Sedere enim ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est (Ibidem)*. Quibus sit paratum non dixit. In absconso ponit honorem, ut omnibus indicet laborem. Vult enim omnes paratos, qui nullos desiderat separatos. Et propterea duobus suspendit petitionem, ne cæteris inflexisset livorem. Hoc enim semper agebat Dominus noster, non impotens potestate, sed sapiens æquitate: ut nulli animum discipulorum humanum incitasset ad zelum. Hactenus æqualiter omnes ad gloriam mittit, qui unam per viam gratiam condonavit. Nam quando apostolus Petrus sibi præsumpsit gratiam singularem, non accepit libenter, sed admonuit præscienter dicenti: *Etsi omnes scandalizabuntur in te, ego nunquam scandalizabor*. Respondit, **D** *Quia antequam gallus cantet, ter me negabis (Matth. xxvi, 33, 34)*. Petre, præsumis te cæteris superiorem, senties te inferiorem protinus. Quando autem omnibus in commune prospexit, et vitam sibi et discipulis gloriam flagitavit, dicens: *Ecce nos qui secuti sumus te, quidnam erit nobis? Respondit Dominus æqualiter, non separanter: Amen dico tibi quia vos qui secuti estis me in hac generatione, cum sederit Filius hominis in throno majestatis suæ, sedebitis et vos cum eo super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel (Matth. xix, 27, 28)*. Advertite causam quid dixerit, *non est meum dare vobis*, ne de honore duorum cæteris faceret de prælatione discordiam: quia unam cunctis præparat coronam. Nam testis est ratio majoris promissionis, quia non est impotens filius majestatis. Qui promittit duodecim thronos ad communem petitionem, duos thronos in suam non habuit potestatem? Qui ipsos thronos*

constituit cum virtute, vult discipulos suos semper esse concordēs, quia Deus est caritas. Ecce non promittit duobus: et contristati sunt decem discipuli. Quid fletet, et si se decem postpositos condolerent? Sed ut sapiens et moderatus, et a duobus tollit superbiam, et a decem subtrahit invidiam, ut omnium animas custodiret illasas. Quia thronos donandi non in humana forma, in qua Pater major est, sed in ea forma donare potest, in qua Pater et ego unum sumus. Hoc sentiat Christianus, et erit æternus.

SERMO XXII.

De Lazaro suscitato.

Lazarus amicus Salvatoris, cum jam humanis rebus esset exemptus, jam sepulturæ mandatus, imo terræ redditus, unde erat assumptus, statim sermone Domini evocatus de sepulcro exivit vivus, qui fuerat mortuus paulo ante delatus. Miratur omne vulgus de tot tantisque magnalibus. Loquitur Christus, et sequitur virtus. Stupet ipse Lazarus quod ex mortuo factus est redivivus. Jam bis gemini effluxerant dies, sed ille qui luce caruerat, diem non sentiebat. Jam eum tetri antri caligantis horroris nocturnus turbo possederat. Jam lucifragis validus infernus carcer incluserat. Jacobant exhalantis tabida atque gravis odoris membra. Jam post quarta solis curricula devoluta, corpus situ mortis obductum verminum carnivorax agmen obsederat, atque ad prædas destituti cadaveris funereas bestiolas terra gignebat. Plangebant sorores luctuico mœrore, fratris auxilio destitutæ. Parentes quoque et proximi nubila tristitia pariter condolebant. Omnibus lugubris vestis, inculta excasaries, nigro tecta velamine. Ora fluctibus mædacta, vitalia districta singultibus, omnemque eorum habitum clangor mœstissimus perturbaverat. Sed ubi rerum gestarum ignarus Christus, cui nihil inivium, nihil remotum, nihil obscurum est: quem neque intercapedo locorum, neque longinquitas regionum, abyssus refrenat, discipulis præcincia divinitate mortuum Lazarum nuntiavit. Contristati et ipsi dixerunt discipuli: *Eamus, et nos moriamur cum eo* (Joan. xi, 16). O amicitiarum indissolubile fœdus! o invictæ caritatis effectus! Optabant fieri in morte consortes, quos fecerat caritas in hac vita concordēs. Cum ergo Jesus tumulo quiescentis assisteret, atque cum ambiens populorum caterva circumstreperet, et ululæ vocis clangor clementissimis auribus mœrorem obtulisset, commotus ipse Jesus *in fremuit spiritu* (Ibid., 33), atque lacrymas fudit. Hic jam omnis religiosus invigilet sensus, quid doluerit, vel quid flevit Christus. Neque enim qui totum vitæ et mortis habebat imperium, plangere potuerat Lazarum mortuum. Plorabat, sed non utique plorabat, ut Judæi putabant, quia Lazarus satis amabat. Sed ideo plorabat, quia iterum eum ad hujus vitæ miserias revocabat. Mors, fratres carissimi, resumptio est doloris, remissio captivitatis, navigantium portus, peregrinantium patria, finis miseriarum, terminus delictorum. Nam et hæc quæ dicitur vita, non est vita, ubi nec requies a labore, nec securitas est a timore: ubi fraudes, ubi calumniæ. Tolluntur res alienæ, sine respectu misericordiæ. Dives erigitur, pauper opprimitur. Sic totum in iniquitate geritur, ut non sit penitus quod justitiæ reservetur. Ergo ploravit Jesus Lazarum, non quia mortuus erat, sed quia resurgere habebat. Nam quomodo posset mortuum plorare, quem ipse venerat resuscitare? Sed dicturus es mihi: Si malum est iterum in hac vita reverti, quoniam Jesus Christus mortuus est et resurrexit? Sed Christus sic resurrexit, non amplius moriturus; Lazarus autem resurrexit iterum moriturus. Sicut dicit apostolus Paulus: *Christus resurgens a mortuis jam non moritur, et mors ei jam non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo* (Rom. vi, 9, 10). Et ideo quarta die Lazarum suscitavit, quia sibi tertium diem quod resurgeret reservavit. Igitur postquam vi-

dit Jesus lapidem qui sepulcri illius septa claudebat, revolvi præcepit; quo revoluto cælum suspiciens, et jam se exauditum esse protestans, tali eorum hominibus Patrem precatos est voce: *Pater, gratias ago tibi, quia exaudisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis; sed propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti. Et cum hæc dixisset, ait: Lazare, veni foras* (Joan. xi, 41 et seq.). Quanta fuit clamoris virtus, ut ad miseris perveniret auditus? Qualis fuit timoris vigor, ut mortuos invaderet timor? Statim præcepto Domini mors suam legem quam habebat irrupit, suaque tot sæculis jura Christo jubente dissolvit. Cessere regie cœli claves inferni, obtrusaque fœdissimi carceris atria imperium Domini patefecit. Evanuit omnis custodia eruta sibi persona. Lazarus rursum redditur luci, iterumque convivatur in corpore Christo, quia jam fuerat mancipatus inferno.

SERMO XXIII.

De lavandis pedibus.

Omnia error stetit, quia pedes servorum Dominus lavit. Novum direxit in cursum, ut firmaret eorum vestigia sicut cervorum. Quid plus prædicem, gaudium, an miraculum? Inno gaudium et miraculum. Gaudium quod oblata sunt nostra vestigia, et pedes servorum attingit dominica dextera. Sed potius miraculum, ut cui excubant cum timore exercitus angelorum, lavaret inclinatis manibus vestigia piscatorum. Expavit cælum, expavit terra Dominum ita humiliter, et hominem super Deum exaltari. Quid est quod dicit hæreticus, quia fuit humilis Patri Filius, honore, non timore? Quando vides servilibus curvatum Dominum non timore, sed amore, nec servitute, sed dominatione. Quia ut redderet servis ingenuitatem, servilem illis exhibuit pietatem. Ergo erit servus minor, quia pedes lavit, qui est omnium major? Quia *qui inter vos minor est, in regno cælorum major est* (Luc. ix, 48). Servit Dominus, et murmurat servus. Magister et Dominus liberavit et docuit, cum facit quod docuit. *Non enim, inquit, Filius hominis venit ministrari, sed ministrare* (Matth. xx, 28). Hoc fecit quod docuit. Sed beatus Petrus mysterium non cognovit; timuit potius quam recusavit: *Domine, tu mihi lavas pedes* (Joan. xiii, 6)? Tu, Domine, cujus thronus cælum est, et terra scabellum pedum tuorum, eris minister pedum meorum? Parvane est crux quam suscepisti, vulnera quæ sustinuisti, fel et acetum quod bibisti? Parum est quod in sepulcro vivus moriens latuisti: ad pedes meos, Domine, pervenisti? Terret me species tua. Conturbat me manus tua. Indigna sunt vestigia mea. Et Dominus: *Sine, Petre, quod facio nescis, scies postea* (Ibid., 7). Quasi infans es, et unus de parvulis istis, qui infantiliter plangunt cum illis pedes lavantur, nescientes mysterium, non recusantes obsequium. Talis es, tum eris parvulus, eris, Petre, novissimus. *Nisi laverò tibi pedes, non habebis partem mecum. Domine, inquit, non tantum pedes, sed et manus, et caput* (Ibid., 8, 9). Accipiant hic omnes exemplum, qui contraria sentiunt. veniant ad iudicium. Alii non irrideant Christi humilitatem, alii non repetant baptismi simplicitatem. Quia *qui semel lotus est, non habet necessitatem lavandi; est enim mundus totus* (Ibid., 10). Quare ergo pedes lavantur, si est mundus totus? Non est istud mysterium baptismatis, sed obsequium caritatis: ut discant infantes quod didicerunt et piscatores; et sint omnes paratis pedibus Christi præcones, ut de omnibus dicatur: *Quam speciosi sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona* (Rom. x, 15)! De quibus lætatur mater Ecclesia, quæ modo in pelvi colligitur, tanquam in figulina coquitur. In toto mundo congregatur, ut in pelvi aqua. Ibi servorum mundata vestigia, ut in toto mundo baptismi aspiceret gratia, et omnium sacerdotum percurrant munda præconia, quia *vox tonitruum ejus in tota* (Psal. lxxvi, 19): quia Domini est terra, et tota redempta Ecclesia, in qua omnes exantamus Alleluia.

SERMO XXIV.

Alius unde supra.

Mysterium hodiernum cursus est ad regnum cœlorum, ubi lavantur vestigia parvulorum, ut ipsi valeant mundatis pedibus currere, et venena sua draco non possit inserpere. Quam speciosi pedes eorum, quibus pedes lavat Dominus angelorum! Magnum spectaculum, ubi contremiseit genus humanum, inclinari Dominum ad vestigia famulorum. Qui *inclinavit cœlos, et descendit, et caligo sub pedibus ejus* (Psal. xvii, 10): modo inclinatur se ad obsequium discipulorum. Gaudeat totus mundus. Inclinatio enim Christi incurvatio est superbie Antichristi; ut ipse vadat curvus, et apostolorum sit directus excursus, et mundus gaudeat universus. Pelvis enim ista universa est terra redempta, in qua missa est aqua, ut hi qui habitant terram transeant ad vitam per aquam. Figulus est qui fecit pelvim, et redemit orbem. Ornavit fictilia vasa in pelvi limosa, ut possint portare thesaurum in vasis fictilibus ablutis pedibus, aquis gaudentibus, apostolis tremescitibus. Sed Petrus constantia fidei sue voluit contradicere, non inobedientia, sed timore. *Domine, inquit, tu mihi lavas pedes* (Joan. xiii, 6), quem tremunt angelice potestates! *Qui sedes super Cherubim* (Psal. lxxix, 2), inclinas te ad pelvim! Curvaris ad servos tuos, qui erigis elisos, et solvis compeditos (Psal. cxlv, 8)! *Domine, excedit me istud tam grande mysterium, quod puto mecum posse tremiscere cœlum, nec angeli te permetterent, quod ego excuso trementer. Sufficit mihi quod tuam præsentiam tribuisti, gratiam donasti, virtutem concessisti, ut lumen reddatur cæcis, auditus surdis, cursus claudis, vita mortuis: et inclinas te pedibus meis! Non convenit istud meritis meis et nostris. Sine, inquit, Petre, non tibi opus est contraire, ne tibi incipias impedire. Nisi laverò tibi pedes, non habebis partem mecum, et excusas obsequium meum? Ideo utique formam servi accepi, manens in forma Dei, ut me inclinem, et vos sublimem; ut manum meam mitam in aquam ad vestra vestigia, quo possitis discere viam novam, et specioso cursu ambulare in ea. Audivit hoc Petrus, et factus est avarus, qui erat timidus. Domine, inquit, non tantum pedes, sed et manus, et caput* (Joan. xiii, 9). Non, Petre. Ego cognovi mensuram, qui dedi gratiam meam. *Jam mundi estis qui semel loti estis: qui enim semel lotus est, non habet necessitatem lavandi, scilicet est mundus totus. Officium vos doceo humilitatis, non repetitionem baptismatis. Ostendo vobis quid in vita faciatis. Magister sum et Dominus, sicut habet confessio vestra. Hoc vobis tradet humilitas mea. Quod Dominus sum, mundo vos, quod in forma servi, doceo vos, ne superbia extollat vos. Didicimus ergo humilitatem Domini. Gamteamus ergo in die octavo Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Discant homines semel debere renasci, et cupiant hominea manu Christi mundari. Qui enim non mandatur manibus Christi, non potest currere iter cœli. Sic cucurrerunt apostoli per lotos cardines mundi, sic martyres occurrerunt pedibus emundatis, ut non timerent flammam calcare craticulæ ardentis, et ollæ ferventis, cibani bullientis. Solidavit enim plantas servorum suorum, ut sermo Domini currat, et clarificetur, et humilitas atque divinitas ejus regnet in sæcula sæculorum. Amen.*

SERMO XXV.

Item de lavandis pedibus.

Caput surrexit, totum corpus refulsit, hesterno illustratus est apostolicus chorus januis clausis seJentium. Hodie lavantur pedes electorum, præparati in eursum more cervorum. Quam bene inclinatum est caput, ut resurgeret corpus! Et quia pedes ad caput non poterant ascendere, caput se dignetur pedibus inclinare. Hodie implevit pelvim, ut in sua Trinitate vocationis nostræ colligeret unitatem. Qui congre-

A gavit mare, implevit pelvim: mare piscibus, pelvim piscatoribus. Ibi Petro dixit, Veni post me, faciam te hominum piscatorem (Marc. i, 17). Hic adjuvet et terret, obsequitur et minatur. Nisi laverò, inquit, tibi pedes, non habebis partem mecum in regno cœlorum (Joan. xiii, 8). Adhuc quasi delicatus ægrotus repellis medici manus? Curam bonam vis recusare? Partem mecum non vis habere? Si enim repellis humilitatem meam, non videbis altitudinem meam. Si non lavabunt te manus meæ, non tangent me manus tue. Si tuos non laverò pedes, o Petre, in paradisum quomodo poteris introire? Non carebis veneno serpentis pedibus tuis, si repugnans manibus meis. Manus meæ fecerunt te, manus meæ lavent te. Manus tue non repellant me, ne ejus pugnes manibus contra me. O stupendum miraculum! O grande spectaculum! Imperator cœli ad pedes militum recubat inclinatus; et homo pulvis et cinis contra Dominum pugnat inflatus. Dicit mihi quidam superbus ex adverso resistens, qui minorem dicit Dei Filium qui missus est a Patre, et honorificat Patrem. Non propter imparem dignitatem, sed propter individuum caritatem, minor est Patre, qui clarificat Patrem? Quid dicis? quid taliter sapis? Et ille qui dicit, *Ego, et Pater unum sumus* (Joan. x, 30). Et, *Qui me videt, videt et Patrem* (Joan. xiv, 9). Ideo minor est Patre, qui clarificat Patrem? Nunquid et servis suis minor est, quibus tantam exhibuit humilitatem, ut se dignaretur eorum vestigia procurare? Nam qui gratias agit Patri suo, et Lazarum propria potestate suscitavit de tumulo suo, ipse lavat pedes Petro piscatori famulo suo. Quid autem mirum, si surrexit a cœna, et posuit vestimenta sua (Joan. xiii, 4), qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit? Sed cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Hoc Vas electionis de sigillo Dei clamat, et dicit: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (Philip. ii, 6). Rogo a Paulo apostolo, * in forma Dei Deo æqualis esse prædicatur, quomodo minor esse Patre sacrilegæ presumptione narratur? Quid ergo mirum si præcinxit se linteo (Joan. xiii, 4), qui formam servi accipiens habitu est inventus ut homo? Quid mirum si misit aquam in pelvim (Ibid., 5), unde lavaret pedes discipulorum, qui in terra sanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum? Quid, inquam, mirum, si linteo quo erat præcinctus pedes quos laverat tersit, qui carne qua erat indutus evangelistarum vestigia confirmavit? Et linteo quidem ut se præcingeret, posuit vestimenta quæ habebat. Ut autem formam servi acciperet, quando semetipsum exinanivit, non quod habebat deposuit; sed quod non habebat accepit. Venit ergo ad Petrum, et excusat Petrus. Non mihi lavabis pedes. Domine, posuisti propter me vestimenta tua, et lavabis vestigia mea? Cinctus es renibus propter me. In moribus cinge me propter te. Et noli tantum humiliare te, ut jaceas ante me. Humilitas tua trepidatio mea est. Tu es in forma Dei, et propter me factus es in forma servi. Vidi pedes tuos super mare ambulare. Non possum manus tuas in meis pedibus tolerare. Tu pateris injuriam, et meam succendis conscientiam. Et Dominus, *Nisi laverò tibi pedes, non habebis partem mecum* (Ibid., 8). Non tibi prodest excusare, ne postea te incipias accusare. *Quod enim facio, modo nescis, scies autem postea* (Ibid., 7). Ista fuit controversia de pietate et humilitate Salvatoris et piscatoris, redempti et Redemptoris, obsequentis et timentis, Domini et famuli, Magistri et discipuli: ut servare docerentur alterutrum apostoli venerandi. Hujus enim operis rationem exponens taliter allocutus est dicens: *Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magistrum et Dominum, et bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego Dominus et magister lavi pedes vestros, debetis et vos alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quomodo ego feci vobis, ita et vos invicem faciatis* (Ibid.,

* Addendum videtur pronomen *qui*, quamvis hoc non omnino postulet syntaxis. Edit.

12 et seq.). Quod itaque Dominus suis facere dignatus est servis, hoc etiam ipsi fecimus hodierno die servi conservis. Præcincti pedes lavimus infantibus baptizatis, ut et itinera eorum dirigantur in præparatione Evangelii pacis (*Ephes. vi, 15*); et nomina calamo scribæ velociter scribentis adnotata teneantur in albo regni cælestis.

SERMO XXVI.

Unde supra.

Ecce Dominus majestatis suscepit officium servitutis, quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens (*Philip. ii, 6*). Benedictus Dominus, dicamus omnes, qui sumus evangelicæ lectionis auditores, et ablutionis pedum carissimi spectatores. Ecce inclinatur ad scabellum pedum suorum, cui thronus est cælum. Dignatus est ad pedes suos descendere, quia nos ad caput ejus non valemus attingere. Quis loquetur potentias Domini (*Psal. cv, 2*), quas in forma exsecutus est servi? Lætentur cæli, et exsulet terra, et infantum contremiscant cara vestigia: Quia Dominus qui extendit cælum sicut pellem (*Psal. ciii, 2*), ecce implevit et pelvim. Quis loquetur potentias Domini? Quando faciebat sidera, voce magna laudabant eum angeli ejus. Ipse sibi testis est per Job servum suum, in illa præclara conditione stellarum. Quando faciebam, inquit (*Job xxxviii, 7*), sidera, me laudabant angeli mei. Quando collocabat thronos, firmabat Principatus, Virtutes et Dominationes, erat potens in forma Dei. Modo collocans sedes, et apostolos spectans cinctus sedentes, factus est patiens in forma servi, qui est potens in forma Dei. Lætantur cæli, contremunt angeli, trepidant archangeli, et non audent excusare discipuli. Si dicamus angelos tunc in illo spectaculo pelvis descendentes de cælis dixisse canticum pacis, non absurdum crederemur hoc dixisse. Sed adimpleta pelve ibi pannis involvebatur, hic lintheo præcingebatur. Ibi ad pedes ejus jacent magi: hic ipse ad pedes servorum in forma servi, sed accinctus potentia, qui conturbat profundum maris (*Psal. lxxv, 7*). Gaudet ad suum modicum pelvis, cujus sonum fluctuum nemo sustinet, ipse servis suis exhibet servitutem. Sed inquietus vult esse Petrus apostolus, non repugnante, sed tremente conscientia. Prius enim venit ad Petrum, hac ratione, ut credo novissimum pedum ablutione taxasset, ne sua excusatione omnes faceret excusare. Non enim cæterorum potuit excusare servorum, non quia securi accipiebant quando se ad pedes eorum Dominus inclinabat, sed tremore concussi contradicere non audebant. Ceciderat super eos cujusdam formidolosa sarcina: quia mundi dynasta ad servilia dignatus est se inclinare vestigia. Solus Petrus legione primus, fiducia constantissimus tenuit manus dominicas, suas cum pietate ingerit lacrymas. Inclinatus cum inclinato: curvatus servus cum Domino. Deus extendit manus, ut pedes lavet, et ille extendit manus supplices, ut excuset. *Dominus, tu mihi pedes lavas* (*Joan. xiii, 6*)? Si angelo præciperes, erat mihi quodammodo ponderosum. Lavas pedes meos, qui terram creasti et cælum? Nonne tu congregasti in unum mare? et propter me implebis pelvem? Iniquitates meæ excesserunt caput meum, et tu inclinaris ad immunditiam pedum meorum? Si cælum coram: non est mundum, mundus potest esse mearum contactus plantarum? *Non lavabis mihi pedes in æternum* (*Ibid., 8*). Bene dixisti, Petre, quia non lavabo tibi pedes in æternum. Unum etenim et singulare non amo iterare mysterium: nec mandavi repeli geminum sacramentum. Non tibi lavabo pedes in æternum. Attamen unum est necessarium: si excusas modo servitutis obsequium, non habebis partem mecum in regno cælorum (*Ibidem*). Sine me implere omnem justitiam. Sic et conservus tuus Joannes excusabat ad Jordannem, sic et tu excusas ad pelvem. *Sine modo; quod facio nescia, scies autem postea*. Beatus Petrus figu-

A ram quasi adhuc tenebat infantis, manus dominicas repellentis: sicut et nobis modo lavantibus pedes infantium præveniebat dulci spectaculo contradictio suavis innocentium puerorum. repellentibus, plorabant, ejulabant, vagiebant, qui quod facimus nesciebant. Sic erat et Petrus, cui dicitur, Quod facio modo nescis, scies autem postea. Extensa est cælestis regni notitia, crevit in infante peritia. Clamat se offerens Domino, *Non tantum pedes, sed et manus, et caput* (*Ibid., 9*). Totum me lava, ut totus perveniam ad gratiam tuam. Hoc si scirem, non contradicerem, sed propter tuam hæreditatem, imple tuam quam volueris voluntatem. O beatum dictum! O carum mysterium! O dulce servitium! *Nisi laveris tibi pedes, non habebis partem mecum*. Quare pedes tui, id est totius generis humani adhuc in oblivione terroris sunt constituti? Ad regni viam non sunt mundati? Ideo lavo pedes tuos, ut ambules iter rectum, et pervenias ad regnum meum. In via multi sunt latrones, et multi dracones, copiosi serpentes, scorpionum speculantes. Si vis impleri tibi quod dixi, calcabis super serpentes et scorpiones, et nihil tibi nocebunt. Sine me pedes tuos lavare, calceamentis Evangelii pacis induere, ut sis bonus cursor, speciosus annuntiator, et tanquam margaritis indutus evangelicis calceamentis, dicatur de te: *Quam speciosi pedes annuntiantium bona, annuntiantium pacem* (*Rom. x, 15*)! Ergo abluimus pedes infantium, acceperunt calceamentum novum, et speciosi facti sunt pedes eorum, ut ubi fuerint introgressi, sit speciosus super regalia calceamenta visus pedum. Cum dicent, Pax huic domui, requiescet pax in domo vestra digna: quia infantium vestrorum solemnitati cara sunt abluta vestigia in vitam æternam.

SERMO XXVII.

De muliere quæ perfudit unguento caput Jesu.

Discubuit Dominus in domo, qui continetur cælo. Unguento perfunditur, qui de nomine suo chrismatis donavit unguentum, qui nutrit omnia ligna liquoris, et intra viscera olearum pinguedinem coagulat olei perfragrantis, qui olive ramulum pendere jussit in labiis columbæ volantis. Unguentum non respuit mulieris, qui creavit cinnamomum, balsamum, aromata, myrrham electam, guttam, et casiam. Perfunditur unguento in mensa nova, quia novum erat ut discumberet cum piscatoribus qui fecit cælum et terram. Pretiosum erat unguentum: quia speciosus erat ipse forma præ illis hominum (*Psal. xlv, 3*), qui discumbebat in medio lapillorum. Passio propinquabat, mulier Ecclesia cum unguento currebat. A tergo stetit, quia Christum dum resurgeret intellexit. Ante ungebat sepeliendum, postea adorabat internuntia angelorum. Fragravit unguento domus, dedit odorem mundus, quia mundatus est qui erat immundus. Invidet Judas, et dicit, Cur perditio ista? non potest hoc unguentum trecentis denariis venundari, et pauperibus dari (*Marc. xiv, 4, 5*)? Quid dicis, Juda? intelligeris: non est ista pietas, sed cupiditas. Nulla est in tali facto perditio: tua erit inimica proditio. Ista perfudit unguentum per bonum mentis affectum, tu distrahis Dominum tuum, dum amas argentum. Quid dicis, Potuit venundari trecentis denariis, et Dominum tuum propinas triginta argenteis? Plus valet unguentum quam Christus christorum, Sanctus sanctorum, Rex regum, et Dominus dominorum? Bene aestimas chrisma pretiosum: quare de Christo vile postulas pretium? Illud unguentum pigmenta suavia coagularunt: Christus paterno corde ructatus est, de quo dedit odorem, illuminatio cæcorum, auditus surdorum, erectio claudorum, et resurrectio mortuorum. Et tu de illo vile pacisceris pretium inter commercia Judæorum? Sed Dominus qui libenter accepit unguentum, ipse redarguit murmurantem. Pro ista causaris? Nihil perit obsequio mulieris. Cur angeris de pauperibus? habes semper potestatem, si tamen disponis facere pietatem; et ego pauper sum, ante te sum, et non intelligis me? Tecum discombo,

et distrahis me? Judæi dederunt pretium, Judas accepit argentum, nec ipse possedit pretium, quia ecurrit ad laqueum; nec ipsi possederunt quem emerunt. Cantel Christus Redemptor, gemat Judas venditor, erubescat Judæus emptor. Ecce Judas vendidit, Judæus emit. Malum negotium cgerunt, ambo damnificati sunt, seipsos perdidierunt. O tu Juda! o tu Judæe! venditor et emptor esse voluistis, quanto melius a Christo redempti fuissetis? Judas vendidit, Judæus emit: infelix commercium! nec ille habet pretium, nec ille habet quem emerat Christum. Ad istud commercium convenite omnes, qui Dominum comparatis non tenendum, sed cruciligendum, non amplectendum, sed clavis ligendum. Si voluissetis habere commercium, non inaniter daretis argentum. Falsi estis, crudelem nundinam procurastis, et falsum consilium cogitastis, et vos perdidistis, et miserum cui pecuniam numerastis. Ecce nos redimimur in commercio gratiarum, hic redimuntur multorum corpora mortuorum, de sepulcris propriis suscitantur. Clamaverunt Redemptori, et vos proclamastis pendenti. Illi paruerunt in Jerusalem, et vos Dominum duxistis extra Jerusalem. Illi dixerunt, *Non mortui laudabunt te, Domine; sed nos qui vivimus, benedicimus te* (Psal. cxiii, 17, 18): et vos dicebatis, *Crucifige, crucifige* (Luc. xxiii, 21). Vos fixistis clavos, illi aperuerunt oculos suos. Illi deseruerunt monumenta sua, et vos signastis monumentum Christi, ponentes petram magnam, et inani custodia contra Dominum signastis in sepulcro jacentem. Nunquid signastis contra eum in caelo regnantem? Qui descendit caelis inclinatis, petram non potest repellere monumenti? Qui educit victos in fortitudine (Psal. lxxvii, 7), custodes vestros non potest percutere cæcitate? Ad crucem testes fuerunt mortui, facti vivi surgentem Dominum nuntiabant, milites confirmabant. Et vos aliam faciatis nundinam militibus dare pecuniam, ut dicant quia discipuli ejus venerunt, et furati sunt eum (Math. xxviii, 13). O Judæi semper vani! Surgentis Christi abscondi non poterat sacramentum. Sine causa perdidistis argentum, ibi ad traditorem, hic ad milites. Sed riserunt de vobis angeli nuntiantes. Gavisæ sunt gentes, et crediderunt de Domino angelicæ potestates. Ubi est quem emistis? ubi est cui pecuniam numerastis? Gratis redimi potuistis: sed et modo si redimi vultis, bibite sanguinem quem fudistis. Ipsum et nos bibimus, si vultis, et vos cantando nobiscum, *Et calix tuus inebrians quam præclarus est* (Psal. xxii, 5)! Ipse sanguis nos redemit in mundo, qui modo in Agno vivo fulget in caelo.

SERMO XXVIII.

De latrone crucifixo cum Christo.

Legitur supra inter genuinos S. Fulgentii sermones hoc initio, Mirandum præ cæteris, etc.

SERMO XXIX.

Item unde supra.

Inter justorum præconia et eas laudes quibus bene agentium testimonium prosequi debemus, et peccatoris suadere confessionem, eadem nobiscum est et tutela, ut omni figura edoceamus Dominum nostrum omnium creatorem, conditorem atque rectorem in retribucendis muneribus largum, in dimittendis erroribus piûm: quam præsens evangelica lectio latroni me laudem dicere non merito persuadet, qui peccatoribus suæ fidei confessionisque dimisit exemplum! Sic enim legimus, cum pro nobis Dominus pateretur, duo latrones cum illo in cruce pendebant, de quibus unus confitebatur, et alter blasphemabat. Is autem qui blasphemabat, dicebat: *Si tu es Christus, salva te ipsum et nos. Et respondens alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Nos quidem justa patimur, nam digna*

factis recipimus; hic vero nihil mali gessit (Luc. xxiii, 39 et seq.): et ut confessionem oratione commendaret, dicebat ipse ad Dominum: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum* (Ibid., 42). Cui Dominus cito reagnoscenti, et cito de se confitenti, et cito pro se oranti, digna brevitate respondit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (Ibid., 43). Ut impleretur quod per Isaiam prophetam dixerat: *Orabis, et cito exaudiet; clamabis, et dicet, Ecce adsum* (Isa. lxxiii, 9). Ecce, fratres, elegit Dominus cum confitente sibi esse in paradiso, qui proprium regnum habet in caelo. Mecum ergo eris, dixit: quia potioris est inferiorem sui copula honorare. Si enim diceret, tecum ero, in superbiam erexisse, non munerasse peccatorem Dominus videretur, sicut ait evangelista: *Sufficit enim servo, ut sit sicut dominus ejus, et discipulo, sicut magister ejus* (Math. x, 25). Mecum ergo eris dicitur peccatori, hoc est dicere: Paululum non festino ad caelum, ut tibi confitenti petitum non denegem regnum. Sed, necum eris, dixit, in paradiso: non, necum sedebis in caelo. Qui enim solus descendit de sinu Patris, ipse solus sedet ad dexteram Patris. Et qui solus descendit a Patre, ipse solus ascendit ad Patrem. Hic ergo latro martyres confitendo ad paradysum vicit; apostolos orando vicit ad regnum: violentus in mundo, violentus in premio. Petro enim dicitur: *Sopere me* (Joan. xxi, 19): latroni respondetur, non deseram te, una confessione, una laude, et fidem obtulit Petro, et scientiam contulit Paulo. Ille enim fuit negator; ipse persecutor. Solus latro in simili passione, in simili cruce, verus inventus est Domini predicator. Semper ergo Dominus pro peccatoribus laboriosus, in peccatoribus pius, pro peccatoribus orans, peccatoribus donans. Quia aut advocatus orat, aut iudex donat. Stantem advocatum Stephanus vidit, iudicem sedentem Paulus agnovit. Sic itaque, fratres mei, ut confessus latro muneraretur, Dominus ad paradysum venit, ut Adam a pœnis eriperetur, Dominus ad inferos plenus homo descendit. Hunc honoravit, illum liberavit. Huic sine pœna constituit locum in paradiso: illum de pœnali liberavit tartaro. Hoc est quod dixit: *Hodie mecum eris in paradiso*, quia prius Dominus cum latrone ad paradysum, quam pro Adam descendit ad tartarum. Nam illum primo die descendens collocavit in requie, istum ascendens tertio die deduxit ad lucem. Sed uter illorum post peccatum fuerit felicior, non agnosco. Primum enim habitorem sine peccato paradysus habuit; secundum latronem post peccatum accepit. Et quia omnis creature in laudibus Dei, et vox auditur, et sensus agnoscitur, expavisse paradysum puto, quod Adam peccatorem excluderet, latronem peccatorem susceperit. Unde dixisse eum credo: Si peccatoribus una est certe conditio, ejecto ex me, quia peccavit, Adam: cum Enoch et Elia cur me inhabitat latro? Illum enim ad me raptum, alterum ad me translatum, hunc in me collocatum agnosco. Facta est felix latronum justa confessio peccatorum. Fit tertius in paradiso, qui fuerat reus in mundo. Et cum Enoch et Elias pro Domino veniant morituri, solus latro cum Domino moritur, cum Domino paradysum ingreditur.

Desiderantur.

De Resurrectione Domini.

XXX.

Item unde supra.

XXXI.

Item unde supra.

XXXII.

Item unde supra.

XXXIII.

SERMO XXXIV.

De sacramento altaris.

Ista, fratres, ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet spiritalem. Corpus ergo Christi si vultis intel-

* Est Augustini, teste ipso Fulgentio, qui hunc sermonem integrum refert epistola ad Ferrandum, nunc ordine duodecima in fine, et ex ms. cod. Vatic. Etsi vero desunt hic aliqua, quia tamen paulo aliter legitur hic quam ibi habetur, quod hoc loco habebant antehac editi codices, totum quoque representamus.

ligere, Apostolum audite dicentem, *Vos autem estis A corpus Christi et membra (I Cor. x, 2, 7)*. Si ergo vos estis corpus Christi et membra, mysterium vestrum in mensa Domini positum est, mysterium vestrum accipitis, ad id quod estis. Amen respondetis, et respondendo subscribitis. Audis enim, *Corpus Christi*, et respondes, Amen. Esto membrum corporis Christi, ut verum sit Amen. Quare ergo in pane? Nihil hic de nostro asseramus. Ipsum Apostolum identidem audiamus. Cum de isto sacramento loqueretur, ait: *Unus panis, unum corpus multi sumus (Ibid., 17)*. Intelligite, et gaudete. Unitas, pietas, veritas, caritas: *unus panis, unum corpus multi sumus*. Recolite enim quia panis non de uno grano fit, sed de multis. Quando exorcizabamini, quasi molebamini; quando baptizati estis, quasi conspersi estis; quando Spiritus sancti ignem accepistis, quasi cocti estis. Estote quod videtis, et accipite quod estis. Hoc Apostolus de pane dixit. De calice quid intelligeremus etiam non dictum, satis ostendit. Sicut enim ut sit species visibilis panis multa grana in unum conspurgantur, tanquam illud B fiat quod de fidelibus ait Scriptura sancta, *Erat illis anima una, et corpus unum in Deo (Act. iv, 52)*: sic et de vino, fratres. Recolite unde fit vinum. Grana multa pendunt ad botrum, sed liquor granorum in unitate confunditur. Ita et Dominus Christus significans nos ad se pertinere, voluit mysterium pacis et unitatis nostræ in sua mensa consecrare. Qui accipit mysterium unitatis, et non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.

SERMO XXXV.

De secundo die Paschæ.

Hesterno die lecta est ex Evangelio Resurrectio, lecta autem ex Evangelio secundum Marcum. Hodie vero, sicut audistis pronuntiare lectorem, recitata est nobis ex Evangelio Domini Resurrectio, sicut Lucas evangelista conscripsit: quod sæpe admoneri estis, et memoriter tenere debetis. Non vos debet movere quod alius evangelista dicit, si quid alius prætermiserit: quia et (at., etsi) ille qui prætermittit quod alius dixit, dixit aliquid quod ille prætermiserat. Aliqua vero singulus dicit, et alii tres non dicunt. Aliqua de Domino dicunt, et alii non dicunt. Aliqua tres dicunt, et unus non dicit. Auctoritas autem tanta est Evangelii sancti, ut quia in eis loquebatur Spiritus unus, verum sit etiam quod dixerit unus. Hoc ergo quod modo audistis, quia Dominus Jesus posteaquam resurrexit a mortuis, invenit duos in via ex discipulis suis colloquentes invicem de his quæ contigerant, et dixit illis, *Qui sunt sermones isti, quos loquimini vobiscum, et estis tristes (Luc. xxiv, 17)*? solus dixit Lucas evangelista. Brevis hoc attigit Marcus (Cap. xvi, 12), quia apparuit duobus in via: sed quid illi dixerunt Domino, vel quid eis dixerit Dominus, prætermisit. Quid ergo ista lectio contulit nobis? Magnum aliquid, si intelligamus. Apparuit Jesus, videbatur oculis, sed non agnoscebatur. Magister cum illis ambulabat in via, et ipse erat via. Et nondum illi ambulabant in via, sed invenit illos exorbitantes de via. Quando enim cum illis fuerat, ante passionem omnia prædixerat, passurum se fuisse, et moriturum, et tertia die resurrecturum. Omnia dixerat, sed mora illius illorum oblitio fuit. Sic perturbati sunt quando eum viderunt in ligno pendentem, ut obliviscerentur Joquentem, non expectarent resurgentem, nec tenerent promittentem. Nos, inquit, sperabamus quia ipse esset redempturus Israel (Luc. xxiv, 21). O discipuli, sperabatis? Ergo jam non speratis? Christus vivit, et spes mortua est in vobis? Vivens Christus mortua corda discipulorum invenit: quorum tunc oculis apparuit, et non apparuit, et tamen videbatur. Nani si non videbatur, quomodo illum interrogantem audiebant, et interroganti respondebant? In via cum illis tanquam comes ambulabat, et ipse dux erat. Uti-

que videbant, sed non agnoscebant. Tenebantur enim oculi eorum, sicut audivimus, *ne illum agnoscerent (Ibid., 16)*: non tenebantur ne viderent; sed tenebantur ne agnoscerent. Eia, fratres, ubi voluit Dominus agnosci? *In fractione panis (Ibid., 35)*. Securi sumus, panem frangimus, et Dominum agnosimus. Noluit agnosci nisi ibi, propter nos qui non eum visuri eramus in carne, et tamen manducaturi ejus carnem. Quisquis ergo fidelis es, quisquis non inaniter Christianus vocaris, quisquis Ecclesiam non sine causa ingrederis, quisquis verbum Dei cum timore et spe audis, consoletur te fractio panis. Absentia Domini non est absentia. Habeto fidem, et tecum est quem non vides. Illi quando cum eis Dominus loquebatur, fidem non habebant: quia cum resurrexisset, non credebant, nec resurgere posse sperabant. Perdiderant fidem, perdiderant spem. Ambulabant mortui cum ipsa vita. Cum illis ambulabat vita, sed in eorum cordibus nondum erat vita. Et tu ergo si vis habere vitam, fac quod fecerunt: ut agnoscant Deum, hospitio susceperunt. Similis erat Dominus tanquam in longinquo pergenti. Illi vero tenuerunt eum, et antequam venirent ad locum, contendebant dicentes ei: Hic jam nobiscum mane, declinavit in vesperum dies. Tene hospitem, si vis cognoscere Salvatorem. Quod tulerat infidelitas, reddidit hospitalitas. Dominus ergo præsentavit seipsum in fractione panis. Fractionem ignotus loquitur cum hominibus, in panis fractione cognoscitur, quia ibi vita æterna percipitur. Hospitio suscipitur qui domum parat in cælo. Ait enim, Multæ sunt mansiones apud Patrem meum (Joan. xiv, 2). Hospes interea esse voluit Dominus cæli; hospes esse dignatus est, ut tu haberes suscipiendo benedictionem. Nemo superbiat, quia dat pauperi. Christus pauper hic fuit: discite ubi Dominum queratis, discite ubi habeatis, discite unde agnoscat, quando manducatis. Norunt enim fideles aliquid quod melius intelligunt. Dominus Jesus cognitus est, et posteaquam cognitus est, nusquam apparuit. Abscessit ab eis corpore qui tenebatur in fide. Ideo est absens, ut fides ædificetur. Si enim vides, ubi est fides? Si autem credis et quod non vides, cum videris gaudebis. Ad quod modo credis, ædificetur fides, quia reddetur species. Veniet quod non videmus, vide quomodo te inveniat. Nani quod dicunt homines, Ubi est? quando erit? quando venturus est? Certus esto, veniet. Et si nolis veniet. Erit enim magnus tremor his qui non crediderunt, et magnus gaudium qui crediderunt. Gaudebunt fideles, confundentur infideles. Fideles gratias acturi sunt Domino, quia vera sunt quæ crediderunt: infideles confundentur, quia falsa putaverunt. Laudo eos qui non vident et credunt, quia cum viderint gaudebunt. Causa salutis nostræ suscepit Dominus carnem, in qua suscepit et mortem. Resurrexit die tertia, jam non ulterius moriturus, et recepta quam deposuerat carnis substantia primus nobis resurrectionis incorruptibilis fecit exemplum. Ascendens in eodem corpore ad Patrem, sedet ad dexteram Dei, iudicium Patris communicans pietate, quem venturum ad iudicium speramus vivorum ac mortuorum, ut et nos de nobis credamus de ipso pulvere eandem carnem accipere, eadem ossa, eandem semper mensuram membro-rum reparationem. Omnes sumus resurrecturi: sed non omnes lætaturi. *Veniet dies, inquit, quando omnes qui in monumentis sunt audiant vocem Filii Dei, et procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui mala egerunt in resurrectionem iudicii (Joan. v, 28, 29)*. Ita faciet, ut confusioni reddatur supplicium, lætitiæ reddatur præmium. *Ibunt illi in combustionem æternam, iusti vero in vitam æternam (Matth. xxv, 46)*.

SERMO XXXVI.

De laudibus Mariæ ex partu Salvatoris.

Nativitas Domini nostri Jesu Christi totum mun-

* Est Augustini sermo 140, de Tempore.

** Subsequens sermo nec Fulgentii est, nec Augu-

deum nova adventus sui hodie luce perfudit. Hodie de caelo Deus descendit ad hominem, ut in caelo homini prepararet ascensum. Hodie accepimus natum Dei, Virginis filium, omnium credentium Salvatorem, Deum de Patre, hominem de matre, Deum occultum, hominem manifestum. Et quoniam diabolus per serpentem Evæ locutus, per Evæ aures mundo intulit mortem, Deus per angelum ad Mariam pertulit verbum, et cunctis sæculis vitam effudit. Angelus sermonem eiecit, et Christum virgo concepit. O conjunctio sine sordibus facta, ubi maritus sermo est, et uxor auricula! Hoc splendore concipitur Dei Filius, hac inmunditia generatur. Nulla fieri gravedo potuit concipienti, nulla tristitia parturienti. Qui enim venerat triste lætificare sæculum, ventris non contristavit hospitium. De cælis medicus transiens per virginem, post transitum suum illæsam fecit Virginem permanere. Qui enim disrupta corporum membra in aliis poterat reintegrare tangendo, quanto magis in sua matre, quod invenit integrum, potuit non violare nascendo! Crevit enim ejus partu integritas corporis potius quam decrevit: et virginitas ampliata est potius quam fugata. In a gusti corporis membris sustinuit quidquid sustinent cæli. Plena sunt viscera, et nullum novit contagium virginis conscientia. Cum esset gravida, salubri levitate plaudebat: lumen enim quod intra se habebat, pondus habere non poterat. Facta est Maria fenestra cæli, quia per ipsam Deus verum fudit sæculis lumen; facta est Maria scala cælestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mereantur ad cælos. Ipsis enim licebit ascendere illuc, qui Deum crediderint ad terras per Virginem Mariam descendisse. Facta est Maria restauratio feminarum, quia per ipsam a ruina primæ maledictionis probantur esse subtractæ. Tria denique mala Evæ a tribus bonis Mariæ probantur exclusa. Nam Evæ dictum est: *In doloribus et in tristitia paries, et ad virum conversio tua, et ipse dominabitur tui* (Genes. iii, 16). Tribus ergo his malis se subjungunt femine quæ Mariam non sequuntur, dolori, tristitiæ, servituti. Maria autem e contrario, quam præclarissimis tribus bonis sublimetur, ausculta, salutationis angelicæ, benedictionis divinæ et plenitudinis gratiæ. Sic enim eam angelus legitur salutasse: *Ave, Maria, gratia plena: benedicta tu inter mulieres* (Luc. 1, 28). Cum dicit: *Ave*, salutationem illi cælestem exhibuit; cum dicit: *Gratia plena*, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ et plenæ (ul., plenam) benedictionis gratiam restitutam; cum dicit: *Benedicta tu inter mulieres*, virginitalis ejus benedictum fructum expressit, ut ex eo benedicta dicatur inter mulieres quæcunque perseveraverit virgo. Maledicta enim Eva fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionem gloriæ remeasse. Venite, virgines, ad Virginem, et lætamini; deponite maledictionem prævaricationis, et benedictionem restaurationis assumite. Projicite dolores quos Eva per serpentem accepit, et quos per angelum Maria suscepit honores assumite. Pellite tristitiam concipientis, gemitus parturientis abjicite, ut solus vobis iste Virginis filius dominetur. Venite, virgines, ad Virginem, venite, concipientes, ad concipientem, venite parturientes ad parturientem, venite, matres, ad matrem, venite, lactantes, ad lactantem, venite, juvenicula, ad juveniculam. Ideo omnes istos cursus naturæ virgo Maria in Domino nostro Jesu Christo suscepit, ut omnibus ad se confugientibus feminis subveniret, et sic restauraret omne genus feminarum ad se venientium nova Eva servando virginitalatem, sicut

A omne genus virorum Adam novus recuperat Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXVII:

De die tertio Paschæ.

Hodierna die Marci Evangelium lectum est, quomodo cum recitaretur audistis. Quid ergo audivimus Marcum dicentem? Quod apparuerit Dominus in via duobus: sicut dixit et Lucas, cujus Evangelium heri audivimus: *Apparuit eis*, inquit, *duobus in via in alia effigie* (Marc. xvi, 12). Lucas autem hoc ipsum aliis verbis dixit, sed ab eadem sententia non deviait. Lucas autem quid dixit? *Tenebantur oculi eorum, ne eum agnoscerent* (Luc. xxiv, 16). Marcus autem quid dixit? *Apparuit eis in alia effigie*. Quod ille dixit: *Tenebantur oculi eorum, ne eum agnoscerent*: hoc iste dixit, *in alia effigie*. Alia enim effigies visa est retentis oculis, non apertis. Quid ergo, fratres, quoniam Lucas dixit, quod credo vos de lectione hesternæ recentissime meminisse. Quoniam ergo Lucas dixit, quod cum benedictum frangeret panem, aperti sunt oculi eorum, et agnoverunt eum. Quid potamus, si tunc aperti sunt oculi eorum, ergo clausis oculis cum illo in via comitabantur, et poterant scire ubi gressus ponerent, si clausos oculos haberent? Aperti sunt ergo ad cognitionem, non ad visionem. Dominus itaque noster Jesus Christus ante panis fractionem incognitus loquitur cum hominibus, in panis fractione cognoscitur: quia ibi percipitur vita æterna. Hospitio suscipitur, qui domum parat in caelo. Ait enim apud sanctum evangelistam Joannem: *Multæ sunt mansiones apud Patrem meum. Alioqui dicerem vobis, ibo parare vobis locum. Sed si iero, et paravero, iterum veniens assumam vos* (Joan. xiv, 2, 3). Hospes in terra esse voluit Dominus cæli: peregrinus in mundo, per quem factus est mundus. Hospes esse dignatus est, ut tu haberes suscipiendo benedictionem. Non quia ille indigebat, cum hospes intrabat. Eliam semper famis tempore per corvum Dominus pascibat (III Reg. xvii, 6): et quem persequabantur homines, ei serviebant aves. Afferebat corvus mæne servo Dei panes, ad vesperam carnes. Non indigebat, ille ergo quem Dominus ministris avibus pascibat. Et tamen quamvis Elias non indigeret, mittitur ad viduam Sareptanam, non indigens ad indigentem: non ut ille sustentaretur, sed ut illa satiaretur. Illa vero quæ suscipere non dubitavit, offerens refectionem, meruit benedictionem. Nemo superbiat quia dat pauperibus, Christus pauper hic fuit. Nemo superbiat quia etiam suscepit hospitem, Christus hospes hic fuit. Melior est susceptus quam suscipiens, ditior accipiens quam tradens. Qui accipiebat, cuncta possidebat: qui dabat, ab illo cui dabat acceperat quod dabat. Nemo ergo superbiat, fratres mei, quando dat pauperi. Non dicat in animo suo: Ego do, ille accipit; ego suscipio, ille indiget tecto. Forte ei quo tu indiges plus est, forte quem suscipis justus est. Ille indiget pane, tu veritate. Ille indiget tecto, tu caelo. Ille indiget pecunia, tu justitia. Ille ergo pauper susceptus est hospitio quasi pauper. Dignatio fuit suscipiens, non miseria indigens. Forte dicis tibi: O beati qui meruerunt suscipere Christum! O si et ego tunc essem! O si unus de duobus fuissem illis quos invenit in via! Tu esto via, et non deerit hospes Christus. Putas enim jam non tibi licere suscipere Christum? Unde, inquis, licet? Jam resurgens manifestatus est discipulis suis. Ascendit

stini: a theologis Lovanensibus jam Augustino adjudicatus. Alterutrius horum nec mentem sapit, nec stylum implet. In edito Basileæ, cum dicit infra, quod *uide omnes istos cursus naturæ Virgo Maria in Domino Jesu Christo suscepit, ut omnibus ad se confugientibus feminis subveniret, et sic restauraret omne genus feminarum ad se venientium nova Eva servando virginitalatem*

tem, sicut omne genus virorum Adam novus recuperat; juxta postrema hæc verba in ora libri scribitur: *Hæc cum pietatis sale temperanda et corrigenda sunt. Neque enim sincerum veritatis lac sapiant.* — Legitur apud Augustinum, editionis nostræ tom. V, col. 1990. Apud Aug. sermo 146, de Tempore, sed hic truncus.

in cœlum, ibi est ad dexteram Patris, non est autem venturus nisi in ultimo sæculo ad iudicandos vivos et mortuos. Venturus autem in claritate, non in infirmitate. Daturus est regnum, non quæsiturus hospitium, quando dabit regnum. Hoc dicitis? Excidit tibi quod dicitur est: *Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (Matth. xxv, 40). Ille dives egens est usque ad finem sæculi, et eget prorsus non in capite, sed in membris suis. Ubi eget? In quibus doluit quando dixit: *Saule, Saule, quid me persequeris* (Act. ix, 4)? Obsequamur ergo Christo, et nobiscum est in suis, nobiscum est in nobis. Nec frustra dixit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Hæc faciendo agnoscimus Christum in bonis operibus, non corpore, sed corde, non oculis carnis, sed oculis fidei: *Quia vidistis, credidistis*, ait cuidam discipulo suo incredulo, qui dixerat: *Non credo, nisi tetigero*. Et Dominus: *Veni, tange, et noli esse incredulus, sed fidelis* (Joan. xx, 27). Tetigit et clamavit: *Dominus meus, et Deus meus* (Ibid., 28). Et Dominus: *Quia vidistis, credidistis* (Ibid., 29). Ipsa est tota fides tua, quia credidisti quod vides? Laudo eos qui non vident et credunt: quia cum viderint gaudebunt.

SERMO XXXVIII.

Item unde supra.

Quam pulchrum apparet litus, dum repletur mercibus, et trepidat mercatoribus! Exponuntur de navibus sarcinæ vestium diversarum, lætantur innumeris cantantium in iocunditate nautarum, et dives sinus tripudiat arenarum. Quid est illud? et quantum delectat attendere litus dominicæ resurrectionis, et portum Domini resurgentis micare mercibus pretiosis? Qui sunt bajuli? angeli et archangeli, qui sarcinas animarum de inferni vinculis solutarum deducunt lætitiæ palmis ad portum: et gerulis cervicibus ad litus perducunt terræ vivorum. Sic Domino resurgente ripa fulgebat, quando naufragium gehennæ lugebat. In illa carina corporis Christi ab inferis redeuntis imponuntur merces piratica nuper usurpatione sublata, omnium gementium animæ apud inferos captivorum: quando soluti sunt gemitus inferorum, lætantur in ripa Petri. Lætetur et illa Maria portans de pigmentis aromata necessaria: et reportans de sepulcro gaudia pretiosa et mortuorum viva de litore mercimonia. Angeli erant bajuli, et delectabiles latores, qui Dominum ad gehennam descendentem potentissime deducebant, et redeuntem lætissime precedebant. Unus super lapidem monumenti, ut merces proponeret mortis simul et vitæ, quas proponeret mulieribus, et ventilaret pastoribus, dum in aurora paradisi matutina fulget ipse Dominus Jesus Christus (Joan. xx, 12). Alii angeli, unus ad caput, alter ad pedes illius novi præsentis monumenti, ut merces linteaminum Christi non venderent, sed offerrent. Dicunt ementibus mulieribus pro pretio lacrymarum: *Quid, inquit, ploratis? Jesum quæritis, non est hic, surrexit a mortuis, sicut dixerat vobis*. Ascendit negotiator ab inferis cum sarcinis pietatis. Non creditis de negotiatore surgente, videte mercem in sepulcro fulgentem. Ecce linteamina sepulturæ, quæ non delectet sine pretio possidere. Ecce sudarium capitis. Ecce sarcina mercatoris. Ite, nuntiate discipulis, ut pateat sarcina pietatis negotiatoribus universis, linteo resurrexit, qui Lazari linteo sepulturæ catenas abruptit, fecit sepulturam de linteo peccatorum, ut vitam redderet angelorum. Factus est in ripa hortus amœnus; quia cessaverunt tumidi fluctus. Cæperunt prata florere, et cessavit unda latrare. Siluit strepitus in inferno, et agnoscitur Christus in horto. Et dicit Maria: *Domine, si tu illum sustulisti, dic mihi ubi posuisti Dominum meum* (Ibid., 15). Spoliator inferni æstimatur fur corporis sui: ut ipse involaret membra sua, qui suscitavit membra sepulta, et aperuit sine numero monumenta. Sed negotiator

A iste dives fuit, de mercibus resurgentium mortuorum. Nisi dederit vocis dulce responsum, nemo potest ejus retractare commercium, vel possidere negotium, aut comparare mysterium, aut obtinere gaudium, cum solvit naufragium, et redit ad portum. Respondent libenter, ei dicat Maria: *Maria*. Loquitur pie negotiator. Nemo merces resurrectionis gratis emere dubitat. Fortasse mercator. Dicamus ei cum Maria: *Rabbi*, quod interpretatur, Domine, ubi est merces tua? Quousque extenduntur negotia tua? Quanti parantur pretia tua? *Data est mihi*, inquit, *omnis potestas in cælo et in terra* (Matth. xxviii, 18). Emanus ab eo gratis in terra pacem, ut possideamus in cælo lætitiæ salutarem. Dominum credimus reurgentem, et aspiciamus ascendentem, et salutamus in iudicio venientem, non ut merces proponat, sed ut spectet; non ut vendat, sed ut exigat. Paremus illi mercimonia nostra. Quæ? non aurum, non argentum, non gemmarum fila lucentia, sed fidem, spem, caritatem, navitatem, passionem, resurrectionem et ascensionem.

B Ista sunt mercimonia nostra. Numquid ipse inanis est venturus in nube? Ecce Dominus veniet, et merces ejus cum eo; sicut dicitur: *Dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus adventet, habens mercem suam, et opus ejus ante faciem ejus* (Isa. lxi, 11), cui non est dominatus infernus, et corpus ejus ascendit in nubibus, et de mortuis et vivis unus resonet cantus: quia *hic est dies quem fecit Dominus, exsultemus et jucundemur in eo* (Psal. cxvii, 24). Ecce enim mortui tripudiant ab inferno, et angeli lætantur in cælo: et nos in isto templo gaudeamus.

SERMO XXXIX.

In quarto die Paschæ.

Et hodie Resurrectio Domini recitata est de sancto Evangelio. Lectum est autem Evangelium secundum Joannem. Audivimus quæ in aliis libris Evangelii non audieramus. Omnibus quidem communis est prædicatio veritatis, et de uno fonte omnes biberunt, sed in prædicatione Evangelii (sicut sæpe commonui caritatem vestram) alia omnes, alia tres, alia duo, alia singuli posuerunt. Modo ergo quod audivimus secundum Joannem, quia Maria vidit Dominum, et dixit ei Dominus: *Noli me tangere*. *Nondum enim ascendi ad Patrem meum* (Joan. xx, 17): solum evangelista Joannes commemorat. Hinc ergo loquendum est sanctitati vestræ. Visis etiam linteaminibus in sepulcro, nondum resurrexisse crediderant, sed ablatum esse corpus ejus de monumento. Nam et ipse Joannes (seipsum enim dicit, *quem diligebat Jesus* (Ibid., 2)), cum audisset nuntiantibus mulieribus et dicentibus, Tulerrunt Dominum meum de monumento, occurrit cum Petro, et attendens in monumentum vidit sola linteamina, et credidit. Quid credidit? Non quia resurrexerat, sed quia de monumento perierat. Hoc sequentia verba testantur: sic enim scriptum est, quod modo audivimus: *Attendit, vidit, et credidit*. *Nondum enim sciebat Scripturas, quia oportuit eum a mortuis resurgere* (Ibid., 9). Apparuit ergo quid credidit: quod fidei non erat hoc credidit. Credidit, sed falsum credidit. Apparuit ei postea Dominus: fugavit falsum, et inseruit verum. Tamen illud quoniam solebat movere lectorem, et auditorem non incuriosum, neque negligentem, quomodo sit dictum, *Noli me tangere*. *Nondum enim ascendi ad Patrem*: hinc videamus quid, Domino ipso adjuvante, decendum sit. Monet enim hoc quid sit, *Noli me tangere*. *Nondum enim ascendi ad Patrem*. Quando enim ascendit ad Patrem? Sicut indicant Actus apostolorum (Cap. 1, 3), quadragesimo die post resurrectionem suam, quem diem in nomine Domini celebraturus sumus quadragesima post Pascha. Tunc enim discipuli qui manibus tetigerunt, oculis deduxerunt. Tunc sonat vox angelica: *Viri Galilee, quid statis intuentes in cælum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet quomodo eum vi-*

* Est Augustini sermo 155, de Tempore; exstat autem editionis nostræ tom. V, col. 1151.

distia euntem in caelum (Act. 1, 11). Si ergo tunc ascendit ad Patrem, quid dicimus, fratres mei? Maria eum non poterat tangere in terra stantem, et poterat tangere in caelo sedentem? Sed hic non poterat, quanto minus poterat ibi? Quid est ergo, Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad Patrem meum? Sic enim sonant verba, tanquam diceret: Tunc me tange cum ascendero: antequam ascendam, noli me tangere. O Domine, hic es, et non tangam? cum ascenderis tangam? Deinde si antequam ad Patrem ascenderet, tactum horrebat humanum, quomodo se discipulis, non solum videndum, sed etiam contractandum praeiit, quando dixit: Videte manus meas et pedes meos. Ecce tangite, et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere (Luc. xxiv, 39). Incredulus etiam ille discipulus Thomas tetigit laus perforatus, et exclamavit, Dominus meus et Deus meus (Joan. xx, 28). Quando tetigerat, nondum ascenderat Jesus ad Patrem. An forte aliquis insipiens dixerit, antequam ad Patrem ascenderet, viri tangere eum poterant; mulieres non poterant, nisi cum ad Patrem ascendisset? Absurda est ista cogitatio et perversa sententia. Prorsus quod audivit Maria, audiat Ecclesia. Omnes hoc audiant, omnes intelligant, omnes faciant. Quid ergo est, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem (Ibid., 47)? Quod me vides, hominem solum putas: Patri aequale esse adhuc nescis. Noli me tangere, talem noli hominem solum credere, sed Verbum aequale generatori intellige. Quid est, Noli me tangere? Noli credere quia hoc solum sum quod vides. Ascendam ad Patrem, et tunc tange: tibi ascendo, quando intellexeris aequale. Quando enim me putas minorem, nondum tibi ascendi. Tangere autem credere esse puto: quod facile possumus intelligere de illa muliere quae tetigit limbum vestimenti Christi, et salva facta est. Recordamini Evangelium. Quando Dominus Jesus Christus ibat visitare filiam archisynagogi, et eum tetigit mulier quae fluxu sanguinis laborabat, et cum dixisset Dominus, Quis me tetigit? responderunt discipuli: Turbae te comprimunt, et dicis, Quis me tetigit? Dicit eis, Tetigit me aliquis. Ego scio virtutem de me exisse (Luc. viii, 45). Et illi, Tantae inquit, turbae te comprimunt, et unam sensitisti? Tetigit me aliquis. Quid est, tetigit me? Illi premunt, ista tetigit. Judaei affligunt, Ecclesia credidit. Secundum hunc intellectum, quo vidimus mulierem ut sanaretur tetigisse, quod est credidisse, secundum hoc dictum est ad Mariam, Noli me tangere. Ascendam, et tange. Tunc enim tange quod cognoveris, In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (Joan. 1, 1). Sed quia hominem solum vides, quia Verbum caro factum est (Ibid., 14), Verbum solum non vides. Nolo credas in carne, et relinquo Verbum. Totus tibi Christus appareat. Noli, inquit, modo tangere, quia nondum vides quis sum. Ecclesia ergo (cujus figuram Maria gerebat) audiat quod audivit Maria. Tangamus omnes, si credamus. Jam ascendit ad Patrem, sed et dexteram Patris, constitetur hoc hodie tota Ecclesia. Hoc audiant qui baptizantur: hoc audiant antequam baptizentur. Quando ergo credunt, Maria tangit Christum. Intellectus obscurus, sed sanus, fide pulsanti apertus. Ipse ergo Dominus noster Jesus Christus, et ibi est, et nobiscum est, et cum Patre est, et in nobis est, et ab illo non recedit, et non nos deserit, et orare nos docet, ut magister. et cum Patre exaudit, ut Filius.

SERMO XL.

De die quinto Paschae.

Resurrectionem Domini nostri Jesu Christi secundum veritatem quatuor evangelistarum hesterno die videmus esse completam. Primo enim die lecta est

* Augustino ascriptus in ms. PP. Cisterciensium S. Crucis in Jerusalem in urbe.

A Resurrectio secundum Matthaeum, altero die secundum Lucam, tertio secundum Marcum. Quarto, id est hesterno, secundum Joannem. Sed quoniam Lucas et Joannes de ipsa resurrectione, et quae contigerunt post resurrectionem plura scripserunt, quae non possunt una lectione recitari, heri audivimus aliquid secundum Joannem, et hodie adhuc aliae lectiones restant. Hodie ergo quid audivimus? Quia ipso die quo surrexit, id est, dominico die, cum sero factum esset, et essent discipuli in uno loco, et ostia clausa essent propter metum Judaeorum, apparuit Dominus in medio eorum (Joan. xx, 19). Ipso ergo die, sicut evangelista Joannes testis est, bis apparuit discipulis, mane et sero. Ex eo quod mane apparuit, jam (al., etiam) ipsa lectio recitata est. Quod vero eodem die sero rursus apparuerit, modo cum recitaretur audivimus. Non opus erat ut a me ista commemorarentur, sed ut a vobis adverterentur, propter quorundam vel minorem intelligentiam, vel majorem negligentiam: ut sciat non solum quid audistis, sed etiam de qua Scriptura vobis legitur quod audistis. Videamus ergo quod nobis ad loquendum hodierna lectione proponitur. Ipsa quippe lectio admonet nos, et quodammodo loquitur nobis, ut aliquid dicamus, quemadmodum Dominus, qui in ea corporis soliditate resurrexit, ut non solum videretur a discipulis, sed etiam tangeretur, potuerit illis apparere ostiis clausis. Nonnulli enim de hac re ita moventur, ut pene periclitentur, afferentes contra miracula divina praedicia ratiocinationum suarum. Sic enim disputant: Si corpus erat, si caro et ossa erant, si hoc resurrexit de sepulcro quod pependit in ligno, quomodo per clausa ostia intrare potuit? Si non potuit, dicunt, Non est factum. Si potuit, quomodo potuit? Si comprehendis modum, non est miraculum. Et si miraculum tibi non videtur, propinquas ut neget quia et de sepulcro resurrexit. Respice ab initio miracula Domini tui, et redde mihi de singulis rationem. Vir non accessit, et virgo concepit. Redde rationem quomodo sine masculino virgo conceperit? Ubi defecerit ratio, ibi est fidei edificatio. Ecce habes unum in Domini conceptu (al., in uno Deo concepto) miraculum, audi et in partu. Virgo peperit, et virgo permansit. Jam tunc Dominus antequam resurgeret per clausa ostia intravit, ubi est corporis modus? Et ego respondeo: Si super (al., per) mare ambulavit, ubi est corporis pondus? Sed fecit illud Dominus tanquam Dominus. Nunquid ergo quia resurrexit, desiit (ms., cum... destitit) esse Dominus, qui (al., Quid quod, etc.) et Petrus fecit super mare ambulare? Quod in illo divinitas potuit, in isto fides implevit. Sed Christus, quia potuit, Petrus, quia Christus adjunxit. Si ergo carperis (ms. coneris) humano sensu miraculorum discutere rationem, timeo ne perdas fidem. Nescis nihil impossibile esse Deo? Quicumque ergo tibi dixerit, Si intravit per ostia clausa, non erat corpus, responde illi et tu e contrario, imo si tactus est, corpus erat; si manducavit, corpus erat; et fecit illud miraculo, illud natura. Nonne admirandum est quotidianus cursus? Ipsae naturae omnibus miraculis plene sunt, sed assiduitate viluerunt. Redde mihi rationem; aliquid interrogo de consuetis et solitis. Redde mihi rationem, quare tam magnae arboris fici semen tam modicum est, ut videri possit vix; et humilis cucurbita tam grande semen parit? In illo tamen (ms., ergo) grano seminis exiguo vix visibili si consideres animo, non oculo, in illa exiguitate, illis angustiis, et radix latet, et robor incertum est, et folia futura occulta sunt, et fructus qui apparebit (ms., quia paret) in arbore jam est praemissus (al., promissus) in semine. Non opus est multa percurrere. De quotidianis rebus nemo reddet rationem; et exigit a me de miraculis rationem? Evangelium ergo lege, et crede facta quae mira sunt. Plus est quod fecit Deus, et non

** Ms., cursus ipse naturae. Omnia miraculis plena sunt.

miraris (*al.*, miramur) quod excedit omnia opera. Nichil erat, et mundus est. Sed non potuit, inquis, corporis moles intrare per ostia clausa. Quanta fuit illa moles corporis? Nunquid qualis cameli? Et tamen Dominus volens ostendere difficultatem divitis intrantis in regnum cœlorum, et considerantes hoc discipuli fieri non posse, contristati sunt, nullum divitem posse salvari, respondit Dominus: Quæ hominibus impossibilia sunt, Deo facilia sunt (*Luc. xviii, 25*). Potest Deus et camelum per foramen acus trahere, et divitem introducere in regnum cœlorum. Quid mihi de ostiis clausis calumniaris? Ostia clausa habebant vel rimam. Compara rimam ostiorum foraminis acus, compara molem carnis humanæ magnitudinal camelorum, et noli calumniari divinitati miraculorum.

SERMO XLI **.

De sexto die Paschæ.

- Et hodie lectio recitata est de his quæ facta sunt post resurrectionem Domini, secundum evangelistam Joannem. Audivim nobiscum caritas vestra Dominum Jesum Christum ad mare Tiberiadis ostendisse se discipulis suis, et qui eos jam fecerat piscatores hominum, invenit eos adhuc piscatores piscium. Per noctem autem totam nihil ceperant (*Joan. xxi, 1*). Viso autem Domino, et eo jubente retia mittentes, ceperunt quantum numerum audistis. Nunquam hoc Dominus juberet, nisi aliquid significari vellet. Quid ergo pro magno potuit ad Jesum Christum pertinere, si pisces caperentur, aut non caperentur? Sed illa piscatio, nostra erat significatio. Recordamini ergo duas illas piscationes discipulorum jubente Domino Jesu Christo, unam ante passionem, alteram post resurrectionem. In his ergo duabus piscationibus tota significatur Ecclesia, et qualis est modo, et qualis erit in resurrectione inmortuorum. Modo enim habet multos sine numero, et bonos et malos. Post resurrectionem autem habebit certum numerum, solos bonos. Recordamini ergo primam piscationem, ibi videamus Ecclesiam, qualis est in isto tempore. Dominus Jesus invenit discipulos suos piscantes, quando primum eos vocavit, ut sequerentur eum. Tunc tota nocte nihil ceperunt. Eo autem viso audierunt ab illo, Mittite retia. Domine, inquit, per noctem totam nihil cepimus, sed ecce in verbo tuo rete mittimus (*Luc. v, 5*). Miserunt jubente Omnipotente. Quid potuit aliud fieri, nisi quod ille voluisset? Sed tamen eodem ipso facto aliquid (ut dixi) significare dignatus est. Missa sunt retia, et ceperunt tantam piscium multitudinem, ut duo navigia implerentur, et præ multitudine rumpentur. Tunc illis dixit: Venite, et faciam vos piscatores hominum (*Matth. iv, 19*). Acceperunt ab illo retia verbi Dei, miserunt in mundum tanquam in mare profundum, ceperunt tantam multitudinem Christianorum quam cervinus et miramur. Duo (*al.*, Domino) autem illa navigia duos populos significabant Judæorum et Gentium, Synagoga et Ecclesie, circumcisionis et præputii. Illorum enim duorum navigiorum tanquam duorum parietum de diverso venientium lapis angularis est Christus. Sed quid audivimus ibi? Premebantur navigia multitudine. Sic fit modo. Multi Christiani male vivunt, et Ecclesiam premunt. Parum est quia premunt (*al.*, male vivunt), et retia dirumpunt. Nam si non essent retia scissa, schismata non essent commissa. Transeamus ergo ab ista piscatione quam toleramus, et ad illam veniamus quam ardentem optamus. Ecce Dominus mortuus est, sed resurrexit. Apparuit ad mare discipulis suis, jubet eos retia mittere. Non quomocunque intendite. Nam in prima piscatione non illis dixit, Mittite retia in dexteram aut sinistram. Quia si sic diceret, in sinistram, soli mali significarentur; si diceret, in dex-

teram, soli boni figurarentur. Ideo non dixit in dexteram vel in sinistram, quia permixti capiuntur boni cum malis. Jam modo post resurrectionem qualis erit Ecclesia, audite, discerite, gaudete, sperate, comprehendite. Mittite, inquit, retia in dexteram partem. Jam dexteri capiuntur. Scitis quia dixit se separatuum esse oves ab hædis; oves positurum ad dexteram, hædos ad sinistram; sinistri dicturum, *Ite in ignem æternum* (*Matth. xxv, 41*); dextris dicturum, *Accipite regnum* (*Ibid., 34*). Ecce unde, Mittite retia, in dexteram partem. Miserunt, ceperunt, certus est numerus, nemo est ibi supernumerarius. Modo autem quanti supernumerarii accedunt ad altare, qui in populo Dei videntur, et in libro cœli non scribuntur? Ibi ergo certus est numerus. De quibus piscibus et vos esse affectate, non audiendo tantum et laudando, sed bene vivendo. Mittuntur ergo retia, et capiuntur pisces magni. Quis enim ibi tunc parvus quando erunt æquales angelis Dei (*Luc. xx, 36*)? Capiuntur ergo centum quinquaginta tres. Dicit mihi aliquis: Et tot erunt sancti? Absit a nobis ut tantam paucitatem putemus sanctorum in regno cœlorum. Numerus est significans millia millium (*Apoc. xiv, 1*) sanctorum atque fidelium. Quare autem isto numero millia quæ futura sunt in regno cœlorum Dominus significare dignatus est, audite. Scitis legem datam esse per Moysen populo Dei, et in ipsa lege præcipuum commemorari Decalogum, id est decem præcepta legis; quorum est unum præceptum de colenda uno Deo; secundum præceptum, ne accipias nomen Dei tui in vanum; tertium præceptum observatio sabbati, quod Christiani spiritaliter observant, Judæi carnaliter violant. Ista sunt tria præcepta ad Dominum pertinentia. Reliqua septem ad hominum conversationem, propter duo illa principalia, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua: et diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus præceptis tota lex pendet et propheta* (*Matth. xxii, 37, 38*). Quia ergo duo sunt præcepta, ita in illo Decalogo tria pertinentia ad dilectionem Dei, septem ad dilectionem proximi, quod nemo implet viribus suis, nisi adjuvetur gratia Dei, nisi adjuvet Deus spiritu suo. Jam recolite quemadmodum Spiritus sanctus septenario numero commendatur. Apud Isaiam dicit implendum hominem Spiritu Dei, sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, spiritus timoris Dei (*Isa. xl, 2*). Istæ septem operationes commendant septenario numero Spiritum sanctum, qui quasi descendens ad nos coepit a sapientia, finit ad timorem. Nos autem ascendentes incipimus a timore, perficimur in sapientia. *Initium sapientiæ timor Domini* (*Psal. cx, 10*). Si ergo Spiritu opus est ut lex possit impleri, accedant septem ad decem, sit numerus qui est decem et septem. Si computes ab uno usque ad 17, sunt 153. Non opus est nunc numerare, apud vos numerate, sic computate: unum et duo, et tria, et quatuor, sic adde et ceteros numeros usque ad 17, et invenis numerum sacramentum fidelium atque sanctorum in regno cum Domino futurorum.

SERMO XLII.

De januis clausis.

Tuta est janua ubi ingreditur paterfamilias. Ipse enim est ostium et janua. Sic ingreditur directus, subtilis, ut edoceat, non commoneat, ut keticet inspirando, non strepitum faciat visitando. Descendit de cælo Deus, audit surdus, loquitur mutus, credit cor diffidentis, et nullus est strepitus Salvatoris intrantis, quia novit intrare per ostia clausa. Intrat cor hominis antea non credentis, et omne quod bonum est blasphemantis. Cum coeperit credere, incipit admirari. Expavecit ad credentem, et Christum in

* Ms., transire... quæ clausa erant.

** Est Augustini sermo 148, de Tempore; existat autem editionis nostre tom. V, col. 1154.

cor ejus miserantis intrantem. Nunquid aperitur compago membrorum? Nunquid crasis corporis sibi con-nexa a suis separatur articulis, vel necessariis ligaturis? Sic ostia clausa ubi erant apostoli conclusi (Joan. xx, 19), veritate ingressus est corporis, non tantum presentia majestatis. Sic consuevit intrare, ut ante promittat gaudium quam faciat strepitum. Ingressus est uterum virginis, Spiritus sanctus super-venit in illam, et virtus Altissimi obumbravit eam (Luc. 1, 35). Generatur, et porta illa clausa est, quam nemo ingreditur, nisi princeps solus, et clausa, inquit, erit in sempiternum (Ezech. xlv, 2). Ecce igitur modo qui surrexit de monumenti custodia, ingreditur a. l. apostolos janua clausa, et de sepulcro angelus (sicut legimus) revolvit lapidem, et sedit super eum. Nunquid si angelus non descenderet, Christus de sepulcro non resurgeret? aut impediēbat lapis Domino, nisi esset remotus ab angelo? Imo resurrexit Dominus, ut non esset angelus necessarius. Obsequio aderat, non auxilio. Resurgens de sepulcro, et Mariam agnoscens in horto, interrogat Mariam, Quid ploras? Et illa, Rabboni, quod est, Domine (Joan. xx, 15, 16). Ipse ergo intrat modo ad apostolos januis obseratis. Dic, evangelista, quomodo intravit? Unde venit? Potenter intravit, gehennam aperuit, spolia cepit. Januas intravit, et apostolos salutavit. Non dixit, patefactæ sunt rimule januarum, nec compago januarum soluta est. Quomodo, inquit hæreticus, verum (ut dicitis) corpus per ligni tabulas clausas intravit? Recte hoc diceret, si ante passionem causaretur: quando adhuc mortale corpus gerebat passioni subdendum, inimicis tenendum, clavis figendum, lancea compungendum, sepulturæ mandandum. Jam enim omnis crassitudo illa assumpti corporis in divinitate fuerat absorpta et immutata, nec tamen exinanita. O magnum mysterium! Intrat januis clausis, et cicatrices monstrat apertas. Ipsi nihil obstabat intranti. Thomæ præpediebat incredulitas dubitanti. Quid dicitis, Thoma? Nisi videro foramina clavorum ejus et mittam manum meam in latus ejus, non credam (Ibid., 25). Fidele testimonium querentis et demonstrantis, palpantis et offerentis. Nunquid Dominus dixit, Frustra requiritis vulnera mea? Libenter accepit quod dubitator præsumpsit. Infer manum tuam in latus meum (Ibid., 21), et non fallatur tactus tuus. Etsi dubitator non palpavit, sed Salvator obtulit quod ille quæsit. Spiritus nec palpari nec tractari potest, sed quia verum corpus erat, et verum corpus januis clausis intravit, ipse dixit, Thoma, Infer manum tuam in latus meum. Quid est, Thoma? Inde Dominum recognoscis, si palpes vulnera passionis? Et ille, Hoc mihi sufficit a. l. credendum Dominum meum, si ejus medelam tetigero cicatricum. Ibi est omnis potestas. Illic est omnis pietas. Melius te, Domine, cognosco de passione tua, melius tango in cruce tua, quia exaltatus es pro salute mea. Exaltare, Domine, in virtute tua, cantabimus, et psallemus virtutes tuas (Psal. xx, 14). Quomodo cantabimus? Dominus meus, et Deus meus (Joan. xx, 28). Aperuit januas divinitatis, qui ingressus est januis clausis, et donavit omnibus pacem de sui corporis veritate.

SERMO XLII.

Unde supra.

Imperator terrenus non visitat in timore constitutos alumnos, quomodo Dominus Christus metuentes visitavit apostolos. Nam si propter salutem terreni regis comites concluduntur obsidionibus tyrannorum, non dignatur imperator ipse venire ad conclusionem timentium famulorum: potest exercitum mittere ad subveniendum, proprium autem non humiliat principatum. Dominus autem noster est Rex cælorum, Dominus angelorum, suscitator mortuorum, salus desperatorum. Non angelos direxit ad apostolos metuentes, qui timebant Judæos Domini crucifixores, sed ipse venit ascendens a mortuis, introivit januis clausis:

A ut qui pro illis fuderat sanguinem, daret illis de sui presentia securitatem. Intrat attem cælestis Imperator, mortis extingtor, humani generis liberator, non per vela purpurea, non cortinis transitur auratis, sed ipse præcedentibus in spiritu angelicis legionibus ingreditur perpetuum Imperator. Nullus levat velum, nemo aperit ostium. Sic ingressus est per januam clausam, qui aperuit mortis gehennam, qui nostram solvit catenam, qui cælos aperuit, et descendit, et cum corpore iterum cælos ascendit, penetrans interiora velaminis, quod opponitur oculis nostris. Ipse enim potuit per januam clausam Deus verus et homo verus intrare, librum cum septem sigillis reserare, et thesauros sapientiæ occultos intrare. Bonus ejus introitus, quem pacis comitatus nuntius, et securitatis effectus. Quid dicit timentibus se? Pax vobis (Joan. xx, 19). Pax salutis in pace, quia jam poterant discipuli formidare, et tamen ausi sunt de ejus vulneribus retractare. Dicit eis qui subvenit eis: Ego dixi, pax vobis, et infidelitas fixa est in vobis. Ego suscepi vulnera vestra, et vos facitis de mea passione certamina? Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere (Luc. xxiv, 39). Thomas absens erat de grege, periclitari cœpit in fide, quia necdum viderat Salvatorem. Dicunt ei discipuli, Vidimus Dominum (Joan. xx, 25); et ille dicit eis: Vidistis Dominum crucifixum! Magnum miraculum! Nisi videro fixuram clavorum ejus, et mittam manum meam in latus ejus, non credam (Ibidem). Thomas dubitat, et Christus intrabat. Introivit pax, et recessit incredulitas. Thoma, quid desideras? Palpa si palpas. Palpa vulnera mea, ut non palpites in fide tua. Manum vis in latus meum mittere, utinam velis totus intrare! Patent foramina mea, ut ad cælos tibi pateat janua mea. Audivit dulcissimam vocem, et recepit integram fidem. De vulneribus medici accepit auditum, et ægrotus bibit antidotum. Tu es, inquit, Dominus meus, et Deus meus (Ibid., 28). Intravit in foramina Christi, et aperta est janua regni cælestis. Semper ipsa non curent, et reliciant vulnera nostra, quæ tribuerunt sæculo medicinam, ut semper cantemus Alleluia.

SERMO XLIV.

Ubi post resurrectionem Christus in horto Mariæ apparuit Magdalene.

Conclusus florescit hortus, fluminis impetu laticifcante rigatus, quem primogenitus mortuorum post crucis ignominiam et passionis injuriam visitare dignatus est, honore et gloria coronatus. Procera palma virorem sui decoris ostendit: quia caro Christi corruptionis igne immarcescibilis ab inferis resurrexit. De ipso namque Davidici canentis oraculo tanto ante prædictum est: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem (Psal. xv, 10). Ecce flos campi suaviter redolet in pratis. Ubique ibi diffusa gratia catholicæ matris, liliamque convallium circa montem sacri candescit altaris, dum fidelibus universis indumento justitiæ candidatis, convivium præparatur angelicæ passionis. Post resurrectionem igitur sanctorum, secum sarculis de sepulcrorum scribitur elevatis, vestigiis deambulans delicatis, ingressus est Dominus paradysum voluptatis, et quoniam in auspicio mundi exsulem Paradisi secum fecerat prævaricatrix illa caput sui corporis Eva; Redemptorem propriæ salutis cum spolio mortis victorem remeantem ab inferis ad monumentum sollicitè vigilans, in horto amœnitatis prima meruit speculari Maria (Joan. xx, 11), ab auctore vocata, ab incredulitate conversa, et appellatione sui nominis immobiliter confirmata. Nam cum affectu religiosissimo et corde meticuloso dominici corporis sepulcrum impatienti studio frequentaret, duos primitus angelos in albis ad caput et pedes, ubi positum fuerat corpus Christi eminus sedentes aspexit. Non ideo cælestes angeli descenderant, ut ab eis caro quiescentis Domini servaretur, sed ut Mariæ

Magdalene surrexisse a mortuis monstraretur. Quod vero utrique angeli ad caput pedesque sedebant, unde jam Dominus surrexerat suscitato corpore vivus, hoc procul dubio figurabant, quia ab Oriente usque ad Occidentem Christi resurrectione prædicata, tanquam a capite usque ad pedes universon orbem fuerat impletura. Dicunt autem ei: *Mulier, quid ploras* (Joan. xv, 13)? De cælo descendentes stolatos angelos cernis, et adhuc femineis lacrymis occuparis? Statue, mulier, statue vacuis limitem sletibus. Jam deletæ sunt lacrymæ ab oculis miserorum, quia solutis gemitibus vinculorum, triumphator ascendit in altum Dominus angelorum: *Ascendit enim in altum, captivum duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (Ephes. iv, 8). Dicite mihi, o beati, quos cerno, et qui esse possitis ignorare. Dicite (inquam) mihi, consolatores boni, quomodo plorare non potero tanto mihi ablato magistro, cujus aspectum videre desidero, et nec cadaver sepultum invenio? Quisnam iste est adversarius, qui ita invidet mihi, ut jacens Domini venerabile corpus furto conaretur auferre? Non sufficit quod Judas vendidit, Judæus emit, Pilatus damnavit, miles in ligno trabalibus perforavit, mortuum asperxit, et acuto mucrone transfixit? Parvane ista fuerunt, quæ in meo Domino, dum adhuc perviret, et spiritum voluntarie postea emitteret, a sacrilegis funesta commissa sunt. Figitur patibulo vivus, et rapitur de tumultu mortuus? Ad solatium nostrum dives ille Joseph postulatam a Pilato sepulture mandandam corpus accepit, diligentius in hac tumuli theca condivit (Luc. xxiii, 55). Sepulti corporis notavimus locum, aromata præparavimus, ut Doctoris nostri vel exanime corpus ungentes, ardorem æstantis animi foveremus. Et ecce subito cum omni cautela, vigilans et inquirens, festinus advenio, et monumentum mane reperio. Hæc sunt mearum cum amaritudine viscerum, decorrentium querimoniarum lacrymarum. Attendite dolorem meum, perpendite vulnerati cordis aculeum; et donate lacrymanti dulcissimum sermocinationis nostræ remedium. Tractate diligentius, quæso, tractate quasi patroni fideles serenis auribus intimatum susceptæ vestræ salutis negotium, et de inveniendis tanti thesauri pignore sapientissimum præbebe consilium. Bene petis, Maria, bene quæris, bene pulsas. Nullus tibi astutus quem quæris, ipse se potestate propria suscitavit. Dum nobiscum loqueris, cito tuis conspectibus apparebit: erit enim tecum Dominus semper, et satiabris secundum quæ concupivit anima tua, et ossa tua pinguis flant, et erit cor tuum sicut hortus ebrius, et sicut fons cujus non deficit aqua: quia ita oculorum tuorum velut candens facula vigilat luminosa pupilla. Recelant nuntii divinitus destinati, et illico apparuit Dominus nuntiorum. Cernit stantem, et interrogat flentem: *Mulier, quid ploras? Quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam* (Joan. xx, 15). Considera, obsecro, vel tu lugentis conscientia gemitum, et noli despiciere mei pectoris cruciatum. Istius horti te cultorem adverte. Dominum meum in hoc horto sepultum inquiri. Horti hujus tu solus es, et cultor, et custos: fieri non potest, nisi ut ipse mihi demonstrares ubinam inveniam quem dilexit anima mea. Aut a te eum invenio, aut ipse es forsitan quem requiro. Intuetur te oculus meus, et inflammatur aspectus meus. Nunquid tu es Dominus et Deus meus, ad quem de nocte sitiens sicut cervus vigilat spiritus meus? O Maria, quæ in me plenam intentionem fidei direxisti, velociter invenisti quem puro proposito concupisti. Non est ultra dilata, accepit petitionis propriæ suæ vere responsum, et de appellatione nominis cognitionem impetrare meruit Salvatoris. Jam breviter requiramus quare, cum Dominus Mariam vocaret, et ab illo vocata Dominum magistrumque cognosceret, audivit ab eo: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum* (Ibid., 17). Hoc est utique dicere: Noli tantummodo, Maria, hominem me putare, quem a mortuis resurgentem in horto

conspicis gradientem, sed tange me cum ascendero ad Patrem, ut Patri crêdas æqualem: *Vade autem ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, ad Deum meum et Deum vestrum* (Ibidem). Pater meus est origine, non adoptione: natura, non gratia. Ipse enim dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (Psal. ii, 7). Hodie Dei sempiternum est. Non habet initium; non habet terminum. non ortum, non occasum. Nec spectatur apud Deum aliquando erastinus, ubi nunquam fuit hesternus. Taliter ergo Pater meus est. Pater autem vester est, cui accepto mei munere magisterii orantes dicitur meruistis: *Pater noster qui es in cælis* (Matth. xiii, 9). Deus meus est, cui propter vos assumpto homine ut essem mediator Dei et hominum, in cruce positus dixi: *Deus meus; Deus meus; quare me dereliquisti* (Matth. xxvii, 46)? Non quia a Patris consortio aliquando separatus sum, aut Pater ab unici individua caritate potuit ullo modo discedere, qui *ego in Patre, et Pater in me* (Joan. xiv, 10); sed ut in veri hominis carne pro expiatione peccati mortem subjiciens, supplicii, hac vice possem dubiis vel infirmis, et præcipue manichæis incredulis apertius demonstrari. Ecce qualiter Deus meus est. Deus autem vester est, quia vos in primo homine mea secum cooperante majestate creavit, et nunc effuso mei sanguinis pretio ad possidenda regna cælestia, profunda misericordia recreavit.

SERMO XLV.

De unico baptismo.

Psalmus nobis cantavit, et aqua resonavit, quia Dominus super aquas intonuit, et si tonitru de nubibus voce terra concutitur, et rex Domini super aquas (Psal. xxviii, 3); quæ creatura non monetur nisi hæretici; qui aquarum violant sacramentum, dum repetunt mysterium post Spiritum sanctum? Quid ergo tantum est, quia vox Domini super aquas, qualis est et ipse qui eas congregavit aquas, dum illis nomen dedit et legem, dum talem eederet vocem: *Qui semel lotus est, non habet jam necessitatem lavandi: est enim mundus lotus* (Joan. xiii, 10). Si ad vocem Domini super aquas totus est concussus mundus, ad sacramentum sancti Spiritus super aquas, non est totus homo mundus quem lavat Pater et Filius et Spiritus sanctus? Vox enim Domini quæ repeli non potest audiri cum tremore potest. Quia *qui semel lotus est, hoc dixit ad pælvem, cum discipulis pedes lavabat, et nobis mysterii signum singulare tradebat. Pelvis totus est mundus, et rotatum vas illius pelvis circuitus est orbis, ubi sumus nos tanquam vasa figuli facta manibus Christi, quia Jesus est qui baptizat in Spiritu sancto et igni* (Luc. iii, 16). Vasa decocta si in caninum revertantur, continuo sine emendatione franguntur, et leve est hæreticis vasa decocta animarum in baptismo gratiarum, ut ad secundum revocent suæ temeritatis lavacrum, pluris se facientes quam Spiritum sanctum. Dic mihi, hæretice, quis dixit in Genesi: *Producant aquæ reptilia animarum vivarum* (Genes. i, 20); et productæ sunt omnes aves viventes de utero aquarum, nisi qui dixit: *Ite, baptizate gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (Matth. xxvii, 19)? Una vox est: *Producant aquæ reptilia animarum vivarum*; et: *Ite, baptizate gentes*. Leo quoniam ipsa vox est in aquis, quando homine renati ad cælum velut aves volantes de aquis spiritalibus producantur. Spiritus itaque in specie columbæ dignatus est super aquas descendere (Matth. iii, 16), et super auctorem baptismi unita pietate manere habitans, ut intelligas regnum cælorum esse qui renascuntur per aquam et Spiritum sanctum. Da mihi in altero loco in specie columbæ descendisse Spiritum sanctum, nisi semel quando baptizatus est Christus, et semel quando diluvium passus est mundus. Da mihi secundum diluvium aut secundam columbam. Unum diluvium, una columba, unus rannus, unum baptisma, unus Spiritus, et unum chrisma

sacramentum. Accusat te illa columba uno contenta gestatorio rami frondentis. Emissa est iterum de arca (*Genes. viii, 8*), et alteram non deportavit, quia sufficit ei quod unum semel sub uno sacramento. Vecta labia columbe tenentis ramum tanquam duo sunt Testamenta, ut frondosa tenentis chrismatis Christi mysterium. Et tibi, hæretice, leve est multos diluvios iterare? Dominus octo animas in diluvio reservavit illasas: tu in secundo diluvio illiciti baptismi omnes animas perdis male demersas, quas Christus salvavit ablutas? Tunc Dominus dixit, ne diluvium iterandum speraretur esse ab hominibus: *Jam non faciam diluvium super terram, arcum meum ponam in nubibus* (*Genes. ix, 11, 13*). Vidisti arcum in nubibus. Intellege non futurum esse diluvium. Audisti vocem Christi tanquam arcum in nubibus, id est altissimo judicio desinentis et dicentis: *Quia qui semel lotus est, non habet necessitatem lavandi*. Nolite iterare diluvium, quia alterum non potestis invenire Spiritum sanctum. Ut video super Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quantum te jactare conaris aut primum, ut dica: quia ubi tu non es, nemo baptizandus est. Pater interest, Filius interest, Spiritus sanctus interest, quia non potest nisi in Trinitate quod præceptum est celebrari. Et tu dicis non esse rectum, quia non fui præsens. Ergo Deus noster est præsens, ubi tu non es absens. De Domino dictum est: *Lavabit Dominus sordes filiorum et filiarum Israel* (*Isa. iv, 4*). Ad Dominum dictum est: *Lavabis me, et super nivem dealbabor* (*Psal. l, 9*). Non dixit: Lavat me ille, et ille; sed: Tu me lavabis, quia et sacerdos et populi ab uno lavantur, et sacerdos quod accipit, exhibet sacramento. Pater interest, et non tibi sufficit? Filius interest, et non tibi profuit? Spiritus sanctus interest, et adhuc tibi non sufficit? Sufficit illis quæ baptizavit Petrus et Paulus. Paulus autem dicebat, quando sacramentum tradebat: *Nunquid in nomine Pauli baptizati estis* (*I Cor. i, 13*)? Tu forsitan de nomine Pauli accipiens occasionem, dicturus es quia plus baptizavit per beatum Joannem. Inutile est istud argumentum, non tibi patrocinatur. Dic mihi uter erat sanctior, Joannes an Paulus? Ego utrumque fateor. Tamen Paulum possum dicere Joanne fuisse fortiozem. Noli te gravando juvare, ut videaris quasi recte facere hoc ipsum dicens, ne beato Paulo calumniam videaris irrogare. Invenit sanctus Paulus duodecim viros, et interrogavit eos si accepissent Spiritum sanctum. Illi dixerunt: Nescimus, nec nomen Spiritus sancti audivimus aliquando. Et ait Paulus: *In quo ergo baptizati estis baptizate?* Responderunt: *Baptizate Joannis* (*Act. xix, 2, 3*). Et baptizavit eos baptismum Christi. Non rebaptizavit, quia illud prius servile erat, hoc dominicum est baptismum. Joannes baptismum habet suum, Paulus baptismum Christi habet, non suum, non Joannis, sed baptismum Christi. Transit illa præcursorio baptismi penitentia, quia ipse clamabat: *Ego vos baptizo in penitentia, qui autem venit post me, ipse vos baptizat in Spiritu sancto* (*Matth. iii, 11*). Nam post Judam traditorem nemo baptizavit, quia baptismum habebat non suum, sed Salvatoris. Joannes baptismum suum habebat. Ergo Paulus, ut acciperent Spiritum sanctum, in baptismo Christi lavabat. Et tu confitentem tibi, et dicentem, baptizatus sum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, iterum lavare contendis? Quia tu tibi non fuisti, non est plenum Trinitatis sacramentum? Ubi eras quando dixit Filius Dei: *Ite, baptizate gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth. xxviii, 19*)? Usque ad tempus tuum recentissimum ac sordidissimum; inane fuit Trinitatis vocabulum, ut plus valuerit tua separatim quam Trinitatis unita conjunctio? Sed ego justus sum, inquis, et vos peccatores. *Filius utique malus seipsum justificat: eritum vero suum non abluet* (*Prov. xxiv, sec. LXX*); sicut tu, qui justificas te, et sine te vacuas Trinitatem. Quanti falsi testes, prophetæ et sacerdotes iniqui in lege veteri circumdebant filios Israel, et secundam non legis circumcisionem; et tu secu-

dam vis congregare voraginem, ut te justum asseras operatorem, et non ipsam quæ totam perficit Trinitatem? Semel est congregatum mare in una congregatione (*Genes. i, 9*), semel aquæ animam vivam protulerunt, semel patres nostri mare in baptismo transierunt.

SERMO XLVI.

De vite vera.

Quoniam falcibus crudelium vindemiatorum vineæ nostræ palmites abscinduntur, et contaminatis atriiis ecclesiarum, de paucitate relictorum camere spiritalium elangunt, non habentes umbraculum, curramus ad Christum, qui est vitis vera (*Joan. xv, 1*), ejus cruento pampino arstans inumbratur Ecclesia. Ipse enim vitis est vera plantatus nobis de paterna substantia, ejus vitis operuit cælos, et laudis ejus plena est terra (*Habac. iii, 3*). Inde ascendens ad dexteram Patris vitis semper amœna, viridem dans arstuantibus gratiam, extendit palmites suos, aut navitatis suæ candido flore vestitos, aut passionis crucentatione in lutos, manibus in cruce protensis, velut pampinos dilatavit in terris: ut sit refrigerium bene credentibus Christianis. Curramus sub istam umbram, quæ de cœlesti est intexta vite vera, et dicamus sub temporali cauma, Ecce Christus Dominus noster, qui traditus est pro peccatis nostris (*Rom. iv, 25*), in umbrâ ejus vivemus in gentibus alienis: et tangentes nos etiam citharam David sub vite cantantes decimus, *In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas* (*Psal. lvi, 2*). Ecce enim iniquitas non transit, sed crescit; non quiescit, sed sævit. Dum vindemiat aper de silva et singularis ferus depascitur eam (*Psal. lxxix, 14*), quia quæta est in throno suo vitis vera, et irascitur Pater agricola: quia amara vitis facta est aliena. Curramus a istius vitis purpuream destinam sanguineæ passionis, et velut statuum crucis teneamus arundinem, donec Pater agricola remota falce restituat pietatem, et dicamus illi unius orationis pampino consolante protecti, Pater, Pater qui es in cœlis, quare nimium laboramus in terris? Nonne tu es vitis vera agricola, et vindemiat nos aper de silva humanam barbarus nesciens misericordiam? Nonne tu vineam de *Egypto transulisti, novellasti eam, et implevit terram* (*Ibid., 9*)? Testis est Golgotha, ubi sub cruce fecisti scrobem. Ibi plantasti vineam veram sanguine simul et aqua, donec propaginata vitis a patibulo, a sepulcro, ad cælum, texti montes umbra ejus, et modo a t amputandos palmites ejus montes occupavit barbarus importunus. *Cooperuit arbusta ejus cedros Dei* (*Ibid., 11*), et modo nos excelsi amputant inimici: dum non miserentur infanti, nec seni, quia faciem suam non erubuerunt, et super sugentes manillas misericordiam non habuerunt. Ubi est turris fortitudinis a facie inimici? Deseruerunt eam angeli et ascenderunt leviores aquilis barbari. *Deus, inquit, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum* (*Psal. lxxvi, 1*). Interpella pro nobis, vitis vera, quia nostra amara facta sunt peccata: ita ut quæramus umbram, et non inveniamus nisi falces et lanceas. Ambulans stridet aper de silva, et singularis ferus depascens eam, quia Leo de tribu Juda quietus est in sede sua, et non dabit vocem lucis, donec feræ nocturnæ fugiant cæcitate. Ideo facti sumus in desolationem. Noli pater filicem tuæ moderationis in moderatis tradere gentibus alienis. Nesciunt putare, sed amputare. Tu nosti bene purgare, qui super nivem nos dignatus es dealbare. Sic absconde, ut serves nos in radice, non ut pereat de terra memoria nostra, sed sicut in vite vera vestigia nostra, et cessante sanguine occisionis, arida vireat vitis, reparatis de captivitate sarmentis: quod putamus de omnibus sanctis qui de ista vinea proferuntur. Nonne modo sub ejus radicibus decumbulantes sancti dolentes, afflicti, vivi desunt, pro mortuis projecti condolent? Nonne cum dicimus, Quare

vindemiatur nos aper de silva, forte respondet nobis Isaias vinitor bonus, Quare? Quia sustinui, inquit, ut faceretis vobis, fecistis autem spinas (Isa. v, 4). Quare? Quia sustinui, inquit, ut faceretis æquitatem: fecistis non justitiam, sed clamorem. Sed iterum convertamur ad Patrem agricolam bonum, cujus cor eructavit verbum bonum (Psal. xlv, 1). Ipse solus purgat sarmentum de vite sua, non falce acuta, sed gratia moderata. Angelus et archangelus non audent istam vineam purgare, ministri enim sunt, non agricolæ. Solus enim Pater novit Filium, quia nemo novit Patrem nisi Filius. Hoc tantum oremus ut non abscessi deficiamus, sed purgatis sarmentis fructum plurimum afferamus.

SERMO XLVII.

Item de vite vera et palmitē.

Iste locus evangelicus, fratres, ubi se dicit Dominus vitem, et discipulos suos palmites: secundum hoc dicit quod est caput Ecclesiæ, nosque membra eius, mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (I Tim. ii, 5). Unius quippe naturæ sunt vitis et palmites: propter quod cum esset Deus (al. Dominus), cujus naturæ non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cujus et nos homines palmites esse possemus. Quid ergo est, Ego sum vitis vera (Joan. xv, 1)? Nunquid ut adderet vera, hoc ad eam vitem retulit, unde ista similitudo translata est? Sic enim dicitur vitis per similitudinem, non per proprietatem, quemadmodum dicitur ovis, agnus, leo, aquila, petra, lapis angularis, et cætera hujusmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus dicuntur istæ similitudines, non proprietates. Sed cum dicit, Ego sum vitis vera (Jer. ii, 21), ab illa se utique discernit cui dicitur, Quomodo conversus es in amaritudinem vitis aliena (Isa. v, 4)? Nam quo pacto est vitis vera, quæ expectata est ut faceret uvam, fecit autem spinas? Ego sum, inquit, vitis vera, et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non serentem fructum, tollet eum; et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat (Joan. xv, 1, 2). Nunquid unum sunt agricola et vitis? Secundum hoc ergo vitis Christus est secundum quod ait, Pater major me est (Joan. xiv, 28); secundum autem id quod ait, Ego et Pater unum sumus (Joan. x, 30), et ipse agricola est. Non est talis quales sunt qui extrinsecus operando exhibent ministerium; sed talis est, ut det etiam intrinsecus incrementum. Nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed Deus qui incrementum dat (I Cor. iii, 7). Et utique Deus Christus est, quia Deus erat Verbum: unde ipse et Pater unum sunt: et si Verbum caro factum est quod non erat, manet autem quod erat. Denique cum de Patre tanquam de agricola dixisset, quod infructuosos palmites tollat, fructuosos autem purget ut plus afferat fructum, continuo etiam seipsum mundatorem palmitum ostendit. Jam vos, inquit, mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis (Joan. xv, 3). Ecce et ipse mundator est palmitum, quod est agricolæ, non vitis officium: qui etiam palmites operarios suos fecit. Nam etsi non dant incrementum, impendunt tamen aliquod adjumentum; sed non de suo, quia sine me, inquit, nihil potestis facere (Ibidem, 5). Audi etiam ipsos confluentes. Quid autem est Apollo? Quid autem Paulus? Ministri per quos credidisti, et unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Non per illos sed per seipsum facit. Excedit hoc humanam humilitatem, excedit angelicam sublimitatem, nec omnino pertinet nisi ad agricolam Trinitatem. Jam vos mundi estis, mundi scilicet atque mundandi. Neque enim

nisi mundi essent, fructum ferre potuissent: et tamen omnem qui fert fructum, purgat agricola, ut fructum plus afferat. Quis enim est in hac vita sic mundus, ut non sit magis magisque mundandus? Nam (Aug., Ubi si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est; si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est et justus, qui dimittat nobis peccata, et emundet nos ab omni iniquitate (I Joan. i, 8 et seq.): mundet utique mundos, hoc est fructuosos, ut tanto sint fructuosiores, quanto fuerint mundiores. Jam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis (Joan. xv, 3). Quare non ait, Mundi estis propter baptismum, quo loti estis, sed ait, propter verbum quod locutus sum vobis, nisi quia et in aqua mundat verbo? Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Nam de hoc utique dixerat, quando lavit discipulis pedes, Qui lotus est, non indiget ut laet, sed est mundus totus (Joan. xiii, 10). Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo: non quia dicitur, sed quia creditur? Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus immanens. Hoc est verbum fidei quod prædicamus, ait Apostolus, Quia si confessus fueris in ore tuo quoniam Dominus est Jesus, et credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (Rom. x, 8 et seq.). Unde et in Actibus apostolorum legitur, Fide mundans corda eorum (Act. xv, 9). Et in Epistola sua heatus Petrus, Sic et vos, inquit, baptisma salvos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientie bonæ interrogatio (I Petr. iii, 21). Hoc est verbum fidei quod prædicamus: quo sine dubio ut mundare possit consecratur et baptismus. Christus quippe nobiscum vitis, cum Patre agricola, dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea. Lege Apostolum, et vide quid adjungat, Ut eam sanctificaret, inquit, mundans eam lavacro aquæ in verbo (Ephes. v, 6). Mundatio igitur nequaquam fluxu et labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum (al., ipsam) credentem, offerentem, benedicientem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem: quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, et ore coulteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait, Jam vos mundi estis, propter verbum quod locutus sum vobis.

SERMO XLVIII.

De Ascensione Domini.

Quantis ornatibus gaudiorum refulsit hodie aula cælorum! Angeli enim vota sua sperata diutius receperunt, et hymnum dixerunt in allevatione portarum. Lux in caelis, splendor in januis: quia sponsus ascendit procedens de thalamo suo, sessurus in throno suo. Unde sanctus David ponit organum suum in foribus cælorum cantans canticum novum, quoniam qui descendit, ipse est qui ascendit super caelos omnes (Ephes. iv, 10). Lætiorem ergo plectris organum tangens resultat, et dicit protoferum æterni consulis, cernens, non auro gemmi-que decorum, sed nubium glacie candidatum. Qui ponit nubem, inquit, ascensum suum, et ambulat super pennas ventorum (Psal. cii, 3). Jam enim super aspidem et basiliscum ambulavit, et conculcavit leonem et draconem (Psal. xc, 13) pede mortis, plausu resurrectionis, mirabilis in oculis nostris, clarificatus coruscant, ascensione virtutis, sedens super nubem levem, compluens apostolos pacis hæreditate et testamen-

et baptismus.

... Legebatur alias apud August. serm. 179, de Tempore. Verum nec Augustini est, nec Fulgentii. — Exstat editionis nostræ tomo V, col. 2085.

* Tractatus est S. Augustini in Joannis Evangelium 80.

** Sic apud Aug. In edil. interserebantur hic, agricola autem secundum quod ait.

*** Al. quod sine dubio et mundare possit consecratos,

taris caritate. *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (Joan. xiv, 27). Ad hanc melodiam sonantium organorum ante aulam regiamque cariorum invitati prosequuntur apostoli, benedictionis viam petituri gradiuntur cum Domino filii sponsi, pignus accepturi Spiritus sancti. Levans autem manus suas benedixit eos (*Luc. xxiv, 50*), dedit eas arrham sponsalis muneris pretiosam, non ex auro gemmisque distinctam, sed caritatis ansulis contextam catenam, qua alligati sequantur eum ad sponsam agni Jerusalem patriam sempiternam. Domine, inquit, quare nos derelinquis ascendens, qui nos elegisti in ripa precedens? Domine, quando sumus verba tua super mel et favum eminus accepturi, et stillantia rorantis gratie balsamum de tuis labiis ac faucibus libaturi? Aut instrue quo ascendis, aut ne deseras cum ascendis. Quasi scuto benignitatis tue remansimus in aperto nudati, tamquam pulli matris amplectentis pennato velamine destituti. Quando venies ad nos qui redemisti nos? Mors tua pretium nostrum sit. Ascensus tuus pignus nostrum, ne nimio absorpti morore mergamur, quos elevasti de gemitibus inferorum. Ascendens ergo Dominus, alumnorum suorum tristitiam de nube excelsa suspiciens, emittit consolatorem mœroris, nuntios abscedentis, et indices revertentis, *Viri, inquit, Galilæi, quid statis respicientes cœlum? Ille Jesus quem videtis, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act. 1, 11*). Sic veniet, una erit evectio, una lectica nubifera, una species mansueta, sed clarifica, et peccatoribus metuenda. Non vos ejus terribit adventus, quos consolatur ejus ascensus. Sic veniet clavorum vulnera ilkesa demonstrans, et foraminum cruenta monilia. Vobis filiis sponsi coronam cœlestis exhibebit imperii crucem, vulnera non mutabit, quoniam signum Filii hominis in cœlo fulgebit (*Matth. xxiv, 30*). Accepto ergo apostoli ascendentis mandato de super venturo sancti Spiritus pignore pretioso, in templo erant unanimes collaudantes Dominum, ut una eos inveniret corona ignea annuntiantium gratiarum. In templo ergo, fratres, semper unanimes demoremur, et in domo Domini ambulantes cum concordia pacis ejus speremus adventum, et in templo ejus omnes gloriam dicamus. Et sicut ignis gratia insidat super nos, non igne succensa, sed roscidata corona,

SERMO XLIX.

Item unde supra.

Delectat aspicere Christum Dominum portatoris nubibus ascendentem, cum resurgens a mortuis reverti cepit ad cœlum, unde venerat salvare genus humanum. Qui sunt qui exspectant ascendentem? qui viderunt resurgentem, fugerunt pendentem, et sequuntur oculis ascendentem. Timor in cruce, amor in nube, visus delectabilis in aere. O dulcis descendentis affectus! O delectabilis evolantis aspectus! Facit vale, et benedicit in pace. Illi se commendant, et ille benedictionis relinquit gratiam. Benedicit eos extensis manibus, et preparatis in occursum imponitur nubibus: fluit eloquium, et jam repetit cœlum. Czndida enim subito apparuit nubes, evectio parata de cœlo. Apparuit enim nubes, intravit in eam qui educit nubes ab extremo terræ (*Psal. cxxxiv, 7*), ut oblectaret oculos eorum nubis amenitas, et irroraret eos ascendentis de cœlo suavitas: ne sola desiderantium inanis remaneret anxietas. Ecce in clypeo Actuum apostolorum pendentium quia picta lumina piscatorum. Adest Consolator, quia ascendit Salvator.

* Nec iste est Augustini, etsi legebatur olim apud ipsum serm. 180, de Tempore. — Exstat editionis nostræ tomo V, col. 2086.

** Hunc sermonem exhibuimus supra inter genuinos S. Fulgentii sermones, hoc initio, *Anniversaria solemnitas*, etc. Verum quia eundem postea reperimus

A Multis continuo duos cœlestes prætores, ut alumnos suos securos redderet metuentes, et in gaudium converteret lacrymantes. Oportebat enim cœlestes mitti consolatores, ne remaneret trepidi piscatores. Nam et cum imperator de urbe transit ad urbem, et ejus nuntiatur adventus, non mittuntur, nisi domestici prætores, ac palatini, ut nuntient provincialibus, quando est regis adventus, aut reditus. Ita et Domino accedente, prætorum (*al.* protectorum) cœlestium turba resplendit decantantium, ut tanquam provincialium respirare faceret angelus a timore corda pastorum. Quando, etiam patitur et resurgit, domestici angeli destinantur, et in urbe ac prætorio monumenti resurrexisse nuntiarunt Dominum cœli. Et cum tunc ascendit, de choro procedentium Potestatum, et de multitudine cantantium in aere castrorum duo palatini cœlestis imperii diriguntur, ut flebilis requiescerent lumina piscatorum. Hymnum cœlestem recitant piscatores. *Viri Galilæi, quid aspiciatis Jesum euntem in cœlum? Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act. 1, 11*). Profectus est desiderabilis: non veniet vobis terribilis. Nubes in occursum, nubes in reditu. Vulnere portavit, ipsa iterum reportabit. Crucem retulit cum triumpho, signum Filii hominis parebit in cœlo. Sic veniet in ipso corpore, in ipsa nube, in ipsa veritate, vobis in amore, impiis in tremore. Beati quibus vere dicitur: Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Nunquid sic veniet oculis peccatorum? Ipsa erit veritas, non ipsa erit securitas. Dies erit tremendi iudicii, descensus angelorum, resurrectio mortuorum. Accedent angeli, et quodam digito tubæ sonantis tægent sepulcra terræ trementis, ut pignora restituant throno igneo judicantis. Accedent angeli ad sepulcra prophetarum et ipsorum apostolorum, omniumque sanctorum, et dicent, Ecce est qui sic redit quomodo iterum ascendit. Non diximus, quia sic veniret quomodo vidistis eum euntem in cœlum? Qui deduxistis euntem, suscipite redeuntem. Ista allocutio non est linguarum septuaginta, sed parantur nubes carruce pluviales, ut occurrant in rore, et refrigeriosa amœnitate, qui conscientia non timent questionem. Petamus ergo a Domino Deo nostro ut, sicut hodie Ascensionis celebramus diem, ita revertentis mereamur matutinam suscipere pietatem, ut dicamus ei mane: Mane adorabo, Domine, mane astabo tibi, et contemplantor te (*Psal. v, 5*).

SERMO L.

De sancto die Pentecostæ.

Fratres carissimi, hodierno hic anniversaria solemnitas agitur quo die Dominus noster Jesus Christus Spiritum sanctum misit, quem discipulis ante promissit. Dixerat enim, Non potest ille venire, nisi ego abiero (*Joan. xvi, 7*). Quadragesimo itaque die post resurrectionem suam, cujus solemnitatem ante dies decem egimus, ascendit in cœlum: nec immemor pollicitationis suæ hodie misit Spiritum sanctum, quo impleti sunt prius centum viginti, qui simul fuerant congregati, eandemque Domini promissionem fideliter exspectabant. Scriptum est (*Act. 11, 2*) quia factus est subito de cœlo sonus, quasi ferretur flatus vehemens; et visæ sunt illis quasi lingue divise sicut ignis, qui et insedit super unumquemque illorum; et ceperunt linguis omnibus loqui, quomodo Spiritus dabat eis pronuntiare. Flatus ille carnali palca corda mundabat; ignis ille fenem veteris concupiscentiæ consumebat. Ita quippe tunc Deo placuit sancti Spiritus sui significare præsentiam, ut qui eum accepis-

ex ms. codice Vaticano descriptum, aliquot locis ampliozem et castigatozem quam tunc licuit nobis eum excudere, et in isto quidem ms. Augustini: adjudicatum, ideo ipsum prout ibi habetur appendici nostro hic inserere non piguit. — Exstat editionis nostræ tomo V, col. 2091.

sent, omnibus linguis loquerentur. Prius itaque breviter videamus quare Deus, quando eum promisit, dixit, Non potest ipse venire, nisi ego abiero. Neque enim separabilis est Spiritus sanctus, aut impotens erat eo presente venire, a quo non potest discedere. Sed quoniam discipuli: adhuc infirmis formam servi Dominus demonstrabat, in qua Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; carnem vero Domini etiam carnales poterant intueri: forma autem Dei, in qua non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (Philip. II, 6), non potest nisi ab spiritualibus cogitari, propterea dixit, Non potest ille venire, nisi ego abiero: tanquam diceret, Quoadiu cir. a meam carnem occupatus est vester carnalis affectus, tandiu meam divinitatem non suscipit spiritualis vester obtutus. Dono enim Spiritus sancti promiserat eos introducendos in omnem veritatem, sicut scriptum est: *Fide mundans corda eorum* (Act. xv, 9). *Beati autem mundo corde, quoniam ipsi Deum videbant* (Matth. vi, 8). Abscessit itaque corporalis forma Domini a corporalibus oculis eorum, ut per Spiritum sanctum divinitas Domini insinuaretur cordibus eorum. Nunc deinde videamus quare tunc hoc erat signum presentie Spiritus sancti, ut qui eum accepissent linguis omnibus loquerentur. Neque enim etiam nunc non datur Spiritus sanctus, et tamen qui eum accipiunt, non loquuntur omnibus linguis: quo evidenti miraculo se illo tempore demonstrabat. Intelligendum est, Fratres carissimi, hunc esse Spiritum sanctum, quo caritas Dei diffunditur in cordibus nostris. Et quoniam caritas Ecclesiam Dei congregatura fuerat toto orbe terrarum, quod tunc etiam unus homo poterat, ut Spiritum sanctum acciperet linguis omnibus loqueretur, nunc Spiritu sancto congregata ipsa unitas Ecclesie linguis omnibus loquitur. Proinde si quisquam dixerit alicui nostrum, *Accipisti Spiritum sanctum, quare non linguis omnibus loqueris?* respondere debet, *Loquor sine omnibus linguis, quia in eo Christi corpore, hoc est, in Ecclesia sum, quæ loquitur omnibus linguis.* Quid enim aliud Deus tunc significavit nisi Spiritus sancti presentia Ecclesiam suam linguis omnibus locuturam? Impletum est itaque quod promiserat Dominus, *Nemo mittit vinum novorum in utres veteres; sed vinum novum in utres novos mittunt, et utraque conservantur* (Matth. ix, 17). Merito ergo cum audirentur linguis omnibus loqui, nonnulli dicebant, *Illi musto pleni sunt* (Act. II, 12). Jam enim facti fuerant utres novi, sanctitatis gratia renovati: ut vino novo, hoc est Spiritu sancto repleti linguis omnibus loquendo ferrent, et Ecclesiam catholicam per omnium gentium linguas futuram evidentissimo illo miraculo præsignarent. Hæc itaque diem, dilectissimi, sic celebrate, tanquam unitatis corporis Christi. Non enim frustra celebratis, si hoc est, quod celebratis: illi Ecclesie coherentes, quam Dominus implens sancto Spiritu, toto mundo crescentem agnoscit suam, et agnoscitur a sua. Tanquam sponsus sponsam, non perdidit propriam, quia nemo ei supponit alienam. Vobis enim in omnibus gentibus constitutis, hoc est Ecclesie Christi, membris corporis Christi, sponsæ Christi Apostolus dicit: *Sufferentes invicem in dilectione, studentes servare uni alteri spiritum in vinculo pacis* (Ephes. iv, 2, 5). Videtis quia, ubi præcepit ut sustineamus invicem, ibi posuit dilectionem, ibi spiritum nominavit unitatis, ibi ostendit vinculum pacis. Hæc est domus Dei de vivis lapidibus fabricata, in qua talis paterfamilias lætatur habitare, cujus oculos ruina divisionis non debet offendere.

SERMO LI.

De eodem.

Dies nobis, fratres, gratus illixit, quo sancta solemnitas fidelium fulget aspectibus, fervet in cordi-

bus. Celebramus quippe eum diem quo Dominus Jesus Christus, resurrectione et ascensione glorificatus, misit Spiritum sanctum. Sicut enim scriptum est in Evangelio cum diceret: *Si quis sitit, veniat, et bibat, flumina de ventre eius fluent aqua viva*; evangelista sermonem exponit, et ait, *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant hi qui in eum fuerant credituri. Nondum enim erat eis Spiritus datus, quia nondum fuerat Jesus glorificatus* (Joan. vii, 37, 38, 39). Restabat ergo ut, clarificato Jesu, cum resurrexisset a mortuis et accepisset in cælos, jam daretur Spiritus sanctus, ab eo missus a quo promissus, sicut et factum est. Quadraginta enim Dominus post resurrectionem diebus cum discipulis suis conversatus ascendit in cælum, et die quinquagesimo, quem hodie celebramus, misit Spiritum sanctum, sicut scriptum est (Act. II, 2 et seq.). Quia factus est subito sonus de cælo quasi ferretur flatus vehemens, et visæ sunt illis lingue divise, sicut ignis qui inedit super unumquemque eorum; et cœperunt linguis omnibus loqui, quomodo Spiritus dabat eis pronuntiare. Flatus ille a carnali palea corda mundabat. Ignis ille fenum veteris concupiscentie consumebat. Lingue illæ quibus loquebantur a sancto Spiritu impleti per omnium gentium linguas futuram Ecclesiam præsignabant. Sicut enim post diluvium superbia impietas hominum turrim contra Dominum fabricavit excelsam (Gen. xi, 7), quando per linguas diversas dividi meruit genus humanum, ut unaquæque gens linguam propriam loqueretur, ne ab aliis intelligatur: sic humilis pietas fidelium earum linguarum diversitatem Ecclesie contulit unitati: ut quod discordia dissipaverat, colligeret caritas, et humani generis tanquam unius corporis membra dispersa ad unum caput Christum compingata redigerentur, et in sancti corporis unitatem dilectionis igne conflarentur. Ab hoc itaque dono Spiritus sancti prorsus alieni sunt, qui oderunt gratiam pacis, qui societatem non retinent unitatis. Licet etiam ipsi hodie solemniter congregantur, licet istas audiant lectiones quibus Spiritus sanctus est promissus et missus, ad iudicium audiunt, non ad premium. Quid enim eis prodest percipere auribus, quod cordibus respuunt; et ejus diem celebrare, cujus lumen oderunt? Vos autem, fratres, membra corporis Christi, germina unitatis, filii pacis, hunc diem agite læti, celebrate securi. Hoc enim in vobis impletur, quod illis diebus quando venit Spiritus sanctus præsignabatur. Quia sicut tunc qui sanctum Spiritum percipiebant, etiam unus homo linguis omnibus loquebatur, sic et nunc per omnes gentes omnibus linguis ipsa unitas loquitur, in qua constituti Spiritum sanctum habetis, quoniam Christi Ecclesia loquente omnibus linguis, nullo schismate dissidetis.

SERMO LII

Nem de Pentecoste

In hac solemnissima congregatione, Spiritus sancti de cælo descendens celebramus adventum, qui jam frequentavimus Mediatoris ad cælos revertentis ascensum. Promiserat quippe Patris unigenitus Filius, dum hominem gestaret in terris, adherentibus sibi beatis apostolis, dicens: *Nisi abiero, Paraclætus non veniet ad vos* (Joan. xvi, 7). Paraclætus Græco eloquio, consolator dicitur in Latino. Consolatus est pusillanimes Christus, habitans cum hominibus in homine Deus, susceptæ mansuetudinis magistris, benevolam fortitudinis suæ præbens infirmis auxilium. Consolatorem promittit Spiritum sanctum, ne tristes discipuli remaneret post ejus ascensum, qui cum ipsis maneat in æternum. O individue operationis unitas! O Filii et Spiritus sancti cum Patre omnipotente consimilis et consensiperna potestas! Deum Patrem esse consolationis Paulus apostolus prædicat

Ecclesiam Corinthiorum informans: *Benedictus, inquit, Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum, et pater totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* De Filio vero sequenti sermone subiecit, dicens: *Sicut abundat passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra (II Cor. i, 3, 4, 5).* Ecce Pater consolatur, ecce similiter Filius consolatur, ecce Spiritus sanctus consolatur, qui Paracletus nominatur. Quomodo a quibusdam sacrate unitas scinditur Trinitatis, quæ et indissociabilem possidet in dominatione virtutem, et in consolationis munere communem adoptivis exhibet caritatem? Principaliter ergo potestate a Patre procedens, nec a Filio recedens, Spiritus sanctus, super apostolos ceterosque centum viginti una habitatione collectos, hodierna die descendit, pollicitationem verissimam retinentes, spe secunda gaudebant, oratione continua exigebant. Indeclinabili patientia firmissime sustinebant, superioris dignitatis charismata precepturi in superioribus habitabant, fidelem crediderunt promittentem, et cordibus præparatione mundatis meruerunt excipere venientem. Factus est igitur de cælo sonitus, sicut nunc recitatum audivimus, tanquam adveniente spiritu valido, et replevit totam domum ubi erant sedentes, et visæ sunt illis dispersitæ lingue tanquam ignis, seditque super unumquemque eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, quomodo Spiritus dabat eloqui eis (Act. ii, 2 et seq.). Quod in igne Spiritus sanctus adveniens super beatos apostolos sedit, Deum se esse iudicio manifestavit. *Deus enim noster, ait Vas electionis Hebræis scribens, Ignis consumens est (Hebr. xu, 29).* O salutaris ignis! quem suis accendere cupiens in electis chamabat Filius majestatis, *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendantur (Luc. xu, 49)?* O, inquam, salutaris ignis, cremans stipulam vitiorum, coruscans flamma virtutum, excolavit quodammodo in illius mansionis cœlesti fornace piscatorum apostolorum labia beatorum, et quasi peritissimus aurifex sordiculas ex omni parte diligentius coquendo detersit, ut nitidum tali de officina producit aurum, Christigeno exercitui erogandum, et stipendio totius sæculi distributione largissima profuturum. Vultus in apostolis rutilans insigne decus sancti Spiritus præferbat, et lingua internas divitias publicans diversarum gentium multitudine congregata suavissimo eloquio predicationis permulcebat. Stupebant autem cum admiratione et mente confusi, quia audiebant unusquisque eorum lingua sua loqui illos. Et dicebant ad alterutrum: Nonne omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt? Et quomodo audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei (Act. ii, 7, 8)? Magnos palatii cœlestis a sæculis absconditos Spiritus sanctus reseravit hodierno die recessus. Quanti exinde prolati sunt thesauri! Quanti donati emeritis servulis lapides pretiosi! Quanti ditati sunt auro nobilissimo, nullo visibili metallo comparando! Non enim fossores adhibuit exilio relegatos, qui pœnali labore suscepto, brachiis deficientibus, et infectis nigredinis fumo corporibus, ut ad obryzum mundissimum pervenirent, secretas terrarum venas malleo pulsante rimarentur: sed super electos apostolos Spiritu veritatis insedit, pectora oraque replevit, tanquam regalium infingens ornamenta gemmarum, cognitionem linguarum distribuit diversarum: ut dum unus homo variis loquitur linguis, regnatura unitas pulchritudinis in omnibus figuraretur Ecclesiis. Sed inter ceteros qui tunc Hierosolymis aderant, et Deo gloriam dabant, universalis provincie viros, nonnulli creati improperia mentis, ebrios et musto plenos beatos apostolos invidendo subsannabant, et irridendo dicebant, *Isti ebrii sunt et musto pleni (Ibid., 12).* Respondete mihi, duricordes ad credendum, proclives ad detrahendum, quisquam

hominum calidi musti potatione sopitus, efficitur ignotæ lingue disertissimus? Quomodo poterit temulentus lingua quam non didicit magisterium usurpare, qui labiis vino turbatis in propria locutione incipit claudicare? Ignoratis quid loquamini delirantes. Vanitas irrogato hujusmodi calumniam vestram retundit dolosam, redarguitque falsitatem, nostram confirmat et astruit simplicissimam veritatem. Omnes apostoli venerandi, novi et integri, nullis pittaciis vetustatis assuti, vino novo spumantes, pinguedine videlicet Spiritus sancti redundantes, et aliis suaviter flagrant, et in semetipsis incorruptibili sinceritate conservant. Revertimini ergo, prævaricatores, ad cor, apponite animæ vestræ naves, capite ineffabilem odoris tanti dulcedinem, labiorumque internorum haustu, mellifluum bibite cruoris inexperiti saporem. Hoc vinum viscera curat, corda lætificat, sobrie inebriat, et ad convivium æterni Patris familiaritas potatorum suos invitat. Nos autem, fratres mei, in hac sacratissima festività, spiritali jocunditate gratulantes, sempiternæ Trinitatis unum Deum colentes, unumque nomen orantes, serenum ignem Spiritus sancti, quo apostoli repleti sunt, medullis nostris cœlitus inspirari poscimus: ut omne nubilum ab intimo domicilio pellens, sensus intelligentiæ fulgoris sui claritate perlustrat; quatenus valeamus vigente in nobis potentie ejus lumine primogenitorum Ecclesiam lampantibus faculis introire, sauctorumque splendidum choris angelicum alleluia decantantes felicitate perpetua inherere.

SERMO LIII.

In Natali Joannis Baptistæ.

Congregavit nos hodierni diei præclara nativitas quo natum sanctum Joannem Christi Domini præcursorem catholicæ Ecclesiæ veridica testatur auctoritas. Hujus pater venerabilis Zacharias pontificatus sui tempore, cum in Sancta ingrederetur sanctorum, ut virtutum Domino, sicut nunc Luce Evangelium docuit nostris auribus recensitum, placabile adoleret incensum, expavit repente divinitatis nivo cultu per æthera angelum volantem, et corusco descensu a dextris altaris inter sacrificia consistentem. O salutis holocausti propositio, et Deo beneplacita sincere immolationis oblatio! Ascendit flagrantissima suavitas precis, delectatus est habitans in excelsis Dominus majestatis, et disposito ante sæcula imperispicabilis consilio voluntatis, responsus accepit simplicis interpellatio sacerdotis. Verum cum adventus sui visitatione deterruit Gabriel angelus conspexisset antistitem, continuo blando fovit alloquio trepidantem. *Ne timeas, inquit, Zacharia: quoniam exaudita est oratio tua, et uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem, et erit gaudium tibi et exultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino: vinum et siceram non bibet, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ (Luc. i, 13 et seq.).* et reliqua. Obstupuit Zacharias, qui non pro postulando libero templi secreta introivit, sed pro populo Domino commendando legatus astiterat, et ancipiti tractatu fluctuans usque ad vultus suffusionem mutatus, cogitare primitus cœpit emensum suæ tempus ætatis, deinde et Elizabeth infecundæ comparis jam in summum senium dierum proclivitate vergentis, geminaque dubitatione permotus, existit angelico promisso (quod non decebat) incredulus. *Unde hoc, inquit, sciam? Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis (Ibid., 18):* tanquam diceret, Impossibilis mihi videtur, o beate nuntie, tuæ pollicitationis asertio; meis enim in lumbis virtus emarcuit seminandi, in meaque quoque conjuge nunquam spes apparuit parienti, transacta est in utriusque membris ætas congrua partui. Quomodo vel ex marito sene decrepita anus

* 11, quantum secundum. Emendamus ex initio subsequenti, place similis.

concupere, vel jam desiccata surculi veterinosi radice, a duro cortice tecta poterit arbusca sterilis germinare? Noli, noli, Zacharia, cœlesti obsistere voluntati; verbum Dei velociter currit quocumque fuerit destinatum. Nullo obstaculo præpeditur, ut deficeat ordinationis perficiat imperata. An non legisti (*I Reg. 1, 20*) Annam sterilem post multorum annorum seriem Samuelem filium peperisse? Nunquid in easolius carnalis concupiscentiæ prævaluit coitus, aut virilis tantum insertio pullulavit? et non potius fides virtutem in conceptione seminis impetravit? Rachel Jacob patris tui copulata conjugio (*Genes. xxx, 23*), nullo proles concesso fructu gemebat. Placuit Creatori, et effecta patriarcharum mater Joseph illum castissimum atque industrium virum generare promeruit: qui recusans stuprum impudicitie, et distrabentium fratrum oblitus injurie, patri simul, omniumque insidiantium familiæ cognatorum famis tempore frumenta largiri ministravit. Abraham similiter, sicut et tu albescentis capitis dignitate, ævique maturitate senescens, cum jam centenarii numeri prolixos aegeret annos, incentivæ cupidinis frigescente fervore, nullum sibi sperans futurum stirpis legitimiæ successorem, nonne de vetula nonagenaria sacra ex sese conceptum Isaac suscepit hæredem (*Hebr. xi, 11*)? Adeptus est pius pater gignendi possibilitatem, quia fidelem credidit pollicentem. Propterea igitur, quia tu, o Zacharia, quod ex verbis mei oris audisti, incredibile esse dixisti, donec secundetur quondam steriliis costa tua, silentii carcere detrusa compedita tenebuntur labia tua. Et cum Elizabeth ex desperatione tibi promissum genuerit filium, tunc oris tui reformabitur absolute lingue sermocinantis officium. O mysterio grvida! O miraculo referta benedictiosa vindicta! Pater vocis voce privatur, et tandiu ultionis sententia rovat in patre, quandiu Vox Verbi nasceretur ex matre. Vox quippe Joannes, Verbum Christus. Eundem audi Joannem vocem se esse latentem. *Ego sum, inquit, vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri* (*Math. iii, 3; Isa. xl, 3*). Audisti Joannem vocem in eremo proclamantem, Verbum intellige Christum individua cum Patre æternitate regnantem. Ut autem hoc et credere possis et capere, alium ausculta Joannem. Illum dico Joannem Zebedæi piscatoris filium, pridem reflectentibus rebus occupatum, fluctibus marinis intentum, eruentis pelago piscibus genuino artificio deditum, nunc vero Christi discipulum, a Christo cum cæteris electum, præ cæteris dilectum, a Christo apostolicum et evangelicum egregia similitudine aquilæ comparatum, stricto lapsu aera secantem, vehementi stridore volando cuncta sublimia penetrantem, cœlum ac sidera prætereuntem, potestates invisibilium sedium pestponentem, dominationes angelicas transcendenti, et Verbum Deum ex Deo et in Deo manentem intrepido mentis obtutu impræstricta acie contemplantem. Ipse etenim: solus taliter de Christo in exordiosæ prædicationis intonuit, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan. 1, 1, 2, 3*). Ecce qualis et quanti Judicis die hodierno clarissimus natus est præco, ante conspectum patri pronuntiatus, per quem fuerat matris in alvo ferendus. Quæ est ista gratia ineffabilis? Quæ sunt iste incomprehensibiles divitiæ largitatis? Clausus secretis genitalibus retinetur, et ibi sancti Spiritus munere decoratur. Necdum vivendi principia inter homines auspicatur, et Propheta Altissimi designatur. Ita quippe Gabriel illustris palatii cœlestis cancellarius astipulatur, *Multos, inquit, filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum, et ipse præcedet illum in spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, et parare Domino plebem perfectam* (*Luc. 1, 16, 17*). Nam quia venturus erat vulvæ virginialis purissimis visceribus, non libidine seminatus, sed fide conceptus ad redemptionem

mundi Salvator, præcessit de sterili genu: quo nullus major est in natis mulierum electus. Iste metator magnus ante magnificentum, mirandum ante præcelsum, amicus Verbi, paranympus sponsi, qui virginem virginum, Dei scilicet Agnum aspiciens, velut sponsum regali diademate coronatum, de virginali thalamo processurum, nuptias Christi et Ecclesie diu a patribus ardentissime desideratas advenisse cognovit: atque ex vinculo pulcri ventris aula consecrati uteri vectari proprium speculans creatorem, non corporeis gressibus salutans, sed totis animæ motibus conscia genitrice serus puerperio tripudians singulari jucunditate gestivit, et exsultando in utero, ex utero salutavit. Sic namque Elisabeth ingredienti ad se Mariæ sanctæ respondit, *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavi in gaudio infans in utero meo* (*Luc. 1, 42, 43, 44*). Itaque quia Rex et medicus terræ, Deus et homo Christus, pretiosissimum exhibens sui cor, oris antidotum, propter hominem reficiendum longa peccatorum valetudine scauciatum, in hominem veniebat, tam excellentissimi atque peritissimi archiatri nobilissimus prævius planam viam, semitamque rectissimam, non in terræ convallibus, sed in sensibus hominum componebat: mansionem regiam spretis domibus eburneis, despectis laquearibus aureis, marmoratisque prætoris abdicatis, in animis crelentibus cœlorum Domino preparabat. Gratulare igitur, gratulare, beate Zacharia sacerdos et pater, quod exiguo terni mensis tempore flagello correptionis imposito effari minime valuisti, amplificato femore recepisti. Dubitasti quid aulicum cum de nascituro pignore prædicantem audires archangelum, de sacris egrediens mutus ad populum, enmendans silentii tolerabile prætulisti supplicium. terminantis diei meta volvente magnum coram Domino suscepisti filium, seuili ex utero fsum. Suscitatus quo nomine puer appellaretur natus, sicut tibi exangelizaverat angelus, sumptis pugillaribus Joannis scripsisti vocabulum. Continuo resolutum est tuæ taciturnitatis vinculum, et benedictione dominica cumulatam canoræ vocis tibi restitutum est famulatum. Gaudeamus, fratres, etiam nos ipsi in isto solemmissimo die mirandam nativitatem servi devota frequentia celebrantes, inenarrandam nativitatem Domini tota cum reverentia præstolantes: ut quibus letitiam procuravit per sterilem venientis generatio præcursoris, fructu intemeratæ Virginis subsequenti perpetua tribuatur securitas Redemptoris.

SERMO LIV.

Item unde supra.

Congregavit nos hujus diei præclara solemnitas, quo natum sanctum Joannem Christi Domini præcursorem catholicæ Ecclesie veridica testatur auctoritas. Cujus merita exordia nativitatis ejus ostendunt, Domino testificante atque dicente quod in natis mulierum nemo surrexit major Joanne Baptista (*Math. xi, 11*). Nulla quippe Ecclesia celebrat diem quo carne assumpsit, quinimo illud frequentat quo carnalia cuncta reliquit. Domini igitur illustris et beata nativitas celebratur, quam stella prodidit, et Herodes expavit, quam idem sanctus Joannes ex utero, et in utero Spiritu sancto repletus tripudians agnovit, reverendissime salutavit. Quamobrem mittitur præco qui nuntiet Judicem, dirigatur præcursor qui prædicet Salvatorem. De ipso etenim dictum est: *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam* (*Maluch. iii, 1*). De quo etiam propheta Isaias vaticinatur dicens: *Vox clamantis in eremo: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt quæ præva sunt directa, et quæ aspera sunt in vias planas, et videbit omnis caro Salvatorem Dei* (*Isa. xl, 3, 4, 5*). Ecce vox sonat in eremo, humilitas præcipitur montibus, et a superioribus viis ac semitis

tortuosis rectitudo et planities imperatur. In hominum corda fidei præco componitur, et humana mortalitas deterretur. O carnalis infirmitas, quid factura es in adventu serenissimi Judicis, cum de tuis factis rationem reddere cøperis, quæ non vis nunc prædicationem suscipere tanti præconis clamantis atque dicentis: *Ecce jam securis ad radicem posita est arboris. Et omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur (Luc. iii, 9).* Cujus præconis quanta sublimitas nascentis sit, in hoc apparuit. Dum enim esset sterilis mater, advocatus pro populo eloquentissimus fuerat pater. At vero cum sterili fecundaretur mater, mutus et absque voce efficitur pater. Qui tempore pontificatus sui, dum pro populo intra Sancta sanctorum intraret ut Domino incensum offerret, ecce subito Gabrielem illum secretorum familiarissimum divinorum per æthera volentem inter altaria perturbatus; conspicit assistentem. Quem cum cæræret placido vultu, tali fovit alloquio trepidantem: *Zacharia, ne timeas; exaudiat etenim sunt orationes tuæ, et uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem. Vinum et siceram non bibet, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ, et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum (Luc. i, 13 et seq.), et reliqua. At ille intra se cogitare cepit, et usque ad vultus suffusionem mutatus admirans ait: Unde hoc sciam? ego enim senex, et uxor mea processit in diebus suis (Ibid., 18).* Et angelus: *Crede, Zacharia, angelo, crede celesti ministro: accommoda nuntio fidei, si non vis perdere vocem. Ecce ubi incurristi perfidie noxam, statim accipiti in ostio lingue catenam. Hic angelicus et gaudium portat et vinculum: fidelem observat et vocem. Si crederis, gaudium meruisti; si non crederis, lingue vinculum incurristi. Et Zacharias: Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis. Et angelus: Ergone impotens est Deus de sterilibus producere filium, qui ex limi materia fecit hominem primum? Et Zacharias: Unde hoc, inquit, sciam? Et ille: *Ego sum, inquit, Gabriel, qui assisto ante Dominum, et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare. Et ecce eris tacens, nec poteris loqui usque ad diem quo hæc omnia fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo (Ibid., 19 et 20).* O mira potestas! Non credit Zacharias sterilem jussu Domini parituram, et divino præcepto vinculum ejus meruit accipere linguam. Tollitur a Patre, donec generatur a matre, ut tunc accipiat verbum, ubi suscepit filium. Obstupuit in cithara corporis pulsabulum vocis, et cum universa viverent in corpore membra, sola jacuit in sepulchro dentium lingua. Erat igitur in manibus angeli et munus et gladius. Denegavit Zacharias muneri animum, et exercuit angelus in lingua supplicium. Non credidit, et siliuit, angelus loquebatur, et Zacharias in sermonis palato ligabatur. Ille in promisso filio titubabat, expectabat angelus fidelem. Ubi Zacharias non credidit, illico in ore compedes taciturnitatis accepit. Volutabatur sermo in crate pectoris, nec audiri poterat foris, quia ejus ora imperii clausa fuerat clavis. Ecce angelus claustrum in labiis Zachariæ posuit, et hospitium verbi conclusit. Ascendit unde venerat, signans quod præcepto divino legaverat. Tunc solvitur quando Joannes nascitur. Tunc accipit ejus lingua solutionem quando Elizabeth edidit Vocem. Ipse enim Joannes *Vox clamantis in eremo*, qui nocduum de vulva matris exierat, et jam exemplum perfidis demonstrabat. Adest igitur propheta in luce, ex visceribus maternis lucerna educitur, de nomine ambigitur. Pater, quidnam vocaretur, inquitur, et quia loqui non poterat, pugillares ut accipiat postulat. Scripsit nomen Joannis, et nodus illico disruptus est vocis. Et ut Voci nomen imponeretur, vocis janua quæ clausa fuerat reseratur. Auspicatur Zacharias vocem in voce. Generatur filius, et pater solvitur mutus. Vox a matre editur, et in ore patris sermo creatur. Et quem incredulitas fecerat mutum, orientis nativitas filii loquendi præstitit beneficium.*

A *Vox Verbum præco sit, lucerna Solem justitiæ accessit. Gignitur vox ex sterili sene, et Verbum ex purissima nascitur virgine. Hic in aridæ visceribus creator vigorem renovat juvenilem, in virginalibus vero membris Christus naturæ immutat legem. In Elizabeth libidinis calor accessit, in Maria vero fervor virginitatis non abscessit, quia Spiritus sanctus adveniens divinum templum aptavit. Nascitur ante Dominum servus, ante Judicem metator excurrit. Conditio federis conjugalis in Joanne mutatur. In Christo evacuat: quia senum sterilitum copula edidit mundo Joannem, virginalis autem integritas sæculo peperit Salvatorem. Sed in genitrice Joannis infusa dignoscitur esse carnalitas, in matre vero Christi sancti Spiritus est operata majestas. Celeberrimus ergo hunc diem, carissimi fratres, in augmento fidei, spei et caritatis, non nugacitatis, nequitie et vanitatis: ne cum præcursorem Domini contristaverimus, iratum ipsum Judicem cum venerit sentiamus.*

B

SERMO LV.

De Decollatione sancti Joannis Baptiste.

Evangelicæ lectionis, fratres, hodierna narratio opportunam collationem sensibus nostris attribuit. Audivimus vitis obviasse virtutes, cum Herodis nequitia. Herodiadis luxuria, sancti vero Joannis veneranda justitia demonstrata est: in tantum ut libenter susciperet mortem, ne videretur contemnere veritatem. Vide quæ tria in unam convenerint causam. Mirandæ res, si recte discutias gravitatem prophetæ, luxuriam muliebrem, et Herodis sevissimam feritatem. Dicite mihi quid habetis cum Joanne Baptista, Herodes et Herodias, quos ad consortium adduxit minimum impuritas criminum? An hoc timeatis, ne qui vobis vocabulis conjungimini, in luxuria forsitan separemini? Estote certissimi quia, sicut uno consensu caditis in luxuriam, ita uno nomine suscipiatis sententiam. Tenetis in carcerem justum, quia vobis legaliter interdixit incestum: quasi possit veritas alligari. Et si omnia membra vinculorum nexibus astringat, sola lingua non potest custodiri, cui liberum est veritatem ab impiis contaminari. At inquires: Quare impedit desiderium nostrum? Ille potest desiderium impedire, cui licet in tempore flagitia removere. Nunc vero cum hoc tibi denuntiat propheta, quia Domini voluntati displiceat, nemo fere sapiens erubescit audire, quod non pignur sine verecundia perpetrare. O humana dementia! Ut luxuriaret Herodes, necatur Joannes. Nunquid propheta suo te terruit merito, et non divino judicio? Res est extreme dementiæ, oisise loquentem, nec metuere judicantem; quasi idcirco jam non timeas judicem reticendum, si præconem possis necare clamantem, de quo Isaias testatus est, dicens: *Hic est vox clamantis in eremo: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus (Isa. xl, 3).* Jam veniendum est ad passionis fastidium. Paratum est convivale theatrum, producitur lasciva carnifex femina quæ prophetam non gladio, sed saltatione prosternat. Molli puella gressu procedit in medium, homicidium petitura, et adultero placitura; alienum in pedibus portans sanguinem, et sceleris postulatura mercedem. Sic saltat ut placeat, sic placet ut occidat; prohi nefas! ut luxum corporis sui mulier periculum petat capitis alieni. Quid agimus, Joannes? Quem non terruit vasta eremi solitudo, terribit muliebris ista saltatio? Caput tuum mulier petitura est. Sed melius est, inquit Dominus, ut unum ex membris tuis abscindas, quam totum corpus tuum gehennæ ignibus tradas (*Math. v, 29*). Et iterum: *Nolite timere eos qui occidunt corpus (Math. x, 28).* Ecce jam diabolo procurante ludens caput delectari puella, ad hoc solum ut possit occidere prophetam. Nescio quid habet semper muliebre nomen cum sanctis. Et Elias, in cuius spiritu venisse Joannem testatus est Dominus (*Luc. i, 17*). Jezabel reginam gravem passus est inimicam (*III Reg. xix, 1*), quam dum fugit, totam vitam suam in fuga contrivit: cuius

tantum timuit gladium, ut vivus fugisset in cœlum. Quocumque pacto persequitur mulier, si placeat, jugulat; si displiceat, pejus excuriat: sed melius displicet cum corporis morte, ne animæ tollat, quod majus est, sanitatem. Quod jam dudum dicere perhorresco, placuit et saltatrix: sed quid mirum si, inter dapes largas et poculorum frequentes procellas, puella lasciviens mulceat sensus, inclinet affectus? Vinum et saltatio, duplex incendium voluptatis. Insuper offertur luxuria, quocumque poposcerit præmium statim esse donandum, etiamsi didimium regni femina petiisset, Salomone attestante quia non est caput super caput serpentis, et non est malitia super malitiam mulieris. Et iterum: *Commorari leoni et draconum placebit in eremo, quam habitare cum muliere nequam (Eccli. xxv, 22, 25)*. Culmine igitur regni contempto, caput Joannis petivit in disco; plus odiens eum qui interdixit incestum, quam diligens eum qui promiserat regnum. Exsecratur magistrum disciplinæ, præsumit de mercatore luxuriæ. O nequitia femina! Elegit contemnere honorem, ut lucrum faceret sanguinum. Vere quia non cogitat de imperio, cui carior est turpido. Recens exsecti capitis sanguis fluebat in disco, ad pietatem provocans bonos, terrorem malis incutiens, hoc solum scilicet defuit regalibus mensis. Multorum credo jam capita piscium pecudumque præcesserant, sed quantum est ad regiam voluntatem? Potuit hoc forsitan et privata mensa conspiceri. Nihil actum, nihil denique procuratum esset, si defuisset regio prandio caput humanum. Et hoc non passim aut forte vulgare, sed de carcere ad mensam caput a latum est prophetale. Solent reges solemnitatibus suis magnas ac terrenas epulas querere, Herodi cœpit et carcer delicias mini trare. Et ideo semper est Deo grata paupertas, cujus cibus non habet sanguinem, sed olusculum vile mansuetum supplet esuriem. Nam tribus pueris (*Dan. i, 16*) cibus, olus et legumina fuit. Alioquin nunquam vincens flammam, si veilent amare delicias. Vere quia nescis quid agat impietas, cum eum quem odis plus honoras quam damnas. Utique cum argenteo disco caput exhiberi jubes ad mensam, non est, ut credis, memoria crudelitatis, sed illius jam monstrator decus honoris. Ita enim portabitur et ad cœlum, ut inde tibi infensum judicem excitet Deum, qui est gloria in sæculorum sæcula.

SERMO LVI.

De Natali S. Joannis Baptistæ.

Bonum nobis hodie convivium præcursoris in mensa præparatum est confessoris. Cyprianus amico hospitium, sed Joannes nobis cœlestis prandium præparavit. Joannes, inquam, et Cyprianus. Ille puer *Propheta Altissimi (Luc. i, 76)*, iste senex sacerdos est Christi. Ille sanctificatus in ventre, iste sanctificatus in suo sanguine. Ille præco, iste togatus. Pro ambobus unus Christus est advocatus. Ille exsiliens in utero, iste triumphans sub gladio. Ille præcursor, iste confessor. Ille in mensa, et iste sub mensa. Ille in mensa caput perdidit, sed non amisit; iste in mensa caput non perdidit, sed invenit. Illius enim caput in catino, istius caput in templo. Ambo in mensa, sed et ambo sub mensa, qui vidit, inquit, animas justorum sub ara Dei (*Apoc. vi, 9*). Sub ara Joannes, de quo mater sterilis erubescerat, et super aram positus Christus, de quo mater virgo gaudebat. Sed quoniam non propria sunt munera Dei, assumpsimus ab amico in honorem amici. Dimittamus paulisper palmis suis et triumphis contentam gloriosam utriusque passionem, et credamus admirabilem nativitatem. Hodie præco nascitur: sed quoniam dignitas dissimilis nec adventus æqualis, præco venit in rheda senili, Judex autem in carruca venit virginali. Quæ carruca non soli est nata viro, sed Domino. Dicuntur imperatores terreni inter carrucas diversas, quarum sessione utuntur, habere carrucam, in qua nullus sedeat, quæ vocatur angelica. Ista carruca non tantum angelica, sed et

dominica, in qua non sedet homo, sed Deus et homo. Ecce carruca, ecce adventus, qualis est præco missus? Præcedebat præco ante carrucam venientis Domini communis. Quid dicebat? Domine, præcedo ego gressus tuos, quia tu possedisti renes meos (*Psal. cxxiii, 15*). Gratias tibi, Domine: tu vias meas de longe cognovisti, et mihi vias tuas proximas commisisti. Gratias tibi, Domine, præposterasti conditionem meam, et promisisti gratiam tuam. Mater tua ivit ad matrem meam, et ego præcedo a te faciem tuam. Gratias tibi, Domine: tu suscepisti me de ventre matris meæ, ut agnoscerem te in utero matris tuæ. Maternus me uterus intra angustæ vulvæ secretarium tenebat inclusum; misisti Christum tuum, illuminasti cor maternum. Misisti intus lucentem lampadem tuam, ut ego agnoscerem matrem tuam. O bona lampada, non quæ diligit sæculum, sed quæ diligit cœlum. Si vultis recta lingua vocare diem lampadarum, diligite Spiritum sanctum: sed hoc dolemus, quia sunt multi qui diem vocant lampadam, et sunt in medio tenebrarum. Diximus ergo carrucæ qualitatem, diximus præcedentis legitimam servitutem: veniamus ad ipsius adventus dominici dignitatem. Ante carrucam imperatoris qui præcedunt metatores, palatini, protectores, tribuni, duces et comites, signa, dracones et vexilla, et flammule illæ concordissimæ pannorum diversitatis gaudentes, tubæ sonantes, urbes trementes, innocentia gaudentes, rei timentes. Ante carrucam Regis nostri videamus quæ præcedunt: venerabilia sacramenta, templum, Sancta sanctorum, altare aureum, propitiatorium, ubi est remissio peccatorum; urna aurea, in qua est sortis divinæ judicium, non electionis humanæ constabat arbitrium; Cherubin protectoria propitiatorium alis suis, et diligentia oculis suis; virga florescens, manna ad pietatis exemplum, quia *panem cæli dedit illis (Psal. lxxvii, 24)*. Ibi et tabulæ doctrinæ cœlestis datæ discipulis bonis, sed factæ duris. Ibi sacerdos, ibi ara, ibi flagrat incensum. Ibi angelus cum homine astat ad unum altare. Gratias tibi, Domine, pacificare cœpisti sanguine crucis tuæ, sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terra. Hodie angelus cum homine astat ad altare. Utinam staret nobiscum Gabriel, ut puritate paterna per societatem angelicam fugeret fraterna discordia, et reformaretur antiqua concordia. Videamus ergo angelum venientem, sacerdotem cum tremore stantem: illum nuntiantem, istum audientem et non credentem. Stetit subito cœlestis, et spiritali volatu veniens spiritus et ignis ardens: quia ipse *facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem ardentem (Psal. ciii, 4)*. Venit, stetit, convenit, tollit errorem, dat securitatem. *Ne timeas, inquit, Zacharia, incensum tuum de aureo thuribulo fumo dulci profluentem, super aureum in cœlo flagravit altare, et omnem extitit angelicam legionem. De qua ego curia Gabriel ad te curialis adveni in uno jam incenso cœlo gaudente cum mundo. Ne timeas, Zacharia (Luc. i, 13), video quia in te sacerdotalis vestis metu inclinata quassata est. Ne timeas, Zacharia, pacis tibi venit nuntius, non timoris. Ne timeas, exaudita est oratio tua (Ibidem), et tu ames præsentiam meam. Dimitte, dimitte antiquum paulisper obsequium, novum ex me audi responsum. Dimitte obsequium istud antiquæ servitutis in cultu legis, ubi sacerdos introibat per singulos annos in sanguine alieno. Ecce venit Sacerdos qui semel introibat in sanguine suo. Qualis sacerdos? Pontifex futurorum, amplius et perfectius tabernaculum ædificans non manufactum (*Heb. ix, 11*), quod virgo genuit, et homo ignoravit. Neque per sanguinem hircorum et vitulorum, in quibus non est remissio peccatorum; sed per proprium sanguinem intrat semel in sancta, æterna redemptione reperta (*Ibid., 12*). Sic venit Princeps sacerdotum: sed ante tu in senecta suscipies filium. Quomodo, Domine, inquit, fiet istud? Conditio hoc abnegat senectutis, magnum ego audio nuntium novitatis. Quomodo? Ego senex sum, et uxor mea progressa est in diebus suis (*Luc. i, 18*). Magnum erat, si me audisses cum gratia, non*

esset pœna secuta, sed gloria. Quia dixit os meum, et non credidit cor tuum, tabescit os tuum. Intus angelus cum homine sacerdote sermonem cœlesti tuba miscebat: non credentem condemnabat, et foris orans populus de tarditate sacerdotis nimium cogitabat. Egressus est sacerdos mutus et incredulus, melius nova lingua fidei locuturus. Populus expectabat responsum, non intelligentis sacramentum. Stupet grande miraculum. Ille digitis annuebat, tantummodo lovens digitis et motibus indicare quod non crederat sensibus. Non sic ille Princeps sacerdotum venit de cœlis sanctis: non venit mutus, quia *Deus noster venit, et non silebit* (Psal. XLIX, 3). Ecce modo templum est totum sæculum. Omnis iste mundus templum est, in atris mundi tanquam templi omnis ista turba ubique diffusa horam expectat, quando sacerdos egrebitur de Sancta sanctorum, ut inferat non novum nuntium, sed metuentium iudicium. Quomodo veniet? fenestræ cœlorum aperientur, in metu erit universa creatura. Angelorum etiam ipsa officia incipient metu concutientis formidinis æstuarè, quando incipiet genus humanum tremere audiri. Præcedent illum obsequia cœlestia, tanquam nubiferi carruce venientis iudicis de sede sua ignis, tempestas, flammæ, vermes. Flammæ quæ non exstinguuntur, vermes qui non moriuntur, fluvius ignis, thronus flammeus. Angeli cum voce et tuba magna, monumenta disrupta, non lingua confusa. Ipse qualis qui *visitavit nos oriens ex alto* (Luc. 1, 78), et *ascendit super cœlos cœlorum ad orientem* (Psal. LXVII, 34). Veniet et dabit vocem magnam, vocem virtutis. Præcedet illum propheta, dicens: *Timeat omnis caro a facie Domini, quia surrexit de habitaculo sancto suo* (Zach. II, 13). Ergo securi in sua iudicii questione maneamus, id agendum nobis est, ut serviamus Domino in pietate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris (Luc. 1, 75).

SERMO LVII.

De sancto Petro, ubi dicit Dominus:

Pasce oves meas.

Salus tota gregis cœlestis est cura pastoris, qui descendit inclinatis cœlis, ut iacentes erigeret oves, quas dispersas fecerat lupi præ la raptoris. Colligit eas a morbo, curans vulnera, alligans amoris sui dulci catena, confractis ossibus adhibens alligaturam, imponens medicinale malagma. Dum curat claudos, visitat infirmos, illuminat cæcos, curat regrotos, suscitât mortuos. Amor erat gregis tanti cura pastoris. Adhuc curat gregem per propriam passionem; levat eas in cruce, ut germina vulnèrum carperent, et in pastoris amore dulci ruminatiõne penderent. Commendat Patri, commendat et Petro. Patri commendat passurus, Petro commendat ad cœlestia rediturus. Quando enim suæ passionis momento Patri pusillas oves gregis electi commendat, et Petrum Patri cum cæteris commendabat (Joan. XVII, 6). Profuit gemina commendatio, ubi erat una protectio. Pater Petrum tuetur de cœlo, et Christus Petrum visitat in prætorio: nisi enim visitaretur, non lacrymaretur, et vulnera non delerentur, nisi flētibus rigarentur. Instat ascensio, exigitur de Petro amoris nota confessio, sicut in Evangelio audiebatis. Oves, cui Pastor pastorum pastori vos commendabat Christus Dominus angelorum. *Simon, inquit, Joannis, amas me* (Joan. XXI, 15)? Et ille, *Amo, Domine*. Tu suaviter et mitis, et non te amo? In te omnis constat vitæ æternæ dulcedo, et non te diligo? Quod interrogor a te, gratias tibi ago. Dum enim amo te, amor a te. Si non processisset dilectus tuus, non sequeretur amor meus. Amant te, Domine, angeli gloriam decantantes, amant te cœli, quia *cœli enarrant gloriam Dei* (Psal. XVIII, 1), amat te terra stillicidiis sanguinis tui de latere stillantis infusa, amant te vivificati, amant mortui suscitati. Quid tibi retribuam? Curasti vulnera mea, et tuam non diligo medicinam? *Pasce ergo oves meas* (Joan. XXI, 17); quod profiteris

A in amore, demonstra de grege. Et tu ovis eras, et es. Præscio te ovili pastorem. Dimitto te ovibus meis vicarium curatorem. *Pasce oves meas*. Ante pascua plantat, et sic oves Petro commendat. Plantavi pasena in ligno viventi, in cruce non marcescenti. Plantavit vulnerata germina, aperuit pro fonte hominem, ino verum fontem crucem. Ecce habes campum pratorum, passionem vulnèrum, cicatricum, et pro meorum agnorum sollicitudine pusillorum deduc eas ad pascua, ad passionem meam. Doce carpere germina, credere vulnera mea. Doce carpere flagrantissimas rosas, cicatrices in Sole iustitiæ patefactas. Ibi oves meæ diversa professione florescant; ut hac sollicita pascua a me redempta non violeat Ecclesia. Commendat secundo et tertio, et revertitur ad cœlos sedens in proprio throno. Interpellemus eum, nec Petrus tacet, legatus, pastor, vicarius qui flevit pro negatione sua, desit pro humana duritia. Dicamus ei, Domine, commendasti, nunquid penitus discessisti? Si non defendas pastores, tutæ non essent nec oves. Aspice ergo lupos ferentes, et agnos miserandum gementes. Quare oves tuas discrevit pirata crudelis, quas tu redemisti velut ovis ductus ad victimam? Os sub tondeute velut agnus non aperuisti, lingua siluit patientis. Nullus reatus, et magnum silentium: ita ut miraretur cœlum, terra stuperet, fugerent luminaria. Et nunc taces dum oves tuæ tondeuntur gladiis et tempestatibus quas quæstisti corporis tui purpurea passione. Non vastentur in littore, quos genuisti de latere. His precibus conveniamus fidelissimum Redemptorem emendatione operum, non sola legatione sermonum.

SERMO LVIII

In natali apostolorum Petri et Pauli.

Petri et Pauli apostolorum natalis illuxit, natalis non qui in mundo implicavit, sed qui de mundo liberavit. Per humanam quippe infirmitatem nascitur homo ad æternam, per Christi vivam caritatem nascuntur martyres ad coronam. Hodie prior passus est Petrus, hodie prior passus est Paulus. Equavit meritum passionem, caritas occurrit ad diem. Et hic dies ob eorum meritum factus est nobis propositus ad celebrandi solennitatem, imitandi sanctitatem: ut amantes martyrum glorias, vestigia eorum imitari possimus. O beata apostolorum merita, ut una deo- bus concessa sit gratia, in tantum ut amborum videaris appellare nomina! Si enim Paulum dicis, Petrum non taces; et si Petrum dixeris, Paulum non siles. Denique utraque sibi pro cognominibus habentur vocabula. Merito Salvator ex Saulo Paulum voluit nominare, ut cognomine fecisset sociare: quorum societatem et vitam conjunxit, unius diei passio confirmavit. Diligitur ergo Paulus a Deo, dum legem Dei persequitur. Et qui Deo humilis esse noluit ut salvaretur, Deum humilis patitur. Nam cum iter ageret perniciosus, Salvator in nube veniens pondere oppressum prostravit, non ut quem amarat cederet; sed carnali superbia dejectum in spiritu humilem velut renatum levaret, ut qui ceciderat inimicus, surgeret Christianus. Ad quem vox de nube respondit, *Saule, Saule, quid me persequeris* (Act. IX, 4)? hoc est dicere, Superbe, superbe nunc, perniciose in te, quid te persequeris in me? Fabricatorem contristas, dum fabricam in te exterminas. Factorem lædis dum ligmentum perdis. Artifici non desunt vasa digno usui necessaria, sed in placito opere non vult magister pati jacturam. Mihi acquiris quos in sæculo lædendo in me perfectos facis, tibi deperit quod a me recedis. Clamo nunc contristatus antequam in totum peccas, ridebo nunc si obduratus non audias. Rogat hominem Deus, et spem misericordiæ humilibus ostendit, cum superbo facile miseretur. Et Saulus ad hæc dicit, *Quis es, Domine* (Ibid., 5)? Horrenda Sauli superbia, imitanda Pauli facilis credulitas, cum uno verbo et ignorantis et credentis vocem emittit. *Nescio*

enim nomen clamantis inquit, nisi qui a quo clamatur nescit; et nemo Dominum dicit, nisi qui famulatum promittit. Non est itaque facta distinctio inter ignorantem et consentientem. Quia qui voluerat Saulum esse multo tempore ignotum, ipse sibi subito Paulum fecit cognitum. Et Dominus ad eum, *Durum est tibi contra stimulum calcitrare* (Act. ix, 5): utique durum fragili cum solido congruere, qui cum colliserit, illico frangeris. Quod autem repugnas, mihi dolui est, tibi morti. Si enim perieris, tibi malum; si autem profeceris, et mihi et tibi bonum. Pergit ergo Paulus non adhuc Saulus legi divinæ profuturus, qui venerat eandem legem persecutus. Baptizatur in spe resurrectionis, qui resurrectionem prædicantibus necem parabat. Docet legem quam nesciebat, obliviscitur quam didicerat: quo merito ore proprio verbis spiritualibus laudem actuum suorum commemorat, dicens, *Certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa* (II Tim. iv, 7). Non dicit, *Dat, sed reddet*. Si reddet, debebat. Et nunquid mutuum acceperat ut deberet? Non est factus Deus debitor ex merito nostro, sed ex promisso suo. Audeo etenim dicere, debebat Apostolo coronam. Proinde si quis nobis aliquid promittit, utimur hoc verbo, quando eum convenimus cum dicimus, *Redde quod promisisti*. Debitorem exigimus, cum dicimus, *redde*: sed benevolentiam ejus confitemur, cum dicimus, quod promisisti, non quod accepisti.

SERMO LIX.

Item de Paulo.

Saulus Judæus, qui expectabat ut Paulus fieret Christianus, dum persequitur quod erat futurus, meruit ut esset Apostolus. Illic ergo a senioribus suis mittitur ad eum cujus erat pœna salvandus, mittitur excecandus. Cæcatur ergo ut videfet viam veram, que non fallit oculos, dirigit gressus. Cæcatur carne, luminatur in corde, ut oculi cordis luminarentur et carnis. Missus est ergo, ut quem persequabatur Saulus, crederet Paulus. Mittebatur in se ut quaereret se. Errabat secum viator ignarus, et non se inveniebat, quia viam in seipso perdididerat. Ideo audit vocem dicentem sibi *Quid me persequeris* (Act. ix, 4)? Id est, Saul, quid persequeris Paulum? Meus est enim quem tecum habes, et non vides, quia oculos habes furentis, non videntis, hoc est, non credis cui es crediturus, et persequeris quem eris postmodum prædicaturus. Corrige itaque, corrige pedes tuos ab itineribus Sauli, ut invenias fidem Pauli. Exue, Paule, tunicam cæcitatatis, et stolam tandem indue Salvatoris. Projice quod es, ut possis esse quod non es. Non est enim pœna cæcitatatis tua, sed cæcitatatis est causa. Ostendere enim tibi volui in carne, quod habes in corde, ut quod non videbas videas, ne similis sis illis qui oculos habeat et non vident, aures habent et non audiunt (*Psal. cxiii, 5, 6*). Sustinebam te Legis æmulum et peccatorem, cum a fatuis ac mendacibus Synagoga senioribus armareris. Ideo utilitatem tuam ostendere tibi volui fluctanti, ut amares militis boni certamen. Redeat ergo cum superfluis epistolis Saulus, ut scribat necessarias Epistolas Paulus. Redeat ad cæcos cæcitas Sauli, ut proficiat credentibus lumen Pauli. Vade Saule, redi Paule. Vade ad Ananiam papatem meum, ubi reddas quem debes Apostolum. Vade, quid cessas reddere quod necesse est pœnæ tue proficere? Vade ad Ananiam: ibi habes fontem, ubi deleas cautionem. Et ideo, Saule, tuam videas viam ut cœlestem Paulus patriam. Ubi es, vanitas, que me persequeris, ut toneres militem meum? Ecce disoit me, qui me nesciebat. Ecce amat, qui nocens oderat. Hic Vas est electionis, qui fuerat ænarium iniquitatis. Ecce est Siloe, Saule, lava oculos tuos. Ecce fons, Paule, repara oculos tuos. Tu, Saule, lava lutum; tu, Paule, vide Christum. Ambo lavate, ambo videte, ut et tu, Saule, videas quia es in luto, et tu, Paule, quia regas in Christo. Nunc ergo

vos interrogate, seniores, Saulum cæcum origines vestræ, quis eum fecerit Paulum luminis sui. Quis te fecit Paulum? Quis me fecit Paulum vultus audire? Homo qui dicitur Christus. Quando fecit, lutum fecit. Quid est lutum? medicamentum carnis, quia inde unxit oculos meos, et dixit mihi, Vade ad Siloe natoria, et lava, et vide. Et ivi, et lavi, et video (*Jean. ix, 7*). Sed quid miramini? Qui me fecit, ipse me refecit; unde fecit, inde curavit; unde peccaveram, inde mundavit. Ergo veni, Paule, ex veteri Saulo, quia non est longe ut invenire merearis et Petrum. Veni, tangat te Ananias, ut jam non timeat Christianus lupum, sed tristetur Judæus Apostolum. Tange, Ananias, Saulum, et da nobis Paulum. Expelle persecutorem, et mitte prædicatorem, in quo non timeant agni, sed gaudeant oves Christi. Tange lupum qui rapiebat Christum, ut pascat modo oves cum Petro; ut qui solebat crudeliter perdere, discat clementer acquirere. Comperisti ex lucris damna qui fecit non nostra, sed sua. Mittebas integrum, quod erat omni ex parte confractum. De rota siguli redeat reformatus, qui fuit morum consilio vetustus. Reddat qui patitur quod persecutor agebat, quando in malis suis in alieno bono gaudebat, quando Stephanum nominis sui muneravit occulto, quando furore violenti exercuit martyrem Christi. Fugiat fugator, timeat persecutor. Amet quod timebamus, ut doctorem patientiæ teneamus. Naufraget, cadatur, flagelletur, recludatur, ut per pœnas carnis mereatur gratiam crucis. Venite, videte, audite, qui habitatis terram in loco tristantium, civem esse Paulum in civitate lætantium. Videte opera Dei, Paulum tumore præcipitem, sporta fugitivum, deformem deponi per murum prædicatorem Christi quem oderat, nunc lupum Judæorum, ovem Christianorum, hædos de synagoga rapere. Ecclesiæ agnos efflere, persuadere carnifici pietatem, noxio veniam polliceri, immiti patientiam, gentili gratiam, Judæo concordiam. Videte cædi pro Christo, et non desicere pro Christo. Cæditur et prædicat, ut lucra necessaria pœna conquirit. Naufragat, et ut portus est, eget et pascit, ægrotat et sanat. Ecce quasi peccator liberat peccatores. Morsu enim vipereo peccator indicabatur, cum pro peccatoribus morderetur; sed nisi ei serpens momordisset manum, non imponeret manus. Et nunc inter Paulum et Petrum subjectum videte diabolum. Videte et coronam mundi sub pedibus Petri in qua gloriabatur Saulus, quando nesciebat Paulus: quia debebatur illi ad collegium Petrus, non merito debiti, sed gratia Christi, sine qua missus occidebat, tradebat, perdebat; nunc vero redimit, salvat, acquirit, quibus aperiat Petrus, suscipiat Christus, gaudeat Paulus.

SERMO LX.

De S. Laurentio.

Qui beati Laurentii martyrium celebramus, tropæum ejus jucunda cervice portemus Super labaros fulget terreni regis triumphus martyris confessoris. Non enim in triumpho ejus fulgent margaritæ et gemmæ, sed coruscant cæci videntes, et satiatii panibus indigentes. O labarum dominicæ crucis, quem portabat cervicibus suis, et imponebat oculis clausis, portas aperiens cæcitatibus. Labarum enim non gemmis inflexis pannum habebat purpureum, sed cum vulneribus Salvatoris in sanguine uvæ pallium purpuratum, id est, sanguine pretiosum. Quam lætenter dicamus beato Laurentio? Infirmi sumus, pauperes æmulus, ipse columna est cœlestis altaris. Contineat linguam nostram, ut ejus possimus laudare coronam. Columna pretiosa diaconus in Ecclesia, martyr in craticula. Et vera columna sustinet parietes, et beatus Laurentius continet indigentes. Dives es, pæce pauperes, dimitte hæredes, et lætifica angelicas potestates. Socutus est testatorem, et ipse patiens reliquit hæredem. Testator ille erat pater Xistus, et ipsum testatorem sequitur beatus Hippolytus. Nam

cam staret juxta gloriosum lectum Xisti patris, juxta equuleum pendentis pontificis, scribitur testamentum calamo sanguinis. Filius lugebat, et pater promittebat divitias pretiosas. Fili, inquit, noli tristis esse, sequeris me post triduum. Testamentum martyris resurrectio est Salvatoris. Calamus erat equuleus, sicut et crux calamus erat. Dominus testamentum latroni scribebat, Xistus dicebat. Sequeris me post triduum: et Salvator dicebat latroni, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. (Luc. xxiii, 43).* Fidele testamentum, nec testator mentitur, nec hæres fraudatur. Christum latro sequitur ad paradysum, una carruca, et beatus Laurentius a patre Xisto pervenit ad craticulam. Ignea carruca quam præcedunt officia pretiosa, non eliamydati, non scutati et sericati; sed cæci illuminati, pauperes ditati, et miseri satiati. Expavit imperator impius, quid sibi volunt isti? Ubi sunt thesauri quos tu promisisti? Ecce sunt thesauri mei, boni laturarii mei, qui ibi portaverunt divitias meas, ubi non potes extendere manus tuas. Aurum et argentum non habeo, sed quod habeo, hoc tibi do. Aurum meum istorum venter comedit, sed venter suscepit: aurum tuum, idola gentium, aurum meum, satiatis pauperum. De auro tuo simulaera non vident: de auro meo cæci vident, et pauperes gaudent. Imponitur et ipse in refrigeriosum lectum craticule, et Hippolytum dimittit hæredem. Tradidit ei gemmas carbonum, et oculos apertos carcorum: ut de contemptu tormentorum et ipse sibi hæres faceret ornamentum. O margaritæ prunarum, quibus Laurentii viscera decorarent! Ignes anhelabant, et gemmæ micabant, ac martyris membra fulgebant. Regulæ illæ craticule flammantis calami erant linguæ martyris testamentum scribentis, quibus calamus, et impij judicanti minabatur gehenna, et Hippolyto sequenti scribebatur corona. Stridebant scintillæ ignis crepantibus flammis, et gemebant ministri persecutoris, quia gaudebant angeli Salvatoris. Ipsi eum persecuti sunt resurgentem, quem processuri sunt pauperes a craticula venientem. De craticula deduxerunt ad urbem Romam. De sepulcro deducunt ad patriam sempiternam. Occurret illi Christus Dominus in aere, qui eum adjuvit in igne: quia ipse cum tribus pueris in fornace dignatus est apparere (*Dan. iii, 92*). Dabit carrucam nubis, post craticulam ignis ardentis. Craticula habebat rotas flammeas; nubes habebant amœnas guttas et frigidam pluvias: ut sicut in lectulo craticule gaudens in Domini pace dormivit, ita in Domini Jerusalem cantet et dicat, *Hæc requies mea, hic habitabo, quoniam prælegi eam (Psal. cxxxii, 44)*. Et angeli quid cantabant ad istum triumphum? *Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te (Psal. lxxxiii, 5)*.

SERMO LXI.

De eo qui incidit in latrones.

Latentur itinera mundi, quia transit conditor cœli habens ante se angelicas potestates, ut cessare faciat in fauce latrones, et in via semineces levet innocentes. Ecce desunt luctus itineris, gemitus semivivi jacentis. Medicus transit, qui lugebat silet, qui jacebat exsurgit. Percussus a latronibus, dominicus incipit portari cervicibus. Ille, ille est quem nobis Evangelium demonstrabat jacentem, et Dominus in cœlis, et angelis ostendebat in suis humeris respirantem. *Homo quidam (Luc. x, 30)*. Nomen non commemoratur, quia deletus erat de libro viventium. Dimiserat visionem pacis, sic enim Jerusalem unde descenderat interpretatur. Dimiserat templum pacis, sedem quietis, curiam angelorum, Ecclesiam primogenitorum (*Heb. xii, 23*); et cœpit descendens in manibus patere latronum. O homo, tu qui jaces, quam bene porrectus eras, quam bene inter margaritarum portas ingrediebaris, et lætabaris! quam bene super ripas illius crystallicis fluminis medicinalium tegebaris opacitate lignorum! Illa folia non decidunt, tua vestigia quare exinde deciderunt? Non erat ibi qui te terra-

ret, non leo in silvis rapiens et rugiens, non ibi ursa insidians, nec pardus in via Assyriorum, quia delectatio ibi est angelorum. Non sunt ibi latrones, quia nihil in ea immundum: non ibi fauces, quia nihil in ea occultum, sed luce septies tantum micantem. Totum in illa est mansuetum. Non ibi agritudo, non pestis, non ibi paupertas atque necessitas; quare talis displicuit civitas, ubi non calumniator, non impius fenerator? Non ibi jurgium exactoris, nec clamor perstreptit litigantis: quia *pax in virtute tua, Domine, et abundantia in turribus tuis (Psal. cxxi, 7)*. Plateæ ejus canticum lætitiæ dicunt, et omnes vicij ejus alleluia; quare talis displicuit patria pretiosa? Descendisti, latronum manus incurristi, jaces, erige te, qui voluisti nulla necessitate coactus exire. Nemo te impulit, quis te revocat, nisi ipse qui te non impulit, sed recipit? Quoties cum gladiis malitice latentes armatos videns in fauce latrones, resistit. vultum tuum ad illarum pulchra cacumina turrium, ad introitus dulces portarum, et displicuisti tibi, et imputasti tibi; et non subvenisti tibi, nisi descenderet Agnus Dei, qui tollit peccata mundi? Veni, veni, Domine Jesu Nazarene. Descende ad jacentem, consolare lugentem, resolve suspirantem, *Inclina cœlos et descende (Psal. cxliii, 5)*. Imperium tuum in humeris tuis, resamatur vulneratus in cervicibus tuis, confossus gladio respiret in ligno. Tu sanare disposuisti, qui vulnerari permisisti, et mori penitus noluisti, ut semivivus lugeret, et per pœnitentiam recognosceret, et non eo die mortuus lacrymis caruisset. Non est, Domine, qui succurrat, non est qui inferat medicinam, non est qui miserum tollat de via, nisi tu solus via, veritas et vita. Transit sacerdos per vices suas, et miserum non supponit cervices suas. Transit Levites, condoluit, et pertransiit. Tu obediens factus usque ad mortem crucis, suspende in ligno vulnera lamentantis. Hoc fecit qui descendit ut videret gemitus competitorum, stetit, miseratus est, levavit delicatum, et in suis humeris posuit sauciatum. Fecit se immentum tanquam pecus, factus velut agnus mœtus, impositus illum jumento suo, non alieno, fovit chrismate de nomine suo, et fudit vinum de sanguine suo. Et cœpit ambulare pius Samaritanus cum pondere alieno, quia ipse portavit infirmitates nostras, et vulnera nostra curavit (*Isa. liii, 4*). Perduxit ad stabulum hospitem reparatum. Vocat stabularium præpositum stabuli sui, et commendat depositum, quem portabat. Et ait, Accipe ad te pignus meum. Custodi depositum meum. Modo curatus est, diu jacuit, diu inclusus est a latronibus. Fove illum tuis visceribus, quem ego meis ad te portavi cervicibus. Sumptus trado, sic sanandum commendando, de meis expensis refice viscera esurientis. Ecce habes (dixit) duos penarios, non dixit aureos, non argenteos: quia duobus Testamentis nulla possunt metalla comparari, non auri neque argenti, non electri: quia scripta sunt digito Dei et Spiritus sancti. Ipsi sunt sumptus itineris nostri. Domino medicamenta præbentur: dno denarii committuntur. Et dicitur stabulario, *Si quid supererogaveris, ego revertens reddam tibi (Luc. x, 35)*. Quid supererogat qui accipit quod erogat? Caritas est ista quæ plus quam præcipitur erogatur, quia *non querit quæ sua sunt (I Cor. xiii, 5)*, non habet terminum caritas. Et dicit stabularius erogans aliquid super quod accepit, *De virginibus autem præceptum Domini nostri non habeo: consilium do (I Cor. vii, 25)*. Un te a veniente Spiritu sancto induxit in omnem veritatem, qui jacebat, ut acciperet de præsentis medico sanitatem, ut annuente Spiritu sancto disceret castitatem, et rediens ad Jerusalem quam dimiserat, non deserat civitatem.

SERMO LXII.

De unico filio viduæ Naim.

Ubi cœlestis vita dignatur intrare, mors ibi inimica non habet potestatem. Vita nostra Christus est; dicamus omnes, *Ubi est, mors, aculeus tuus (I Cor. xv, 55)*? Christus per mortem suam salvavit mortuum

nostram; dicamus iterum, *Ubi est, inferne, victoria tua* (1 Cor. xv, 55)? Ecce medicus noster portas ingreditur civitatis, vidua mater cesset a lacrymis. Unde et quo venit, qui mortuus sua morte subvenit? A centurione ad miseram matrem, a servo ad filium, a divite ad unicum. Ibi venire rogatur, hic ipse sponte venire dignatur. Ibi erat qui mitteret, ut qui laborabat penitus non periret. Hic sola mater, et unicus filius, cum quo solus migraverat affectus, dum secum miserabilis mater tractat, et volvit quia jam proximabat tempus sepulturæ, et non erat qui cerneret ad Dominum medicinæ. Quem mittam, clamabat, et quis ibit ad Dominum meum? Non parens, non propinquus, non servus, vel alius filius. Si dimittam, accusabit me mortuus meus. Novit sumus matrem, ubicumque est Dominus meus, quomodo remansit mater sola visceribus, sola doloribus. Utinam clauderentur portæ ventris mei, ut non crearem quem plangerem! Utinam tanquam abortivum fieret intra mei secreta ventris, ut non videret lucem, de qua mihi duplicem doloris faceret cæcitatem! Non maritus, non filius solus, mihi remansit Dominus meus. Novi quia videt plangentem, sed si cito advenerit cum virtute, vicinam destruet mortem. Ecce enim sepulchri fossa parata est, vita mea ubi est? Istum putasne sepelio, an Dominum meum sperabo? Inter hæc cum plorans plorat, et lacrymæ ejus super genas ejus, et non est qui consoletur eam (*Thren. 1, 2*): ecce vitæ imperator advenit: ipse intrabat, illa exibat. Occurrunt sibi mors et vita. Præcolum spiritalibus obsequiis angeli compatiens doloribus matris. Clamat per eos fides. Dicite matri filiæ Sion: Silcat pupilla oculi tui. Ecce Salvator advenit habens mercenem suam, et opus ejus ante faciem ejus (*Isa. Lxii, 11*). Quale est opus? Qualis est Dominus? *Cæci vident, claudi ambulat, leprosi mundantur, mortui suscitantur* (*Matth. xi, 5*). Ecce opus ejus. Qualis est adventus ejus? Ecce venit cum sanctis comitibus suis, duodecim apostolis suis Imperator, non in carruca aurea ut vivos terreret, sed pedum labore ut mortuos suscitaret. Approximat qui longe non erat, venit ad portam, invenit duplicem miseriam, unicum et viduam. Commovetur propter unicum, quia et ipse unicus; commovetur propter viduam matrem, qui facit sterilem in domum matrem filiorum levantium (*Psal. cxii, 9*). Aspicit miseram viduam lectum sui funeris prosequentem, genas laniantem, crines manu spargentem, quæ ad solum filium attendebat, quæ alterum ad quem respiceret non habebat. Non videt Dominum, sed ipse ejus conspicit luctum. Factus est spectator plangentium, interdictor portantium, consolator lacrymarum. Non ante alloquitur matrem, non ei primitus consolationis verba profundit, sciebat enim eam lacrymis esse confusam. Bajulos funeris monet, ut stent. Deponite, inquit, sarcinam vestram, spectate et vos medicinam meam. Non ad vos revertetur pondus ulterius. Jejunos manebit infernus, et vacuus reportabitur lectus. Sed nimium portando laborastis. Dulcior est fructus vestri laboris: ut quem mortuum portabatis, vivum ad patriam deducatis. Festinant illi funeris portitores: ut fierent miraculi spectatores. Obediunt imperanti, consulunt suo labori. Posuerunt, steterunt, et omnes ad Dominum oculos suos suspenderunt. Factum est grande theatrum, angelorum et hominum dulce spectaculum. Siluit strepitus lacrymarum, remansit cum mortuo luctus in medio popularum. Accedit qui nunquam recedit proximans lecto. Descendens de cælo clamat ad mortuum, *Juvenis, tibi dico, surge* (*Luc. vii, 14*). Tibi, inquam, sub morte jacenti, non populo sub vita superba pereunt. Juvenis, inquam, surge. Nulla sit tarditas, non quantum tibi jacenti, sed matri plangenti. Ecce venit hora, et nunc est, ut audiant vocem Filii hominis qui in monumentis sunt, et procedant ad vitam. Accipe auditum, recipe spiritum, rumpe nodum sepulturæ, et lugentem aspice genitricem. Vocavit, suscitavit, erexit, matri reddidit dicens, Accipe, mater, filium tuum. Mortuus tuus

A fidei erit pignus, non gehennæ fructus. Acci it illa velut novum, quem perdidit juvenem, meliorem partum sentiens in verbo Domini, quam in vulva matris suscepit. Gratias ago tibi, Domine, melius recepi a te, quam genui ex me. Nescio quomodo concepi, quomodo genui non novi, quemadmodum et recepi. Tu scis quemadmodum corpus ejus compactum est in utero solo verbo tuo. Non ego spiritum dedi, non ego ossa comparavi. Tu dedisti, tu abstulisti, tu reddidisti. Hæsit pietas ad pietatem, filius novus completitur matrem.

SERMO LXIII.

De paralytico.

Ecce fons, fratres carissimi, proximat ad piscinam, miseris jam properat medicina. Ecce fons ad piscinam, ut suscipiat aquam de fonte piscina. Non fons suscipiat de piscina, quia piscina uni homini præhebat metelam, fons autem rigabat totam terram, et toti mundo languenti sine excepta persona gratuitam præbuit medicinam. Piscina construitur, fons autem manu humana non fabricatur. Non accipit fons de piscina primordium, nec Christus ab homine generatur, sed ipse regenerat genus humanum. Fons aquam non accipit per canalem, quia ipse aquam dirigit ad meatum: quia non est natus per virum et mulierem, sed per Spiritum sanctum et virginem matrem. Piscina habuit marginem, fons non habet finem. Piscina porticibus claudebatur, fons autem vitæ nec cælo concluditur, nec terra celatur, qui attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap. viii, 1*). Ut ægrotus multi temporis accipiat sanitatem, veniebat fons, implebat piscinam. Unus tantummodo accipiebat medicinam. Unde fons manaret, nemo noverat fontem. Non Septentrio, non Meridies, non Oriens, non Occidens, fons occultus unus homo fiebat sanus, quia notus in *Judæa Deus* (*Psal. lxxv, 2*). At ubi vidit omnis caro salutare Dei, didicit mundus quia non fons de piscina manabat, sed piscina de fonte repleta refulsit, quando fons juxta piscinam non rogatus astiit, et sine piscina curavit. Quales erant illi porticus! Delectat columnas attendere, sed plus movetur pietas ad ægrotos respicere, quæ columnæ futuræ erant Ecclesiæ, cum acciperent sanitatem. Columnæ Porphyreticæ, homines bibituri Christi cruorem. Columnæ Lacedæmonicæ, insani liberandi a dæmone, quo præsentem ultra non habuit in hominibus potestatem. Columnæ Paricæ tulgentes in ordine, leprosi et paralytici transituri per fontem: ut dimitterent varietatem, et de fonte acciperent unitatem. Columnæ Carysticæ, homines sub pœna laborandi sub gratia, ut juxta nomen columnarum gratis fieret sanitas ægrotorum. Ibi artus contorti, homines claudi. Artus ab artifice curabatur, et paralytici sine artifice torquebatur. Venit architectus, et erectum est templum stabilitate membrorum. Conveit architectus jacentem structuram suam juxta piscinam, quæ aquam suscipiebat exigam. Stetit fons de nullo impletus, sed ipse omnia replens, quia de plenitudine ejus omnes accepimus, gratiam pro gratia (*Joan. i, 16*). Ad piscinam non respicit, sed ab ægrotis quærit, Vis, inquit, sanus fieri (*Joan. v, 6*)? Respondit, Domine, desiderium meum temporis prolixitas attestatur. Diu ægrotus una hora volo esse sanus? Domine, olim cupio, jacebam tædio, latus, perlatus, et non habeo laturarios, nec homines, nec ipsos angelos. Non habeo bajulos ad piscinam, et male bajulor in lecto sub pœna. Novi, Domine, quando piscina moveatur: sed doleo quando alter prævenit medicamentum, et ego debilis revertor ad lectum. Erigo caput, et necdum video caput. Tremescit in piscina splendido, sub lumine aque ridentis actus, et meus luctuosus contremiscit sensus: video quomodo alter ascendit de piscina resurgens, et ego descendo in infernum vivens. Si tu es qui visis et vivificas mortuos, non moriar, sed vivam, et narrabo opera tua (*Psal. cxvii, 17*). Non

sine causa interrogasti me, nisi quia venisti ut adjuves me. Subveniat Dominus, quia non subvenit servus. Et Dominus, Surge, inquit, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam (Joan. v, 8). Surrexit protinus de piscina, et per fontem gratie semitam direxit letitiae ad propriam mansionem. Reportat lectum infirmitatis ad domum suam, ut sine lecto languoris caelestem intraret Ecclesiam. Infirmus sanus portat lectum, quia medicus mundi tulit peccatum. Tulit super humeros propriam sarcinam; Agnus autem Dei super cervicem portabat sarcinam alienam. Et ille lectus crux erat. Sed lectus paralytici intextus erat vestibus delictorum: crux autem non habuit complexionem vestium, quia non habuit vincula peccatorum. Lætatus curatus, et amulatur Judæus, ut de fonte gaudeat Christianus. Quid facis? clamant Judæi, sabbato tollis lectum? O apertam blasphemiam! Melius ego lectum meum tollo in sabbato, quam lectus meus me portabat in sabbato. In sabbato semper xxxviii annis jacebam, servile non habui ministerium. Venit Dominus sabbati, et accepi Dominicum sacramentum. O Judæi, si sciretis ubi jacetis, tolleretis et vos grabatos vestros in sabbato, quia sabbatum non impedit Dominum, nec medicus meus piscine expectavit adjutorium. Dimisit lectum, posuit lectum, fecit grabato vale, reddidit illi vicem, ne ingratus lectus forsitan accusaret. Occurrit Dominus prolato grabato. Occurrit susceptor suo susceptori paralytico sanato. Salvator vidit letantem, et non patitur negligentem, Ecce, inquit, sanus factus es (Ibid., 14). Gaude de sanitate, sollicitus esto ad infirmitatem: ut secunda mors in te non habeat potestatem. Ne putes quia sine causa te emendavi, et tanto tempore castigavi: fueras reus, non ego: non te curasti, sed ego. Vide ne pecces, ne quid tibi deterius fiat (Ibid.). Hoc dixit Dominus, et non dixit angelus, quando mota piscina descendebat unus et suspirabat paralyticus. Angelus enim movebat aquam in piscina, et salvabatur tantummodo unus. Venit Christus, non piscinam aspexit, et fluxerunt gentes. Nec unam modo piscinam sustinent peccatores, quia in toto mundo renascuntur infantes, qui fuerunt competentes. Jam susceptoria fontis non porticibus clauduntur, sed prophetis et apostolicis circumdantur, ut æstum non patiantur sitientium turbæ cervorum. Quia ipse fons clamat, Qui sitit, veniat et bibat (Joan. vii, 37). Non est etiam tempus ut aquam moveat angelus, quia fontem gratie amœnat Spiritus sanctus, sicut dictum est quia Spiritus Dei ferebatur super aquam (Gen. i, 2). Tunc superferebatur super aquam, sed nunc inhabitat requie suavi terræ, in qua motus non videtur, sed creditur. Nec corpora tantum salvantur, sed liberantur animæ. Omnes qui baptizantur, eriguntur ad regna cælorum in cursu, ut attendentes semper ad grabatum, peccata studeant cavere morum, et sine lecto infirmitatis vivant justi in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXIV.

De eo cui uberes ager attulit fructus.

Audistis, fratres, quemadmodum nobis hodie beatus evangelista similitudinem proposuit, dicens: *Homini cujusdam dicitis uberes fructus ager attulit, et cogitavit apud se, dicens, Quid faciam, quia non habeo ubi colligam fructus meos? Et dixit, Hoc faciam: destruiam horrea mea, et majora edificabo, et illuc congregabo fructus meos: et dicam animæ meæ. Habes multa reposita in multis annos, gaude, et jocundare. Dixit autem ei Dominus, Stulte, hac nocte expositur anima tua a te; quæ preparasti, cujus erunt (Luc. xii, 16, seq.).* O cæcitas avaritiæ, fratres dilectissimi: una nox supererat, et de multorum annorum repositione satagebat. Gudebat, quantum sibi nasci videbat, et nesciebat quia nihil secum tollebat, sed hic omnia dimittebat. Nox ei vitam negabat, et de crastino coactabat. Quod in aliis spectabat, in se non sperabat. Utique viderat ille possidentes, viderat mo-

rientes. Viderat neminem secum tollere terram, sed omnes potius consumi ac sorberi a terra. Quanti sunt et modo qui sic dicunt, Tantum habeo, tantum possideo, tantum facio? Quibus respondendum est, secundum Evangelium, *Stulte, hac nocte expositur anima tua a te; quæ preparasti, cujus erunt? Quantumcunque cupiditas radices suas ubique distendat, quantumcunque rapiat, necesse est in una hora totum dimittat. Sed dicturus es, Habeo filios quibus laborem, habeo quibus curam maximam geram. Quantum curam geris filiorum, ut eos lacrymis opprimas miserorum? Non est hoc filios amare, sed potius necare. Nescis quia omnis arbor in fructu dignoscitur, nescisque quod in radice celatur, in ramis declaratur, et quod latet in folio, enitecit in pomo? Nolo talem patrem te sentiant filii tui. Nolo sic provideas, ut magis invides. O quanti pauperes nascuntur, et postmodum divites efficiuntur! Et quanti quibus magna hæreditas dimittitur, et postmodum ad penuriam rediguntur! Neque enim Scriptura sancta mentitur quæ dicit, *Deus pauperem facit et locupletat: humiliat et exaltat (I Reg. ii, 7)*. Si ergo Dei est pauperem facere et ditare, cur quasi providus filiorum tuorum existi? cur rapis quæ potes? si forte maneant nescis, tibi perpetuam pecuniam nutris, et maximum filijs dolorem dimittis? Dicit enim Scriptura, *Qui congregat aliena, dimittit filijs suis dolorem. Et rursus dicit in Psalmis: Verumtamen in imagine deambulat homo, tamen vane conturbatur. Theaurizat, et nescit cui colligat (Psal. xxxviii, 7)*. Quid theaurizas, quid auri argenteque talenta recondis? Quid imaginem regis sculptam servas in solidis, et imaginem Dei conditoris in hominibus detestaris? Sint et Deo quæ Dei sunt. Majores nostri ideo copiis omnibus abundabant, quia et Deo decimas dabant, et census Cæsari dependebant; modo autem, quia Dei recessit devotio, Cæsaris accessit indictio. Hoc enim tollit fiscus, quod non accipit Christus. Hoc barbaris datur, quod pauperibus non erogatur. Multum erras, avaro, qui putas in hoc sæculo comparare: quotidie labitur, quotidie deficit, mundus ruinam suam minatur, finem testatur; et illic te delectat persistere, illic adhuc ædificare, unde optant sancti migrare? Ædifica quod stat, non quod cadit. Ædifica quod manet, non quod hic remanet, et compara tibi paradysum, compara tibi cælum, ubi maneas in æternum: sed si vis comparare cælum, fac quod est præceptum. *Noli, inquit Salomon, parcere (al., parere) thesauris tuis. Tribuendæ autem sunt elemosynæ pro modo et quantitate substantiæ, sicut scriptum est, Filii, prout fuerit tibi substantia, sic ex illa fac elemosynam. Si tibi fuerit copiosa, plus ex illa fac; sin autem exigua habueris, et ipsa exigua cum pauperibus communica (Tob. iv, 8, 9)*. Si attendatur legis æqualitas, cessat hominis tenacitas. In opere elemosynarum nulla est discretio personarum. Pauperis illius viduæ duo quadrantes præcesserunt divitum magnas agapas. Illa quæ aliorum misericordia sustentabatur, misericordiam operabatur, et quod ei fieri oportebat, ipsa magis hoc faciebat. Et cum omnis substantia duo nummi erant, non unum dabat et alterum sibi servabat; sed totum quod possidebat in dona Dei mittebat. Hæc est quæ de crastino non cogitabat. Et vos, fratres, accepistis opus viduæ tanti operis; si non potestis dare totum, de toto date vel modicum. Hoc scitote quoniam qui seminatur parce, parce et metet: qui autem seminatur in benedictione, de benedictione metet vitam æternam (II Cor. ix, 16).*

SERMO LXV.

De muliere quæ erat in fluxu sanguinis

Dilectissimi fratres, melius advertimus credendo, quod bene didicimus legendo, quia solus Christus hominibus adhibuit medicinam, cui et potestatem dedit majestas divina. Non enim medicamentibus curat et ferro, sed virtutibus sanat et verbo. Denique

virtute sanavit curam mulieris, et verbo suscitavit A puerum centurionis. Duodecim annis mulier medicis erogavit substantiam suam (*Marc. v, 25, 26*) cupiens evadere, sed si Christus non venisset, in causa habuit remanere. Abstulerat itaque femina curam pudoris, ut hominibus panderet secreti sui dolorem. Promittunt medici sanitatem, mulier dissipat facultatem; et substantiam donavit, et sanitas elongavit. Dimiserunt archiatri mendicantem, quam non reddiderunt jocundantem. Duobus jam modis mulier fatigabatur: inopiam sustinebat, et poenam. Carnales medici non valuerunt medela reficere, quam prædando voluerunt penuria deficere. Aestuans igitur de egestate, et diu cogitans de sanitate, consiliatrix non defuit fides, quæ pelleret necessitatem. Ecce omnis substantia mea a medicis est dissipata, et mihi non profuit, quia non sum curata. Invenit consilium tacita fides. Videt medicum, videt et populum. Cogebat illam dolor medicinam petere, et pudor impediēbat, ne causam suam coram masculis indicaret. Mittam, inquit, manum meam, et tangam Ambriam vestimenti ejus, et efficiar sana (*Ibid., 28*). Ausa est accipere, quod ausa non fuit petere. Stabant itaque discipuli, et turbæ simul, et pares audivimus docentem Christum. Audientes tamen hujus rei gestæ non fuerunt expertes. *Sentio*, inquit Jesus, *a me exisse virtutem* (*Luc. viii, 46*). Et discipuli, *Domine, turbæ te compriment* (*Ibid., 45*). Petre, inquit, sentio a me exisse virtutem. Quid dicis, *turbæ te compriment*? Mulier igitur tactu vestimenti simbriæ sanior effecta, timuit celare beneficium quod accepit, ne damnaretur quia non petiit, silentio accepit, quod tacite petiit: summo digitorum Christi tangens simbriam femina meruit liberari, quæ a medicis consumpta cum precibus præda nequaquam potuit liberari. Divinum fides providit medicum curæ mulieris, ut nec ipse causam quæreret, nec illa panderet secretum pudoris. Ut ergo Christus fidei fructum cunctis demonstravit, tunc et mulier causam suam coram masculis indicavit. Cui Jesus ait, *Vade, filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora* (*Matth. ix, 22*). Huic medico et tu committe secreta conscientie tue, et cito curaris: quod si neglexeris, tempore diuturno ludificaris. Ille enim omnes sanat absque ferramenti cæde, qui et mulierem curavit sine mercede. Omnes enim medici corpora curant, quæ solvantur: Christus autem animas curat, quæ nunquam corumpuntur. Denique videtis illum legendo, sed et vos vidistis illum audiendo, quia manifestatum est vobis credendo. Centurio perdidit morientem ministrum, et non est captus mentis dolore: sed inquiri curæ magistrum. Domine, inquit, Jesu, puer meus modo moritur, sed si volueris, cito mihi reddetur (*Matth. viii, 6*). Audacter petebat, quia Christum totum posse sciebat. Imo quia non fuit audacia, sed erat fiducia. Cui Jesus ait, *Credis quia possim hoc facere?* Et ille, *Credo, Domine* (*Matth. ix, 28*). Tunc Jesus sequentibus se dixit, *Eamus et suscitemus puerum ejus*. Tunc centurio magis clamosa voce omni populo coram ausus est dicere, *Domine, non sum dignus ut sub tectum meum introeas, sed dic tantum verbo, et sanabitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; et dico huic, Vade, et vadit, et alii Veni, et venit, et sermo meo, Fac hoc, et facit* (*Matth. viii, 8, 9*). Tanquam dixerit Deo, *Ego jubeo militibus: tu impera virtutibus*. Major erat fiducia mulieris, sed laudata est fides centurionis. Et quis illum laudavit? qui puerum et mulierem sanavit. Et qualiter eum laudaverit, evangelista nobis indicavit, *Amen dico vobis, tantam fidem non inveni in Israel* (*Ibid., 10*). Fides denique a muliere non discesserat: centurionem vero ad Christum festinans præcesserat: sic ut venit centurio, et interpellavit etiam pro puero; fides postulavit impetrans. Proinde iterum fides centurionem præcessit ad donum. Non quia deseruerat, sed ut multis divinum ostenderet donum. Tetigit pueri latus, suggerens ei

cum gaudio vitam; et tanquam e somno experrectus domum reddidit letam. Magnus medicus, fratres mei, parum est quia medelam dedit vulneri; insuper et animam reddidit fumeri. *Et credidit*, inquit, *centurio, et domus illius tota* (*Joan. iv, 53*). Ecce quo ordine bene creditur, sic melius a perfidia receditur.

SERMO LXVI.

Item de eodem.

Temporalis medici statio videtur esse defixa, ubi herbarum redolent medicamina, et in tectis curationis inclusa renitent ferramenta, qui cum forte ab infirmo interpellatus fuerit in platea, non potest impendere subitam medicinam, nisi de statione necessaria secum tulerit ferramenta. Christus autem simul totus ibat, quia medicus non erat arte, sed potestate, nec industria, sed clementia. Ambulabat medicus secum portans stationem suam, id est, susceptam clementer carnem suam. O statio pietatis, puritas carnis de utero virginis, qua omnis pœna curatur mundi languentis! Tenet hujus medicinalis stationum ansulas pater interpellans pro filia sua (*Luc. viii, 42*). Alia pulsat furtivo tactu ansulam mulier verecunda (*Ibid., 43*). Furanti aperitur, petenti differtur. Ille tangens ansulam pater facit sonitum de sua interpellatione, turba exspectante, populo subsequente, cœlo stupente, morte tremente. Mulier vero de causa pudica, de fide secunda, sic tetigit ansulam stationis, ut ante statueret profluvium sanguinis, quam vox claresceret contentis. Aperitur statio, sentit agrotata, et non intelligit turba. Non sonat ansula, et procedit de ostio medicina. Egreditur de templo majestatis Spiritus sanctus, ille subtilis non facit strepitum, et sanitatis operatur effectum. Clamat opifex medicus, *Quis me tetigit* (*Ibid., 45*)? non ut esset pœna tangenti, sed ut laus publica fieret præsententi. Præcessit fides spiritalis, et tactus operatus est corporalis. Huic autem et illa secunda præsumit: et qui curavit, libenter accepit. Ad hoc enim descendit, ut tangeretur, ut palparetur. Qui tangit montes, et fumigant (*Psal. ciii, 32*), a muliere tangitur et vivificat. Nam si non esset ab illo corpusculum factum, non libenter acciperet tactum. Et si non esset ab illo facta compago membrorum, nunquam mulieris fides perduceret ad spectaculum, nunquam aperiretur cœlum, ut congregaret tale theatrum. Pulsavit infirma stationem, Dominicam carnem, odoriferam vestem: exiit virtus, et stetit protinus fluxus. Et dicit, *Mulier, fides tua te salvam fecit* (*Luc. viii, 48*). Hic aperitur mulieri difficilis via, angusta merita, populis obsessa, sed ab angelis patefacta. Procedit fides et clamat, *Facite spatium, transeat mearum alumna virtutum, et pretii cœlestis fidele mancipium perveniat ad Dominum suum, qui sui sanguinis pretio cupit damnare supplicium*. Ipsa curabat, et de tactu sui corporis non erubescibat, qui et humani corporis statuit sanguinem, antiquum homicidam, innocentem fecit in cruce latronem. Eum Manichæi et Venustiani præcedunt et erubescunt. Vident et dicunt non esse corpus humanum, opus divinum. Clamat ipse qui curat et dicit, *Nonne qui fecit quod intus est, ipse fecit et quod foris est?* O verecunda causa, sed libera medicina! Nonne si alienum esset ab illo opus carnis humanæ, nunquid statueret sanguinem? Nunquid publicaret de se processisse virtutem, et tyrannicam repelleret mortem? In platea curatio, in domo resuscitatio. In platea confunditur interfector, quia stetit sanguis, et jacuit sanguinis accusator. Nunquid non ipse suscitavit puellam lecto jacentem? Ingreditur domum, et capivāt infernum. Revocat animam de tartaro, et corpus levat ex lecto. Quid est ergo quod jubet relici suscitatum, nisi quia ipsius erant corporalia membra, quibus esca fuerat necessaria? Gaudet ergo de artifice humani corporis et fide: principis, et pudicitia mulieris, et puella refecta, et femina collaudata, ut de pusillis et magnis cœlum letetur et terra.

SERMO LXVH.

De solemnitate sanctorum apostolorum.

Delectat tantorum tractare margaritas sanctorum, delectat gemmas intueri dulcium piscatorum. Nec modus in colore, nec numerus in virtute, splendor varius et diversus ornatus. Illos lapides si cæcus aspexit, illuminatus effulsit; si gestavit surdus, verbo Domini claros percepit auditus. Si aspexit hos lapides claudus in porta speciosa (*Act. iii, 2*), cursum recepit, et templum fortiter intravit. Testis est Petrus ad Tabitam (*Act. ix, 40*), qualis sit splendor harum margaritarum, quando tantus exsultavit numerus viduarum. Ergo et nos singuli singulos contemplemur. Quis eligens Petrum respuat Paulum? Quis querens Andream contemnat Jacobum et Joannem? Nulla est diversitas nominum, quia una est corona gemmarum, unus natalis Apostolorum, una est lætitia populorum. Remotum est omne naufragium, timor excluditur piratarum: quia barcæ subveniunt dulcium piscatorum. Tuta sunt littora per apostolica rotia. Petrus in capite scaphæ celestis, triumphat in littore: si Andream contempseris, unus est uterus, unus usus, unus innocens captus. Per pisces piscatorum paupertas tollebat, per animas in captura conclusas gratia demonstratur, et regni cælorum divitiæ publicantur. In scapha Petri quis numerat pisces? quis in Evangelio Pauli numerat gentes? Diversa nomina, et una captura. Ecce Jacobus et Joannes neglecto patre, contempta matre, dimisso reti, secuti sunt piissimum Redemptorem. Fiat itaque in solemnitate Sanctorum tam grande convivium. Ecce Matthæus præparat prandium, et Christus pransor ingreditur cum multitudine peccatorum. Pransor innocens, et rei convivæ, unde convivii sui societate peccatores faceret in suo sacramento gaudere. Judei dicebant, *Quomodo cum publicanis et peccatoribus manducat* (*Matth. ix, 11*)? Nemo peccator secernitur, nemo reus avellitur. Omnes hospites Christi sunt, commune convivium est omnibus. Præparat prandium gaudiorum solemnitas Apostolorum: justus pascitur de gratia, peccator reficitur de indulgentia. Et si murmurant Judei, sed titantur rei, facti securi. *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me* (*Psal. xxii, 5*). Simon ille Chanæus, qui mutavit nomen gentis, et inseruit florem suum coronæ virtutis, aptatus manibus Salvatoris, fulget de ista corona igneo vigore decoratus. Judas zelotes zelat: Domino, non commercium querens Christum vendendo, pro illo zelabatur, non de illo paciscebatur. Invenimus etenim ibi denigrato colore separatam lapillum, Judam Domini traditorem speciem cum commercio defœdantem. O nomen! et nomen ille dicebatur, zelans zelavi Domino omnipotenti (*III Reg. xix, 14*), et Judas proditor pacta crudelia deducebat, *Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam* (*Matth. xxvi, 15*)? Ille zelatus est affectu Domini, iste excluditur Domini nota convivii: sed delectat magis primum cernere Petrum piscatorem, quia horrescit novissimum respicere traditorem. Exclusus est de corona, complenda est ipsa corona. Qui elegit, ascendit, qui tradidit male, pependit. Quis supplet numerum in ista corona gemmarum, proponitur sortis divinæ iudicium, Christus Matthiam diligit de cælo (*Act. i, 24*), qui duodecim ordinavit (*Luc. viii, 13*) in campostri palatio. Aperiantur Sancta Sanctorum, proferatur urna aurea, ut vere de cælesti auro decorata. O sors bona! quæ elegit discipulum, ut integra permaneret corona gemmarum, quia Judas solus pependit in laqueo. Ecce duodecima vestris oculis fulget picta corona, de cuius aspectu ut visa flata (*forte, vivis afflata*) scintillis fulget congregatio vestra. Ubi est ille Vas electionis? Claudat coronam pietatis, et lapidem Evangelii toto mundo tonantis. Bonus ultimus, quem elegit primus et novissimus. Saulus durus, factus est Paulus mansuetus. Quibus tornulis aurificis iste est lapis aptatus? Testantur

A fundamenta carceris nocte commota, reorum vincula soluta, optioni donata gratia, et Apostoli probata corona. Pedes ejus erant in nervo, et gressus ejus in cælo. Dicebat per carceris tenebras canticum novum: ut ultimo nervo chordarum tredecim citharæ lectorum cantet vobis lætitiæ sempiternam apostolica corona sanctorum.

SERMO LXVIII.

De martyribus.

Delectat videre campos segetum aureis maturatis calamis aristarum; delectabilis libet attendere campos Ecclesiæ, martyrum micantes plantas de uno cruore per Agni sanguinem innocentem. Segetes etenim sunt passiones martyrum *juxta cursus aquarum* (*Psal. i, 3*), rigati fontibus lacrymarum. Nam sic modo beatus David martyrum purpurata gemina, et ante messores gaudiorum tanquam manceps scantia messoria cithara decantabat, *Qui seminant*, *B inquit, in lacrymis, in gaudio metent* (*Psal. cxxv, 5*). Ubi seminant in lacrymis, nisi juxta arborem crucis, ubi est fons proximus Salvatoris? Inde de latere ejus sanguinis gutte stillarunt, et pluvia cruoris et aquæ seminata est tolerantia confessorum. De ipso ligno virginis crucis, juxta fontem sanguinis plantata virginitas floruit castitatis. Inde plantata martyrum tolerantia cœpit seminis sui gemina colligere purpurata. Nam unde martyres tolerant, nisi per Dominicam crucem? Unde martyres, in quorum cordibus lex Dei est, maledictiones non timent hominum, nisi quia Christus Dominus pertulit patienter improperia Judæorum? Unde martyres carcerum custodias delectabat intrare, nisi quia Dominus ductus est ad prætorii principis Caiphæ, et nocturnum crudelis prætorii carcerem non dedignatus est sustinere: sed dicebat, *Traditus sum, et non egrediebur* (*Psal. lxxxi, 9*)? Unde martyres de catenis et vinculis ferreis non curabant, nisi quia Christus Dominus teneri et alligari passus est a Judæis, quia catenas mortis dirupit a mortuis jam sepultus: qui dixit eis qui in vinculis sunt, *Exite, et qui in tenebris sunt, ut videant lumen* (*Isai. xlix, 9*): et qui dixit Lazaro post quadriduam jam sepulto, *Prodi foras* (*Joan. xi, 43*)? Traditus non egrediebatur foras, quia erat liber intus et foris. In le martyres alapas non horruerunt, quia Christus maxillas suas ad alapas præbuit impiorum. Inde non nocuit martyres infusa aceti vel sinapis acerrima violentia, quia acetum et fel Christi degustaverunt labia, non tali digna potatione a pincernis inpiis, quibus *rupit petram et fluxerunt aquæ, et potavit eos sicut in abyso multa* (*Psal. lxxvii, 15*). Unde martyres nudati sustinuerunt, flagellati non flevunt, nisi quia Dominus nudatus est et flagellatus, atque præcinctus sub Pilato iudice, de quo ipse iudicium veniet iudicare? Unde euleis appositi cum unguis sulcarentur, aporiati dulcissimis decantationibus laborem faciebant cum pudore tortoribus; nisi quia cracem Christum Dominus ascendit, inimicos non accusavit, pro sua injuria non deslevit, sed inimicis veniam postulavit, pio cantico psallens in ligno, *Pat r, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc. xxiii, 34*)? Ista ergo seminatio sanguinis Christi fecit semina martyrum pullulare in campo matris Ecclesiæ: ut dicit David, *Qui seminant in lacrymis in gaudio metent*. Euntes ibant, et flebant, et non stabant, sed flentes ibant, et ad æternam patriam tendebant. Civitas prolongabat, et illi flebant, ut pervenirent ubi desiderabant. Sic perrexerunt. Quomodo reveruntur? Non flentes, sed gaudentes: non adhuc seminantes, sed manipulos suos læta cervice portantes, sed manipulos non operis capitibus pallio velaminis propter cauma, sed lux super capita eorum, et lætitia pretiosa. *Venientes autem venient in exultatione portantes manipulos suos* (*Psal. cxxv, 6*), quos juxta crucem Domini seminaverunt, et de ejus resurrectione felicius messuerunt: et ei in nubibus occurrerunt, offerentes ei germina sua, accepturi sempiterna. O

germina, quæ non urit flamma! quia juxta flumen A sunt vitreum in Jerusalem, et perpetuo virescunt. In re immortalitatis vitæ æternæ. Nesciunt flammis ardescere, quia non timuerunt pro justitia flammis ardere, quia *Agnus deducet eos ad vitæ fontes aquarum, et delebit omnem lacrymam ab oculis eorum* (Apoc. vii, 17), et florebut sicut lilium in medio angelorum.

SERMO LXIX.

In natali sanctorum Machabæorum.

Micat in cælo Bootes, clare refulgens connexione stellarum, sed amplius hodie cum matre resplendet Ecclesia de septem sideribus filiorum (II Mach. vii). Hic enim non una stella grandis fulgore, et altera tenuis lumine, sed omnes fraterna lucent caritate: quia botrum circumdant Salvatoris in cruce. Nulla hic stella dulcium fratrum transmutat stationem in tenuem, velut facula evanescentis soluto fulgore, qui omnes unitam retinent confessionem, ne germanam deserant caritatem. Fratres ex utero, fratres in B martyrio, germani lætabantur in cælo. Quale est cernere beatam matrem, quæ sterilis peperit septem, cum stellis spiritalibus septem filiorum coronato capite migraret ad Jerusalem civitatem. Quid dicamus, septem nobiscum angeli pretioso solemnitatis consortio gloriantur. Filius hominis graditur, et digreditur in medio septem candelabrorum aureorum (Apoc. i, 13), in medio martyrum beatorum, et mater cantat hymnum cum legionibus angelorum. Non hic inter septem maceræ alienæ: non est ibi ullum candelabrum argenteum: non est ibi candelabrum plumbo peccati permixtum. Omnia aurea sunt candelabra de passionis camino liquata, ubique semper ante thronum ardentibus atque lucentibus, cælestis gaudet Ecclesia, et mater illa beata. O vere venter aureus, quem angelicus laudat exercitus! Dicit ei beatus David citharæ spiritalis amœna dulcedine inter ardentes ollas matre spectante, *Qui facit, inquit, sterilem in domo matrem filiorum lætantem* (Psal. cxii, 9). Beatus, inquit, venter qui vos portavit, et ubera C quæ sustulit. O lactis materni pietas, in quo non est separata fraterna germanitas! Lætatur aquila excelso in nidulo montium atque petrarum de progenie cara pullorum, nutrit ut aquila, et remanet ut vidua, quando pulli provolant ad cadavera. Hæc aquila quæ pennis suis pullos suos caro tegebat umbraculo, et super scapulas suas imponebat bonæ persuasionis eloquio, et cum pullis suis volavit in campo, et cum eis inter prata paradisi lætabatur in cælo. Nemo pullorum istorum sub alarum tegmine maternarum quæsivit cadavera mortuorum, quia omnes intra se continebant Spiritum sanctum. Omnes spiritalis erant columbæ, nescientes cadaveribus incubare. Volebat de eis tyrannus vel unum facere corvum nescientem redire ad arcem, et omnes pennis deargentatis columbæ graviter gemuerunt, quia cadaver sicut corvus non quæsierunt, sed ramos purpureos ore coccineo ad Dominum cum columba matre portaverunt. Quæ sunt ista cadavera, quæ pullis istius aquilæ proposito temporali præmio contempserunt? Carnes erant immunde, arcæ pollute, vasa inquinata, sed illi vasa erant aurea in camino probata, septies tantum in camino fulgentia. Comedite, inquit, de carnibus sacrificiorum vestrorum. Et illi, Aves sumus mundæ, non immunde. Habemus cælestis prata dulcedinis, putridas carnes nolumus tentatoris. Non convenit columbis esca cadaverum, sed campestrium germina casta pratorum. Irascitur tyrannus, et matris lætatur affectus. Abscidit manum securi, et illi levant sensus in cruce. Absciditur lingua, et fraterna resonant organa, quæ tangebatur mater magistra. Fratres Spiritu fervebant, et ollæ ardentes refrigerabant, sartagine igniebantur, et fratrum dulcium azyma coquebantur. Detrahebatur cutis a capite, et coronæ parabantur ad caput. Beati porrexerunt decalvati, redeunt coronati. De istis vero pullis castissimi ventris volebat auceps tentationis inviscera laqueis perpetuæ mortis.

Sed ille recurrit ad matrem, et dulcem repetit nidum. Dicit matri suæ in Domino, et cætera accipit mater sub dolci velamento alarum, ipsum septimum tenerum, et viribus corporis immaturum. Denudat ubera, ostendit cara filio nutrimenta. Fili, inquit, noli defœdare coronam meam, et fraternam noli violare concordiam. Coronam meam texit Christus, non detexit inimicus. Solent infantuli, filii, melius coronam sibi facere ex floribus rubentem, et croceis calthulis innocua capita coronare, si forte alterius infantis manu impulsus defluerit folium, quomodo infantis pia anima contorquetur? Quanto magis ego, quæ non flores habeo campestres, sed flores teneo spiritalis? Nolo, nolo, filii mi, coronam meam una detracta gemma fœdare. Duo erunt mala, et te absorbebit gehenna, et ego non ero plenus coronata. Junxit mater eloquiis suis ad gemmas lapidem pretiosum, et fecit septenarium redimiculum, quod cum illa portavit ad cœlum omnis exercitus angelorum. Quis sufficit istam laudare matrem? Ipse uterus testis est, neque enim fuit talis venter, qualis istius Machabææ matris. O mater filiorum Zebedæi (Matt. xx, 20), Jacobum et Joannem obtulit Christo discipulos, septem vero martyrum Ecclesia: de uno utero processerunt. Bona mater promisit pullos, volavit ut aquila, De matre et filiis lætetur congregatio nostra.

SERMO LXX.

De Job et beata Perpetua.

Non debet in certamine formidare, qui vult de triumpho gaudere, nec debet temporalem timere pugnam, qui perpetuam vult sortiri victoriam. Non contemnat exilium, qui desiderat cœlum. Carceres æstimet pro prætorii, qui paradisi desiderat jucunditatis. Beata Perpetua in carcerem missa, tenebris angustata, a lumine dilatata, quia presumpsit, carcerem mutavit, tenebras effugavit, et ut innocens, non in carcere, sed in aula regia triumphavit. Nam et omnes sancti martyres catenis ligabantur, et manus suas ipsi caritatis vinculis inserebant ad cœlum. Inter tenebras erant, et lucis gaudia coruscabant. Squalores, fetoresque simul fortis su linebat patientia beatorum: quia *beati qui persecutionem patiuntur, ipsorum est enim regnum cœlorum* (Matth. v, 10). Competenter et recte faciemus, si ad beatum Job (Job c. u) per exempla martyrum veniamus: quia ipsum tanquam martyrem laudavit et honoravit omnipotens Deus. In squaloribus erat, stercus fetebat, et cordi ejus cœlum flagrabat. Inde apertis januis, portisque supernis capiebat odorem suavitatis, patientiam, sustinentiam, caritatem. Qui probabat, ipse juvabat: qui tradiderat, ipse oblectabat: ostendens ei quodam digito caritatis thesauros regni cælestis. Justus videbat quod amabat, et detrimenta varia contemnebat, quia semper pro nihilo deputabat. Quid agis inimice? Tollis aurum, nunquid Dominum? Tollis argentum, nunquid amputas meis oculis cœlum? Ego novi aulam Domini mei, recessus D creatoris mei. Quanta ibi est latitudo divitiarum, quanti thesauri gaudiorum, quibus delectantur quotidianiano censu præsentis ordinis angelorum? Tulisti mihi millia taurorum, greges hircorum, carnes agnorum, habeo majus et purius sacrificium, unde meum complacem Dominum, qui non inauducabit carnes taurorum, neque bibet sanguinem hircorum, sed sacrificio ei sacrificium laudis (Psal. xlix, 13, 14), quia ipse mihi altare constituit caritatis, et ipse mihi sacerdos est pietatis. Altare ejus conspicio, acervum stercoris non horresco. Nescis inimice, quia Dominus meus suscitavit de terra pauperem, et de stercore erigit inopem, ut collocet eum cum principibus (Psal. cxii, 7, 8). Tu sic me collocasti cum vermibus, ipse super tribunal honoris. Non timebo sanie vulneris defluentis. Tu tangis carnem meam, ille custodit animam meam. Aula mihi est Regis regalis acervum stercoris super plateas pulcherrimæ civitatis. Stercus adhibes, et non marcesco. Ille fontes suggerit, et floresco.

Tu mihi remanebis cum zelo tuo. Hæc dicebat justus labiis patientiæ, virtute pugnæ, amore coronæ. Cineres faciebant vulnera putrefacta, et flore germinabat patientia coronanda. Aderat enim patientiæ coronator: quia legitime certaverat præliator. Qualis erat campus? stercoris duntaxat acervus. Ibi acies tentatoris refugæ angeli, falsi amici, uxor subdola, et deceptio blanda, verines et vulnera, sanies et putredo, stercus, et amaritudo. Non dirimebantur nocturna requie, sopita certamine, cum dies orientantur, et pugna liquebat. Victoria abscondebatur, et vita, quia *vita*, inquit, *vestra abscondita est cum Christo: cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum eo in gloria (Colos. III, 3, 4)*. Ecce revelatur quod abscondebatur. Ecce de acervo stercoris refloruit detecta corona: quia matura fuerat patientia. Qui coronam parabat, aderat, probabat, atque laudabat. Non dedignabatur super acervum stercoris adhærere, vincenli monstrare coronam, qui in paradiso deliciarum sedit primis cultoribus proferre sententiam, et non præjudicabat locus, ubi erat purus affectus. Ideo coronator adluit Deus, reparat, laudat atque multiplicat. De nube loquitur turbinis (*Job xxxviii, 1, et xl, 1*), ut irrigaret victorem pluviis dignitatis. Extersit, mundavit, pariter et ornavit. Qui victorem fecit florentem, ipse constituit sacerdotem, ita ut inimicos amicos admoneret, ut pro se justus victor victimam jugularet (*Job xlii, 8*). Ut mutato vulnere, renovato ore staret splendidus ad altare, qui sedebat putridus in stercore. Jam enim sacerdos in sua exstiterat pugna, et sacrificium obtulerat de victoria, et sibi meruerat coronam, et amicis postulaverat indulgentiam. Ecce quantum est bonum sustinere illatam tentationem, ut per Christum mereamur probationem. Cui dicimus, Et ne nos passus fueris induci in tentationem (*Matth. vi, 13*). Ipse nos de præsentibus dignabitur flagellis eruere, et renovata libertatis gratia jocundare, cui debemus semper gratias præconare. Ad ipsum convertamur Dominum omnipotentem et perpetuum Salvatorem.

SERMO LXXI.

Item de Job.

Qui fuerit Dei amicus, diaboli est inimicus. Prævaricator justitiæ odit studium divinx culture. Disstringere conatur quem invenerit justum, ut sibi faciat mancipatum. Multiplicem lineam extendit ac preparat, ut Dei militem tollat, pariterque distringat. Cupit sibi facere vincum, quem invenerit Dei letitia fecundatum. Non vult enim cernere divinx imaginis formam. Illustris denique patriarcha Job Orientalium civis, justitia nobilis, nobilitate felix, opimitate uberrimus, censu nimium pinguis, culmine humilitatis excelsus. Hunc enim nunquam superbix tumor elevaverat in lapsum: quia sola humilitate pollebat. Cujus in perniciem inimicus accensus, thronis regalibus vicinatus, divinx majestati nocendi potestatem fallaci subtilitate extorsit. Proinde Dominus dispositionis præsciis inimici, majestatis suæ culturam propria voce laudavit dicens, *Animum*, inquit, *advertisti adversus puerum meum Job, quoniam non est illi similis quisque in terris, homo sine quærela, verus Dei cultor (Job. i, 8)*? Ecce qualis fuerat confusio inimici disponentis, quando præcessit suffragium majestatis. Ut arbitror jam reus stabat, qui reum facere vehementer optabat. Ecce Dominus laudabat innocentem, et dispungit pietatis latronem. Tributa igitur potestate de cælo, fusus est mundo, et ejus censum diversis ictibus, vel furoribus, ac rabie truculentus violententer extorsit. Ipse fuerat sceleris auctor. Ipse et nuntius, quasi de præda lapsus fraudat et nuntiat. Dicebat, *Ego remansi solus, et veni ut nuntiem tibi (Job i, 15, 17, 19)*. Nuntiabat patriarchæ auribus gestum, referebat crudelia damna. Diabolus nuntiabat, et patriarcha Dominum collaudabat. Inter ipsa inimici bacchantis nulla impatientia fidei vexatur, sustinentiæ clypeum invincibili virtute

A contra damna devotus exstitit. Permansit in virtute intra justitiæ limitem tenaci fundamine solidatus, altisque radicibus nixus ac robustus, in cujus pectore sola gloria militabat. Dehinc ademptis omnibus, impetus repentina ruina compressit, et omnes una mors occupavit. Tunc mœroribus mixtus sublata ejus capite coma se humi prostravit, et tali voce prorupit in laudem dicens, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum (Ibid. 22)*. Bacchabatur interius tum periculosa rabies, et viget inter plagas incolumis fides. Nullis ictibus cessit, nulla lingua latina patientia recessit. Non damna robustum militem deflexerunt, non mœrorum maximus liberorum. Omnia perdendo nihil amisit, quem diabolus a Domino non separavit. Amisit modicum, et lucratus est multum. Vidit se itaque inimicus circa robustum militem cœlesti militia debellari. Tunc inimicus repetens cœlum cherubim adiit, accipiensque potestatem remeavit cum idoneo congressurum, sed non victurum: cogitans ne qui damnis rerum non potuit vinci, vel dolore posset vulnerum superari. Tunc crudelissimus draco in patriarchæ membra totius feriativis evomit pestiferum virus, et omne corpus misit in vulnus. Nichil fuit membrorum, quod non captivaverat plaga aspergine vulnerum. Ita plagaverat membra, ut ossa remanerent carnis desolata, salva scilicet, quæ non vulnerabatur anima pretiosa. Fuit enim patientia muro vallata, et intra carceris thecam conclusa periculis, mactabat pericula, contrivit pacifice bellatorem, et sine ferro peremit latronem. Deinde sanies manabat, ex ulcerum sinibus horribiles bestix erumpebant, quas ille sine dolore patienter revocabat. Exercitus vermium confodiunt carnes feralium cuneis legionum. In corpore innocentis regnabant gestamina pugnæ inter inimicum et justum, inter hostem et innocentem, atque interiora comedentem, inter vermes et carnes. O vigor militiae constantissimæ carnis! Durat licet dolens contra diaboli pestiferas vires, tamen nunquam sustinentiam carnis victor horrescit, vicinitas vulneribus putrem fugit, germanitas fratrum uxoris consolatione despicitur, a famulis Dei declinatur, a Deo solo libenter attenditur. Pro Deo enim qui fuerit humiliatus, ipsum necesse aspicit omnipotens Deus. *Super quem*, inquit, *aspiciam, nisi super humilem, et quietum, et trementem verba mea (Isa. lxxvi, 2)*? O patientia victoriæ mater! acquisivit sustinentia palmiferam vitam, dum diaboli virtute exstitit debellata. Sed nec vinci poterat, quem ante victoriam Dominus laudaverat. Non qui pugnavat victus est, sed ille victus est qui cedebat. Job vapulando vicit, diabolus autem cædendo defecit. Vidit se lassum de lassato, et fatigatum de fatigato. Diabolus cessit mœstus, et patriarcha fortis est inventus. Recuperata denique corporis sanitate accepit quod perdidit. Duplicatum est totum quod amiserat. O damnum, quod generat lucrum! Nunquam enim sine munere dimittitur obsequium. Exsultat patriarcha lætissimus, et diabolus cecidit, superatus est mœstus.

SERMO LXXII.

De sancto Cypriano.

Editus est hic sermo superius, hoc initio, *Clarum tamen martyris natalem*, etc.

SERMO LXXIII.

De sancto Vincentio.

Legitur et iste supra inter sermones quos Fulgentii esse judicavimus, hoc initio, *Miror, fratres, si adhuc aliquid*, etc.

SERMO LXXIV.

De Golia.

Lectio quæ nunc recitata est, ex libro Regnorum (*I Reg. xvii, 1 et seq.*), non ambigimus vestræ caritatis inhærere sensibus. De Golia et David sanctissimo

viro, atque piissimo, Deoque placente, et, ut plus dicam, Christi parente, in quo et iustitia, et veritas, et pietas, et Christi caritas eminentius nitescebat, qui cum adversus adversantes provocaretur ad prælium, oculis erectis ad cælum, non de sua virtute præsumebat, sed præsumptus de sua innocentia, et de Christi iustitia humilis clamabat, *Deus, in adiutorium meum intende. Domine, ad adjuvandum me festina. Confundantur et revereantur inimici mei, qui quærent animam meam, ut auferant eam. Avertantur retrorsum, et confundantur qui quærent mihi mala (Psal. lxxix, 2 seq.).* Et adepta victoria, *Quis Deus præter Deum nostrum? Deus qui præcinxit me virtute ad bellum, et supplantavit omnes inimicos meos (Psal. xvii, 32, 35).* Eliterum, *Omnes gentes circumdederunt me, et nomine Domini ultus sum in eos (Psal. cxvii, 10).* Videtis, fratres mei, quam major est semper innocentia puritatis, quam malitiosa fortitudo virtutis: quoniam in malevolam animam non introibit sapientia (Sap. 1, 4). Ex ore enim infantium et lactentium perfecisti laudem (Psal. viii, 3), super pueros bellatores majorem fecerunt claritatem. Quântum interest inter Goliath et beatum David? Ille juvenis, iste parvulus. Ille bellator, iste ovium pastor. Ille tendebat arcum, iste parabat saxiperium, simplex in affectu, sed cælestis in sensu, sed de illis pueris qui laudabant Dominum organo pietatis. De quibus ipse dicebat, *Laudate, pueri Dominum, laudate nomen Domini (Psal. cxii, 1).* Pastor erat, oves pascibat, sed Deus qui pascit Israel, parvulum adjuvabat, et pro armigero suo innocente comes et imperator ipse pugnabat. Saxiperium ferebat, ubi lactis coagulata sacramenta portabat. Ibi et lapides quinque ferebat, ut inde lac et lapidem, ut vetus et novum ostenderet Testamentum. Lac parvulus parvulis bajulabat, et in quinque lapidibus quinque libros Legis cum magna cura portabat, et exinde inimicum non pugnando, sed gaudente expugnabat: vidit inimicus, et derisit. David vero sanctissimus vidit, et oculos ad cælum levavit. Ille maledicebat, iste autem orabat. Ille præsumebat de fortitudine sua, et iste pro Israel dolebat, pro quo eum Dominus pugnare compellebat. Ille librat centum, iste torquet manum rotantem fundibulum. Ille de se præsumebat, et iste adiutorem angelum postulabat. Dirigitur lapis a puero, et in aere ducebatur ab angelo. Stabat inimicus securus de parvulo bellatore, nesciens desuper Dominum adiutorem. Lapidem protinus inimicus sensit in fronte: quia Domini non habuit characterem. Ibi vitam perdidit cum pudore, ubi angelum David senserat adiutorem. Cecidit cum magna ruina, qui insultabat cum magna superbia: quia *superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam (Jac. iv, 6)*, dat victoriam, preparat et coronam. Currit David ante capiens gaudium, quam inciperet prælium: ante lætus de victoria, quam conficeret pugnam. Stetit super cadaver jacentis exanime, gladium educit, inde percussit, et inimici caput abscidit, et erecta dextera triumphavit, et exsiliens in lætitia clamare cœpit, *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos perficit ad bellum (Psal. cxliiii, 1).* Lapidem reddidit sociatum, et gaudiorum ejus caput posuit detruncatum. David enim missus adversus Goliath, nihil aliud nisi Christum adversus diabolum pro salute generis humani significabat, et in illo impletum est, *Gladium evaginaverunt peccatores, et intenderunt arcum suum, ut decipiant pauperem et inopem, et trucident rectos corde: framea eorum intret in corda ipsorum (Psal. xxxvi, 14).* Ecce quantum valet apud Deum innocentia mansueta, quam malæ voluntatis virtus excelsa: quia Dominus diligit innocentiam, et derelinquit malitiam: ut possit justus pro innocentia sua debitam sortiri victoriam, et gratuitam accipere de cælo coronam.

SERMO LXXV.

De Absalon.

Solet fidem natura præstare, et consanguinitas fa-

cere caritatem. Selet in filiis requies parentibus nasci, vel eorum incrementis jocunditas ampliari, curarum labor adulta sobole deliniri, et successione liberorum paternitas sublevari. Nova in Absalon filio David eversio malignitatis incurrit, quæ non auxilio, sed in vastatione sui generis adolevit. Cujus immanitatis historiam dicere horret animus, ne patres pœniteat generasse. Non sacrum hunc revocat nomen, non nutrimenti cura venit in mentem, et pro tanto munere persequi didicit genitorem: fregit cupiditas fidem, et vicit avaritia caritatem. Proh nefas! impia manu filius pulsat, de quo sibi pater solatium promittebat. Quem cum in vitale lumen maternus uterus profundisset, novellæ ætatis suæ tantæ primis auspiciis gaudebat nescius pater, requiem putans in filio suscepisse. Lubet hunc cautius observari, lubet ingenti cura nutrirri, imputaturus postea caritatem. Amat, diligit, et observat, putans quia filium genuerat, amplectebatur futurum parricidam genitor pius. Osculabatur sacrilegum pater religiosus, et futuris cladibus quotidie gaudebat ignarus. Nam cum iste ab annis puerilibus scenderet sexum, immanitatem prius exhibuit quam obsequium. Nam, ut hujus immanissimi primordia memorem, non transeam germani funeris orbitatem, quam cum violatæ sororis flagitat ultionem, per fraternam cædem fecit iter ad patrem (*II Reg. xiii, 26 et seq.*). Cujus calliditatis pejus est invenire remedium quam sceleris committere sacrilegium, ut ad impium bellum pacis sibi adhiberet auxilium. Fecit namque convivium, vocat fratres, vocat incestum; componit vultum, ne color proderet iracundiam; apponit etiam regales epulas ante luctum; et ne diu differatur juvenis ab incepto, plus obsequitur inimico. Ibat per spatia domus, lieta pace tranquillus, sceleris parturiens tempus, quem cum videret vino jam plurimo maturatum inter calices et phialas, propinavit et ferrum. Et quale convivium fuit, ubi ira obsequium præbuit, et dolor prandium procuravit? Nescio quos animos gerat, qui sic blanditur ut feriat; aut sic obsequitur, ut occidat. Post hæc ergo impia pace et sacrilega carnificis ultione perinere nititur insontem, et (quod pudet dicere) genitorem. Felix et beata fuerat vita mortali, si cupiditas non esset et zelus. O radices scelerum, et materia vitiolorum, quibus nec metus sedatur, nec multorum scelerum satiatur: et unde compesci videtur, inde multo pluris excitatur! Ecce namque Absalon fraterna cæde crapulatus, et cognato sanguine ebriatus, magis ac magis excitatur in pejus, tanquam ex ipsa fieret satietate jejunos. Indicit patri jam non filius bellum, quasi parum fuerat peremisse germanum. Et quibus auxilio esse debuerat, interitum deportabat. Cui jam carior fuit, qui proximos sic odivit? aut quam fidem habuit, qui in suis tanta commisit? Novum dementiae genus sæculis intinavit, qui plus exercuit quam ira dictavit. Ecce subito bellum tuba conclamant: decurrunt sacrilegi, ambulantes parricidæ, et conversa est caritas in furorem. Delatum est nefas ad patrem, sed ira non perdidit pietatem. Exire namque socios jubet pater ad pugnam, et rogat ne fidem severitas frangat. Et quos nimis hortari solebat, ab immani hoste filio precibus refrenabat. Ille, inquit, principes mei: ite quantocius filii virtutis, sed cavete, quæso, ne vincatis. Placate justis furoris insaniam, ne in morte filii mei me miserum vulneretis. Si ipse noluit habere patrem, patertamen meruit orbitatem. Parcite ergo, parcite quato, parcite, commilitones, insano. Et si malum filium genui, sed magis observo, ut pietas vincat iram, ne iustitia peragat nefas. Recuso hujus certaminis palmam. Nolo, nolo cum dolore victoriam. Si ipsum fecit pravæ mentis insaniam, vindicta vestra nonne faciet parricidam? Abstinet dolores, vetate supplicia, mea est quam mihi donatis injuria. Malebat pater piissimus vinci, quam triumphis orbari. Commendat hostem suum principibus, et ne perdat filium, servari postulat inimicum. Sed cum utrosque suscipit exercitus, campus, salva religione pater vincit orbatus.

Qualis enim divino eventui pugnae contigit locus, ut nec pater fuisset impius, nec filius evaderet reus? Intonat saevis clangoribus bellum, imbrem parturiens lacrymarum. Stant vibratis dextris cognatae acies, licentiam scelerum flagitantes. Ecce subito stridula imperatoris astra conclamant, tubae franguntur, voces instruunt, acies peragunt et neces, et nulli sunt hostes. O quam execrabilis pugna, ubi geruntur sine hostibus bella! O certamen iniquum, ubi nec victoria sequitur, nec triumphus! Arrinantur fratres in fratribus. Victis et victoribus unus est luctus. Plangebat pietas, et natura, illata sibi tanta unius furoris jactura. Dividitur caritas ferro, nusquam pietas. Illos cupiditas eogit, istos injuria. Inde armorum strepitus tonat: hinc plaga pennatis jaculis volant. Inde grandio terreno cursu festinat: hos plumbo volatus ictus exhorruit. Illos rotatis saxis confregit; sic mille modis prope cunctos mors una submersit. Et qui germana concordia lactari debuerat, unius ob noxam mortis sibi vinculum propinabat. Pluebat serenitas vulnera, caelorum densitate fuscata. Stabat nox facinorosa in aere armorum, in tenebris candet extusa. Gaudebat in suis officiis bellum ferventi nube contextum. O quam execrabiles nubes fuerunt, quarum imber ferreus vulnera defluebat. Decurrunt sanguineis cursibus rivi, et scamentibus cadaverum venis potantur cruoribus campi, et nec pietati paritur, nec pudori. Crescit in sceleribus rabies, et unde infirmari solent, invalescunt cladibus vires. Saxit in cognatis ferrum, et non habet crudelitas modum. Ubi es jam, caritas? ubi fides, si inimici sunt fratres? At post diras pugnae clades et funesta naufragia, o quam mirifica devenit in scelerato vindicta. Nam cum Absalon per praedia dorso mula vectaret (*II Reg. xviii, 9*), visa caede rapuit de bello sessorum, tanquam ipsum nefas videretur horrere. Ibat tenacituga per vicinas silvae secreta, auctorem scelerum perditura. Et dum inter ipsos arborum thyrsos pretum animal surdum obvians, truncum transiit juvenem moriturum, nullius manu arboris catasta suspensum. Sine bello hostis suscipit vulnus suo perfidio captivus, qui sacrilegus maluit interire quam cum patre regnare. Quoniam *superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam (Jac. iv, 6)*. *Omnis enim qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur (Luc. xiv, 11)*.

SERMO LXXVI.

De Isaia.

Deus per Isaiam loquitur dicens: *Agnovit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui; Israel autem me non cognovit, et populus meus me non intellexit (Isa. i, 3)*. Bos possessorem agnoscit, et possessor Dominum contemnit. Asinus Domini praesepe observat, et homo divina jussa depravat. Accipe igitur, contemptor, a pecudibus mutis exemplum, qui non metuis divinum iudicium. Esto circa Dominum talis quales circa te pecudes esse cognoscis. Esto animalium instructus exemplo: quem natura in obsequia instruxit, et in famulatum Dominus subjugavit. Et tamen pecora cum sint rationis expertia, in hac parte sine ratione esse non possunt. Tu vero, homo, cum ratione dispositus, sine ratione dum vivis, Dominum genitorem offendis. Erubescat humana perditio, hominum stultitia confundatur. Pecora ergo hominum obsequia instinctu divino conservant, et homines Dei jussa obstinata mente declinant. Animalia sensato homini famulantur, et homines Deum insensate contemnunt. Pecudes quibus rationem Deus conditor denegavit, non sine ratione homini parere continent. Homines vero qui ratione praestant in stultitia, dum Deum non colunt, perseverant. Boves Deum humanum suscipiunt, et homines divinum imperium aspernantur. Cujus iudicio pecora hominibus instanter deserviunt, ejus iudicia homines deserendo contemnunt. Quale malum est ista dementia, quae nec pecudibus posset aequari, dum animalibus mutis in obsequio Domini non potest comparari? Pecudes

A enim dum homini serviunt, Deo servire noscuntur: homines vero dum Deum negligunt, se odisse monstrantur. Quare si rationem pecudes accepissent, Deum rationabiliter et colerent, et timerent; quae nunc sine ratione tales sunt, quales homines cum ratione esse non possunt. Judicaris, homo, judicaris animalis exemplo, pecoris obsequio condemnaris. Nec tibi prodesse poterit excusatio: qui nec divino imperio, nec pecoris exemplo parere desideras. Magna etenim sunt divina obsequia, bona vitae compendia: ubi non supplicia de malis meritis metuuntur, sed divina premia de bonis meritis expectantur. Optat enim Deus honores esse quos muneret, quam malos quos sine merore condemnet. Invitus enim jam punit, quos remunerare mallet, si vellent per bonam vitam evadere. Fuge, Christiane, delicta, qui Deum promereri desideras; horre peccata, qui placere exoptas. Delictorum clades pro veneno timenda est. Pernicies scelerum pro telo et gladio fugienda. Non ametur delictum, quod genus hominum occidit.

B Fugiat peccatum, quod hominibus semper paravit interitum. Horrendum sit Dei servo, quod aliis videtur fuisse exitio, et in quo alterum conspicis interitum, in eo magis ipse debes praecavere. Nemo sibi impunitatem de multitudine peccantium reprovittat. Nemo cum turbis delinquens se periculi immunem esse contendat. Nec enim Adam idcirco in mortem incidit quia solus cum uxore peccavit, aut Cain ideo interitum meruit quia fratricidium solus admisit. Amat Deus paucos innocentes quam innumeros peccatores. Et in uno justo letatur et gaudet, quod in multis peccatoribus contristatur et maeret. Et ideo cum cataclysmo orbem Dominus judicaret, Noe solum cum affectibus liberavit (*Genes. vii, 1*); et cum Sodomam imbri flammifero aboleret, Loth solum cum liberis servavit (*Genes. xix, 12*). Nam et Ninivitas scelera abolerent, nisi eorum poenitentia iram Domini temperaret (*Jonas iii, 5*). Diligit enim hoc ipse Dominus cum minatur, et quos refrenari a delictis exoptat, eis iudicii severitatem intendat. Objurgat enim Deus ut salvet, corripit ut emendet, improperat ut reformet. Desperata enim quorundam hominum vox est: Tantae multitudinis non amabit Deus clemens interitum, nec patietur perire populos, quos redemptione sua noluit esse captivos. Alioqui ad hoc redemisse putabitur, ut sit qui ejus iudicio condemnetur. Aut enim ad hoc redemit ut salvet, aut non redemisset quos iudicio postmodum destinasset. Horum perniciose prorsus fugienda persuasio est: ut enim ipsi facinoribus involuti sunt, ita et ceteros volunt ipsi suis facinoribus implicari; et dum peccantes indulgentiam sibi non petendo promittunt, ita miseros suis persuasionibus ipsi involvunt. Ceterum Dominus Christus redemptis nobis, jam veniam dedit, jam sordidos et infectos abluvit et emendavit. Quare redemptum jam peccare non licet, et mundatum non licet sordidari. Ecce, inquit, sanus factus es; jam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat (*Joan. v, 14*). Qui te incolumem fecit, vivendi tibi legem imposuit; qui te a sordibus emundavit, noluit te iterum sordidari. Si Deo Patri consenseris, monita Patris observa: si Christi te famulum profiteris, in actibus Christi praecipua demonstra. Promissionem enim cujusque rei facta magis quam nomen ostendunt. Medicum se probare non potest qui mederi aegro non potuit; gubernator non est qui navem non potest gubernare; philosophus esse non potest qui vitia potius quam virtutes exercet: sic et Christianus esse non poterit qui quod proficitur infamaverit. Quare aut fac quod jubetur, si vis accipere quod promittitur; aut si non feceris quod jubetur, accipies quod peccatoribus destinatur. Nam si peccatoribus delictorum poenae non rependuntur, nec justis merita justitiae retribuentur. Porro justis necesse est merita justitiae rependi, necesse et peccatoribus destinata supplicia exhiberi. Nemo se fallat, nemo decipiat, quia caelestia jussa contemnit, impunitus esse non poterit. Si ris, inquit, ad ritum venire, serva mandata (*Matth. xxii, 17*): subauditur

contra, Si mandata divina contempseris, impunitus esse non poteris. Sæculi jussa nemo sine pœna contemnit: patris iram nisi quis placaverit, abdicatus erit; servorum contemptus inultos esse non patimur. Ergo tu cum hominis contemptus patienter non toleras, quomodo putas dum peccas Deum circa te posse placari? Unde cessa peccare, si vis de præteritis impetrare; aut si adhuc peccandum putaveris, necesse est divino judicio subjugeris. Quare dum licet, dum tempus est, dum pœnitere permittitur, dum adhuc qui deliquit potest delicta propria reequare, sancta vita præterita peccata recurentur. Non differamus in crastinum, quia crastinum an videamus incertum est. Multos enim hæc dilatio trucidavit, quos subreptos, non vitæ æternæ reddidit, sed potius morti perpetuæ addixit. Quam moleste deliquimus, tam modeste Dominum deprecemur. Vitium quod in mundo contractum est, hic relinquatur in mundo. Indignantis Domini offensam, patientiam Domini, quæ nos pœnitentiæ et correptioni servavit. Maculata vestis per primi hominis peccatum, nunc per fidem Christi diligenter a nobis recuretur, ut feliciter ad convivium sponsi candidati intromittamur. Hæc a nobis impleantur, hæc persiciantur a cunctis. Nec ad peccatum homo provocetur exemplum, sed sanctorum potius sequatur actus, et merita: ut non post mortem more pecudum pereamus, sed in æterna sæcula divinis muneribus condonemur.

SERMO LXXVII.

De linguæ molestia.

Sapientissimus Salomon ita locutus est, dicens: *Vita et mors in manibus linguæ (Prov. xviii, 21)*. Lingua clavus est peccatoris, testimonium cordis. Magnum tribunal gerit intra prætorium sui oris, aut gratæ salutis, aut amaræ mortis. In qua negando Deum, verbo uno facit sacrilegium, aut uno sermone implet cum virtute martyrium. Quis explicat linguæ divitias? Per quam, si homo tacuerit, funus est, qui cum diserta sonat, homini generat dignitatem, cum benevola currit, procurat salutem. Amicos acquirit, inimicos compeccit. Pigmentum corporum, et sanitas animarum. Omne opus dirigit, opera implet, maria cum terris præcepto sui oris implevit. Cessat enim omne factum, ubi non fuerit sermonis imperium. Erogas verbum, et accipis beneficium. Rogas in terris, et audiris in cælis, dicente Domino per prophetam: Quis exclamavit ad me, et non est auditus? Ecce orant viginti quatuor seniores in conspectu Dei dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth (Apoc. iv, 8)*: non sunt membra, et loquitur lingua. Martyres patiuntur, et post ipsam sepulturam ipsis sermonibus vivunt dicentes: *Quousque, Domine sancte et verax, non judicas, et vindicas sanguinem nostrum ab his qui in terris habitant (Apoc. vi, 10)*? Solus sermo non habet finem, quia non habet sanguinem. Nubes ipsæ loquuntur cum sonat eloquium majestatis: aer crassus in nubibus fabulatur, testante Joanne in Apocalypsi, dicens: *Quæcunque locuta sunt septem tonitrua, ne scripseris ea (Apoc. x, 4)*. Quare prohibetur apostolus excipere linguam cæli? ne vilis vox vidcretur quem tremuit mundus. Si intra articulos hominis teneretur, aut non haberet quod spectaret homo, si quod sperabat agnosceret, nec arderet ignis in rubo. Et linguam accepit flamma, dicentem ad Moysen: *Ne accesseris huc, solve corrigiam calcamentorum tuorum. Terra in qua stas, sancta est (Exod. iii, 5)*. Maria ipsa loquuntur, cum Domino benedicunt, dicente Scriptura: *Benedicite, maria, Dominum (Dan. iii, 78)*. Nam quos putatius esse fragores, cum Domino fabulantur, dicente propheta: *Vox ejus tanquam vox aquarum multarum (Ezech. i, 24)*. Quid referent veatus, freta, tonitrua, flumina? Per hanc sanguinis vocem Cain (*Genes. iv, 10*) detegi potuit parricida, quia ita dicit Salomon: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet, scientiam habet vacia (Sap. i, 7)*. Si ergo quod vivit sonat, quod

movetur loquitur, beatum pretium hominis linguasi habet in ejus officio disciplinam. Hæc omnia salvat aut jugulat, juvat vel accusat, sanat vel trucidat: utrumque laborat, cum alterum vexat, ut prius suis casibus pereat. Inde Judas mendax apostolus, dum salutem Dominum Christum, verbo uno fecit sacrilegium. Salus mundi suscepit Dominum Christum, et ipse introivit in laqueum. Impone igitur, Christiane, frenum linguæ tuæ, et libertatem ejus intra speluncam tui oris include. Millia verborum refrenatis virtutibus astringe, ne feriat auctorem. Audi Dominum per prophetam talibus comminantem: *Quid gloriaris in malitia? Quid potens es in iniquitate? Tota die injustitiam cogitavit lingua tua, sicut novacula acuta fecisti dolium (Psal. li, 3, 4)*, et cætera. Inde habedentes, morde illum, si tacere non poterit. In spelunca, intra carcerem indisciplinatam tui oris linguam include: ne cum male exierit, eam gladius feriat. Impera illi, dum licet: quia non reveritur sermo, dum exierit. Si non potes bene loqui, liceat vel tacere. Nam nunquam periret diabolus de paradiso, si lingua taceret, cum infantiam primi hominis et hortum majestatis latro serpens vulneraret, insontem articulis Dei fabricatum, ubi habitat sola æternitas et innocentia, latro vicinus serpens una lingua concepit, generavit homini mortem inimicum colloquium, et orbitatem toto mundo peperit, dum ferit auctorem. O gladium linguæ, per quem totus mundus plaga percussus est! Parit mater quod plangit, pater generat quod amittit. Humanitas tota aut plangit aut plangitur, cum tota caro in pulverem ad suam originem revertitur.

SERMO LXXVIII.

Ad competentes post traditum Symbolum.

Ecce qualiter de præsentis mundo, tanquam ex Ægypto Israel spiritalis educitur, et domus Jacob, quæ est familia cælestis Regis, de populo barbaro liberatur. Decem præterea plagis percussa est Ægyptus, ut Pharaonis dominio absolutus Hebraicus populus liber esset effectus. Quibus plagis legimus (*Exod. xii, 29*) per ordinem consummatis cum noctis medio vastator Ægyptiorum transiret angelus, signatosque aspiceret, et illesos præteriret, atque custodiret agni sanguine, ad terram repromissionis filios Israel festinanter exire coegit. Ita et diabolus, qui potest Pharaoni figuratim comparari, decem quodammodo verberibus a nobis repulsus est, cælesti flagello severissime trucidatus. Nam primam accepit plagam quando nomina vestra dedidistis, ut ibi vos conscribamini, unde ille deletus est. Secunda ejus plaga est, quotidiana ejus orationis instantia; tertia, jejuniorum; quarta, vigiliarum; quinta, terribilium exorcismorum; sexta, descendens in vobis dominicorum præcatio sacerdotum; septima, apostolici Symboli traditio atque confessio; octava, orationis dominicæ informatio. Nona plaga percussit, cum sæculo pompisque ejus, et apostaticis angelis renuntiatur; decima, cum suis primitivis Ægyptus interficitur, quando renascentis fontis proximus applicatur, veterem hominem spoliatur, et ad Deum vivum tota fidei credulitate convertitur. Post hæc mare Rubrum intravit, baptismum utique consecrante Christi sanguine rubricatum. Et dum ibi in Patre et Filio et Spiritu sancto tingitur, credens, mediantis crucis virga signante dextera levaque Jordanis unda dividitur: persequens vetustus hostis mergitur, novus Israel revelatur, et exinde cum tympanis et choris splendidis classibus renatorum ornata procedens resultat Ecclesia.

SERMO LXXIX.

De consolatione in assumptione episcopi.

Vos quidem, fratres, consolatorem quæritis, sed etiam nos consolandi sumus, et consolatio nostra nullus hominum est, se l qui facit hominem, quoniam

qui fecit, refecerit, et recreat qui creavit. Non possumus per infirmitatem nisi contristari : sed per spem debemus consolari. Omnes bonos diutius nobiscum vivere volumus, et in hac asperrima vita, deseri a comitibus nolumus, sed prævenientes nos qui bene vixerunt, hortantur exemplo suo, ut sive diu hic vivamus, sive cito hinc eamus, sic vivamus ut ad ipsos veniamus. Quia id ipsum hic diu vivere nihil est aliud quam diu molestias sustinere. Cum Deo autem vivere, et apud Deum, sine ulla molestia est vivere, et sine ullo timore, ne pereat felicitas, quæ non habet finem. Nec debemus arbitrari episcopum vestrum fratrem nostrum, cito hinc isse, et parum vixisse. Recte enim ibi non parum vivitur, ubi cum multum dicitur, non finitur. Nam hic etiam quod multum est, cum finitum fuerit, pro nihilo deputabitur. Nec tamen parum hic vixit, si ejus opera cogitemus, non annos numeremus. Quanti alii fortasse quod per multos annos non dimidiarunt, ille paucis annis implevit? Nihil ergo aliud erat hic eum velle tenere, nisi ejus felicitati invidere. In hoc enim habemus tristitiam de homine sicut homines. Quid ergo faciemus, ut non simus homines? Homines ergo de hominis abscessu humaniter contristamur, sed quomodo audivimus lectionem divinam, nam quod consummatus in brevi replevit tempora longa (Sep. iv, 13). Ergo illic tempora computemus, sicut computatur dies. Quidquid ergo vobiscum egit hortand., loquendo, seipsum proponendo ad imitandum, ad Deum laudandum et colendum tenete, et memoria ipsius ornatisima vos eritis. Non enim hoc illi magnum est recondi tumulis marmoratis, sed condi in cordibus vestris. Vivat sepultus in vivis sepulchris. Sepultura enim ejus memoria vestra est. Apud Deum vivit ut felix sit, apud vos vivat, ut felices sitis. Exhortari vos ad fidelem prudentiam multis verbis fortasse possemus, nisi et nos dolore humano vix loqui sineremur. Proinde quia donavit nobis Deus, ut morientis ad tempus præsentem essemus, quoniam donavit nobis, ut funus ejus deduceremus : deductio quæ debetur caritati, nihil addit felicitati. Donavit etiam ut sanctitatem vestram vilem, vosque alloqueremur, ut pro modulo nostro consolandi vos consolaremur. Quidquid nos dolor dicere non permittit, cogitando supplete, et noster animus in recordatione tanti viri, etsi habet humanum mœrorem, non habet infidelum desperationem.

SERMO LXXX :

Sermo omni tempore dicendus, seu potius, de oratione.

Suavis Dominus et mitis patientem habet januam pietatis, nec recusat inde pulsantes, sed accusat potius negligentes. Neque enim aliquid petitur, quod non habeat, ut cum non dederit, erubescat. Dives est Dominus, et pius, affluens et benignus. *Dat, et non impropere* (Jac. i, 5) : imo tunc thesauri domus ejus tristitiam patiuntur, quando fuerint delectabilia fastidia petitionum. Ipse Dominus dicit : *Usque modo non petistis quidquam* (Joan. xvi, 24). *Petite, et dabitur vobis. Pulsate, et aperietur vobis* (Luc. xi, 9). *Ego sum ostium et janua* (Joan. x, 9). Quare trepidat pulsando manus vestra, et dormitat in mendicitate conscientia vestra? Ego sum janua vite. Non horresco sordidum pulsatorem, non pauperem repudio petitorum, tantum ne suam quisque negligat mendicitatem. *Pulsate, inquit, et aperietur vobis.* Stant angeli ad januam meam, ut introducant, non ut repellant, non ut terreat. Nulla est pompa in janua mea. Ego sum janua, qui sustinui crucis ignominiam. Quare timet egenus inopiam, cum nulli aliquando denegata sit misericordia mea? *Quis speravit in Domino, et derelictus est* (Eccli. ii, 12)? Si pulsant qui desiderant corporis castitatem, dat eis continuo gratiæ sanctitatem. Et dicit eis : *Nolite ambulare polluti, nolite incedere maculosi; sancti estote, quia ego sanctus sum* (Lev. xi,

A 44). Si accedat pupillus exigua manu januam pulsare, paternam, nuntiat eum angelus et dicit : *Domine, pupillus pulsat, defensionis pietatem expectat. Responde ei, Domine : Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor* (Psal. x, 14). Respondet Dominus, qui dives est, qui misericors pater est : *Ego sum pater orphanorum, et iudex viduarum* (Psal. lxxvii, 6). Nemo ledat quos ego suscipio, nemo spoliat quos ego defendo. Et si qui accesserint ad istam januam, quavis dividantur locis disparibus, precem tamen unius divitis patrisfamilias omnes æqualem accipiunt pietatem. Hoc amat janua salutaris, ut pulsatoribus abundet opportunis, importunis. Propterea ipse Dominus januam a petitoris voce jejunam pulsantis, clamore silenti invitat omnes ad orationem, omnibus paratus tribuere pietatem. Etsi non accipitis, petite, perseverate, pulsate, nolite deficere, nolite cedere, quia non necat Dominus fame animam justam, qui tamen voluerunt esse suaviter importuni. Et ponit in parabolam (Luc. xi, 5) hominem cui hospes improvisus venit, et hospes hospitem pauper excepit. *Pasus verecundiam abiit continuo ad divitis domum, ut peleret panes, et non sine sacramento panes, sed tres panes, quia hospes est gratia pietatis, sed substantiam continet Trinitatis.* Nonne unus hospes erat in tribus, qui venit ad patrem Abraham (Gen. xviii, 2), hospes amicus, prorsor et repromissor, et omnia ei in Trinitate sunt exhibita hospitalitatis obsequia? *Trinum attulit vitulum pater Abraham, tres panes similaginis consparsit futura mater paritura filium, pro quo pater mactavit agnum, ut ipsum corpus Christi in Trinitate jam conspiceret sacramentum.* Ita et iste amicus veniente hospite pergit ad divitem, trium panum allegat necessitatem, pulsat et nemo respondet ex janitoribus, quia omnes oppresserat somnus. Non angeli, non archangeli, non prophetae, non ministri, et tamen pulsat, quamvis nemo respondeat. Quandoque gaudens paterfamilias ad importunitatem pulsantis respondet ei de interioribus sacris : *quid pulsas sine tempore, qui piger fuisti cum tempore? Dies fuit, et in lumine non ambulasti. Nox venit, et pulsare cœpisti? Excusat tempus, quod improvisus quærit affectus. Et ille, Domine, Domine, te peto, ad te pulso, te ipsum quero, tu surge dare mihi misericordiam, quia non es dignatus de luto limi componere viscera mea. Ministro non indiges, quia omnia potes; sed pueri tui dormiunt, Domine: tu non dormis, neque obdormitas, qui custodis Israel* (Psal. cxx, 4). *Gratis peto, sub gratia mendo, non sub lege præsumo.* Et si *lex et propheta usque ad Joannem* (Matth. xi, 13), sed tua gratia non habet finem. *Quieverunt pueri tui, propheta tui, et ego novi, Domine.* Sed tu qui es initium et finis, primus et novissimus (Apoc. xxi, 13), noli ad me tædiari novissima noctis hora patientem, qui nocte media captivam duxisti captivitatem. Quid faciat paterfamilias tanti perseveratoris voce constrictus? Non excitat puerum, non prophetam, non mittit angelum et archangelum : ipse surgens dat illi responsum, si non propter amicitiam, sed propter perseverantem misericordiam, impudentia qui abstulit verecundiam. Cum quanta lætitia bene perlinax ille petitor, et nocturnus mendicator ad hospitem proprium repedavit, quem pauper excepit, et dives factus recepit? nec hospes ab hospite irrefectus aliquando recessit. Nonne hospes erat iste qui dicit : *Ego ad januam, si quis aperuerit mihi, introibo, et cœnabo cum illo ego et pater meus* (Apoc. iii, 20)? *Quam bona domus, si Pater et Filius ingreditur hospes amicus, ubi Spiritus sanctus ipse ibi exhibet diversa pulmentaria propter cœnam dominicam! Quæ sunt pulmentaria Spiritus? Pax, gaudium, benignitas, bonitas, continentia, fides, caritas* (Gal. v, 22). Nos tantummodo non pigeat hospitem suscipere Dominum. Ipse secum portat uberitatem deliciarum, ut pascat ibi lætantes exercitus angelorum. Utinam ipse sit hospes nobis superveniens

* Legitur apud Augustinum, editionis nostræ tomo V, col. 1999.

benedictus, et jam non sit nobis hospes Gothus et Barbarus. Nam illis hospitibus arma et sagittæ, at eum isto hospite pax cum jocunditate: qui venit hospitem non torquere, sed parcere; non exspoliare, sed vestire; non percutere, sed sanare. Ipsum hospitem apertis cordis nostri januis suscipiamus, et nunquam in nobis dominabitur inimicus. Ipso præstante qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SYLLABUS CODICUM

AD QUOS DE NOVO RECOGNITA SÜNT OPERA S. FULGENTII,

NEC NON VARIANTES ALIQUOT LECTIOES EX PRÆTERMISSIS SELECTÆ.

(Quæ asteriscum habent * videntur referendæ in textum.)

LIBRI AD MONIMUM.

Emendati sunt ad mss. Corb., id est Corbeiensem annorum 800, qui alias monasterii Corbeiensis, nunc est monasterii S. Germani a Pratis. Variantes lectiones e ms. S. Victoris prope Parisios; ms. Thuanæ bibliothecæ; ms. Port., hoc est e ms. Cartusie Portarum eductæ a R. P. Petro Francisco Chiffletio societatis Jesu præ-bytero; nec non a.l. editiones antiquiores et castigatiores, Colon., id est Colonie Agrippinæ anni 1526; Ant. seu Antuerp., id est Antuerpiæ apud Plantinum 1573; Mog. seu Mogunti anni 1515; Basil., Basileæ 1621.

LIBER PRIMUS.

- * Pag. 1. Ms. Corb., sed in illo me debere fateor.
- 3. Ms. Corb., in hujus inquisitionis ac disputationis opere.
- 4. Ms. Port., nisi ab illo nobis fastidientibus esuries detur.
- Ibid. Ms. Port., illudque prædestinatum utique ad interitum.
- Ibid. Ed. Basil. cum ms. Port., legente me.
- * 5. Ms. Port., dum in malo prædestinationem te legisse diceres.
- Ibid. Ms. Port., postulare non desino, ut sive per sloquin.
- Ibid. Ms. Port., prædestinatos affirmat.
- 6. Mss. Corb. et Port., et ut quid moriemini, domus Israel?
- Ibid. Ms. Corb. et Port., injuste concupiscendo accersivit.
- * 7. Ms. Port., et Deo perficiente talis postmodum bit, ut.
- 8. Mss. Vict. et Corb., confirma, Deus, quod operatus es in nobis.
- Ibid. Mss. Corb. et Port., sicut et ille justus est.
- * Ibid. Mss. Corb., Victor. et Port. nec non ed. Ant., regnumque cælorum divinitus fidelibus præparatum.
- 9. Mss. Corb. et Port., gratia glorificationis juste reddatur.
- Ibid. Ms. Port., in futuri sæculi remuneratione dicit permanere.
- Ibid. Mss. Corb. et Port., ut deputetur fides eorum ad justitiam.
- Ibid. Mss. Corb. et Port., Misericordia tua subsequetur me.
- 10. Ms. Port., creator illud jam fecisse.
- 11. Ms. Port., voluntati effectus.
- Ibid. Ms. Port., de ipso solo.
- * Ibid. Mss. Corb. et Port., semetipsum peccato suo lædere permittatur.
- Ibid. Ms. Port., Iniquos autem condemnat. Ms. Corb., condemnavit.
- Ibid. Ms. Port., sicut dolor in utero habentis, et non effugient.
- * 12. Ms. Port., sed illud quæritur, utrum sicut creduntur.
- Ibid. Ms. Port., nos autem non spiritum hujus mundi.
- 14. Ms. Port., sic ipse sibi jam factus pœna, ut.

15. Mss. Corb., Victor. et Port., creaturæ quippe rationalis.

Ibid. Ms. Port., majorem dilectionem exhibeat Creatori quam sibi.

Ibid. Mss. Corb. et Port., nec sic se potest diligere.

Ibid. Mss. Port. et Corb., ante datam gratiam humiles invenit.

Ibid. Ms. Port., percunt propter suam malam voluntatem.

* 16. Mss. Port. et Corb., Digne utique homini qui se perdidit.

Ibid. Ms. Port., in perditione peccati dimissus qui propria.

Ibid. Ms. Port., et ipsi in eo placuit.

Ibid. Ms. Port., non quasi aliquam substantiam malam diligant.

17. Mss. Corb. et Port., sic incongruum est ut in ipso putetur causa cujuslibet operis mali.

* 18. Mss. Corb. et Port., quid respondere possit quisquis hanc.

* Ibid. Ms. Port., nunquid enim... ex impiis justis (quod cum dicimus, ad Dei gloriam dicimus) sic recte dicere poterimus.

Ibid. Mss. Port. et Corb., fecit Deus rectum.

* Ibid. Mss. Corb. et Port., quam utique aut tribuisse Deum.

Ibid. Mss. Corb. et Port., æterno mereretur puniri supplicio.

* Ibid. Ms. Port., scito quia malum est tibi.

* 19. Ms. Port., ut agnoscat. Ms. Corb., agnosceretur non ab eo prædestinatum.

20. Ms. Port., non intres in iudicium.

* Ibid. Ms. Corb., nisi Deus in quibus rellet, misericordiam fecisset superexaltari iudicio. Ms. Port., faceret superexaltare iudicio.

* 21. Mss. Corb. et Port., quem ira justis iudicis peccantibus reddit.

Ibid. Ms. Port., Talis namque verus est Deus cuius. Ms. Corb., Talis est enim Deus verus.

22. Ms. Port., ad indebitam sunt gratiam præparata.

* Ibid. Ms. Port., talibus vasis interitum reddit.

LIBER II.

* Pag. 27. Mss. Corb. et Port., qua peccant a Deo præcitant.

28. Ms. Port., si illi quos malitia sua (sicut scriptum est) excæcavit, hos veritas ipsa.

Ibid. Mss. Corb. et Port., nec glorificari cum Patre consentiunt.

Ibid. Ms. Port., sed simul Patri Filioque offerri.

* 29. Editi et mss. Corb., Port. et Victor., Abraham autem... Ms. Vict., abiit illuc... et invocaverat ibi Abraham nomen Domini Dei. Ms. Port. omittit posteriori loco Abraham.

Ibid. Mss. Corb. et Port., congruere temporibus, locis.

Ibid. Mss. Corb., Victor. et Port., quo se ad informandas.

* Ibid. Ms. Corb., non erit tanquam invisibilis Pater visibili Filio prævonendus. Recte quidem. Editi, in-

- visibilis Pater invisibili Filio. Basil., tanquam visibilis Pater invisibili Filio.
- Ibid. Mss. Corb. et Port., non est Patri Filius in aliquo postponendus. Editi, præponendus. At male.
30. Ms. Corb., scriptum etenim de Isaac hoc liber.
33. Mss. Corb., Victor. et Port., Cum nec orare condigne ac vigilanter aliquis possit.
34. Ms. Port., in libro Regum quarto.
35. Ms. Corb., acquirendæ caritatæ studium impendere.
- Ibid. Ms. Corb., Ille quod nascetur. Ms. Port., Ideoque et quod nascetur.
36. Ms. Port., Patrem suum et matrem suam.
- Ibid. Mss. Corb. et Port., per unitatem pacis et caritatis.
- Ibid. Ms. Port., in utero Mariæ Virginis domum sapientiæ.
37. Ms. Port., omnes qui de uno pane participamus.
- Ibid. Ms. Port., erant cor unum, et anima una.
- Ibid. Ms. Port., multitudinis credentium in Deum.
38. Mss. Corb. et Port., nec non Ant., Colon. et Mogunt., quam sacrificium Deo facit unitas spiritalis, ubi et. Basil., quod sacrificium.
- Ibid. Mss. Corb. et Port., quod in sola catholica per manus impositionem.
- Ibid. Ms. Port., beatum Augustinum... non solum apostoli Pauli, sed etiam Judæ apostoli sensum.
39. Ms. Corb. et Port., per quam se possit hostiam vivam.
- Ibid. Ms. Port., suscipere infirmos. Thessalonicenibus etiam scribens memores estis, inquit, ... Sed et ad Corinthios.
- Ms. Port., congrue posuerit.
- Ms. Port., non præceptum, sed consilium.
40. Mss. Corb. et Port., fecisse cognoscitur. Adversus Faustum namque Manichæum asserentem.
- Ibid. Mss. Corb. et Port., Arcam Noe debere construere.
- Ibid. Ms. Port., facies ea.
41. Ms. Corb., ut illud quod alter.

LIBER III.

- Pag. 42. Ms. Port., sed etiam ipsius humanitatis aliena.
- Ibid. Mss. Port., Corb. et Victor., atque hinc suam.
43. Mss. Corb., Basil., Colon. et Mog., Hinc dominante Christo.
- Ibid. Ms. Corb. et Port., ut quia Birrus ille apud hominem esse posset, in homine autem esse non posset.
44. Mss. Corb. et Port., quoniam ab Avia is... esse creditur.
45. Ms. Port., legimus scriptum.
- Ibid. Mss. Corb., Port. et editi, quia intra se cogitabat. Ms. Victor., qui intra se cogitabat.
46. Ms. Co b., remittuntur tibi peccata tua.
- Ibid. Ms. Corb. et ed. Mog., Immortalitas est enim in memoria illius.
47. Ms. Corb., quia non videt eum.
- Ibid. Ms. Port., ut in ipsis esse possit: Verbum autem... ut in eo esse non possit.
- Ibid. Basil., quid dicam de his.
- Ibid. Mss. Corb. et Port., propter quod et loquimur.
48. Mss. Corb., Victor. et Port., et ne hoc velint Filio assignare, audiant.
- Ibid. Ms. Port., sicut lanifica proximans demetere telam.
49. Ms. Port., quæ dereliquit doctrinam.
- Ibid. Ms. Port., qui sic apud aliquem est.
50. Mss. Corb. et Port., illum autem Verbum veritatem (ms. Port., veritatis) genuit.

LIBER OBJECTIONUM ET RESPONSIONUM

CONTRA ARIANOS.

- Collatus est cum mss. Corb. et Port., nec non cum Mogunt., Colon., Ant. et Basil.
- Pag. 51. Ms. Port., Edd. Basil., Col. et Mog., hoc est de eo quod ipse est.
- Ibid. Basil. et ms. Port., Adactum est non extrinsecus.
- Ibid. Mss. Corb. et Port., vocabulorum diversitas agnoscitur: nec ideo tamen in Patre et Filio naturalis diversitas invenitur. Quin potius.
52. Ms. Port., ut dum unum nominamus, aliud demostremus.
- Ibid. Ms. Port., consequens autem foret ut.
- Ibid. Ms. Port., in qua natus fuerat perderet
53. Ms. Port., et quod fuit Enos.
- Ibid. Ms. Port., Ita nusquam nos legisse recolimus.... quia scriptum est: Generationem ejus quis enarrabit? Et quam nulla dixit Scriptura, quis enarrat? Ms. Corb., Ita nunquam (in objectionibus nusquam) nos legisse recolimus... quia scriptum est de eo: Generationem autem ejus quis enarrabit? et quam nemo dixit Scriptura qui enarrat; advertendi sunt, etc.
- Ibid. Mss. Corb. et Port., propter quod et loquimur.
- Ms. Corb., ejus nativitatem ignoret.
54. Ms. Port., Ita est rectum profiteri... et rursus, Dominus dixit ad me.
- Mss. Corb. et Port., dum se initium clarum Domini in opera ejus creatam esse non tacuit.
- Mss. Port. et Corb., Ergo cum quotidie dicit ista fieri, et a sæculo facta præmonet nuntiari; ostendit, etc.
55. Ms. Port., In quo considerandum est. Ms. Corb., Quomodo considerandum est. Editi, Quod considerandum est.
- Ibid. Mss. Corb. et Port., fratres ejus, quos secundum Apostoli dictum.
- Ibid. Ms. Port. communicaverunt carni et sanguini. Sic Valg. versio cum textu Græco.
56. Ms. Corb. et Port. et Basil., quotquot enim receperunt eum.
- Ibid. Ms. Port., in secundo quoque psalmo cognoscitur prædicta.
57. Ms. Port., hanc Deus adimplevit filiis vestris.
- Ibid. Ms. Corb. in Objectionibus, non sit erroris falsa professio, quæ cum dicit... asserit eum. Ms. Port., qui cum dicat.
- Ibid. Ms. Corb., colimus et tenemus.
- Ibid. Mss. Corb. et Port., vel cur semel.
58. Mss. Corb. et Port., ex substantia autem Patris. Et infra ms. Port., Filium quoque.
- Ibid. Ms. Port., Fides vera quod credit noscit.
59. Ms. Port., quia nec fas est.
- Ibid. Ms. Port., Perturbatores mentium... quod quidem exigit illis dici qui.
60. Ms. Port., ut et Filius tuus clarificet te.
- Ibid. Ms. Port., rei instruit mentes hominum, illum auctorem luminis, et istum lumen in tenebris lucens... per quem vita factus est Filius, et lux est ostensus hominum. Neque illum qui ostenditur factus esse, Patri æqualem esse posse. Editio Basil., vel instruit mentes hominum, quia inter illum auctorem luminis, et istud lumen... illo, quod ostenditur factus non esse Pater, æqualitas esse non potest.
61. Editi, Evangelizate diem ex die. Ita et ms. Port.
- Ibid. Ms. Port. et Basil., quæ fastidium facerent auditoribus.
62. Ms. Port., Nam quia inter illos differentia est, ipse cui credendum est, Salvator dicit, Alius est qui testimonium perhibet de me Pater... et cum non advertuntur divina jura et sacramenta... dixerunt hominibus: et hæretici facti, asserunt Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse Deum. Ms. Corb., distantia est, et quod dicitur non est; eo quod inter illos differentia sit, ipse Salvator dicit, qui credendus est, Alius est qui testimonium perhibet de me Pater. Et cum non advertuntur divina jura et sacramenta... qui ante adventum Salvatoris dixerunt θεοῦστον, quorum et hæretici facti sunt professores, cum asserunt. Basil. concinit cum Corb.
- Ibid. Ms. Port., totam se coæternæ veritatis unitati indulsit.

* Mss. Port. et Corb., et *saltem sic.*

63. Mss. Corb. et Port. et Basil., *Si enim altam dixerit in Deo voluntatem, qua velle dicitur, et aliam essentiam qua esse cognoscitur.* Editi Col., Ant. et Mog., *voluntatem quo velle dicitur, et aliam essentiam quæ esse cognoscitur.*

Ibid. Mss. Corb. et Port., *quomodo se nolint.*

Ibid. Ms. Corb. *scelus hoc et valde... si enim ab hominibus non toleratur injuria, ab ipso Domino omnium auctore quomodo poterit tolerari? Ostendit namque.*

64. Ms. Port. *cum ipsa ante scriptio id tibi intelligendum ostendat, cum dicit quod in splendoribus sanctorum... de eo fuisse adimpleta: cum manifestet ipsam esse et propheta dicendo.*

Ibid. Ms. Port., *in aperione exsurgent.*

65. Ms. Port., *dicatur quod sic credendus sit unus Deus... honorem vero unumquemque.*

Ibid. Ms. Port., *Labor Ægypti, et mercatus Æthiopum... et post te ducentur... et te deprecabuntur... et pudebit omnes.*

Ibid. Ms. Port., *Quid ergo sequitur? Per me ipsum juro. Quis hoc credendus est dicere, nisi.*

67. Ms. Port., *Et ut hoc se de Christo.*

AD TRASIMUNDUM LIBRI.

Recogniti sunt ad mss. Corb., Port., Thu. et Victor.; ad editiones Mog., Colon., Anturp. et Basil.

LIBER PRIMUS.

* Pag. 69. Mss. Corb. et Port., *ad residua perlegenda scripturam.*

Ibid. Ms. Port., *Pauca quibus, Domino adjuvante, nostri parvitas sufficit ingenii... quam in principio tenuiter agnovi, vestra recensenda mansuetudini destinari.*

70. Ms. Port., *notare vestra pietas velit.*

* Ibid. Ms. Port., *Cum itaque omni poscenti. Et infra, coram regibus propheta testetur dicens.*

* 72. Ms. Port., *eum scilicet qui solus posset exspectatori longævo.*

73. Mss. Corb. et Port., *Fœcipientæ quippe carnis... mundandam carnis fœculentiam venit.*

74. Ms. Port., *non nuncupationis, sed naturalis nominis veritas.*

75. Ms. Port., *non credet malitiæ.*

Ibid. Ms. Port., *An divinam Filii Dei... subjiciemus?*

76. Ms. Port., *cujus (id est animæ humanæ) susceptionem.*

77. Ms. Port., *sponsabo te mihi ad justitiam et iudicium, in misericordia et pietate.*

79. Ms. Port., *ut benedictionem hæreditate possideatis.*

81. Ms. Port., *utrum quia a Deo non fuerit facta?*

84. Ms. Port., *volens in præceptis Domini.*

85. Ms. Port., *cujus principatus super humeros ejus.*

86. Ms. Port., *quo divinitus edoctus de Christi persona... Hoc testimonium psalmi cum beatus Petrus commemorasset.*

* 87. Ms. Port., *singulos deputare curavi libellos.*

LIBER II.

Pag. 88. Ms. Port., *creare potuit quod esset.*

89. Ms. Port., *consumendam deinceps abolitione cognosceret.*

Ibid. Mss. Corb. et Port., *totam se sicut est.*

* Ibid. Ms. Port., *ut æquitas æterna.*

Ibid. Ms. Port., *deponeret illuriam.*

90. Mss. Corb. et Port., *descendi de cælo.*

91. Ms. Port., *Erubescunt, et pudebit omnes.*

92. Ms. Port. *Ego sum, inquit, Alpha.*

Ibid. Ms. Port., *asseritur coeptus, pro eo.*

93. Ms. Port., *justæ conversationis.*

Ibid. Ms. Port., *sicut ipse ait.*

Ibid. Ms. Port., *quia ipse inchoat perficienda.*

96. Ms. Port., *distare non potest a sempiterno.*

A Ibid. Mss. Port., Vict. et Corb., *ut hujus innuocabilis sempiternitatis.*

* 99. Ms. Port., *ut nec major illa possit esse, nec minor.*

100. Ms. Port., *quem efficit dignum.*

* Ibid. Mss. Victor. et Port., *querent me mali.*

Ibid. Ms. Port., *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum.*

102. Ms. Port., *Christi sententiam motibus variatam.*

103. Ms. Port., *ut Filium Dei de Deo Patre naturaliter genitum.*

104. Mss. Corb., Vict. et Port., *sed quod petamus ab eo.*

106. Ms. Port., *quis nesciat a Filio dicta.*

108. Ms. Port., *vel quomodo qui corporaliter ascendit in cælum in suis fidelibus.*

109. Ms. Port. post hæc verba, *cor nostrum dilatatum est, addit: Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris. Eandem autem, etc.*

B 110. Ms. Port., *Si enim tota Trinitas, ... tota utique.*

LIBER III.

Pag. 112. Ms. Port. *percutit autem in verbo Crucis.*

Ibid. Ms. Port., *prorsus impassibilis permaneret.*

116. Ms. Corb., *plenus homo natus ex homine... Deus plenus generatus ex Patre.*

117. Ms. Port., *totus in Patre totum implens.*

118. Ms. Port., *non fuit in illo est.*

Ibid. Ms. Port., *idem permanebis... idem ipse es.*

* 120. Ms. Port., *Filio interim, quidquid illud est, præferetur.*

Ibid. Ms. Port., *Non opus esset ut ungeretur Spiritu sancto.*

* Mss. Port. et Corb. cum editis, *plene sanctificari non potuit.* Mss. Vict. et Thu., *potuit.* Forte referri debet ad priorem partem, scilicet *quod si homo Christus sine sancti Spiritus gratia plene sanctificari potuit, superflua dicitur collatio illius unctionis: si autem sine sancto Spiritu plene sanctificari non potuit, etc.*

123. Ms. Port., *respondit, et dixit eis.*

Ibid. Ms. Port., *sanctus evangelistæ non tacuit dicens.*

124. Mss. Corb. et Port., *in toto tamen homine tristis... et in toto homine patiens.*

127. Ms. Port., *in sua Salvatore esse anima.*

Ibid. Ms. Port., *gaudium habuit de Lazaro suscitando: simul ut discipuli.*

128. Ms. Port., *demonstraret accepisse substantiam.*

Ibid. Mss. Corb. et Port., *et in infirmitatibus.*

* 129. Ms. Port., *ostendens utique... animam poneret.*

* 130. Ms. Port., *ostendens sine caritate.*

133. Ms. Port., *et timor ascribitur Deitati.*

EPISTOLÆ I, II ET III.

Collatæ sunt cum mss. Corb., Vict., Thu. et Port., et editionibus Mog., Colon., Ant. et Basil.

Epist. I. Pag. 147. Ms. Port., *quam vovete et non solvere.*

* Ibid. Ms. Port., *perpetuæ continentiae promissio.*

Epist. III. Pag. 161. Ms. Port., *in quo indigentia nulla est.*

165. Ms. Port., *non erit sufficientiæ divinæ.*

Ibid. Ms. Port., *Hoc autem sancti Hieronymi.*

170. Ms. Port., *divinum furorem cervicibus innucentem.*

171. Ms. Port., *ut in eo quod egent largitur.*

174. Ms. Port., *et ut ad perfectam perveniat sanitatem, non de aliorum sibi periculo blandiri, sed de sua curet.*

175. Ms. Corb. et editi, *et Dei Sapientia. Dicit ergo illi imbecillitas humana, custodi me. Hæc non leguntur in Ms. Port.*

Ibid. Ms. Port., *aut mundum se esse.*

EPISTOLÆ IV, V, VI ET VII.

Emendatæ sunt ad mss. Corb., Vict. et Port. et editiones superius laudatas.

ERIST. IV. Pag. 178. Ms. Port., *auxilium*. Non enim A
dormitabit.

179. Ms. Port., *Quamvis enim suis Dominus.*

ERIST. VII. Pag. 191. Ms. Port., *sapientia autem vincit
malitiam.*

Ibid. Ms. Port., *numquid non jam baptizatis.*

Ibid. Ms. Port., *Qualecunque est ergo... ostium
claudit.*

195. Ms. Port., *cum ab illo argueris.*

196. Ms. Port., *manet utrosque condigna merces.*

EPISTOLA VIII,

SEU LIBER AD DONATUM.

Castigata est ad ms. Colb., id est in bibliotheca
Colbertina asservatum annorum fere 500, et Port.;
ad editiones supra citatas.

Pag. 197. Ms. Port., *tantum si a sinu.*

198. Ms. Colb. cum editis, *sententiam veram ambu-
lant*. Hac voce caret ms. Port.

Ibid. Ms. Port., *fidelitate cordis devitet errorem.*

200. Ms. Port., *Ergo quando et Patrem Dominum B
Denm.*

202. Ms. Port., *æqualis ergo est.*

Ibid. Ms. Port., *o Domine, quia ego servus tuus,
ego servus tuus.*

215. Ms. Port., *veritatem veraciter profletur.*

206. Ms. Port., *vera utique humanitas invenitur.*

EPISTOLA IX, CUM SUBJECTO SERMONE.

Contulimus cum editione a Sirmondo facta Lutetie
Parisiorum ex officina Nivelliana sumptibus Sebastiani
Cramoisy, anno 1612.

EPISTOLA X.

Edita est ut jacet in codice quodam Parisiis ex-
cuso opera Guillelmi Camerarii Scoti congr. Oratorii
Jesu presbyteri, anno 1654.

EPISTOLÆ XI et XII.

Collatæ sunt cum edit. Sirmondi supra laudata et
Chiffletii in Ferrando anni 1649. Serino autem S.
Augustini qui posteriori attextitur emendatus est ope C
ms. Vaticani.

Pag. 227. Ms. Vatic., *illic levavit corpus suum, inde
renturus est.*

Ibid. Ms. Vatic., *Audis enim, corpus Christi.*

Ibid. Ms. Vatic., *Nihil hic de nostro asseramus :
ipsum Apostolorum identidem audiamus.*

Ibid. Ms. Vatic., *unus Panis. Quid est iste unus
Panis? Unum corpus multi. Recolite.*

Ibid. Ms. Vatic., *etiam non dictum satis ostendit.*

Ibid. Ms. Vatic., *Erat illis anima una.*

Ibid. Ms. Vatic., *recolite unde sit vinum.*

EPISTOLÆ XIII et XIV.

In his recensendis adhibuimus edit. Antwerp. et
Chiffletii apud Ferrandum supra citatam cum ms.
Victor.

EPISTOLA XV.

Recognita est ad variantes lectiones ex mss. duobus
S. Crucis in Jerusalem in Urbe, ms. Port. et edit. D
Sirm.

Pag. 270. In edit. Sirmondi, *documento possit
indicium manifestioris.*

EPISTOLÆ XVI et XVII.

Collatæ sunt cum ms. Port., Ant., Basl. et Lov.,
id est Lovanii edito codice ex officina Bartholomæi
Gravii anno 1556.

EPIST. XVI. Pag. 279. Editi, *quomodo in partem*. Ms.
Port., *in partes.*

Ibid. Editi, *pro Incarnatione operati sunt.*

Ibid. Ms. Port., *dispendium patiat, et ideo com-
posita esse non possit. Editi, dispendium patiat, et
ideo composita esse possit. Forte dispendium non pa-
tatur, et ideo composita esse non possit.*

Ibid. Ms. et edd., *inquisitiones eorum superfluas
approbasset. Forte reprobasset.*

EPIST. XVII., pag. 301. Editi, *mertem solam, ut
non etiam*. Ms. Port., *mortem solam, non etiam.*

EPISTOLA XVIII.

Recognita est ad edit. Sirm. et Chifflet. in Fer-
raudo.

LIBER DE TRINITATE AD FELICEM NOTARIUM.

Collatus est cum supra citata edit. Sirm. et va-
riantibus ms. Victor.

Pag. 357. Apud Augustinum, *ut carnis voluntatem.*

LIBER CONTRA SERMONEM FASTIDIOSI.

Collatus est cum supra laudata edit. Sirm.

Pag. 340. Edit., *illud enim quod nos.*

344. *Quod utique non scit nisi Spiritus. Forte non
sit nisi Spiritu.*

354. *Solam corpoream vocem. Forte, sola corpo-
ream vocem.*

DE REMISSIONE PECCATORUM LIBRI.

Emendati sunt ad ms. Corb. annorum ferme 700,
lectiones aliquot ex ms. alio, et edit. Ant.

Lib. I, p. 372. Ms. et edit., *Dum contemto creatore.*
Particula dum videtur omnino redundare.

Lib II, p. 539. *Etiã animæ suæ crudelis adversa-
rius. Videtur legendum etiam, corporis sui.*

593. Ms. Corb. *Secundæ autem vocis ejus auditus
impios pie justificat.*

DE INCARNATIONE FILII DEI

ET VILICUM ANIMALIUM AUCTORE LIBRI.

Editus est ut legitur in codice superius citato Ca-
merarii Scoti. Plures autem ejus locos correximus
auctoritate fragmentorum a Chiffletio editorum in
libro cui titulum prefixit, *Scriptorum veterum de Fide
catholica quinque opuscula.*

DE VERITATE PRÆDESTINATIONIS ET GRATIÆ,

LIBRI.

His recensendis auxilio fuerunt mss. S. Crucis
cum Port. supra laudati, et edit. Sirm. Quod vero
his deerat in fine tertii libri, habuimus ex eodem
libro ut editus est a Chifflet. inter opera Ferrandi Dia-
coni.

LIBER DE FIDE AD PETRUM.

In hujus recensione consultimus ms. Corb. per-
vetustum annorum scilicet 1000 et amplius; Variantes
ex mss. quatuor Vaticanis et Anglicanis duobus,
ex catalogo Bibliothecæ Oxoniensis; necnon Ant.

LIBRUM DE FIDE ADVERSUS PINTAM

Edidimus ex operibus Ferrandi jam supra laudatis.

SERMONES.

SERMO PRIMUS. Collatus est cum ms. Colb. an-
nor. 700, Mog., Colon., Ant. et Basil.

SERM. II. Ad ms. Colb. et edit. superius lau-
datas castigatus est.

SERM. III. Ad mss. Colb. duos et Mog., Colon., Ant.
et Basil.

SERM. IV. Ad mss. item duos Colb. et edit. supra
citatas.

SERM. V. Collatus est cum Ant.

SERM. VI. Ad eandem recensitus est.

SERM. VII, VIII, IX. Ex homiliis seu sermonibus qui
alias Fulgentio attributi sunt, et quorum maximam
partem in appendixem conjecimus, inter genuinos
sermones S. doctoris editi sunt: utpote qui si stylum
ejus non omnino referre, saltem ad illum maxime ac-
cedere judicati sunt.

SERM. X. A Sirmondo primo excusus stylum et in-
genium Fulgentii tam egregie implet, ut in numerum
sermonum ejus non possit non recenseri.

LIBRORUM X CONTRA FABIANUM FRAGMENTA.

Ex opere Chiffletii supra citato educta et cum aliis
a Sirmondo ex Avito Viennensi editis collata emen-
davimus.

ALIA FRAGMENTA LIBRI DE SPIRITU SANCTO.

Contulimus cum iis que citantur a Ratramo Cor-
beiensi monacho Spicilegii D. Lucae d'Acheri t. II,
lib. III, contra Græcos c. 5^o.

SERMONES DUO.

Alterum de Circumcisione, alterum de Purificatione
e Vaticano ms. exscriptos damus.

SANCTUS REMIGIUS.

ARCHIEPISCOPUS REMENSIS.

NOTITIA (ex Gallandio).

I. In actis sancti Remigii episcopi Remensis pro temporis ratione digerendis dissident inter se viri doctrina et eruditione præstantes: Baronius (a), Pagius (b), Henschenius (c), Cointius (d), Labbeus (e) et Sammarthanus (f), ut alios prætereamus. Verum nostro quidem iudicio, eam chronotaxin reliquis præferendam duximus quam instituunt Gallicæ historiæ litterariæ scriptores (g), qui beati antistitis ortum illigant anno 439, ipsius autem ordinationem peractam statuunt anno 461, eumque supremum diem obiisse idibus Januarii anno 533, ætatis suæ anno 94, *septuaginta aut eo amplius in episcopatu annis expletis*, ut scribit Gregorius Turonensis (h). Testatur enim vero ipsemet Remigius in epistola quam in causa Claudii presbyteri post mortem Clodovei regis scripsit anno 512, ut omnes ferme consentiunt, se tum jam *quinquaginta et tribus annis episcopali sedi præsesisse* (i). Ordinatus igitur fuerit anno 461. Cumque, teste Hincmaro (j), quem sequitur Flodoardus (k), *annos natus viginti duos ad pontificii culmen raptus potius quam electus fuerit*; hinc proinde in Jucein editus fuisse colligitur anno 439. Rursus vero eundem præsulem *ultra septuaginta annos in episcopatu explese*, modo ex Gregorio Turonensi intelleximus. Præterea Flavius Remigii post Romanum successorem, *die v idus Novembris* anno Christi 535, Arvernensi concilio subscripsisse constat (l): ut propterea ultra initium anni 533, quo idibus Januarii e vivis excessisse fertur, vitam illum produxisse haud videatur. Quæ quidem sententia præ omnibus verisimilior habetur.

II. De præclaris Remensis hujus præsulis gestis illud unum memorasse satis fuerit, ab eo nimirum fuisse baptizatum Clodoveum Francorum regem anno Christi 496, in solemnitate Nativitatis dominicæ, ut auctor est Avitus Viennensis episcopus, ad ipsum

A Clodoveum hac de re sic scribens (m). *Occiduis partibus in rege non novo novi jubaris lumen effulgurat. Cujus splendorem congrue Redemptoris nostri nativitas inchoavit: ut consequenter eo die ad salutem regenerari ex unda vos pareat, quo natum redemptioni suæ cæli Dominum mundus accepit.* De conversione porro ac baptismo Clodovei pluribus agit Gregorius Turonensis (n); inter quæ, *De exercitu ejus, inquit, baptizati sunt amplius tria millia.* Hincmaro autem in Vita sancti Remigii dicitur Clodoveus *baptizatus cum gente integra.* Cui concinit vetus auctor ita inquires (o): *Baptizatus postea cunctus populus Francorum.* Hinc itaque beatus Remigius optimo jure Francorum apostolus fuit nuncupatus. Neque illud celebre effectum hic prætereundum a Gregorio Turonensi litteris traditum (p), quo Clodoveum regem ad baptismum accedentem Remensis pontifex noster veluti divina quadam majestate gravis ita compellavit: *Miis deponere colla, Sicamber: adora quod incendisti, incende quod adorasti.* Reliqua porro beati Remigii gesta ex scriptoribus superius laudatis repetenda, aux strictiun exhibet Sammarthanus (q).

III. *Erat sanctus Remigius, inquit Gregorius Turonensis (r), episcopus egregiæ scientiæ, ac rhetoricæ apprime imbutus studiis.* Qualis vero quantusve in disciplinis excolendis exstiterit noster antistes Remensis, quam etiam eximie fuerit eruditionis, testis est locuples Sidonius Arvernorum episcopus, qui ad ipsum Remigium scribens (s): *Rarus, inquit, aut nullus est, cui medituro par assistat dispositio per cunas, positio per litteras, compositio per syllabas.* Ad hoc *opportunitas in exemplis, fides in testimoniis, proprietates in epithetis, urbanitas in figuris, virtus in argumentis, pondus in sensibus, flumen in verbis, fulmen in clausulis.* Structura vero fortis et firma, con-

(a) Baron. ad ann. 471, § 34.

(b) Pagi. ad ann. 471, § 13, et ad ann. 541, § 10.

(c) Hensch. Act. SS. eor. tom. I, pag. 783, num. 4, et pag. 785, num. 12, 13, et Jun. tom. II, pag. 90, not. 6.

(d) Coint. Annal. eccl. Franc. ad ann. 486, § 12, et ad ann. 512, § 2, tom. I, pagg. 117 et 292.

(e) Labb. Chron. hist. ad ann. 523, tom. I, pag. 587.

(f) Sammarth. Gall. Christ. nov. tom. IX, pagg. 10 seqq.

(g) Hist. littér. de la France, tom. III, pag. 155, not. 1.

(h) Greg. Turon. lib. de Glor. confess. cap. 79.

(i) Remig. epist. 3.

(j) Hincm. Vit. Remig. cap. 6, 60.

(k) Flodoard. Hist. Remens., lib. I, cap. 11, 17.

(l) Sammarth. loco citato pag. 13.

(m) Avit. epist. 41.

(n) Greg. Turon. Hist. Franc., lib. II, cap. 30, 31.

(o) Anon. Gest. reg. Franc. cap. 15

(p) Greg. Turon. loco citato cap. 31

(q) Sammarth. loco citato.

(r) Greg. Turon. loco citato.

(s) Sidon. lib. IX, epist. 7.

junctionum. perfacetarum nexa tæsuris insolubilibus : A vivens ille præ animi submissione oblivione potius obruere voluit quam perpetuitati dicare. » Qua de re videsis Gallicæ Historiæ litterariæ scriptores (f)

IV. At vero haud prorsus interiere omnia beati antistitis Remensis litterarum monumenta. Quatuor enim superant adhuc ejus epistolæ, quæ sive in his eloquium spectes, sive judicium, sive maxime sacerdotalem animi vigorem in juribus ecclesiasticis vindicandis, tanto enimvero episcopo dignæ agnoscuntur. De his autem epistolis, ut et de reliquis quæ iisdem attexuimus, nihil hic amplius dicere suppetit præter ea quæ in subjectis notis animadvertimus. Porro quod spectat ad *Explicationes epistolarum beati Pauli apostoli*, sub nomine Remigii Remensis olim a Joanne Baptista Villalpando vulgatas, jam dudum viri docti eidem falso fuisse tributas monuere: quos inter Cointius (g), Pagius (h), Gallicæ Historiæ litterariæ auctores (i) et novissime omnium domnus abbas Lebeuf in opere inscripto, *Recueil de divers écrits pour servir d'éclaircissements à l'histoire de France* (j) : ut propterea mirari profecto subeat, Huetium (k) V. C. Villalpandi sententiæ in hærenter, beato Remigio Remensi episcopo illud opus tribuisse, quod alii rectius Remigio Antissiodorensi asserendum comprobarunt.

- (a) Baron. a l. ann. 471, § 37.
 (b) Sirmond. ad Sidon. epist. 7, lib. ix.
 (c) Hincm. Vit. Remig.
 (d) Flodoard. Hist. Remens., lib. i, cap. 12.
 (e) Baron. loco citato.
 (f) Hist. littér. de la Franc. loco citato pagg. 161 seq.
 (g) Coint. Annal. eccl. Franc. ann. 533, § 49,

- tom. I, pagg. 405 seqq.
 (h) Pagi. ad ann. 471, § 14.
 (i) Hist. littér. de la Franc. loco citato pag. 163 seq.
 (j) Lebeuf, Recueil, etc., tom. I, pagg. 278 seq. edit. Paris. 1738.
 (k) Huet. Origenian. lib. II, cap. 2, quæst. 8, § 2, pag. 128.

SANCTI REMIGII OPUSCULA.

[Notæ quibus ciffros intra parentheses præmisimus mutuatæ sunt ab opere cui titulus, *Les actes de la province ecclésiastique de Reims*, a Tb. Goussel, archiepiscopo Remensi recenter edito. Edit.]

EPISTOLA PRIMA

AD CHLODOVEUM FRANCORUM REGEM,

Consolatoria in obitu Albofredis sororis ejus, quæ non multo post susceptum baptismum a vita migrarat.

Domino illustri meritis Chlodoveo (1) regi Remigii episcopus (2).

Angit me, et satis angit, vestræ causa tristitiæ,

* Hujus epistolæ initium refert Gregorius Turonensis Hist. Franc. lib. II, cap. 31. Ex hac porro epistola intelligimus Albofredem Chlodovei sororem consecratam Deo virginem decessisse. Nam et *benedictionem virginitatis* eam accepisse scribit Remigius, atque *sacratam lugeri* negat oportere. Ilinc Hadrianus Valesius Rer. Franc. lib. VI, tom. I, pag. 261, jure miratur nec Gregorium qui hanc epistolam legerat, nec cæteros rerum Gallicarum historicos id animadvertisse : existimatque Albofredem non ab alio quam Remigio ut baptizatam, sic consecratam fuisse. Ex-

D quod gloriosæ memoriæ germana vestra transit Albofredis (a). Sed consolari possumus, quia talis de hac luce discessit, ut recordatione magis suscipi debeat quam lugeri. Illius enim vitæ fuit, quod assumpta credatur a Domino, quæ a Deo electa migravit ad cælos. Vivit vestræ fidei, etsi est conspectus desiderio recepta. Christus implevit, ut benedictio-

stat hæc epistola in Concil. Collect. tom. V, pag. 396, edit. Ven-Labb., eandemque recitat Ruinartius in Append. ad opp. Gregorii Turon., pag. 1326.

(a) Sic sane Gregorius Turonensis. At Valesius scripsisse Remigium Albofredis tradit. Neque aliter in suo exemplari Ruinartius

(1) *Clodoveus, Chlodoveus, Hlodoveus, Hlodowicus, Ludowicus, Clovis.*

(2) *Episcopus, évêque. Saint Remi était évêque*

nem virginitatis acciperet; quæ sacrata non est lu- A genda, quæ fragrat in conspectu Domini flore virgineo, quo scilicet et corona tecta, quam pro virginitate suscepit. Absit ut a fidelibus lugeatur, quæ bonus Christi odor esse promeruit, ut per eum cui placet, auxilium possit conferre poscentibus. Dominus meus, repelle de corde tuo tristitiam: animo erite composito regnum sagacius gubernate, erectiora sumentes studio serenitatis consilia. Læto corde membra confortata: mœroris torpore discusso acrius invigilabis ad salutem. Manet vobis regnum administrandum, et Deo auspice procurandum. Populorum caput estis, et regimen sustinetis. Acerbitate ne te videant in luctu affici, qui per te felicitia videre consueverunt. Esto ipse tuæ animæ consolator, vigorem illius providentiæ continens ingenitæ, ne tristitia eandem tuæ menti subducat. De ejus præsentem transitu quæ choris est juncta virgineis, ut credo, rex gaudet in cœlo. Salutans gloriam vestram, commendando familiarem meum presbyterum Maccolum quem direxi. Quæso ut tantis habeatis ignoscere, quod qui occursum debui, exhortatoria destinare verba presumpsi. Tamen per harum bajulum si juretis ut vadam, contempta hiemis asperitate, frigore neglecto, itinere labore calcato, ad vos auxiliante Domino pervenire contendam.

EPISTOLA II.

AD CHLODOVEUM REGEM,
Hortatoria, cum rex ad bellum Gothicum
se accingeret.

Domino insigni et meritis magnifico Chlodoveo C
regi Remigius episcopus
Rumor ad nos maguus pervenit, administrationem

* Exstat in Concil. Collect., tom. V, pag. 559, et apud Ruinartium loco citato. De hac vero Chlodovei expeditione videas Gregorium Turonensem Hist. Franc., lib. II, cap. 37, nec non *Mém. de l'Acad. des Inscri.*, tom. X, p. 529 et tom. X, p. 478 seqq.

b Exstat in Concil. Collect. tom. V, pag. 748, eademque recitat Coitius in *Annalibus Eccl. Franc.* ad ann. 512, § H.

(u) Apud Ruinartium, *joca* activa forma; quæ etiam usurpatur Plauto *Cas.* IV, IV, 20.

métropolitain, archevêque. Le titre de métropolitain, pour l'évêque de Reims, remonte à l'établissement du siège épiscopal de cette ville. Sous les empereurs, Reims était une métropole civile. Or, dans les temps apostoliques, les métropoles civiles qui embrassèrent le christianisme devinrent généralement métropoles ecclésiastiques. Voyez la *Discipline de l'Eglise*, par Thomassin, part. 1, etc. Cependant les évêques métropolitains, en Occident, ne commencèrent à prendre le nom d'*archevêques* que sur la fin du VI^e siècle.

(1) Il s'agit de la guerre que Clovis entreprit contre les Goths qui occupaient encore une partie des Gaules.

(2) Habeant reges consiliarios prudentes, Dominum timentes, moribus honestos. *Concile de Calchat de l'an 787, can. 11.*

(3) Labbe tom. IV. col. 1401. — Nous lisons dans un opuscule d'Hincmar, adressé à Charles le Chauve: « Nomen regis intellectualiter hoc retinet, ut subjectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter

vos secundam rei bellicæ (1) suscepisse. Non est novum, ut cœperis esse sicut parentes tui semper fuerunt. Hoc imprimis agendum, ut Domini judicium a te non vacillet, ubi tui meriti, qui per industriam humilitatis tuæ ad summum culminis pervenit: quia quod vulgo dicitur, ex sine actus hominis probatur. Consiliarios (2) tibi adhibere debes, qui famam tuam possint ornare. Et beneficium tuum castum et honestum esse debet, et sacerdotibus tuis honorem debbis deferre, et ad eorum consilia semper recurrere. Quod si tibi bene cum illis convenerit, provincia tua melius potest constare. Cives tuos erige, afflictos releva, viduas fove, orphanos nutri, si potius est quam erudies, ut omnes te ament et timeant. Justitia ex ore vestro procedat: nihil sit sperandum de pauperibus vel peregrinis, ne magis dona aut aliquid accipere velis. Prætorium tuum omnibus pateat, ut nullus exinde tristis abscedat. Paternas quascunque opes possides, captivos exinde liberabis et a jugo servitutis absolves. Si quis in conspectu vestro venerit, peregrinum se esse non sentiat. Cum juvenibus joculari (a), cum senibus tracta, si vis regnare nobiliter judicari (3).

EPISTOLA III

b AD TRES EPISCOPOS.

De Claudio presbytero, in cujus causa spreum se ab illis conqueritur.

Dominis vere sanctis et merito beatissimis in Christo fratribus, Heraclio, Leoni et Theodosio (4), Remigius episcopus

Paulus apostolus in Epistola sua loquitur: *Caritas nunquam excidit* (1 Cor. XIII, 8): quæ ut tales ad me literas mitteretis, in vestris sensibus non resedit. Nam

alios corrigere poterit, qui proprios mores ne iniqui sint non corrigi? Quoniam in *justitia regis exaltabitur solium, et in veritate solidabitur gubernaculum populorum*. Justitia vero regis est neminem iniuste per potentiam opprimere, sine personarum acceptione inter virum et proximum suum juste judicare, advenis et pupillis et viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos et histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas et perjurantes vivere non sinere, ecclesias defendere, pauperes elemosynis alere, justos super regni negotia constituere, senes et sapientes et sobrios consiliarios habere, magnorum et ariolorum pythonsarumque superstitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter et juste contra adversarios defendere, per omnia in Deo confidere, prosperitatibus animum non elevare, cuncta adversa patienter tolerare, fidem catholicam in Deum habere, filios suos non sine re impie agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas cibum non gustare: *Væ enim terræ, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt* (Eccli., x). Hæc regni prosperitatem in presenti faciunt, et regem ad cœlestia regna meliora perducunt. Qui vero regnum non secundum hanc legem dispensat, multas nimirum adversitates imperii tolerabit. Idcirco enim pax sæpe populorum rumpitur, et offendicula etiam de regno suscitantur, terra- rum

(4) *Heraclio*, Héraclius, évêque de Paris; *Leoni*, Léon, évêque de Sens; *Theodosio*, Théodose, évêque d'Auxerre.

pro Claudio fudi simplicem precem, quem vos non presbyterum scribitis, ut in me indignationem vestri pectoris proderetis. Illum non abnego graviter deliquisse: sed vos ætatis meæ, etsi non meritis, decuerat detulisse. Quod propitia divinitate sit dictum, quinquaginta et tribus annis episcopali sedi præsideo, et me appellavit tam procaciter nemo. Dicitis melius vos fuisse non natos (a). Hoc mihi fuerat opportunum, ne audissem transgressoris opprobrium. Ego Claudium presbyterum feci, non corruptus præmio, sed præcellentissimi regis testimonio, qui erat non solum prædicator fidei catholice, sed defensor. Scribitis canonicum non fuisse quod jussit. Summo fungimini sacerdotio. Regionum præsul, custos patriæ, gentium triumphator injunxit. Tanto in me rupistis felle commoti, ut nec episcopatus vestri detuleritis auctori. Rogavi ut Claudius sacrilegii perpetrator poenitentiae servaretur. Legimus namque (Jon. iii, 5-10), legimus quod excidium cœlesti denuntiatione predictum evaserunt per poenitentiam Ninivitarum: quod Joannes præcursor Domini in Evangelio prædicavit (Math. iii, 2), ut, regno appropinquante cœlorum, eam populi agerent ne perirent. In Apocalypsi, (Cap. ii, 5 et seq.), angelis ecclesiarum scribitur ex præcepto Domini salvatoris, ut quæ digne minus egerant, poenitentiam satisfactione corrigerent. De iracunda dictione sanctitatis vestræ intelligo (b) quod lapsum non misereamini post ruinam. Sed magis velle vos video ne convertatur et vivat, cum Dominus dixerit: *Nolo mortem morientis, sed ut convertatur et*

* Exstat in laudata *Concil. Collect.* tom. V, pag. 749. Eandem recitat refertque Cointius loco citato ad annum 495, § 4.

(a) Sic recte Cointius. Deest improvide particula negativa in *Concil. Collect.*, ubi et mox male, *Er-go Cl.*

(b) Apud Cointium non bene, *interrogo.*

(c) Contumeliose propter seniores ætatem Remigium vocarunt *Jubileum* illi episcopi, quod scilicet quinquaginta et amplius annos in episcopatu transegisset. Eodemque nomine propter senectutem per contemptum a multis solitum vocari beatum antistitem testantur Hincmarus in *Vit. Remig.*, et Flodoardus *Hist. Eccl. Remens.* lib. I, cap. 17, sub iuit.

rum quoque fructus diminuuntur et servitia populorum præpediuntur, multi et varii dolores prosperitatem regni inficiunt, carorum et liberorum mortes tristitiam conferunt, hostium incursus provincias undique vastant, bestiarum armentorum et pecorum greges dilacerant, tempestates veris et hiemis turbantur, terrarum quoque fecunditatem, et maris ministeria prohibent, et aliquando fulminum ictus segetes et arborum flores et pampinos exurunt. Super omnia vero regis injustitia non solum præsentis imperii faciem fuscant, sed etiam filios suos et nepotes, ne post se regni hereditatem teneant, obscurant. Propter piaculum enim Salomonis regnum domus Israel Dominus de manu filiorum ejus dispersit, et propter justitiam David regis lucernam de semine ejus semper in Jerusalem relinquit. Ecce quantum justitia regis sæculo valet, intuentibus perspicue patet. Pax enim populorum est, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languiorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fecunditas solatium pauperum hereditas filio-

rum, et sibi metipsi spes futuræ beatitudinis. Attamen sciat rex, quod sicut in throno hominum primus constitutus est, sic et in pœnis, si justitiam non fecerit, primatum habiturus est. Omnes namque, quoscunque peccatores sub se in presenti habuit, supra se modo implacabili in illa pœna futuro habebit. » (*Opera Hincmari*, edit. de Sirmond, tom. I, pag. 5.)

Servata auctoritate regiminis ad cor nostrum sine cessatione redeamus, et consideremus assidue quod sumus æqualiter cum cæteris conditi, non quod temporaliter cæteris prælati. Potestas enim quanto exteriori eninet, tanto premi interiori debet, ne cogitationem vincat, ne in delectatione sui animum rapiat, ne jam sub se mens eam regere non possit, cui se libidine dominandi supponit. Bene David regni potentiam regere noverat, qui elationem ejusdem potentie semetipsum premendo vincebat dicens: *Domine, non est exaltatum cor meum* (Psal. cxxx); quique in ejus humilitatis augmento subjunxit: *Neque elati sunt oculi mei*, atque addidit: *Neque ambulavi in magnis*. Et adhuc semetipsum subtilissima inquisitione discutiens ait: *Neque in mirabilibus super me*. Omnesque etiam cogitationes suas a fundo cordis exhauriens, subjungit dicens: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam...* subtilissima namque ars vivendi est, culmen tenere, gloriam reprimere; esse quidem in potentia, sed potentem se esse nescire; ad largienda bona potentem se agnoscere, sed ad repetenda noxia omne quod potenter valet ignorare. Recte itaque de talibus dicitur: *Deus potentes non abjicit, cum et ipse sit potens* (Job xxxvi). Deum quippe imitari desiderat, qui fastigium potentie, alienis intentus utilitatibus, et non suis laudibus elatus administrat: qui prælatus cæteris prodesse appetit non præesse (*Ibid.* pag. 7).

EPISTOLA IV.

B * AD FALCONEM EPISCOPUM TUNGRENSEM (1).

Arguit illum quod in Mosomagensi (2) Ecclesia jurisdictionem sibi adversus Remensis Ecclesiæ jura usurparit.

Domino vere sancto et in Christo beatissimo fratri, Falconi episcopo Remigius episcopus.

Quantum comperi, rebus gestis probavi, prius curæ beatitudini tuæ fuit, ut mihi inferres injuriam, quam salutationem deferres. O conveniens principium quod dedisti, ut laderes episcopus ante me, quam episcopum te viderem! Nimum cito pennis tenerulis evolasti, levitate animi, non maturitatis consilio. In ipso siquidem episcopatus exordio jus ingredi tentas alienum, qui adhuc tuum verecunde debueras introire. Fas ergo fuit ut illicitis ordinationibus tuis

C rom, et sibi metipsi spes futuræ beatitudinis. Attamen sciat rex, quod sicut in throno hominum primus constitutus est, sic et in pœnis, si justitiam non fecerit, primatum habiturus est. Omnes namque, quoscunque peccatores sub se in presenti habuit, supra se modo implacabili in illa pœna futuro habebit. » (*Opera Hincmari*, edit. de Sirmond, tom. I, pag. 5.)

Servata auctoritate regiminis ad cor nostrum sine cessatione redeamus, et consideremus assidue quod sumus æqualiter cum cæteris conditi, non quod temporaliter cæteris prælati. Potestas enim quanto exteriori eninet, tanto premi interiori debet, ne cogitationem vincat, ne in delectatione sui animum rapiat, ne jam sub se mens eam regere non possit, cui se libidine dominandi supponit. Bene David regni potentiam regere noverat, qui elationem ejusdem potentie semetipsum premendo vincebat dicens: *Domine, non est exaltatum cor meum* (Psal. cxxx); quique in ejus humilitatis augmento subjunxit: *Neque elati sunt oculi mei*, atque addidit: *Neque ambulavi in magnis*. Et adhuc semetipsum subtilissima inquisitione discutiens ait: *Neque in mirabilibus super me*. Omnesque etiam cogitationes suas a fundo cordis exhauriens, subjungit dicens: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam...* subtilissima namque ars vivendi est, culmen tenere, gloriam reprimere; esse quidem in potentia, sed potentem se esse nescire; ad largienda bona potentem se agnoscere, sed ad repetenda noxia omne quod potenter valet ignorare. Recte itaque de talibus dicitur: *Deus potentes non abjicit, cum et ipse sit potens* (Job xxxvi). Deum quippe imitari desiderat, qui fastigium potentie, alienis intentus utilitatibus, et non suis laudibus elatus administrat: qui prælatus cæteris prodesse appetit non præesse (*Ibid.* pag. 7).

(1) *Tongres*, dont le siège était déjà fixé à Liège.

(2) *Mouzon*, petite ville du diocèse de Reims.

a te credideris occupandam loci Mosomagensis Ecclesiam, quam metropolitani urbis Remorum sub ope Christi sua semper ordinatione rexerunt? Adhuc arbitror tua nescis, et jam aliena pervadis. In qua igitur cum levitas feceris, presbyteros consecraris, archidiaconos institueris, primicerium scholæ clarissimæ, militiæque lectorum; non queror quod me consilio inter ista non videris, utinam te vidisses! Si enim canones tua sanctitas ignorabat, satis præpropere fuit, ut transgredereis antequam disceres. At vero ecclesiarum statuta si noveras, tanto gravius tantoque periculosius insipientia tua (a) priscorum magnificorumque pontificum decreta calcavit. Cave qui aliena præsumis, ne quod habere videris, amittas. Cum factæ ordinationis jura non consent, quo potissimum consilio sacerdotalis officii tirocinia defensabis, si temerariæ transgressionis admissum pertinacia vel impotentia miscueris? Majoris discriminis erit antiquam sanctionem fuisse violatam, quam laus sit loco stare contra canones quos creasti. Sed quid de eorum loquar ordinibus, quos a beatitudine tua licuit promoveri? Plus illud est, quod si juxta majorum statuta severitatemque discutimus, non minus quam status illorum, vester veniet episcopatus in dubium. Dominus in Evangelio dicit ad Petrum: *Simon Joannis, diligis me?* et Petrus: *Etiâ, Domine, tu scis quia amo te* (Joan. xxi, 15). Cui bis terque a Domino sub hac responsione præcipitur: *Pasce oves meas*. Ego quia oves Christi pascere, omnimodis imperitus, alimonie cœlestis ubertate non possum; qui ex sacris eruditionibus eruditus, eas quæ mihi Christo jubente traditæ sunt, ut pascos admoneo, ut invadas inhiheo. Aze semper ut te digna comitentur. Ecclesiæ quam divina dis-

pensatione merulsti præsidendam, deservi, et pro salute gregis dominici sollicitus pastor invigila. Utinam mediocritati meæ ista suppeterent, quæ in nomine Domini habere vos cupio! Sed quia desunt meæ, vel credita mihi sunt obsequia Salvatoris, salvari mercenario non requiro. Joannes in Apocalysi (Cap. ii, iii) septem quippe angelis suis comprehendit, et unicuique scribit Ecclesiæ. Facta igitur merita quæ præpositis: quæ probata corrigenda, castigat. Cum ergo sub vocabulo angeli tradatur actionis forma pontificicæ, dolco super tuæ præsumptionis audacia, ut jura permutes vetera novus, cauta temerarius, divina terrenus. Audiant nos, audiant quos elegeris sacerdotes. Sacerdotes tui ipsi nos audiant. Creatoris confido sententiam non pro te, sed in te, a judicantibus proferendam. Quis enim pro sensu sui probitate non improbet eum contra Ecclesiæ regulam prorupisse, qui debuerat Ecclesiæ regulam custodire? Mandas, ut audio, colonorum tibi tributa portari, et præcipis ut redditus deferantur agrorum. Datur intelligi quod ecclesiæ rem, non ecclesiam concupisti, quando sollicitus exquisitor exposcis, quæ ego ad quem jure veniebant, remisi potius quam quæsi. Nolo te lateat, levitas atque presbyteros, contra ordinem quos fecisti, ab ordine jam remotos. Perpendi enim quod a me non decebat admitti, quos a te non licuerat ordinari. Heu quantum me a cultus tui proposito repulisti, dum mavis perperam agere, quam fœdera fraternalia servare! Optaveram namque ut clericus permansisses, quia factus fueras vi sacerdos. Sed si mentem tuam cura ista non tangit, ego tamen pro sinceritate profiteor, quod animum non minus angit a te inexcusabiliter erratum, quam me fuisse contemptum.

(a) Remigius non inani auctoritate nitebatur. Inter canones enim apostolorum, qui numero tricesimus sextus est, juxta veterem editionem Dionysii Exigui, statuit *Episcopum non audere extra terminos proprios ordinationes facere in civitatibus et villis quæ illi nullo jure subjectæ sunt. Si vero convictus fuerit hoc fecisse, præter eorum conscientiam qui civitates et villas detinent, et ipse deponatur, et qui ab illo sunt ordinati*. Dissidium illud inter præsules sanctitate conspicuos haud diu duravit; et ecclesia Mesomagensis in parœcia Remensi permansit, COINT. loco citato.

(1) Mouzon faisant partie du diocèse de Reims,

Foulques ne pouvait y faire aucun acte comme évêque, sans le consentement de saint Remi. Voyez sur ce point le; conciles de Constantinople, de l'an 381, can. 2; de Carthage, de l'an 397, can. 20; de Rome, vers l'an 400, can. 15; d'Orange, de l'an 441, can. 10; d'Irlande, vers l'an 450, can. 30; de Calcéjoine, de 451, can. 20; de Tours, de l'an 461, can. 9; d'Epaone, de l'an 517, can. 5; de Lyon, de l'an 517, can. 4; de Clermont, de l'an 535, can 10; d'Orléans, de l'an 538, can. 15; d'Herford, de l'an 673, can. 2., etc.

SANCTI REMIGII TESTAMENTUM *.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Gloria Domino † Amen.

Ego Remigius episcopus civitatis Remorum, sacerdotii compos, Testamentum meum condidi jure

prætorio, atque id codicillorum vice valere præcepi, si ei juris aliquid videbitur defuisse. Quandocumque ego Remigius episcopus de hac luce transiero, tu mihi hæres esto, sancta et venerabilis Ecclesia ca-

* Hoc Testamentum variis auctum interpolationibus exstat apud Flodoardum Hist. Rem. lib. 1, cap. 18; illudque recitat Brissonius de Formulis lib.

vii, nec non Miræus Opp. Diplom. et Hist. tom. I, sub init. At genuinum hujus Testamenti exemplar tandem prodiit Jo. Jac. Chiffletii studio in disquisi-

tholica urbis Remorum. Et tu, filii fratris mei, A Lupe episcopo (quem præcipuo semper amore dilexi). Et tu, nepos meus Agricola, presbyter, qui mihi obsequio tuo a pueritia placuisti, in omni substantia mea quæ mea sorte obvenit antequam moriar, præter id quod unicuique donavero, legavero, darive jussero, vel unumquemque vestrum voluero habere præcipuum. Tu sancta heres mea, Remensis Ecclesia, colonos quos in Portensi habeo territorio, vel de paterna maternaque substantia, vel quos cum fratre meo sanctæ memoriæ Principio episcopo commutavi, vel donatos habeo, possidebis. Dagaredum, Profuturum, Prudentium, Tenuaicum, Maurilionem, Baudoleifum, Projunciolum, Niviatenam, Lautam, Suffroniam colonas, Amorum quoque servum tuo dominio vindicabis: nec non agros quos possideo in solo Portensi, cum partibus, pascuis, silvis, ad te testamenti hujus auctoritate revocabis. Futuro episcopo, successori meo, (a) amphibalum album paschalem reliquo, stragula columbina duo, vela tria, quæ sunt ad ostia diebus festis triclinii, cellæ et culinæ. Vas argenteum decem et octo librarum, inter te, hæres mea, et diocesi tuam Ecclesiam (b) Lugdunensem, factis patentis atque calicibus ad ministerium sacrosanctum, prout volui, Domino annuente distribui. Aliud argenteum vas, quod mihi domnus illustris memoriæ Miodowicus rex, quem de sacro baptismatis fonte suscepi, donare dignatus est, ut de eo facerem quod ipse voluisset, tibi heredi meæ Ecclesiæ supra memoratæ jubeo terriculum et imaginatum calicem (c) fabricari; quod faciam per me, si habuero spatium vitæ; si ante clausero ultimum diem, tu, filii fratris mei, Lupe episcopo, species ante

dictas tui ordinis memor efficias. Compresbyteris meis et diaconibus qui sunt Remis, (d) viginti et quinque solidos æqualiter dividendos in commune dimitto. Vitis plantam super vineam meam ad suburbanum positam, simili modo communiter possidebunt cum Melanio vitatore, quem do in loco ecclesiastici hominis Albovichii, ut Albovichius libertate plenissima usufruatur. Subdiaconibus solidos duos, lectoribus solidos duos, ostiariis et junioribus solidos duos jubeo dari. Pauperibus in matricula positibus ante fores ecclesiæ expectantibus sti em, duo solidi, unde se reficiant, inferentur. De Vulcivico Frumimium, Degaleifum, Dagaredum, Ductionem, Baudovicum, Uddulfum, Vinofefam, liberos esse præcipio. Tennaredus, qui de ingenua nascitur matre, statu libertatis utatur. Tu vero, filii fratris mei, Lupe episcopo, tuo dominio vindicabis Nifastem, et matrem suam Nuciam (e): vineam quoque quam Enias vitator colit. Eniam et Monulfum ejus filium juniorem jubeo libertate perfungi. Mellovicum porticarium, et Paschasiolam conjugem suam; Vernivianum cum filiis suis, excepto Widragasio, cui tribuo libertatem, tuo juri deputabis. Servum meum de Cessurnico tuum esse præcipio. Agrorum partem ad te, quam frater meus Principius episcopus tenuit, cum silvis, pratis, pascuis revocabis. Servum meum quem Mellonicus tenuit, Viteredum tibi derelinquo (f). Teneursolum, Capalinum et uxorem suam Teudorosenam, tuo juri dominioque transcribo. Teudonivia quoque ex mea præceptione sit libera. Edoveifam quæ homini tuo sociata fuit, et ejus cognationem retinebis. Uxorem Aregildi et cognationem suam ingenuos esse jubeo. Partem meam de prato, quod Lug-

tionem de Ampulla Remensi, sed aliquot mendis deformem, quas ope senioris apographi sustulit Philippus Labbeus in Nov. Bibl. nss. librorum tom. I, p. 806. Item apud Cointium occurrit in *Annal. eccl. Franc.* ad ann. 555, § 50, tom. I, pagg. 407 seqq. In eo autem describendo editionem Labbeanam seculi sumus. Porro de hujusce integritate monumenti videsis Pagium ad ann. 524, § 9, et ad ann. 541, § 11.

(a) Indumentum aliquod designat a Græco ἀμφιβάλλω, circumpono, operio, induo, ut observat Colvenerius in scholiis ad primum librum Flodoardi. Octavius Ferrarius lib. II de Re vestiaria, cap. 12, scribit fuisse genus aliquod vestimenti ad instar kene, non multum chlamydi absimilis, quod veteres *amphimallum* appellabant. Planetam interpretatur Andreas Saussaius in *Panoplia cleric.* part. I, lib. V, cap. 5. Nam olim planeta tota rotunda erat, totum mystam ambiens; adeo ut cum sacris operaretur, necesse esset limbam utrumque ad dextram et levam super celebrantis brachia complicare. Unde mos ille ortus videtur, quo etiamnum solemus sacerdotis hostiam divinam ac salutis perpetuæ calicem attolentis, oram casulæ seu planetæ aut penulæ elevare, ne celebranti incommodum afferat onere suo; quamvis vix jam opus sit id facere, planeta utrinque dissecta a dextro et sinistro latere: adeo ut qui tremenda agit mysteria, expedite laceratos manusque moveat, exseratque sine ullo obice. *Coint.* loco citato ad ann. 553, § 52.

(b) In multis exemplaribus prædicti Testamenti leguntur *Lugdunum* et *Lugdunenses*, in aliis *Laudunum* et *Laudunenses*. Retinuimus quidem *Lugdunum* et *Lugdunenses*; sed monitum te volumus Lugdunum

Clavatum, *Laon*, intelligi, quod subest metropoli Remensi; non autem Lugdunum Segusianorum, *Lyons*, quod est caput Gallie Celtice. *Id. ibid.*, § 51.

(c) Labb., *turribulum*. At Colvenerius ad Flodoardum lib. I, cap. 18, *Hist. Remens. Eccl.* legit prout edidimus. Neque aliter Cointius, qui loco citato, § 53, ad hunc locum hæc observat: « Difficultas oboritur, inquit, circa *terrillum* et *imaginatum calicem*. Nam *turriculi* loco *turribulum* quidam reponunt; alii *turriculam*, contra fidem veterum exemplarium, quibus standum putamus cum Colvenerio, cui calix *turriculus* idem est ac *turritus* seu *turriculatus*, atque ita dictus a figura; ut et *imaginatus*, quia sculptis sacris imaginibus est insignitus. Quod hodie *cibarium* vocamus, antiqui *turrim* dixerunt. Testis Gregorius Turonensis, apud quem lib. I, cap. 86, de Gloria martyrum, hæc leguntur: *Acceptam turrem diaconus in qua mysterium dominici corporis habebatur, ferre cepit ad ostium*. Testis et ipsemet Flodoardus *Hist. Remens. lib. II, cap. 6*, a quo laudatur Lando Remensis episcopus, quod *turrim auream quam ad votum suum fabricari fecerat, super altare posuit S. Mariæ Remensis ecclesiæ*. »

(d) Solidorum quantitas numero quadraginta denariorum computatur, sicut tunc solidi agebantur, et in Francorum lege Salica continentur, et generaliter in solutione usque ad tempora Caroli perduravit, velut in ejus Capitulis invenitur. *Labb.* loco citato, pag. 806.

(e) Ita legitur cum Cointio; ubi Labbeus habet *mutam*; mendose, ut videtur.

(f) Pronomen *tibi*, quod deest apud Labbeum, ex Cointio restitui.

duni juxta vos habeo, ad imitatem montium posito, **A** et quæ Jovia sunt pratella, quæ tenui, ad te revocabis. Tibi autem, nepos meus Agricola presbyter, qui intra domesticos meos parietes exegisti pueritiam tuam, trado atque transcribo Merumvastem servum, et uxorem suam Menatenam, et eorum filium nomine Marcovicum. Ejus fratrem Medovicum jubeo esse liberum. Amantium et uxorem suam Daero, tibimet derelinquo: eorum filiam esse præcipio liberam **D** ~~Daerindam~~. Alaricum servum tuæ deputo portioni: **C** ~~cujus uxorem quam redemi et manumisi, commendo ingenuam defendendam~~. Bebrimodum et uxorem suam Moram tue dominio vindicabis. Eorum filius **B** ~~Monacharius~~ gratulabitur beneficio libertatis. Mellanicum et uxorem suam Placidiam ad tuum dominium revocabis: **B** ~~Medaridus~~ eorum filius sit libertus. Vineam quam Mellaricus Lugduni facit, tibi dono, Brittobandem servum meum, ~~hæc non etiam~~ Gibericum. Vineam quam Bebrimodus facit, ~~tibi etiam~~ derelinquo, ut diebus festis et omnibus ~~dominiis~~ dominicis sacris altaribus mea offeratur oblatio, atque ~~annua~~ convivia Remensibus presbyteris et diaconibus præbeantur; delegoque nepoti meo Prætextato Moderatum, Tottionem, Marcovicum, Innocentium servum quem accepi a Profuturo originario meo, cochlearia quatuor de majoribus, acetabulum, lacernam quam mihi Tribunus Friaredus dedit, et argenteam tabulam figuratam. Fillole illius Paronio acetabulum, et tria cochlearia, et casulam cujus sumbrias commutavi. Renigiæ cochlearia tria, quæ meo sunt nomine titulata: mantele ipsius quod habeo feriale, transcribo: **C** ~~hichinaculum quoque dono illi, de quo Gundobado dixi~~. Delegoque benedictæ filię meæ Helariæ diaconæ ancillam nomine Noram, et vitium pedaturam quæ suæ jungitur vineæ quam Cattusio facit, dono; et partem meam de Tæl, usciaco transcribo pro obsequiis quæ mihi indesinenter impendit. Aetio nepoti meo partem de Cessurnico quæ mihi sorte divisionis obvenit, cum omni jure quod tenui atque possedi; Ambrosium quoque puerum ad jus illius dominiumque transmitto. Vitalem colonum liberum esse jubeo, et familiam suam ad nepotem meum Agathimerum pertinere, cui vineam dono quam posui Vindonissæ, et meo labore constitui: sub ea conditione ut a patribus suis omnibus diebus festis ac dominicis pro commemoratione mea sacris altaribus offeratur oblatio, et Lugdunensibus presbyteris atque diaconibus **D** ~~annua~~ convivia, concedente Domino, præbeantur. Dono ecclesiæ Lugdunensi solidos decem et octo, quos presbyteri et diaconi inter se æquali divisione distribuunt. Partem meam de Secia ex integro ad se revocet ecclesia Lugdunensis. Commendo sanctitati tuæ, filii fratris mei, Lupe episcopi, quos libertos esse præcipio, Carthusionem et Auliatevam conjugem suam; Nonnionem, qui meam vineam facit; Sunnoveifam, quam captivam redemi, bonis parentibus natam, et ejus filium Leuberedum; Mellaridum et Mellatevam; Vasantani coquum, Cesariam, Dagara-

sevam et Baudorosevam Leonis neptem, et Marcoleifum filium Tottionis: hos totos, filii fratris mei, Lupe episcopi, sacerdotali auctoritate liberos defendabis. Tibi autem hæredi meæ ecclesiæ Flavianum et uxorem suam Sparagildem dono: eorum filiolam parvulam Flavarasevam liberam esse constitui. Fedamiam uxorem Melanii, et eorum parvulam, Remenses presbyteri et diaconi possidebunt. Cispicolum colonum liberum esse præcipio, et ad nepotem meum Aetium ejus familiam pertinere, ad utrumque, id est, ad Aetium et Agathimerum pervenire coloniam Passiacum. Pronepoti meæ Prætextatæ dono Modorosevam. Profuturo, Leudocharium puerum trado. Profuturæ dari jubeo Leudoveram. Lugdunensibus subdiaconibus, lectoribus, ostiariis et junioribus quatuor solidos derelinquo. Pauperibus in matricula positus solidus dabitur ad eorum refectorem; delegoque octo solidos ecclesiæ Sussionum pro commemoratione nominis mei; Catalaunensi ecclesiæ solidos sex, Mosomagensi solidos quinque, Vongensi agrum apud officinam molinarum, quæ ibi est constituta; Catarigensi ecclesiæ solidos quatuor, totidemque Portensi pro commemoratione mei nominis inferentur. Ursi archidiaconi familiaribus usus obsequiis, dono ei domi textilis casulam subtilem, et aliam plenioram; duo saga delicata, tapete quod habeo in lecto, et tunicam quam tempore transitus mei reliquero meliorem. Hæredes mei, Lupe episcopi, et Agricola presbyter, porcos meos inter vos æqualiter dividetis. Friaredus quem ne occideretur, quatuordecim solidis comparavi, duos concessos habeat: duodecim det ad basilicæ domnorum martyrum Timothei et Apollinaris cameram facienlam. Hæc ita do, ita lego, ita testor. Cæter omnes, exhæredes estote, suntote. Huic autem testamento meo dolus malus abest, aberitque. In quo, si qua litura vel charaxatura fuerit inventa, facta est me præsentem, dum a me relegitur et emendatur. Actum Remis die et cœnsule supra scripto, intercedentibus et mediis signatoribus.

† Remigius episcopus testamentum meum relegi, signavi, subscripsi, et in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Domino adjuvante complevi.

V. C. Pappolus interfui, et subscripsi.

V. C. Rusticolus interfui, et signavi.

V. C. Eulodius interfui, et signavi.

V. C. Eutropius interfui, et signavi.

V. C. Eusebius interfui, et signavi.

V. C. Daweus interfui, et signavi.

Post conditum testamentum, imo signatum, occurrat sensibus meis, ut basilicæ domnorum martyrum Timothei et Apollinaris missorium argenteum sex librarum ibi deputem, ut ex eo sedes futura meorum ossium componatur.

• VERSUS A. B. REMIGIO DEDICATI,

Ejusque jussu in vase argenteo inculpti ad usum venerabilis sacramenti Euchuristiæ.

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro,

• Nos versus recitat Flodoardus in Hist. Remens. lib. 1, cap. 10.

Injecto æternus quem fudit vulnere Christus.
Remigius reddit Domino sua vota sacros. erdos.

• EPITAPHIUM REGIS CLODOVEI

A sancto Remigio, ut fertur, compositum.

Dives opum, virtute potens, clarusque triumpho
Candidit hanc sedem rex Clodoveus : et idem
Patricius magno sublimis fulsit honore.
Plenus amore Dei, contempsit credere mille
Numina, quæ variis horrent portenta figuris.

* Exstat hoc epitaphium apud Aimoinum de gestis Francorum lib. 1, cap. 25. Idem exscripsit ex Aimoino Baronius ad ann. 514, § 28. De eo videtur Continuum in Annal. eccl. Franc. ad ann. 511, § 60, et Pagium ad ann. 514, § 10.

A Mox purgatus aquis, et Christi fonte renatus,
Fragrantem gessit, infuso chrismate, crinem.
Exemplumque dedit, sequitur quod plurima turba
Gentilis populi : spretoque errore suorum
Auctorem est cultura Deum, verumque parentem.
His felix meritis superavit gesta priorum :
Semper consilio, castris, bellisque tremendus :
Hortatu dux ipse bonus, ac pectore fortis,
Constructa acies firmavit in agmine primus.

ANNO DOMINI DXXXIV.

MARCELLINUS COMES

Cujus chronicon videtur Patrologiæ nostræ tomo LI, col. 913, ubi illud S. Prosperi et Idatii episcopi chronicis propter analogiam subjunximus.

INDEX

OPERUM S. FULGENTII.

A

ABRAHAM amicus Dei fidelis, et gentium fidelium pater, 29. Abraham et Lazarus pauperes et divites, 477. Abraham rur servum suum sub femore suo manum ponere, et jurare per Deum cæli præceptum, 239, 290. Illud spiritu prophetico fecisse credendus, *ibid.* Abraham construxit altare, sacrificaturus non soli Patri, sed ei Filio, 28. Abraham illi Deo construxit altare qui ei visus est, 29. Hunc Filium Ariani dicebant, *ibid.* Abraham circumcisionis sacramentum cum tremenda parvulorum conminatione mandatum, 505. Abraham justificatus, non ex operibus, *ibid.* Abraham Deus jurat per semetipsum, 66.

ABSAŁON. Affectus David in Absalon ex Deo, 417. Nec tamen ex Deo fuit quod Absalon futuræ poenitentiae servaretur, *ibid.*

Acceptio personarum in Deo non est, 282 *et seq.*

ADAM quo in statu creatus a Deo, 281, 289, 327. Quasi gratia instructus ante peccatum, 298, 300. Non habuit autem peccatum arbitrii infirmitatem, 492. Non moriturus nisi peccasset, sed ad spiritalem statum immortalemque cum impeccabilitate transurus, 299. Status Adam innocentis, 336. Casus et liberatio, *ibid.* et 14. Non seductus mulieri consensit, 433, 497. Peccando fidem perdidit et Dei protectionem, 310, 311. Peccatum Adæ in posterum transmissum cum morte, 290, 437. Adam peccans se et suos peccato mancipavit, 436. Adæ peccatoris et posterorum ejus conditio, 435. Adami primi et secundi multiplex comparatio, 554.

Adoptivus Dei filius unum filiorum convenit nomen et una gloria, etsi diversa munera et diversa claritas, 114.

Adorare in monte quid sit, 105.

Adventus Dei est gratiæ manifestatio, 99. Non localiter fit, 52. Christi adventus in propria cui ascribendus, 405. Adventus Spiritus sancti non est localis, 53.

Æstimatio duplex in Scripturis, incertæ cognitionis et certæ scientiæ, 591.

Adam efferendo se peccatit graviter, 426.

Alimentum nostrum Christus, 547.

Alius discernit personam, non dividit essentiam Trinitatis, 62, 65.

Allocutio pro benedictione, 152.

Altare non ob aliud edificatur, nisi ad offerendum sacrificium Deo, 29, 639. Abraham construxit altare, non soli Patri, sed et Filio sacrificaturus, 29, 639 *et seq.* Isaac

quoque et Jacob eidem Deo qui visus est eis altare construxerunt, 50.

Ambrosius sedit post Auxentium Ariarium in episcopatu Mediolanensi, 556. Per Ambrosium imperatoris Gratiani fides firmata, *ibid.* Quid de supererogatione Pauli sentiat, 39.

Ambulare cum Deo quid sit, 576.

Amen. Accipiendo mysterium Domini audiebant fideles Corpus Christi, et respondebant Amen, 227. Quid utrumque que notet, *ibid.*

Amici Dei cur nunquam a Deo derelicti, 106.

Amor Creatoris vera beatitudo et sapientia creaturæ rationalis, 15. Amor inordinatus initium peccati, 16. Amor mundi cur vitiosus, *ibid.*

Ananie et Saphiræ cor Satanas implevit, quia aliquid de vi uterque retinuit, 149.

Angeli seu nuntii nomen etsi Filio specialim convenit, Patri tamen et Spiritui sancto appropriatur, 580, 591.

Angelorum creatio, eorum casus, et bonorum confirmatio, 14, 335. Angeli animabus nostris potiores, 125. Ex duplici eos constare substantia quorundam sententia, 355. Corpus bonorum æthereum dicunt, malorum vero æreum, *ibid.* Angeli a peccatis et passionibus alieni, 125. Immutabiles ex Dei dono, non ex natura, 89, 526. Bonorum angelorum stabilitas ex Dei dono, 90. Angeli boni aut mali creatores non sunt, 431. Cur quedam inaudita permittantur: angeli preduere, 419. Creatio hominum ut numerus angelorum de celo labentium suppleatur, 335. In malis angelis aversio a Deo initium damnationis, 514. Angeli et homines immortales, quia rationales, *ibid.* Loqui dicuntur lingua angelorum qui legem docentes non faciunt, quare, 35. Angeli mali Evæ seductoris, et angeli boni ad Mariam missi comparatio, 531. Angeli et homines ut beatitudinis donum acceperint, 511. In malis nunquam non erit mala voluntas, *ibid.* Angelorum mutabilitas, 513. Omnes potuissent labi, 90. Angelica natura hominis reparationi non sufficit, 89, 90. Quomodo angeli in Spiritum sanctum concupiscunt prospicere, 586, 587.

Anima, imago Dei, non genita, sed creata, non æqualis, sed similis, 335. Spiritum esse rationalem, non corpus, fides docet, 496. Anima in Scriptura ponitur pro toto homine, 291. De animarum origine variæ opiniones, 494, 495. S. Augustinus de animarum origine nullam voluit definitam proferre sententiam, 494. Fulgentius ab hujus questionis examine temperandum putavit, 273, 496. Anima homi-

num et brutorum in quo differant, 518. Animæ refectio et pinguedo quæ? 556, 557. Passiones tristitiæ, mœroris, timoris, etc., ad animæ substantiam pertinent, 126, 127. Anima cum carne in qua nascitur originale peccatum trahit, 496. Sponsa Christi anima potius quam caro, 77, 78. Anima quomodo in corpore, 515. Anima multo magis curanda quam corpus, 389. Omnia quæ prosunt animæ, et corpori prosunt, non e contra, 225. Nec caro sine anima pascitur, nec anima sine carne spiritualiter nutritur, 556. Deus in animas intrare credendus est cum in eas dicitur se transferre, 46. Anima diabolo consentiens adulteræ uxori similis, 427. Anima in corpore recipiet aut penam aut lætitiâ perpetuam, 596. Animam ponere dilectionis est proprium, 150. Animæ mors prima in peccato, secunda in stagno ignis et sulphuris, 23. Anima moritur, et per quid, 49. Animam illusionibus impleri quid sit, 179. Anima salvati non potuit, si anima Salvatori defuit, 77. Anima simul cum carne cur suscepta, 51. Animam in Christo veram fuisse unde asseritur, 125. Quomodo a dio habenda anima, 389.

Apollinarianæ negabunt rationalem animam in Christo, 367.

Apostoli inquit creatorum Dei, 55. Non soli dispensatores facti sunt, 547. Apostolos post Christum catholicæ fidei fundamentum esse quam certum, 554.

Apud pro in ponitur, 42 et seqq. Idem est apud Deum esse et in Deo, 46. In hominibus quæque quantum attinet ad substantiam quæ homines sunt, non aliud est esse apud quam esse in, 48. Hæc præpositio in Scripturis non semper aliquid exterius denotat, 45 et seqq.; sicut Deus a, ut fideliter manens in, sis est, sic Filius Dei, dum apud Patrem esse dicitur, in se esse credendus est, 46. Quam multa blasphemia ex hac duarum propositionum falsa interpretatione consequitur, 44.

Arborescimus in agro dominico, 548.

Arca Noe figura Ecclesiæ, 575. In eo quod extra ipsam nemo salvatus est, 530. Varia Augustini expositio de arca Noe, 40. Bicamerata fieri iubetur propter bipartitam multitudinem quam ex omnibus gentibus congregat Ecclesia; tricamerata, propter tres filios Noe quibus totus repletus est orbis, *ibid.* Arca Noe figura triduum graduum perfectionis in Ecclesia, 350.

Archelaus Herodis filius, mortuo patre regnavit, 559. Archelaus nati cum Christo nascente varia comparatio, *ibid.*

Ariani recte de personis divinis sentiant, vixit tres naturas serunt, 205. Ariani idololatriæ crimine se involvant, 516, 557. Duobus dominis serviebant, 625. Ariani Donato adolescentulo questionem proposuerunt in qua Patrem majorem et minorem Filium assererant, 198. Ariani sic dicunt, *Gloria Patri per Filium*, ut dicere nolint, *Gloria Patri et Filio*, quia in Christo sic attendunt officium sacerdotis ut nolint existitiam suscipere deitatis, 259, 644. Ariani Filium consueverunt dicere visum esse Abraham, 21. Ariani non Patrem, sed Filium Abraham jurasse dicunt: hinc convincuntur Filium esse Deum, quia qui Abraham visus est juravit per semetipsum, quia majorem non habuit per quem juraret, 68. Ariani in Christo unitatem negant substantiæ Patris, 547. Quidam ex ipsis dicebant baptizari non in nomine Spiritus Paracliti, sed in nomine alterius Spiritus, 622. Refelluntur, *ibid.* Ariani interrogandi: utrum eam fidem Deus suæ donaverit Ecclesiæ quæ Abraham Deo creatus placuit, an patriarcharum et prophetarum fidem retinentem adiciendam, 28. Arianosurum pro defendenda hæresi nova adinventio, 42. Ariani separabilem Trinitatem dicebant, quia solus Filius incarnatus est, 549. Ariani non solum Filium Dei de Patris substantia esse, sed et animam humanam eum habere negabant, 51. Ariani Deum majorem et Deum minorem agnoscebant, 515. Non in norem dicentes Filium assumptione carnis, sed natura divinitatis, 545. Ut diversam Patris et Filii substantiam doceant, omnes rerum corporearum formis Filio tantummodo existantem deputandas, 59. Ariani non bene minorem Patre et Filio Spiritum sanctum concludebant, quod non postularetur ipse ut descenderet, sed a Patre et Filio mittendum: cum nec inde Filium æqualem dicerent Patri quod ipse in Scripturis rogaretur ut descenderet, 625, 626. Ariani ita exponant hæc dicta, *Et Verbum erat apud Deum*, ut quod apud Deum esse dicitur in Deo esse negarent, 42. Ariani quod in Deo est, interius, quod apud Deum, exterius esse assererant, 44. Conflictus duorum Arianosurum super his propositionibus in eis apud, 42 et 45. Injepta Ariani de hinc harum propositionum in et apud, 45. Ariani non capiunt a tota Trinitate factum quod non fuerit a tota Trinitate susceptum, 558. In oblatione thuris confuditur Arianus qui soli Patri sacrificium deberi contendit, 502. Ariani Spiritum sanctum Deum esse negant, 294. Arianosurum ratiocinatio ratum contra, legi Dei iniqua, 45. Ariani catholicos vocant Monousianos, nec ipsi tamen Trinitatem dicitur volebant, 63.

Ariminensis perfidia vix reliquiis superestant tempore Fulgentii, 356.

Accusatus in sanctis Scripturis divinitus eruditus, 58. Sancti Augustini laus et gratia quæ eum roboravit petenda, 475. Sanctus Augustinus de hostibus triumphavit, et posteris certandi et vincendi ordinem, si quando victa gravitas redivo auu infandum caput erigere niteretur, ostendit, 475. Sanctus Augustinus præ cæteris Patribus in questionibus de gratia consulendus, 475. Sancti Augustini in rebus dubiis modestia, 491. Sanctum Augustinum legat omnia qui salutem æternam adipisci desiderat, 475. Sanctus Augustinus quo spiritu legendus, 475. Sermo sancti Augustini de sacramento ante alare, 226, 227. Liber sancti Augustini de Prædest. sanctorum a Fulgentio *Luculentissimus* appellatur, 25. Liber de Præsencia Dei, epistola clxxxvii, 245. Augustini libri ad Prosuperum et Hieronymum præ omnibus legendi iis qui gratia contradicunt, 275. Qui Enchiridion S. Augustini a multis dicitur, liber est de Fide, Spe et Caritate, 245. Sancti Augustini liber de Perfectione Justitiæ hominis, 4. Augustinus celestis præventus olitu Gallis non respondit, 25.

B

Babylon confusio interpretatur, 180. Filia Babylonis est omnis carnalis cupiditas, *ibid.* Baptismus datur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, 141. Baptismus a quibuscunque hæreticis et ubique collatus, modo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, non est iterandus, 520. Quia validus, etiam ad salutem non proficit, 624, 625. Formam pietatis habet, virtutem pietatis non habet, 624. Baptismi forma cur hæc, 298. De Baptismo in nomine Jesu Christi, 660, 661. Mysterium redemptionis humanæ nullatenus perficitur, si in Baptismo vel Filii vel Spiritus sancti vocabulum subtrahitur, 203. Ex eo unusquisque regeneratur in cujus nomine baptizatur, 141. Immensitas Trinitatis ex verbis Baptismi ostenditur, 110. Per Baptismum omnes etiam hæretici de Ecclesiæ jure fiunt, 578. Baptismus collatum ab hæreticis in nomine Trinitatis veritas est paterni seminis quod Ecclesia attendit, 578. Hæretici extra Ecclesiam baptizati de ancilla nascuntur, 375. Hæretici si extra Ecclesiam permanserint, Baptismus ponam merentur, non vitam, 575. Hæreticis ad Ecclesiam non redeuntibus cumulat Baptismus pernicies, 520. Sacramentum Baptismatis extra Ecclesiam est, sed nisi intra Ecclesiam catholicam non prodest, 529. Baptismus hæreticis non prodest ad salutem, 557. Etiam valide collatus, nec iterandus, *ibid.* Baptismus ab hæreticis acceptus tunc prodest cum ad Ecclesiam baptizatus revertitur, 519. Extra Ecclesiam nec Baptismus, nec elemosyna quantumlibet copiosa, neque mors pro Christi nomine suscepta proficere potest ad salutem, 550. Tanta est virtus sancti Baptismatis, ut omnia etiam qui originali superadiecta repererit peccata diluat, 225. Baptismi necessitas, 275, 519. In Baptismo amissa in primo homine adoptio filiorum reparatur per secundum hominem, 275. Omnis non baptizatus, etiam parvulus in utero matris moritur, æterni ignis supplicio puniendus, 525. Baptismus fidei et confessionis merces, 221. Sicut extra Ecclesiam non prosunt bona opera, sic nec in Ecclesia Baptismus sine bona vita, 520. Baptismus non prodest ad salutem non creditibus, 218. In adultis nec confessio sine Baptismo nec Baptisma prodest sine confessione, 225. Philippus prius ab Eunucho fidei confessionem poscit quam Baptismum tribuit, 221. Cur canones jubent infirmos alieno testimonio baptizari, 224. Quomodo qui baptizatur manducat carnem Filii hominis, 225 et seqq. Cur non baptizentur mortui, 225. Divini iudicii est quod Deus malas ita deserit voluntates, ut parentes de filiorum regeneratione non curent, 446. Parentum sanctam pro parvulis baptizandis sollicitudinem ipse infundit quam ad effectum quandoque non perducit, 417. Quandoque per Baptisma salvatur parvulus infidelium et impiorum, et sine Baptismo damnatur parvulus infidelium et impiorum parentum, cur, 447. Negligentiam parentum qua fit ut infans non baptizatus pereat Deus non operatur, 446. Honorum parentum sollicitudo pro Baptismo filiorum parentibus et filiis proficit ad salutem, 415. Exorcismis quasi moluntur, Baptismo quasi consperguntur, Spiritus sancti igne quasi coquantur fideles, ut sint quod accipiunt, 227. Quæ ante Baptismum in Ecclesia geruntur hominem concipi faciunt, non renasci, 224. Scrutinium et exorcismi aut Baptismum, 214. Symboli recitatio et Orationis Dominicæ, 214. Eodem Spiritu renati sumus ex quo Christus natus est, 508. In aqua diluvii præfigurabatur baptismus sacramentum, 375. Sicut per aquas priores extra arcam positi, sic et hæretici per Baptisma, *ibid.*

Beatitudo. Creaturæ rationales alia beatitudo nec potuit nec potest esse nec poteri, nisi ut agnoscent a quo etiam rationales est facta majorum dilectionem exhibeat creatori quam sibi 14 15. Quinam felices æternam futuri sint,

382 In patria nulla erit indigentia aut labor, sed perfecta requies et satietas, 181. Octo beatitudines monilia sunt sanctarum virginum, 176. Christi virgo debet octo beatitudines in gradu perfecto possidere, 175, 176.

Beelezebub princeps musca unum interpretatur, 430.

Benevolus. Hoc nomen *benevolus* ex bene et velle compositum est, 184.

Bortanus episcopus, 286.

Boni de majorum perversitate gemunt, 373. Nec bonis praesumendum, nec malis desperandum, 357.

Boni fideles etiam a catholicis ecclesiasticis traditioni non ore, sed opere repugnantibus persecutionem patiuntur, 375.

Bonum aliis faciendum, 374, 375 *et seq.* Quod summe est summum bonum est, 424. De quibus et de quo bono dictum sit, *Non est qui faciat bonum*, 4. Quid sit recipere bona in vita sua et recipere mala, 195. Bona et mala hujus vitae bonis et malis communia, 428. Non omnes qui bona praesentis vitae habent bona praesentis vitae recipiunt, 195. In justis et injustis quaecunque bona et justa Deo danda, 12. Deo in nobis operante sit omne bonum quod facimus, *ibid.* Tunc in bonis perseverabimus et proficiemus, si quidquid habemus bonae voluntatis et operationis Deo assignemus, 189. Nulla creata substantia sive humana, sive angelica, potest nobis omnem boni sufficientiam subministrare, 178.

Brachium Domini divinitas Filii Dei, 134, 135.

C

CÆCITAS. Nihil est aliud ex-cæcari, quam lumine privari, 371. Cordis cæcitas et quid credat et quid agat ignorat, 198. Sicut per luminis infusionem cæcitas oculi expellitur, ita per remissionem peccatorum cæcitas cordis, 371.

Calix. Divisionem calicis Dominus discipulis dedit, quia ipsis docentibus sancta Ecclesia cognitionem hujus divisionis accepit, 286. Dicit autem ut inter se dividant, id est, in unitate Spiritus et vinculo pacis, *ibid.* Variæ sententiæ de calice quem Lucas narrat datum discipulis, et quid uterque significet, 201. Fulgentius significat utrumque Testamentum, *ibid.* Calix prior dividendus præcipitur, non posterior, quare, 165. Calicis nomine intelligitur etiam perfecta caritas, qua si desit opportunitas tolerandæ mortis, nihil tamen desit ad tolerandam poenam, ad contemnendam vitam, et ad mortem pro Christi nomine subeundam, 264. Quia in posteriori Novum Testamentum, in priori Vetus intelligendum, *ibid.* Calicis nomine illis locis gratia passionis significatur, 262. Calix quem accepturum se David dicit nihil aliud est quam mors sanctorum, 263.

Capere. In spiritualibus hoc est capere quod videre, nec aliud est videre quam intelligere, nec intelligere aliud quam nosse, 236.

Caritas ipsa est dilectio, 183. Caritas est omnium fons et origo bonorum, 558. Laudes caritatis, 42. Deus caritas est, et caritas ex Deo, 190, 344, 465. In spiritualibus donis primus fructus est caritas, 182. Dilectio Dei et proximi plenitudo legis finisque præcepti, 185. Caritas de caelo ad terras Christum deposuit, 556. Caritas excellentia est, quod qui eam habet in corde nunquam valet sermonibus explicare, 182. Tantum augetur caritas, quantum fuerit imminuta cupiditas, 565. Utriusque comparatio, *ibid.* Dilectionem seu caritatem non diligit qui eam habere non cupit, 185. Caritate si quis uretur nihil prodest nisi diligit, 182, 185. Caritas ubi habitare coepit, non permittit dominari peccatum, 196. Prophetandi donum diligi potest nec haberi, caritas non diligitur nisi habeatur, 185. Caritas munimen egregium, 558. Caritas est via quæ ducit ad cælum, *ibid.* Caritas de terra ad cælum Stephanum sublevavit, 555. Caritas in Stephano et Paulo regnum meruit cælorum possidere, 557. Caritate armatus Stephanus Judæorum furorem superavit, 558. Gratia Christi quæ ostendit in matre virginitatis æternæ miraculum, demonstravit in martyre Stephano victicæ caritatis indicium, 556. Perseverantiam caritatis in Stephano si quis bonus est debet imitari, 557. Sancta et indefessa Stephani caritas desideravit orando acquirere, quos nequivit monendo convertere, 556. Caritas augmentum non diligit qui non habet ejus initium, 183. Nisi Deum accipiamus, eum dilgere non valeamus, 463. Homo benevolus domicilium caritatis, 183. Omne animal irrationabile sicut non habet rationem, sic non habet caritatem, 185. Numerorum multitudo sine nummo diligi potest, caritatis augmentum sine caritate non potest, 183. Quisquis secundum caritatem quæ Deus est diligit fratrem, ipsam in eo quam maxime diligit caritatem, 184. Caritas voluntatem in qua fuerit, malam fieri non permittit, 185. Caritas lucra et commoda, 563. Caritas et misericordiæ ordinem non tenet qui animæ suæ male vivendo interitum infert, 388. Proximi caritas in quo consistat, 375. In caritate alius alius præferendus, nemo tamen excludendus, 564. Sic debemus in caritate crescere

invicem diligere dum vivimus, sicut eam jubemur semper debere reddendo, 563. Tunc homo diligit proximum, si proximo quantum potest consulat, ut ad Deum recta fide et bona conversatione perveniat, 375. Proprium est caritatis ut in eo qui eam erogat, crescat; ab eo autem qui sibi tantum eam habere vult, discedat, 184. Caritas onus non gravat, 42. Omnia spiritalia dona si sine caritate habentur, onerant, non honorant, 183, 620. Vera rationalis creaturæ sapientia et intelligentia est creatoris dilectio, 15. Caritas ordinari præcipitur ut peccatum vitetur, 16. Caritas rectæ fidei debet jugiter adhaerere quæ studio et efficacia bonorum operum cooperit multitudinem peccatorum, 286. Dei dilectio major quæ propria minor, 15. Ratio præcipua competens est atque ordinata dilectio, 183. Qui accipit mysterium unitatis et non servat vinculum caritatis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se, 227. Quæ dementia separabilem caritatem dicere quæ separatas mentes inseparabili solet amore sociare? 344. Caritatis effectus remissio peccatorum, 563. Caritatem repudiant qui de peccatorum remissione desperant, 190. Christus male quondam liberos a peccati servitute voluit liberare, ut nos doceret invicem libera caritate servire, 163. Cui caritas debeat, 564. Nemo est fidelium qui sic sibi caritatem flagitet reddi, ut ipse non illam suo debeat reddere debitori, 164. Debitum caritatis solum est quo absolvi non licet in hac vita, 565. Cum caritas redditur plus debetur, 564. Et eo magis acquiritur quo redditur cum debetur, *ibid.* Etiam ad inimicos extendi debet, 564, 565. Christi caritate compulsi et bonos hortantur ut in bono permaneant, et malos compellimus ut a malo discedant, 557. Sancta Trinitas faciens in homine mansionem in eo multiplicat dilectionem, 411. In diversa dilectione non est cordis simplicitas, *ibid.* In dura negatione et responsionis diuturna dilatione Deus quandoque offendet, 163. Christiana caritas utrobique operis sui partes exhibet ut et sufficientiam Dei humiliter agnoscat et indigentiam servili patienter ignoscat, 163. Caritas donum Dei, cupiditas laqueus diaboli, 565. Caritas principale Spiritus sancti donum, 54. Cor mundum caritatis domicilium ex Apostolo, 565. Caritatem non omnes qui mirantur et laudant, statim diligunt, 182. Sanctum debitum nec reddere aliquatenus quis vult, nisi misericors Deus donet ut velit, 163. Demones dum credunt videntur habere fidem, sed nihil eis prodest quia non habent caritatem, 55. Sine caritate quisquam sonum dare potest, vitam habere non potest, 34. In tantum Deus nos exaltat in quantum ad se animas nostras levat, et veritatem suæ cognitionis ac dilectionis insinuat, 254. Caritas non ex nostra voluntate aut esse incipit aut crescit in nobis, sed a Deo diffunditur in cordibus nostris, 456. Caritas inter Christianos quæ arte servanda, 164, 370. Caritatem qui non habet sibi, alteri non impendit, 183. Creatura rationalis perdendo dilectionis ordinem perdit salutem, 16. Malevolus caritatem non impendit alteri, quia non habet sibi, 184. Caritas et unitas fidei religiose servanda, 379. Deum vere diligunt qui ejus præcepta obediunt, 595. Corpus potest tradi sine caritate, anima non potest, 150. Christianus non dicit: Quæ vobis fecerunt homines, sed *Quæ vultis ut faciant vobis homines*. Cur, 373. Tunc homo se diligit, cum dilectionem Dei sibi devotus et humilis anteponit, 373. In caritate crescimus cum dono gratiæ spiritualis clementiam accipimus caritatis, 54.

Caro per seipsum nec vivit nec sentit, nec tristatur nec desiderat, 128. Caro in Scriptura ponitur pro homine, 83, 294. Caro Mariæ caro peccati, 292. Filium Dei genuit in similitudinem carnis peccati, *ibid.* Caro omnium hominum de peccati lege concepta, 437. Carnes aut vinum non propter naturæ malitiam, sed propter corporis castigationem a servis Dei non adhibentur, 530. Quid sit facta carnis sequi, 581. Carnis resurrectio bonis et malis communis, retributio dissimilis, 528. Caro cur punientia cum anima, 6.

CAUSARUM plenitudo scientiæ, 250. Super Cherubin ascendere quid sit, 250.

Christianus a Christo nomen accepit, 200. Christianus nullatenus esse potest, quisquis ipsam Christum Dominum Deum suum esse non dixerit, *ibid.* Christiani hominis officium, 375. Christiani arbores suat in agro Domini, 548. Non omnes qui Christi participes sunt, etiam respondendo possunt defendere quod credunt, 198. Judæi et Gentiles unum facti, unum Christiani vocabulum sortiti sunt, 558.

CANISROS. Unica in Christo persona ex forma Baptismi demonstratur, 298. Qui duplicem personam in Christo admittit, non Trinitatis cultor est, sed Quaternitatis, 298, 299. Deitas Christi cur spiritum accipere non potuit, 232. Christus quomodo fidei nostræ auctor et consummator, 509. Prima utilitas Christi ex Deo, secunda ex homine: nostra vero prima ex homine secunda ex Deo, 295. Cur

Deus de virginæ nasci debuit, 436. Christus primogenitus totius creaturæ, secundum incarnationis mysterium, 36. Primogenitus creaturæ reparatæ, non conditæ, 53. Ad hoc initium creaturæ factus est, non ut novam conderet, sed ut vetustata perditam renovaret, 54. Christus quo sensu initium creaturæ sit, *ibid.* Primogenitus ex mortuis Christus, id est, primus ex peccatoribus hominibus homo Christus in Dei Filium exaltatus, 56. Christus angelorum patris et hominum, 553. Christus agricola est et cultor, 548. Christus angelorum patris naturam angelicam non accepit, 535. Quid sit Christus non fuit est et non, 148. Christus qualis in secundo adventu futurus, 393. Primus Christi adventus dies minorationis fuit, 152. Christus missus a Patre venit semel in ruinam et resurrectionem, 410. Christus cum Patre Incessabiliter venit in resurrectionem multo um, 410. Christus cum Patre venire dignatur æqualis, *ibid.* Pauperitas Christi humanæ mortalitas, 351. Quomodo omnia in Christo creata et omnia in ipso reconciliantur, 322. Christus permanens Deus cui hostias offerimus, sacerdos est factus per quem hostiam vivam offerre possumus, nec tamen hostia a nobis offerri potuisset si Christus pro nobis factus hostia non fuisset, 258. Per ipsum offerimus hostiam laudis atque orationis, quia per ejus mortem reconciliati sumus, 258. Cur in conclusione orationis *Per Jesum Christum*, dicatur, non *per Spiritum sanctum*, quia unus est mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, 238. Per ipsam qui pro nobis hostia dignatur est fieri, potest in conspectu Dei nostra hostia acceptabilis inveniri, 238. Dicitur aliquando in conclusione orationis, *Per Sacramentum æternum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum*, ut incarnationis Dominicæ mysterium ostendatur, 238. Ex utraque conclusione orationis multi et qui conviciantur hæretici, 259, 260. Participes Christi sumus, et quomodo, 253. Christum sanctificare est quæ sancta sunt de illo cogitare. Sic et exacte quæ altissima sunt de illo cogitare, 104. Ex S. Augustino locus hic, *Non enim ad mensuram*, etc. De solo Christo intelligitur, 251. Christus spiritum non ad mensuram accepit, 250 et seq. Christus spiritum dat et accipit, et quomodo utrumque, 251. Super nos Deus effudit de Spiritu suo, super Christum vero Spiritus descendit et mansit, *ibid.* Virtutis exitus de Christo est diviniæ curationis effectus, 103. In Christo infirmitates veræ, sed voluntariæ, 150, 151 et seq., 326. Passiones nostræ a Christo susceptæ ut nos a passionibus liberaret, 126. Christus infirmus factus ut via eret infirmitatem, 151. Ut Christus ex Deo vere natus dicatur et vere passus factus comparabilis personæ unitas in qua Deus et homo natus est, 117. Quæ passus est Christus secundum personæ unitatem totus pertulit, secundum naturalem proprietatem ad solam carnem pertinet veritatem, 357. In passionibus Christi quedam nostrarum virtutum semina continentur, 154. Dens in carnis passionem sensit, cum carnis non sensit, 124. Aliud est juxta Scripturarum testimonia Deum dicere in carne passum, aliud carni compassum, *ibid.* Christi divinitas non est carni aut animæ compassa, *ibid.* Quid sit quod dicit Petrus *Christo in carne passus*, 118. Christus secundum carnem resurrexit, 555. In eo nobis Christus compassus est, in quo nos ipsi compatimur, 156. Unius ejusdemque Christi infirmitas humana passionem pertulit, et diviniæ virtutis omnipotentia miracula beneficiorum perfecit, 123. Christus in vera passione impassibilis, *ibid.* Licet in Christo solus homo traditus sit, propter unitatem personæ totus Christus traditus fuisse dicitur, 152. Christus moriturus pro peccatis hominum humanæ infirmitatis in seipso demonstravit affectum: et ut desperationem ab infirmioribus membris dignaretur auferre, ipsa virtus, quam nostrum caput esse voluit, dicere divino amore non est dignata, quod membra eius essent humano postmodum timore dictura, 262, 263. Humanitas Filii Dei nec tota in sepulchro, nec tota in inferno, sed divinitas ubique tota, 140. Christo passio non est Deus compassus, 118. Carnem Christi morientem anima deseruit, non divinitas, 122. Mors Christi utramque in nobis mortem destruxit, resurrectio Christi gratiam utriusque resurrectionis attribuit, 294. Christus quomodo sine Deo gustavit mortem, 126. Christus ex infirmitate humanitatis suæ mortuus, ex virtute divinitatis suæ vivit, 132. Christus non venit reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subjungere, 559. Christum fecit mori benignitas propria, non malignitas aliena, 561. Christi anima cum carne non est mortua, 124. Christus per mortem a timore mortis et servitutis nos liberavit, 466. Caro Christi in sepulchro corrumpi non potuit, quia sine peccato semper fuit, 157. Christi corpus corruptionem non sensit, non propter incorruptibilitatem, sed propter resurrectionis celestem itatem, 326. Corpus Christi fuit in corruptione mortis, sed non in corruptione putredinis, 526. Non sensit caro Christi corruptionem in sepulchro, nec anima ejus pœnam in inferno, 153. Corpus Christi quale fuerit ante resurrectionem et quale nunc sit ex Augustino, 326. Anima

Christi in inferno dolorem non sensit, 157. Opus gratiæ Christus conceptus in utero cepit, suscitatus de tumulo implevit, 551. Deus homo sine peccato natus, cur, *ibid.* Exinanitio Christi, formæ servilis acceptio fuit, 288. Christi conceptio ex Virgine, 290. Descensus Christi non est localis, 90. Deus Unigenitus ideo acceptionem formæ servilis communem cum Patre non habuit, quia non in unitate naturæ, sed in unitate personæ veritatem ac plenitudinem formæ servilis accepit, 246. In Christo personam non dividunt propria naturarum, nec unitas personæ potest propria utriusque naturæ confundere, 297. Christus cor de Virgine sine peccato natus, 517, 508. Christus fugit non formidine humana, sed dispensatione divina, 500. Vera fides sicut secundum carnem, crucifixam Dei virtutem et sapientiam novit et dicit; ita secundum carnem crucifixam divinitatem non ambigit, 240. Christus corruptionem accepit non voluntariam, sed pœnalem, nec quæ cum peccato, sed quæ sine peccato, 505. Animarum nostrarum infirmitates sine corruptione habuit Christus veras quidem, sed voluntarias, cur utrumque, 527. Traditio Christi spontanea, 152. Pauper factus est Christus ut illius paupertate divites essemus, 351. Divinitas Christi ad infernum non descendit, 87. Non tantum corpus Jesu, sed Jesus etiam in sepulchro fuit, quia divinitas corpus nunquam deseruit, 151. Christus mortem gemitu salva immortalitate divinitatis suæ, 236. Christus quia homo mortuus est, quia Deus seipsum resuscitavit, 297. Christus post resurrectionem veræ carnis soliditatem cicatricibus veris et comestione piscis et mellis ostendit, et clausis foribus ingrediens divinitatis virtutem ostendit, 297. Anima in Christo, 129. Christus animam se habere nonstravit cum ejus potentiam potestatem sibi esse declaravit, 128. Anima Christi quid differat ab angelis aut hominibus sanctis, 250. In Christo quæ carnis sunt et animæ divinitati ascribi non debent, 124. Petrus pro Christo animam suam ponendam non nominasset si Christus animam non habuisset, 1:9. Christus animæ nostræ auxilium non ministraret si animam non haberet in qua tentatus esset, 60. Ecclesiæ anima salvari non posset si Christus anima deesset, 78. Anima Christi minus aliquid veritatis habere nequit quæ ipsius veritatis anima est, 254. Animæ Christi plena inest totius divinitatis notitia, 251. Non quemadmodum se novit Pater et Filius et Spiritus sanctus, sic animæ suæ secundum divinitatem notus est Christus; quia etsi habet plenam Trinitatis notitiam, non tamen habet unam cum Trinitate naturam, 251. Non ideo Christi anima ejusdem naturæ est ac Deus, quia totam deitatem suam novit; cum Deus ipse ejusdem naturæ non sit ac cuius illa quæ fecit et pleue utique novit, 255. Nec nos ipsi quia Deum videbimus, 1:1 Deo, consubstantiales erimus, 255, 256. Non solum ad divinitatem Christi, sed ad ejus quæque animam pertinet quod dicitur *In quo sunt omnes thesauri*, etc., 252. Alienum est a sanitate fidei animam Christi non plenam habere suæ deitatis notitiam cum qua naturaliter unam creditur habere personam, 250. Anima Christi deitatem suam novit quantum illa, sed non sicut illa seipsam: quia deitas sic se novit, ut hoc se esse naturaliter inveniat quod novit, anima autem illa sic totam deitatem suam novit ut ipsa tamen deitas non sit, 254. Duæ naturæ in una Christi persona non confusæ, sed unitæ, 115. Duæ Christi natiuitates, 281. Dei et hominis filius unus Christus, 115. Christus secundum humanitatem habet participes, non secundum divinitatem, 127. Christus a Nazareth esse et unctus dicitur propter humanam naturam, 120. Christus Dei unigenitus natura, non gratia, 115. Christi corpus terrenum, non celeste, quia non angelos, sed semen Abraham apprehendit, 140. Christus de cælo celestis non propter corporis substantiam, sed propter cupiditatis carentiam, 456. Caro Christi sine Verbo nec Christus fuit, nec aliquando concepta fuit, 295. Excellentia carnis Christi propter unionem Verbi, 507. Caro Christi ejusdem ac cæterorum hominum naturæ, at sine peccato, *ibid.* In corpore Christi corruptibilitas, in anima perfecta incorruptibilitas, 526. Christus virtus et sapientia Patris, 90. Non sic Deus est in Christo sicut in patriarchis aut prophetis, 294, 292. Deus factus est Christus, non Christus factus est Deus, 280, 281. Christus mediator hominum propter unionem naturarum, 82. Christus a sanctis Patribus adnatione ex divinitate et humanitate compositus prædicatur, 279. Quo sensu Christus dicitur principium et finis, 95. Non ideo habet initium quia principium dicitur, nec ideo finem habet quia finis nominatur, 92, 93. Christus jure sacerdos quia circumdatus infirmitate, natura scilicet humana, 156. Christus sacerdos et hostia, 80, 156. Sacerdos, sacrificium, et templum, secundum formam servi, 510. Christus pontifex quia homo, 80. Christus ut orat quia sacerdos, 586. Christus oblator muneris et munus. Cur, 80. Christus vita et vir us, 132. Christus vita æterna, 95. Christus etiam paracletus seu consolator, 579, 580. Christus doctor et largitor salutis æternæ, 298. Christus rex justitiæ et rex paciæ, 94.

Christus recte pastor ovium et agnus sponsus et sponsa, 79, 10. Christus alimentum nostrum in via, primum erit in patria, 517. Christus Samaritanus noster est, 193. Christus in hoc auxilium nobis ministrat in quo tentatus est, 80. Christus corpus suum et templum fecit et sacrificium, 641. Christus secundum divinitatem et humanitatem unigenitus Filius Dei Patris, 633. Qui Christi nomen non invocat nec gratiam habet nec pacem, 662. In solo Christi nomine salvamur, 638 et seq. Christus sicut verus Deus, ita verus homo, 205. Christus Dei filius, nos quoque, ille proprius, nos redempti, ille natus, nos facti, ille verus, nos adoptivi, 261. David Joanni concordat et Paulo in prædicatione unius personæ in Christo, et utriusque inconfusæ naturæ, 82. Verbum caro factum dicitur propter unitatem personæ in Christo, 85. Habitasse in nobis propter substantiæ utriusque inconfusibilitatem, 85. In uno Christo non sunt duæ personæ, 86. In Christo una persona, naturæ duæ, 112, 206. Sicut in Deo distinctio personarum non multiplicat substantias, sic in Christo distinctio naturarum non multiplicat personas, 117. In Christo substantialiter aliud puer, aliud Deus non personaliter, 86. In una Christi persona est Deus plenus homo perfectus, *ibid.* Cautè de Christo tractandum propter duas naturas in una persona, 112. Sempernam salutem consequitur qui in Christo divinæ humanæque naturæ plenam cognoverit unitatem, 51. In personali unitate utraque substantia indivisa et inconfusa ab exordio conceptionis, 122. Veritas divinæ humanæque naturæ in Christo ex prophetis et apostolicis testimoniis, 73. Propter unionem duarum in Christo naturarum et homo Filius Dei et Deus filius hominis appellatur, 83. Christus in se proprietates humanitatis et divinitatis semper habuit, 117. Christus in forma servili plenus gratiæ et veritatis permansit, 113. Christus omnes hominum infirmitates suscepit præter peccatum, 122. Christus veram carnem et veram animam habuit cum vero intellectu, 86. Christus mediator nulli tenus esset, si vel cum Patre divinitatis naturam, vel cum hominibus communem carnem et animæ substantiam non haberet, 206. Quia tota natura captivata fuit, sic tota suscipi debuit, 81. Item est Christus qui Jesus Christus, 594. Christus dies æternus Deus de Deo Patre, 533. Christi divinitas unctione aut sanctificatione non eguit, 121. Christus vere Deus et vere homo, et Dei et hominis proprietates in semetipso inconfuse demonstravit, 503 et seq. Christi nomina ejus divinitatis impassibilitatem arguunt, 134. Divinitas Christi impassibilis et ubique præsens, 137. Nec carnem in sepulcro, nec animam in inferno deseruit, 129. Christus naturaliter Deus sempiternus, immensus, altissimus, 90. Christus non divinus in donis dividi non debet in personis, 562. Humanitate sublimata divinitas in Christo non est minorata, 87. Duæ naturæ in Christo sine confusione, 278. Christus nec sacerdos fuisset nec vicinus si humanæ naturæ aliquid minus habuisset, 80. Non alius passus fuit quam ille qui in vera carnis passione impassibilis et in morte permansit immortalis, 113. Animæ susceptio in Christo prolatior, 81. Anima in Christo Verbi sedes specialiter est, 85. In Christo vera caro et anima ex Petri et Davidis testimonio, 156. Anima et caro a Deo suscepta ut in nobis utraque salvaret, 51. Ad divinitatem referri non potest quod dicitur, quia in Christi ore dolus non est inventus, 79. Unus est Christus initium non habens ut generatus ex Patre, et initium habens ut natus ex Virgine, 295. Illa vox Christi, *potestatem habeo ponendi animam meam*, totius hominis esse credenda est, 128. Humana caro a Christo suscipienda non fuit si salvanda non fuisset, 76. Ad plenam nostræ redemptionis effectum homo sine peccato a Deo susceptus ad infernum et ad sepulcrum debuit descendere, 135. In Christo plenitudo gratiæ et veritatis, 233. Caro Christi formam Dei non accepit, sed Deus formam servi, 295. Christus et homo et ex hominibus factus, 413. Christus profectus sapientia secundum animam, non secundum deitatem, 121. Vultus Christi ad carnem, infirmitas ad animam pertinent, 128. Immaculatam carnem Christus suscepit et carnis maculam submoveret, 73. Christus sic est Deus ut ipse sit divinitas sua, sic est fortis ut ipse sit virtus sua, 211. Christus sapientia et gratia secundum animam, et ætate secundum carnem profectus, 73, 76. Homo Christus potestatem habuit ponendæ animæ propter personæ divinæ unitatem, 129. Christus utraque in se naturam ostendit, 332. Christus de terra corpus accepit, non de celo adduxit, 121. Christus sicut in suo corpore cunctiorum fidelium corpus, sic in sua anima universorum fidelium animas per naturæ unitatem et gratiam justificationis accepit, 78. Christus secundum deitatem unigenitus sine fratribus, factus est secundum hominem primogenitus in multis fratribus, 56. Salvari homo non potuisset si in mediatore aliquid divinæ aut humanæ naturæ defuisset, 75. Christus eandem semper carnem veram habuit quam de matre suscepit, 526. Secundum formam servi verbum a terræ possidendis accepit, non secundum formam

Dei, 56, 57. Christus sine matre ut Deus, sine Patre ut homo, 91. Duæ naturæ sub antiæ aut formæ in Christo, 333. Utraque natura in Christo inconfusa, 333. Attendenda in Christo proprietates utriusque naturæ, ut sine errore possit intelligi creatus et fundatus et genitus, 57. Christus coæternus Patri et matre posterior, 295. Distinguenda in Christo utraque natura, et videndum quid cuique conveniat, 54. Ascendit in caelum Christus secundum totam humanitatem, 338. Divinitas ab humanitate sicut Filius a Patre inseparabilis, 117. Christus se unam utramque naturam altissimus, et quomodo, 253. Hoc Christus salvavit in nobis quod pro nobis accepit, 77. Utraque in Christo natura inseparabilis, 236. Quæ facta sunt in Christo ad ejus divinam naturam, non referuntur, sed ad personam, 333. Christus secundum carnem in sepulcro jacuit, secundum animam in infernum descendit, secundum divinitatem immensus permansit, 337, 338. Duæ naturæ in Christo et una persona, 121, 241, 287, 584. Inseparabilis est utraque natura in Christo, licet nec utraque æterna, simplex et immensa sit; ergo multo magis tres personæ sunt inseparabiles quarum est unitas, æternitas, simplicitas et immensitas naturalis, 237. Christi humanitas propter unionem divinitatis, impassibilis, 131. Christus plenus homo quia plenus gratia, 116. Christus homo propria non habens, aliena peccata portavit, 131. Christus suscipiens circumcisionem et cum dicit, *Quod nascitur de carne, caro est*, carnem veram habere se monstravit, 86. In Christo divina et humana natura, 517. Ad hanc pertinent fames, sitis, etc., 325. Vera fides est credere Christum Deum verum et hominem verum, 237. Christus localis non est qui locum fecit, nec temporalis qui tempus omne fecit, 96. Christus non solum la divinitate, verum etiam in carne veraciter unigenitus Dei Filius dicitur, 408. Sicut de utero Virginis verus homo, ita de utero Dei Deus verus procreatus creditur, ne potior estimetur humana quam divina natura, 61. Christus minor Patre secundum humanitatem, 53. Christus unam habet divinitatis suæ carnisque personam, 525. Puer Christus, Verbum virtus et sapientia Dei, 560. In hac Christi responsione, *Solvite templum hoc, etc.*, veritas divinæ et humanæ naturæ ostenditur, 122. Fuerunt qui Christum nuncupatione non substantia Deum dicerent, et animam humanam agnoscere in eo non entes ejus passionem divinitati assignarent, 74. Christus mortuus ab Apostolo dicitur non corpus Christi, ut unitas personæ Dei hominisque servetur, 131, 132. Divinitas Christi anima eius dici non potuit, 128. Non potest ad solam carnem referri quod dicitur quia in Christi ore dolus non est inventus, 78, 79. Magis laus in Christo non esset quod in eo peccatum non fuisset si humana anima caruisset, 78. Christus in carne exhibitus, aliis ut crederent, aliis ut crucifigerent, 410. A Christo tota humana natura suscipienda fuit, cum tota erraverit, 77. Christus cur plenus gratiæ et veritatis, 116, 509. Quod dicitur de Christo quia minoratus cur est paulo minus ab angelis ad humanam substantiam referri debet, 126. Ex hoc loco, *Potestatem habeo ponendi animam et iterum sumendi eam*, divina et humana substantia in Christo ostenditur, 129.

Cibus. Ciborum et deliciarum nimietas iram Dei sæpe provocavit, 170. Suavitate ciborum minuitur eleemosyna pauperum, saturitate corpus efficitur bellicosum, 170. Quando cibus sumimus, carnilique, non animæ providemus, in ipsa tamen ciborum acceptioe anima cum carne operatur, 217.

Circumcisio in signaculum justitiæ fidelibus nostris divinitus attributa, 459. Circumcisionis sacramentum Abraham non sine parvuli comminatione commendatum, 503.

Cogitatio in sola hominis anima et nullo modo in corpore invenitur, 45. Cogitatio ibi est ubi est boni malique discretio, 45. Cogitatio verbum interius, et interna locutio, 533. Cogitare idem quod intra se dicere, *ibid.* Illud amamus quod cogitamus, 319. Sancta cogitatio locutio et opus a Deo, 163. Cogitationum honorum origo earumque consensus a Deo, 283. Sine gratia cogitantur et desiderantur humana, non divina, 282. Animæ iustorum licet sint gratiæ dono ab operum malorum contagione liberæ, tenentur tamen cogitationum varietate captivæ, 175. In hoc unusquisque errat in quo se male cogitationis assensione commaculat, 77. Prava cogitatio ad petram eliditur, dum ceteri recordatione atque opitulatione Christi superata calcatur, 130, 181. Mortalium cogitationes timidæ illæ sunt per quas peccato serviunt, 467. Causa mundanæ cogitationis cessante, debet mundana cogitatio cessare, 136.

Columba in cujus specie super Christum baptizatum venit Spiritus sanctus ad aliquid significandum facta et continuo resoluta, 413. In columba simplicitas cordis significata est, 413. Spiritus sanctus per columbam et linguas igneas sub quibus apparuit, dumadmodum vobis ostendit suo munere caritatem, 412.

Comunctio cordis excitat orationis affectum, 177. Comunctio cordis vulnera sua respicit, *ibid.* Quia frequenter a nobis Deus ostenditur, necesse est ut frequenti oratione et jugi cordis comunctione mitigetur, *ibid.*

Concilium Antiochenum contra Paulum Samosatenum, 279. Quatuor concilia generalia, 231. Epistola conciliorum Africanorum ad papam Zozimum, 284.

Concupiscentia ex Deo non est, 16. Concupiscentia etiam in sanctis, 427. In malis angelis concupiscentia fuit, 14. Concupiscentia peccandi tormentum peccatoris, *ibid.* In lumbis quo præcingi præcipit Dominus concupiscentia carnalis præcipitur refrenari, 530.

Confessio Saul ex timore fuit supplicii, non ex horrore peccati, 398. Non omnis qui confitetur peccatum remissionem accipit, *ibid.* et 368. Tunc prodest confessio si confessus quod male fecerat ultra non faciat, et per bona opera præteritorum criminum merita superare contendat, 399.

Confessio oris ex præcepto divino, 70. Necessaria ad salutem, quia verbum Dei non est vinculum, *ibid.* Cum de Deo agitur non levis est reatus si quod ad salutem pertinet taceatur, *ibid.* Ille seipsum perdit et suum detrimentum facit, qui Christum et ejus sermones erubescit, *ibid.* Firmat errorem qui silendo non astringit veritatem, *ibid.* In Esaie persona omnibus verbi Dei prædicatoribus oris confessio imperatur, *ibid.*

Confidentia magnam habet remunerationem, 162. Nihil deo de divina virtute diffidendum, quia propriæ virtuti nihil assignandum, *ibid.*

Conjugium inter dona Dei non tamen præcipua, 153. Sancta sunt Christiano conjugia, 153. Connubium ex Dei institutione, non peccati collatione, 154. Conjugem habere, vinum carnesve percipere non est malum, 520. Conjugium non damnat Christus, 156. Conjugium non facit vasa in contumeliam, 479. Conjugalis pudicitia et continentia vidualis utrumque donum Dei, 154. Conjugalis castitas magis deletur Christo quam viro, *ibid.* Conjugalis dignitas non deest suis honor divinitus collatus, 143. Et mulieris in viro et viro in mulieris corpus potestas legitima et a Deo, *ibid.* Debitum conjugale idem debitum dicitur quia legitime redditur, *ibid.* Potestatis conjugalus usus si non sit excessus, inculpabilis, *ibid.* In conjugali excessu legitimo culpa venialis, 526. Tunc justus conjugii usus cum propter prolem est, non propter libidinem, 145. Conjuges dum sibi debitum carnis modeste reddunt, Christi præcepta custodiunt, 154. In carnali commixtione futura renovatio prolis attendenda, 146. Carnalis commixtio conjugum tunc ad peccatum non deputatur, si in ea libidini non serviatur, *ibid.* Conjugi commiserit non libidinis, sed prolis causa, multa laude dignum, sed vix posse bile, 146. Sancta conjugia non amittunt libidinem, sed tolerata, 439. Conjugalitatis ea fugienda sunt o era quæ divina severitas et faciendi prohibet et facta condemnat, 149. Verecundia in actu conjugalitatis servanda, *ibid.* Omnis fornicatio damnabilis, præsertim in conjugio, 146, 147. Honestas conjugalitatis adulterinos concubitus execratur, 154. Conjugatorum extra uxores mortalis omnis concubitus, in uxoriis venialis excessus, 146. In matrimonio infirmitati consulitur, 154. Apostolus jubet reddi debitum conjugale ut quorumdam consulere infirmitati, 145. Conjugium copulatio ad itineris consolationem, non ad patriæ beatitudinem, 151. Conjugate ac viduæ si fideles Christo in hac vita permanserint, in futura amissa in eo jugo virginitate non privabuntur, 171. Paulus ideo dixit conjugatos sollicitos esse quæ mu di sunt, virgines autem quæ Dei, quia sanctorum virginum cogitatio magis ad spiritalia recurrit, sanctorum vero conjugatarum magis conjugali necessitati servit, 168. Apostolus non sic sanctitatem corporis et spiritus virginibus præripuit, ut eam vel conjugatis demeret vel viduis, 166. Petrus apostolus conjugatas fideles sanctas non ambigit appellare, 168. Conjugium bene contemni potest, 156. Fideles conjugati debent orationibus et elemosinis a Deo potiore continentiam gradum postulando impetrare, 150. Incommo la conjugii circa prolem corporalem, 169. Quam utile sit ad sancte vivendum, conjugium, carnis et vino abstinere, 520. In carnali conjugio nisi integritas carnis amittatur, ad fecunditatem non venit: in spiritali quanto magis carnis integritas vixit, tanto magis immortalis fecunditas pollet, 169. Conjugatorum habitus molestus esse debet, 157. Legitimus nuptialisque conceptus non est a culpa iniquitatis extraneus, 148.

Consolatio sine exhortatione non fit, 579.

Continentia a Deo omnibus expetenda, 149, 150. Qui nonquit continere a carne contineat ab iniquitate, *ibid.* Conjugia mors continendi occasio, 151. Post continentiam professionem etiam voluntas nubendi damnabilis, 148.

Conversio vera in fide recta erga Deum et caritate non facta erga proximum consistit, 573. Conversio tunc vera in nomine si impietas et iniquitas pellatur ex corde, 572. Conversio ab impietate et ab iniquitate præcipitur, 569. Paulus non lugeret multos qui peccaverunt et non eg-

rum penitentiam, si sine conversione cordis remissionem crederet conferenda, 569. Impunitus futurus non est qui converti noluerit, 581. Per cordis conversionem Deo reconciliamur, 568. Deus semper delectatur conversione nostra, 191. Isalae remissionem omnium peccatorum dari conversis promittit, 291. Nemo non videt quam sit impius et sacrilegus si cuiquam homini per penitentiam converso cujusquam credatur peccati dari non posse remissio, 191. Tanta est et benignitas omnipotentis et omnipotentia benignitatis in Deo, ut nihil sit quod noluit aut non possit relaxare converso, 192. Iniquum est si putemus justum quandoque aversum posse damnari, iniquum vero conversum non posse salvari, 193. Deus dicens, *Cum conversus fueris et ingenueris, salvus eris*, semper se posse converso salutem donare testatur, 193. Mali conversi regnum Dei consequentur, quia misericors Deus, 371. Deus quia justus et misericors conversos recipit, obduratos punit, 367. Ex conversionis conditione promissio salutis omnino pendet, 368. Salubris conversio duplici ratione consistit, si nec penitentia sperantem, nec spem deserat penitentem, 192. Conversio solvit omnem reatum, 564. Omne vitæ presentis tempus conversioni aptissimum est, 193. Quibus dicitur, *Fili hominum, usquequo graves corde?* 193, 196. Qui malus est sectari debet exemplum conversionis in Paulo, 577. Solis vere conversis, in Ecclesie greminio constitutis, et in hoc adhuc sæculo viventibus, datur remissio peccatorum, 364. Remissio peccatorum non nisi in conversione cordis sortitur effectum, 369. Dicitur, *Si conversus fueris et ingenueris, salvus eris*, ut conversionem et gemitum necessaria cognosceremus ad consequendum salutis effectum, 363. Omnis hæreticus ad Ecclesiam conversus, si perseveret, frumentum erit, non palea, 374. Non debet divine Scripturæ benigna contenti monitio, quæ nobis et celeritatem conversionis saubiter imperat, et tardantibus iram futuram divine vindictæ commendat, 400. Nec conversio aut renovatio nostro arbitrio assignanda, 462. Conversionem quam operari præcipimur, David supernæ operationis dono assignat, 461. Dominus est conversum operari quam præcipit, et os aperire quod se impleturum promittit, 462. Il volunt salvari in quibus Dominus ut hoc velint operatur, 462. In his qui nolunt salvari humana duritia perseverat ut nolint, 492. Confessio peccatorum et de his gemitus si sine conversione sunt, Deum irritant, non placent, 368. In omni qui propriæ voluntatis arbitrio utitur remissio peccatorum per conversionem cordis inchoatur, 370. Remissionis effectus in cordis conversione consistit, 371. In Epistola Pauli ad Hebr. non solum conversio in presentis tempore significatur necessaria, verum etiam præcipitur usque in finem perseverantia retinenda, 391. Non mutabitur in incorruptionem qui in hoc sæculo non fuerit immutatus per conversionem, 393. Conversio vera ibi tantum esse potest, ubi est et fides vera, et vita bona est, 383. David misericordiam apud Deum elicitur consecutus, quia ingemuit ex toto corde conversus, 369. In similitudine confessionis Saulis et Davidis fuit dissimilitudo voluntatis, 398. Deus in David et Saul non attendit oris sermonem, sed cordis intentionem, *ibid.* Gemitus sine conversione vulnus est sine medicamine, *ibid.* Conversio potentium sæculi multum militat acquisitionibus Christi, 186. Pejorare aut homicidium facere multo minus peccatum est quam Christum occidere; et tamen hoc remittitur converso, illud non converso non remittitur, cur, 400. Non est aliud illa evangelica operatio nisi cordis vera conversio, 401. Væ illi qui ante tempus novissimi ventis non curaverit ex palea triticum fieri, 400. Deus tempus omne presentis vitæ, conversioni nostræ deputata se cognoscitur, 194. Nec desperandum de misericordia Dei, nec in peccatis sub spe misericordie permanendum, 404.

Creatio. Creaturæ non de Deo creatæ, sed a Deo, 183, 312. Spirituum creatorum substantia divina non est, cur, 312. Omnis creatura quæ movetur est a natura Dei Patris sine dubio creata natura est, 210. Nulla creatura ejusdem nature cujus Deus, 316. Omnis natura creata defectibilis est, quia e nihilo educta, *ibid.* Omnis na ura creata bona est, quia a Deo est, *ibid.* Omnem creaturam tota Trinitas fecit, 345. Rebellis Deo existit qui ab eo aliquam creaturam aut factam non fuisse aut sanari non potuisse asserit, 81. Hæc verba, *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*, omnia Dei creationi subjuncta, 119. Unaquæque res hoc est quod ex Creatoris dispositione accipit, 311. Pater per Filium omnia fecit, 91. Si Filius creatura esset, serviendum ei sanctorum Scripturarum auctoritas non juberet, sed potius prohiberet, 200. Res creatæ in perfectione inæquales inter se, 511. Deus inordinatum nihil fecit, 16. Omnia opera Dei bona, 14. Rationalis creatura cæteris melior facta, *ibid.* Creaturæ inesse ratio non posset nisi posset fuisse creatoris dilectio, 13. Intelligenti facultas angelis solis et hominibus inter creaturas concisus, 526. Infirma creaturæ non ideo mala, 14. Deus in elephantum et in ver-

miculo laudabilis, 453. Deus homini peccato flagella preparavit dum nociva animalia creavit, *ibid.* Deus creavit nociva animalia ante peccatum hominis, *ibid.* Idem creator muscarum, scorpionum et pulicum qui angelorum et omnium visibilium et invisibilium, 420. Deus non creavit nociva animalia ut eorum vim ante peccatum homo sentiret, 452. Musca creata ut confundatur homo superbus, 450. In creatis quibusque bonitas et omnipotentia Dei, 511. Creaturae cur proficere possunt et delicere, *ibid.* In Deo sumus non per naturalem unitatem, sed per potentiam Creatoris, aut pietatem Redemptoris, 59. Mali angeli non creantur quae producere permittuntur, 429. Deus solus angelorum creator et vermiculorum, *ibid.* Ideo Deus creaturam rationalem rationis et aternitatis privilegio sublimavit, ut Creatoris sui essentiam sine initio esse et incomprehensibilem omnino agnosceret, cum se, etsi non sine initio factam, tamen non desitiram, et soli creatori non sibi comprehensibilem agnosceret, 89. Creationis nomen in eo tantum accipiendum est in Filio, quod per redemptionem hominum ex hominibus factus est homo, 61. Non hoc est genitum quod creatum, 35. Creatura rationalis post lapsum ad Deum se convertere propriis viribus non potest, 515.

Crede qui, 282. *V. Fides.*

Cruz c'avicula qui transitus caeli reseratur est, 567. Tres cruce et tres cause in monte Calvario, 68. Cruz Christi in medio tribunal fuit, *ibid.* In verbo Crucis pereunt qui divinitatem Filii Dei passioni subiciunt, 112.

Culpa etiam in rebus licitis frequenter contrahitur, 520.

Cultura Dei est infusio gratiae spiritalis, 548.

Cultus. Duo cultus, latria et doleusis, alter Deo soli, alter etiam hominibus exhibendus, 593. Cultus latriae maxime per sacrificia Deo exhibetur, *ibid.* In primo Decalogi mandato sicut unus Deus cultura servitusque manifestissime praecipitur, ita omni creaturae adoratio ac servitus a fidelibus exhibenda vehementissime prohibetur, 200. Filium sicut Patrem adorandum clamant Scripturae, *ibid.*

Cupiditas. Pugna cum cupiditatibus ideo major ac difficilior, quia interior, 180. Si visibilis cupiditas vincatur in corpore, inimica invisibilis potestas non dominatur in corde, 170. Carnali cupiditati deditus animus hoc sibi Deum facit quod diligit praeter omnibus, 220.

CYPRIANUS. Sancti Cypriani laudes, 566. Sancti Cypriani constantia, 567. Sancti Cypriani erga omnes ordines pastoralis cura, 568. 567. Liber Cypriani de Simplicitate praetorum, secundum vetusta exemplaria de unitate Ecclesiae catholicae, 573.

D

DAMNATIO a Deo est, 15. Juste retribuitur, 440. Pro iniquitate quam Deus non facit impij damnabuntur, 11. Damnati aeternitate supplicii non consumendi, 116. Iniquum mors mori non posse, 396. Mali corrumperunt nec consumuntur, moriuntur nec extinguuntur, *ibid.* Mala voluntas damnatis ad supplicii cumulum erit, 389. In aeterna damnatione majorum causa deterior quam in parvulorum, 49. A damnatis non potest vel diligi vel desiderari justitia, 517.

DANIEL et tres pueri ut preces fundere soliti, 63.

DENARIUS episcopus, 269, 277.

DAVID conversus peccandi protinus abiecit desiderium, *cap. S. ul. 398.* Cur misericordiam obtinuit, 369. Da id dicens, *Ego dixi in abundantia mea, Non movebor in aeternum,* adjutorio divinae gratiae fuerat desertus, 174.

Denarius. Quidam intelligatur per denarios, 51. Quinam accepturi sunt denarium, 10.

Desiderium. Sanctum desiderium magnopere laudandum, 163.

Desperatio Judae poenitentia sine spe, 193.

DEUS.

Non est nomen personae sed naturae, 590. Deus testimonium suae agnitionis in hominibus collocavit, cur, 600. Absurdum est de Deo disputantem, de crassioribus tantum corporibus documenta assumere, 45. Una est essentia seu natura deitatis, 503. Testimonia de uno Deo, 536, 557. Haeretici testimonia quibus probatur unus Deus esse sanctissima Trinitas, soli Patri assignabant, 199. Unum Deum esse Veteris et Novi Testamenti demonstrat auctoritas, *ibid.* Deus unus in essentia, trinus in personis, 521. Dei ex Scripturis sanctis ostenditur et in personis Trinitas, et in natura unitas, 605. Verus Deus est qui natura Deus est, natura Deus est qui deitatem ex aeternitate nativitatis habuit, non ex gratia donationis, 59. Infidelitas est vel falsa de vero Deo credere, vel falsum deum sub nomine veri Dei adorare, 221. Non est cogitandum de Deo sicut de creaturis, quia nec ipse cogitat sicut nos cogitamus, 545. Dei nomen in Scripturis invenitur quatuor modis, 219, 220. Filii et Spiritus sancti deitas ex Scripturis, 351, 352. Pater Deus noster est sicut Filius et unus Deus cum Filio, 530.

Deus immutabilis, 343. Deo nihil accidit temporale, 487. Deus immutabilis nec proficit in melius, nec mutatur in deterius, 187. Mutabile esse et locale Deo repugnat, 72. Nefas est credere in Deum aliquid quod non semper fuit noviter accidisse, 59. Inambulate in nobis dicitur Deus; non quod localiter moveatur in corde nostro, sed quod cor nostrum dilatetur in Deo, 109. Deus secundum divinitatem de loco non transit ad locum, 410. Cum dicitur Deus requiescere nos post bona opera requieturos ostenditur, 101. Immutabilis Dei consilio omnia immutantur, 187. In solo Deo perfecta plenitudo, securitas et gloria, 187. Deus hoc est quod habet et hoc habet quod est, 242. In Deo, quia non subiecit qualitati, absoluta omnia idem sunt cum essentia, 241. Nemo est qui suspicetur famem, sitim, etc., in divinitate posse cadere, 135. Tristitia, moror, tedium et pavor non possunt in divinitate cadere, 125.

Deus incorporeus, 12. Diversa corporalium membrorum vocabula in Deo invenimus, ut per harum rerum efficientiam substantiae ipsius incorporalis proprietates possit intelligi, 64. Deus invisibilis ex se, ut apparuerit visibilis, 119. Deus oculis corporalibus non videtur, 251. Nec ipsis Christi oculis, quia oculi non nisi corporea et a se distantia vident, 251, 255. Quibus oculis videatur Deus, 255. Invisibilis est alia ratione quam angelus, aut anima, 653.

Deus. Immensus a quo nihil localiter separatur, 347. Deus in omnibus creaturis, *ibid.* Nullo loco concludi potest, 87. Deus ubique totus, 409. Immensus probatur Deus in eo quod in secretis locis orare nos praecipit, 106. Dei immensitas per omnem locum diffusa sine quantitate, 512. Dei immensitas non est creaturarum qualitibus aestimanda, 71. Deus immensus virtute, non mole, 545, 543, 555. Necesso est ut naturaliter pronuntiatur immensus, quod est naturaliter sempiternum, 96. Deus ubique per naturam, licet non in omnibus per gratiam, 31, 345, 409. Deus ubique adest per potentiam, non ubique per gratiam, 97. Bonus Deus natura propinquat et gratia; in malis autem sola est immensitate naturali, 251. Deus non loco continetur, sed affectu percipitur, et ideo ab eo in quo non habitat non videtur, 235. Filius et Spiritus immensus sicut Pater, 588. Una est immensitas Patris, Filii et Spiritus sancti, *ibid.* Quomodo Deus in nobis inabit et inambulet, 109. Quid sit descendere et ascendere in Deo, 101. Deus adventit et recedit ineffabili et incomprehensibili modo, non tamen localiter moveatur, 100. Summa ac vera divinitas de loco ad locum transire non potest, 417.

Dei aeternitas. In Dei substantia nihil est quod non fuit, nihil potest non esse quod fuit, 68. Deus nihil ex indigentia paupertatis, sed universa ex abundantia bonitatis instituit, 572. Deus lux est, quia non sumus filii lucis, 61.

Dei scientia. Mirabilis Dei sapientia iude remedia sanitatis providens, unde exitium praedicavit, 422. Hoc est Deo videre quod esse, 98. Quidquid Deus videt non extra se videt, quia implet universa quae videt, 97. Tanta est Dei substantia, quanta visio ejus, 98. Quodammodo Deus omnia videt et quodammodo quaedam non videt, 97. Per potentiam Deus videt omnia, per gratiam illud videre dicitur quod ipse largitur, *ibid.* Dei scientiam ex humanis voluntatibus atque actibus pendere imple dicitur, 487. Quomodo Deo vix quaedam ignota dicantur, 25. Deus vere agnoscerit qui occultorum cognitor juvenitur, 211. In aeternitate incommutabilis voluntatis suae creator jam fecisse dicitur quod in creatura mutabilis prout opportune faciendum dis;osuit, sic rite dispositum facit, 10. Ipsa una veritas est naturaliter una vera divinitas, 201. Deus hoc donat quo semper est plenus, 161, 163.

Dei misericordia et justitia. Deus semper misericors et justus, 449. Scriptura divina sanctam Trinitatem unum Deum praedicat principaliter tam misericordem esse quam justum, 364. Metuenda Dei justitia, 8, 365. Dei misericordia et pietas ubique in Scripturis praedicatur, 17. Quae nec bona nec justa Deo bono et justo indigna, 12. Ea perverse Deo tribuuntur de quibus homines a Deo liberantur, 151. Deus medicus noster peritus et bonus, ideo nulla est infirmitas quam sanare non possit, 191. Deus plus amendus et honorandus quam rex temporalis, 71. Deum valde contemnit qui parum eum metuit, *ibid.*

Deus est lux et veritas, 15. Deum nullus valet enarrare, nec impune alicui licet ignorare, 53. Ignoratio Dei demonum servitus est, *ibid.* Non potest homo de Deo ut par est loqui, 532.

Dei praescientia vera et incommutabilis, 441, 529. Quae Deus praescit futura, incommutabiliter futura sunt, 442. In Deo solum est earum rerum praescientia quae vera futurae sunt, non earum quae futurae non sunt, 441, 442. Deterius de Deo non sentitur quam si futurae operationes immutabile Dei consilium negetur, 487. Quae futura sunt quomodo apud Deum jam facta dicantur, 482. Ubi quaeliam non videt ut tribuat, videt ut retribuat, 97. Peccata ho-

minum cuncta præcivit Deus, 23. Sanctus Augustinus a his atque evidenter ostendit quia Deus peccata hominum præscientia vidit quibus sententiam prædestinatione dictavit, 23, 24. Ad prædestinationem Dei quænam pertineant, 484. Quidquid ad naturam Domini Dei solius non pertinet, ut Deus a nobis adorari non debet, 65. Angelus et homo sanctus sic Deus dicitur ut angelorum aut hominum Deus nulla ratione dicatur, 230.

Dei potestas minor non est quam ejus voluntas, 488. Sola divinitas plenam habet potestatem, 129. Non indignè dicitur aliquid Deum nolle quod possit, nefas est autem si quis omnipotentem dcat aliquid facere non posse quod velit, 322. Non aliud est in Deo velle quam posse, 11. Deus quantum vult tantum potest, *ibid.* De solo Deo digne dicitur quod omnia quæcunque voluit fecit, *ibid.* In Deo nulla est infirmitas, 133. Ibi naturaliter plena est potestas, ubi nulla potest esse passio infirmitas, 129. Tanta est in Deo virtus voluntatis quanta voluntas virtutis, 11. Nunquam deest voluntatis Dei effectus, quia ipsa non aliud est quam virtus, *ibid.* In illo digne plena potestatis creditur, cui tantum posse quantum velle, et tantum velle quantum posse naturaliter suffragatur, 129. Dei voluntas mutabilitatem non subjacet, quia in illum existendi non habet, 10. Ejus voluntas in opere novo, nova esse non potest, 7. Deus quod vult semper inseparabiliter facit, 384. Deus nulla re adversante impeditur ne id quod promisit aut minus quam vult aut tardius faciat, 11.

Dei voluntas semper impletur, quia potestas ejus nullatenus vincitur, 275. Voluntatis Dei, sicut mutari in dispositione non potest, ita nec prohibetur nec impeditur potestas in opere, 384. Dei voluntas circa hominum salutem, 488, 489, 490. Deus quos vult salvos facit, 317. Voluntatis Dei non æqualis circa omnium salutem, 317, etc. Illa Apost. sententia, *Ergo cujus vult miseretur*, ex persona confirmantis scri. iuda, 275. Qui æqualem voluntatem Dei circa redimendos et damnandos existimant, cum interrogati fuerint cur non omnes salvi fiant, non habent quid respondeant, 318. Qui sint illi omnes quos Deus vult salvos fieri, 274. Qui sint illi omnes ex B. Petri voce intelligitur, 320. Alio S. Pauli loco ostenditur, 321. Cur omnes dicti sint, *ibid.* Per omnes non semper omne omnino humanum genus intelligit Scriptura, *ibid.* Sic omnes quos Deus vult salvos fieri intelligendi ut nec aliquem putemus salvari posse nisi volumus a e. Dei, nec voluntatem ejus in aliquo non impleri aut aliquatenus impediri, 319, 320. Omnes homines quos vult Deus salvos fieri ideo omnes dicuntur quia ex omnibus eliguntur, 491. Vox omnis dicitur non sing. la generum, sed genera singulorum, 321. Familiaris ista significatio sacris litteris, *ibid.* *Ergo cujus vult miseretur et quem vult indurat* non est interrogatio, sed sententiæ conclusio, cur, 474. Solvitur argumentum eorum qui dicunt, cur Deus omnes non facit credere, cum acceptio personarum non sit apud eum, et scriptum sit, quod omnes homines vult salvos fieri, 283, 285. Christus salvos fieri noluit quibus nec Patrem nec seipsum revelavit, 188. Christus quibusdam sic locutus est in Evangelio, ut verba sua vellet audiri, nec vellet intelligi, *ibid.* Deus qui usum suum denegat agnitionem denegat et salutem, 489.

Diabolus princeps muscarum non quod muscas creet, sed quod in iniquis regnet, 450. Unius impietatis est rursus si quis diabolum aut non a Christo creatum, aut reconciliationi Christi credat quandoque reddendum, 323. Diabolus ex conditione non habuit originem criminis, 172. Demones credunt, sed non diligunt, 510. Diaboli studium est homines ad supplicii societatem vel etiam invidos trahere, 363. Fornicarii, idololatæ, adulteri, etc., diabolo aperte militant, 172. Diaboli in s. iritates insidiæ occultiores sunt, *ibid.* Diabolus in operibus misericordiæ facit superbiam pullulare, 171.

Dioscorus hæreticus anathematizatur, 291.

Discretio bonorum aut malorum spirituum inter s. irritalia dona numeratur, 463.

Dispensator evangelicus quis, 517.

Dividere. Hoc est dividere, ut unusquisque noverit pro congruentia temporis quid omittere debeat, quid tenere, 283.

Divitiæ. Bona temporalia bene et male haberi possunt et contemni, 155. Hujus vitæ bona hominem beatorem non reddunt, *ibid.* Job beator pauper quam dives, *ibid.* Lazarus beator in paupertate quam dives in divitiis, *ibid.* Dives pauper in divitiis, famelicus in saturitate, *ibid.* Dives non ob aliud inextinguibilis flammis ardet nisi quod Lazaro pauperi continua esurie laboranti nunquam voluit saltem micam convivii sui, mortifera præditiæ iniquitate largiri, 307. Quinam sunt qui confidunt in virtute et in abundantia divitiarum gloriantur, 138. Quod divitiis contemnamus, et de contemptis non superbiamus, non homini dat natura, sed gratia, *ibid.* Frustra contemnit lacrimas suas, qui noxias lætantiæ tenet in corde divi-

tiis, 160. Deus in iis qui divitiis contemnunt, non quantitatem facultatis, sed qualitatem voluntatis attendit, *ibid.* Divitiis comparandi cupiditas in iis qui illos carnis relicti sunt culpabilis, sed in iis qui non sunt relicti culpabilior multo est, *ibid.* Magis bene operando filius consulitur quam divitiis colligendo, 150. Increpato Domini ad stultum divitem multum timenda, 160. Christi prohibitio de divitiis thesaurizandis omnes fideles perstringit, *ibid.* Divites quantum debeant pauperibus subvenire, 376. Quisquis in fide vera sancte vivit dives est, 47.

Donum non dicitur quod gratis non donatur, 13. Donare et reddere in quo differant, 454. Dona Dei alia desitura, alia duratura, 154, 155.

Dubium. Quo animo esse oporteat in dubiis, 496.

E

Ecclésiæ sancta quid, 264.

Ecclésiæ una est, 574. Ecclésiæ una et tamen plures in ea Ecclésiæ nominantur, 253. In domo Raab meretricis catholica ex gentibus præfigurabatur Ecclésiæ, 376. In arca Noe et in domo meretricis Raab una eademque præfigurabatur Ecclésiæ, 375. Catholica Ecclésiæ non reperitur dici in scripturis, 63. Ecclésiæ sponsa Christi, 166. Corpus Christi, 641. Familia supra quam servum constituit Dominus Ecclésiæ est, 347. In illa virgine quæ ex viri fiesbat costa, futura jam tunc præfigurabatur Ecclésiæ, 165. Ecclésiæ vi go est quia incorrupta perseverat in Christo, 166. Ecclésiæ mater est quia fecundatur a Christo, *ibid.* Ecclésiæ nomen quo mater et virgo dicitur Isaias prænuuntiat, *ibid.* Ecclésiæ et virgo et vir ab Apostolo dicitur, *ibid.* Ecclésiæ nisi virgo semper esset mater esse non posset, *ibid.* Ecclésiæ nec virginitas fecunditate corrumpitur, nec virginitas fecunditas impeditur, *ibid.* Habitatio juvenis cum virgine, de qua Esaias, Christi et Ecclésiæ conjunctio, *ibid.* Ecclésiæ columba dicta propter caritatem et simplicitatem, 143. Sola Ecclésiæ veram possidet caritatem, *ibid.* Sola Ecclésiæ veram possidet simplicitatem, *ibid.* Ecclésiæ crementa per omnes Scripturas promissa, 539. Ecclésiastica societatis unitas quantum valeat, 526. Extra dominicam arcam quæ est Ecclésiæ non potest nisi palea residere, 374. In sola Ecclésiæ catholica datur et accipitur remissio peccatorum, 374. Non salvat baptismatis meritum si deus ecclésiasticæ fidei caritatisque consortium, 375. Salvator sacramento baptismatis, quem usque ad obitum intra Ecclésiæ tenuit unitas caritatis, 375. Propter unitatem communionis Ecclésiæ prodest aliena confessio, 225. Christus soli Ecclésiæ ligandi solvendi que tribuit potestatem dicens, *Tibi dabo claves regni celorum, et quicumque ligaveris super terram, etc.*, 379. Deus Ecclésiæ catholicæ, in persona beati Petri, ligandi solvendi que tribuit potestatem, 517. Ligatus est omnis homo quem Ecclésiæ non solverit, 379. Extra Ecclésiæ sacramenta non prosunt ad vitam, sed ingerunt mortem, 377. In sola Ecclésiæ catholica caritas cooperit multitudinem peccatorum, 380. Nemo nisi in hac vita et intra catholicam Ecclésiæ operans æternam accipit in futura, 402. Non omnes qui intra Ecclésiæ catholicam baptizantur sunt accepturi vitam æternam, 530. Catholicum nomen non sufficit ad salutem, 580. In dono linguarum primis fidelibus concessa Ecclésiæ omnibus linguarum locutura significabatur, 569. Quidquid secundum Ecclésiæ constituta datur et recipitur, firma veritate datur et recipitur, 224. Quomodo Ecclésiæ dividit, 285. Diversi gradus in Ecclésiæ, et in unoquoque gradu diversa merita, 538. Intra catholicam Ecclésiæ in presenti sæculo justus et iniquus tenentur admitti sacramentorum communi one, non morum, 374. Intra Ecclésiæ sunt iniquus et justus, at extra Ecclésiæ nullo justus, 374. Arca Dei Ecclésiæ catholica intra quam boni et mali sacramentorum communionem usque in finem sæculi miscerunt, 530, 531. Judi, hæretici, schismatici, si extra Ecclésiæ moriantur, in ignem æternum ibunt, 530. Ecclésiæ civitas est supra montem posita, 45. Ecclésiæ catholica omnium baptizatorum etiam hæreticorum legitima mater, 378. Sicut extra domum Raab nemo salvus fuit, sic nec ullus extra Ecclésiæ hæreticus, schismaticus aut paganus, 377. Ecclésiæ oppugnari potest, expugnari non potest, 534. Quibuslibet viribus Ecclésiæ Dei quætere iniantur hæretici, subvertere eam non valebunt, 45. Ecclésiæ ideo nec seductione decipitur, nec violentia vincitur, quia interna virginitatis integritate fulcitur, 166. De Ecclésiæ catholica hæreses omnes exierunt sicut sarmenta inutilia de vite projecta, 534.

Electi cur inaccessibiles, 457.

Eleemosynæ nihil prosunt iis qui ideo impune se peccata credunt, 358. Divitiæ ad Christum præmittendæ, 160. De apparatus subtrahi debet quod egenis expendatur, *ibid.* Qui dat non debet se eo cui dat superiorum existimare, *ibid.* Si non omnes possunt implere quod Dominus ait, *Vendite quæ possidetis*, illud tamen quod adjecit dicens, *Date eleemosynam*, omnibus est possibile, cunctis et

esse commune, si adsit bona voluntas, 549. Non omnibus vendendarum rerum suarum ut deat eleemosynam inest virtus, 548.

ELISEUS duplicem spiritum petiit quam fuit in Elia, 251. Eliseus aequalem se faciens corpori pueri ipsum suscitavit, 200.

EMMANUEL nomine quid demonstratur, 75.

Epiphania interpretatur manifestatio, 538. In ipso die quo celebratur Epiphania adoratum a magis Christum traditum tenemus a Patribus, *ibid.* Dies adorationis magorum, ore cunctorum fidelium Epiphania venerabiliter nuncupatur, *ibid.*

Episcopi officium, 477. Episcopus dominari non debet, sed exemplum cunctis pietatis esse, *ibid.* In Ecclesia nemo pontifice aut episcopo potior, *ibid.* Episcopus est etiam dispensator Dei, 547. Ecclesie dispensatoribus quedam specialiter preceptum Dominus, 546. Dispensatoribus Ecclesie specialiter infungitur sancte predicationis officium, *ibid.* Ecclesie dispensatores sunt servi illi quos constituit Dominus super familiam suam, *ibid.* Hæreticos refutare officium episcopalis servituti est, 43.

Epistolæ B. Leonis, 281.

Error ovis non soli corpori ascribendus, 76.

ESAU incarnationis et passionis Christi prædicator, 135. Esau et Jacob figura populi Judæorum et populi gentium, 271. Esau figura non tantum eorum qui fidem negant, sed etiam eorum qui usque in finem vite in malis operibus perseverant, 272. Esau vas iræ, Jacob vas misericordie, *ibid.* In Esau et Jacob agnoscenda gratuita bonitas, et iusta severitas, 271. Circumcisio carnalis Esau non proffit, cur, 439. Quid in Esau oderit Deus, *ibid.* Esau in carne circumcisus non est a massa perditionis exceptus, *ibid.* Esau accepto circumcisionis sacramento reatu peccati originalis caruit, sed per nequitiam cordis in terreni hominis vilitate permansit, 272.

Essentia Latine, Græce, *id est*, dicitur, 503.

Eucharistia. Cur in pane Eucharistia conficitur, 227. Particeps sit unusquisque corporis et sanguinis Domini, etiam antequam illum panem comedit et calicem bibat de hoc mundo exeat, 227.

Eutyches unam in Christo naturam prædicavit, 236, 362. Eutyches hæreticus anathematizatur, 281. Eutychetis insaniam in Christo utramque nolentis veram prædicare naturam ex oblatione magorum confunditur, 362.

Evangeliorum conciliatio in tactu corporis Christi a Magdalena, 101 et seq.

Exempla potentium sæculi magnam vim habent, 186, 187.

Exploratores. Quid sit exploratores Jesu in superioribus vel in inferioribus collocare, 376, 377.

F

FACIENS quid, 425.

Familia regimen, 150.

Fastidiosus uno sermone catholicos sub Homonlanorum nomine, et Donatistas impugnavit, 209. Loca a Fastidioso alata non unitatem paternæ substantiæ adimunt Filio, sed incarnationem ostendunt, 347. Fastidiosus ex monacho et presbytero hæreticus, 340. A fornicatione corporali deductus est in spiritalem, 338. Fastidiosus casum luget Fulgentius, *ibid.* Fastidiosus in profano sermone quem habuit, quidquid contra Donatistas dixit de epistolis S. Fulgentii et aliorum episcoporum in Sardinia exsulum ad Stephaniam usurpavit, 349.

Fatigatio in resistendo concupiscentiis, 180.

Faustus Galliarum episc. de monasterio Lirinensi provertus, 281. Ejus scripta contra prædestinationem, *ibid.* et 276. Humano labori gratiam subjungit, *ibid.* Quomodo a Fulgentio convictus, *ibid.* Fulgentii libri septem adversus Faustum Regiensem, *ibid.*

FELIX episcopus, 286.

FERRANDUS diaconus Ecclesie Carthaginensis, 216. Ferrandus frequentissime legebat Augustinum, 238.

Fides catholica quæ, 528. Fides dubitationem excludit, 151. Fides est recta credulitas, ex qua omne quod non est peccatum est, et sine qua impossibile est placere Deo, 402. Fides una est quæ vera et non ficta, 218. Fides dicenda non est, ubi vera non est, *ibid.* Fides virtus est non quæ in demonibus invenitur, sed qualem Deus sanctis suis donat quos ex impietate justificat, 310. Homo naturaliter potest credere, quia datur ei a Deo ut credat, 311. Fundamentum omnium est credere in Dominum gloriæ crucifixum, 282. Fides a Deo datur, 9, 282, 305. Liberat Christum hominem non inveniendum fidem, sed dando, 305. Fides non cunctibus datur, 435. Fides quibus datur æqualiter non datur, *ibid.* et 452. Quod Deus non faciat omnes credere, hoc ad secretiora ejus judicia pertinet, 317. Sicut mortuus sine operibus fides, sic omne quod non est ex fide peccatum est, 385. Fides, iusti vita est, 197. Sic formatur fides

in nobis quomodo Christus in virgine, 308. Per fidem Christus formatur in nobis, *ibid.* Quæritur homo ut quærat, dum illuminatur ut credat, 311. In fide tantum quisque crescit quantum quod verum et salutare est discit, 197. In fide proficiet qui initium indubitanter tenuerit, *ibid.* Catholica fides nunquam nisi tribulationibus et persecutionibus crevit, 536. Apostoli fidem in se augeri postularunt, cur, 452. Fides quam necessaria, 500. Cognito Dei per fidem ab ea quæ est sine fide ut dicitur, 311. Sine fide qua in Deum credimus impossibile est placere Deo, 453. Sola mediatoris fides ab ira liberat, 527. Vera salus non erit ubi vera fides non fuerit, 406. Conscientia bona non est, nisi ubi est fides non ficta, 375. Vita bona veraciter non dicitur si cum recta fide non conjugatur, 383. Sola eorum recta credulitas ab æterna damnatione non liberat quem mortiferum cum hæreticis consortium usque ad finem vite condemnat, 365. Fides et misericors operatio in hac vita necessaria sunt, in altera non erunt, 135. Torpere non debet fidelis animus ad quærendum si quid in sacramento fidei sibi cernit ambiguum, 406. Conversio sine fide vana et nulla, 500. Sine fide nemo potuit ab initio mundi usque in finem a reatu peccati tam originalis quam actualis absolvi, 529. Bonæ voluntatis initium in fide consistit, 451. Non accipiunt in baptismo salutem qui non tenent in corde atque ore fidei veritatem, 218. Cordis puritas esse non potest, ubi fides non est, 21. Initium vite sanctæ a fide, 308. Recta fides in hac vita salus vera, 284. Fidem fictam Apostolus fidem vocat non secundum rei veritatem, sed secundum opinionem, 219. Fides bona non sufficit sine operibus bonis, 385. Fides per opera consummatur, 309. Fides vera quod credit non nescit, etiam si nondum prætest videre quod sperat et credit, 58. Sancti unum credunt quod aliquando visuri sunt, 10. Visuri sunt Deum mundo corde qui in eum credunt, 296. Paulus eundem habuit fidei Spiritum quem Moyses, quoniam David, 47. Apud Christianos pene idem fidem nolle asserere quod negare, 69. Fides et baptismus ad salutem necessaria, 524. Fidei nostræ auctor et consummator Jesus, 509. Hoc Apostoli oraculum, *Certe creditur et dicitur, ore autem*, etc., omnem ecclesiasticam prædicatoris personam non tantum fidei, sed etiam servitii quadam communione perstringit, 70. Jubente B. Petro omni poscenti rationem fidei specieque nostræ reddere, cessat prorsus universæ tam dignitatis et cepit quam personæ, *ibid.* Libera pro fide responsio contumaciæ aut contumeliosæ nomine notari non debet, *ibid.* Pars est victoriæ, ut quoad quis sermone non potest defendere veritatem, fidei tamen corde devitet errorem, 198. Assertionis defectus agnoscitur quando quis ita fidei alterius destrueretur nititur regulam, ut credulitatis suæ firmam velit proferre sententiam, 57. Nemo invitus fidem negat, ideo omnes qui negant inexcusabiles sunt, 534. Pleraque antiquitas non dicta pro temporum causarumque opportunitatibus invenitur professioni fidei inserta, 65. Quomodo tractandi in fide alter sentientes, 275.

Figuræ. Dividit sancta Ecclesia figuras a veritate, uturas a corpore, 263.

FILIUS Dei. Quod Filius sit Deus æqualis Patri, altissimus sicut Pater, vita ut eadem faciat ac Pater, 577 et seq. Æqualis Patri Filius quia de incommutabili et æterno Patre est genitus, 60. Æqualis Patri Filius, ut luci splendor, 98. Pater lux, et Filius splendor Patris, *ibid.* Filius ita verus Deus dicitur, ut Pater Deus verior non dicatur, 202. Illud quo dictum est *Ego sum et si sam*, Filio convenit, 118. Filius de Patre, dies de die, et una dies, unus Deus, 553. Quid sit in forma Dei esse Filium Dei, 287. Filius non est minor Patre, sed æqualis Patri, 202. *Ego et Pater unum sumus*, non ad voluntatis concordiam, sed ad substantialem unitatem referendum, 62. Hæc verba, *Quæcumque Pater facit hæc eadem et Filius*, demonstrant æqualitatem Filii cum Patre, 199. Filius æqualis Patri propter divinitatem, minor propter humanitatem, 202. Recta fides de divinitate Filii Dei, 112. Testimonia de Filii deitate, 538, 539, 540. Filius Dei et Pater in se et se in Patre esse testatur, 49. Filius apud Patrem est non quomodo hospes apud hospitem, sed sicut est in mente verbum, in corde consilium, 56. In forma veri Dei unum esse potuit Deus, 203. Filius æqualiter cum Patre honorandus, quia ex Patris essentia genitus est unus cum Patre Deus, 59. Filium Dei angeli in coelis adorant, 65. In forma servi positum adorare jubentur, *ibid.* Filius solius Patris ab æterno Filius, 525. Filius de natura Patris est et Patri coæternus, 602, 657. Filius non imitatur Patrem, nec similia cum eo facit, sed eadem, 539. In eo quod dixit *unum*, agnoscitur non aliud esse Filium quam Patrem est, et in eo quod dixit *sumus*, agnoscitur non ipse Filius esse qui Pater est, 63. Dei Filius quemquam personalia habet, quamquam cum Patre et Spiritu communia, 509. Filius aut Spiritus non est aliud a Patre propter essentialis unitatem, sed alius propter personam diversitatem, 503. Filius

eadem facit quæ Pater non per imitationem, sed per naturalem virtutis atque operis unitatem, 593. Hoc Patris et Filii demonstrat æqualitas, ut quidquid fuerit derogationis vel honorificentia simul sit utrique commune, 60. Dum Filius a Patris aequalitate discernitur, magis Patri quam Filio detrahitur, *ibid.* Injuria Patri inferatur ab his qui minorem Filium asserunt, 64. Imo divina naturæ contumelia est si Pater Filium generans non potuit esse in Filio quantum permanet in seipso, *ibid.* Fili Dei injuria in Patrem redundat, 43. Hæc verba, *Et domui Judæ miserabor, et salvabo eos in Domino Deo suo*, Filii divinitatem probant, 199. Ariani sic Deum Patrem Dominum omnium esse contrahunt, ut et divinitatem Filii tanquam minoris Dei subjungere contentant, 199. Filius ex substantia Patris, non ex voluntate natus, nec ex nihilo, nec ex aliquo alio, 58. Deus est qui per semetipsum jurat, qui populum suum salvat, qui juste judicat, cui flectitur omne genu et a quo cuique est retributio reddenda factorum: iste autem Filius est, 67. Filius Dei adversatur qui Patrem in ipso, et ipsum in Patre per unitatem naturalem denegant esse, 91. Generatio Filii non separationem monstravit, sed errorem confusionis exclusit, 91. Veram Filii divinitatem datum est agnoscere, licet non sit datum qualiter natus fuerit enarrare, 83. Ubiqueque divina Filii divinitas demonstratur, non dicitur quando natus sit, sed ante semper ponitur, ut quidquid homo infinitatis æternitatisque cogitare voluerit, ante omne quod cogitatione concipitur, Filii semper divinitas cogitetur, 85. Deum non ita solum Filium accipimus ut ab eo Patrem et Spiritum sanctum separemus, 67. Genitum nomen non est divinitatis in Filio, sed divinitatis in Deo, 113. Non potest totum nosse Filium qui totum non noverit Patrem, 250. Filius Patri coæternus, Patris virtus et manus, 91. Nec Filium sua natura præcessit, 608. In principio Evangelii, secundum Joannem, sempiternitas, immensitas et natura Filii monstratur ubi dicitur, *In principio, etc.*, 92. Filius est alter a Patre in persona, non alius in natura, 532. Primam divinitatem Filii Dei nullatenus præcessit æternitas Patris, 203. Quod dicitur de Unigenito Deo, etiam de eius divinitate prædicatur, 245. In hoc quod per Verbum Deus Pater omnia fecit, ostenditur quia hoc Verbum genuit ipse, non fecit, 532. Filius dicitur Patre minor pie quidem si attendatur natura humana, impii si divina, 317. Immutabilis Filius sicut Pater, 113. Motio localis Filii Dei divinitati non sine æternæ salutis dispendio assignatur, 72. Filius Dei mortuus dicitur et resurrexisset propter unitatem personæ Dei et hominis, 138. Filius Dei ubique semper per potentiam et divinitatem, secundum gratiam in mundum venit cum pereunt mundo subvenit, 103. Filius essentialiter natus de Patre essentialiter conceptus natusque de Virgine, 524. Filius sine diminutione deitatis homo factus, 509. In eo Filius Dei dicitur in mundum venisse, in quo formam servi cognoscitur accepisse, 410. Filius personam hominis non accepit, sed naturam, 412. Solum Filium carnem induit, 416. Filius de matre perfectus homo genitus, sicut de Patre perfectus Deus, 524. Solum Filium incarnatus et pro nobis mortuus, 414. Divinitas in Filio Dei et humanitas utraque perfecta, 15. Filius solus pro nobis servilem formam accepit, et inseparabilis a Patre et Spiritu permanet, 417. Solum Dei Filium carnem suscepit, 414. Non fuit locus anterior Filio Dei in quo nasceretur, 96. Deus per Filium omnia fecit, 119, 524. Et ipse cum Patre et Spiritu sancto legem dedit, 524. Reconciliati sumus per solum Filium, sed non soli Filio, 310. Solum Filium cum hominibus conversatus et traditus, 415. Filius Dei factus homo ut nos filii Dei essemus, 293, 412. Filius Dei naturæ nostræ participes esse debuit, 415. Filius Dei quia solus natus est de Patre, solus nasci potuit de Virgine, 413. Filius tradidit se et traditus est, 414. Secundum naturam humanam Dei Filius humiliatus et exaltatus est, 412. Fuerunt tempore Fulgentii qui divinitatem passam fuisse assererent; horum impietas major quam militum Christi illius perforantium, 111, 112. Patrem Filium ita revelat ut diligere faciat, 456. Et Pater Filium et Filius seipsum suscitavit, 158. Filius solus ab impiis secundum carnem videtur, a justis secundum deitatem tota Trinitas videbitur et cognoscetur, 256.

Filii Dei. Multi filii Dei sunt ex gratia, unus ex natura, 114. Necessitas distinctionis inter gratia Filium Dei esse et natura, 50.

Filiorum educatio. Heli reprobus quia in filios competentem severitatem non animadvertit, 150. Filii in disciplina et correptione Domini nutriendi, *ibid.* Pare tum erga filios negligentia severissime iudicanda, *ibid.* Filii permitteunda non est luxuriosa vita aut impudica, sed castæ imponenda: vitæ formula, *ibid.*

Flagitium quid, 425.

Fletus humilium carnalis concupiscentiæ interitus, 179. Flendum in hac vita, *ibid.*

Fons in fontis benedictione, cur postuletur adventus Spiritus sancti, 286.

Fortunatus episcopus, 269, 277.

Fuga Christi in Ægyptum, 500.

Fulgentius varias occupationes invitus tolerabat, 3. Monimus crebris litteris Fulgentii responsum efflagitavit, *ibid.* Fulgentii in docendo humilitas ac modestia, 5. Fulgentii amor erga veritatis cupidus, 3. Fulgentii libri de Veritate, præd. et grat., 275, 276.

Funiculus corcineus in fenestra Raab appensus quid notet, 377. Quinam funiculum corcineum per fenestram domus suæ suspensum habeant, *ibid.*

Futuri non potest habere vocabulum, quod præsentis appellatione non sit quandoque censendum, 412

G

Gallæ nobilitas, 160.

Gallina creata ut recitetur homo infirmus, 430.

Gallorum objectiones ad opus S. Augustini de Prædestinatione sanctorum, 26. Responsio Prospero, *ibid.*

Gelasii papæ doctrina de duabus Christi naturis, 243, 214.

Gemere. Quomodo gemere aut postulare dicitur Spiritus sanctus, 581. Christus pro nobis orat, nec gemit, 586.

Generatio Filii Dei inenarrabilis, non tamen ignorabilis, 53. Divinam generationem digne cognoscimus cum et veram generationem dicimus, et inenarrabilem prædicamus, 53. Solum Patris propria est generatio, 243.

Genitum non idem quod creatum, 55.

Gladius acutus utraque parte de ore Jesu procedens Spiritus sanctus, 535.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto in hymnis et psalmis, 642. Una gloria datur Trinitati, *ibid.* et seq. In Apocalyp. ab angelis et senioribus, 645 et seq. Gloria hujus vitæ spes est futuræ gloriæ, 15. In divitiis non quaerenda gloria, 138.

Glorificatio sanctorum, donorum est perfectissimum, 13. Donum perfectum omnibus dandum in glorificatione, *ibid.* Glorificare est gloriosum facere, *ibid.* Veram justitiam nisi justificatus non habet, veram gloriam nisi glorificatus non habet, *ibid.* Retributio gloriæ misericordia dicitur in Scripturis, 9. Gloriæ retributio omne meritum datæ a Deo bonæ voluntatis et operationis incomparabiliter excedit, *ibid.* Deus in glorificatione sanctorum præcavit gratiæ suæ opera, 10. Donum gloriæ a Deo, 13. Cur gratiæ opus glorificatio, 9. Quomodo Deus ad gloriam faciat homines pervenire, 7.

Gratia quid, 9. In Script. misericordia nominatur, *ibid.* Gratia exemplum in anima et carne, 312. Oratio S. Basilii Cæsariensis episcopi ad gratiæ commendationem, 263.

Gratia gratuita Dei donum est, 450. Gratia gratis ita datur indignis, ut ipsa et exordium et profectum bonæ voluntatis operetur, 287. Non est gratia donata velut si quis accepto pignore det pecuniam, 273. Non quia volumus gratiam accepimus, sed necdum volentibus nobis gratia data est, 452. In tractanda gratia sanctorum Patrum qui de ea locuti sunt sententiis adhaerere qui participes vitæ æternæ fieri desiderat, 472. Quid Romana Ecclesia sentiat de gratia apud Augustinum legitur, 275. Gratia non nisi humilibus gratis datur, 175. Gratia sicut nisi humilibus non datur, ita humilis homo esse non potest nisi deus, *ibid.* Deum sicut humiliter laudare debemus cum gratiam donat, sic nemo iuste potest accusare cum denegat, 446. Consilium voluntatis Dei quo gratuita misericordia prærogat misero aut debiliam justitiam rependit injusto non est injustum, sed occultum, 7. Firmiter tenendum nullam facultatem inesse bonæ voluntatis aut operis, nisi id Deus gratuito miserationis munere contulerit, 161. Non omnia quæ habere possumus ex nobis habere possumus, 312. Christum dilecturus nemo fuit nisi quem Christi gratia prævenit, 176. Gratia ut eligatur prius eligi, 450. Prævenientis gratiæ necessitas, 307, 308. Initium non expectat humanæ voluntatis, 275. Præparanda voluntas et danda in Scripturis promittitur, 7. Non expectat hominis voluntatem ut eam bonam faciat, 318. Exemplum in Paulo, *ibid.* Probatur ex psalmo, *Et dixi, Nunc capti, etc.*, *ibid.* Cui non datur necesse est ut sermone ei repugnet aut opere, 270. Omne opus quod a nobis in Deo fit Deus in nobis facit, 8. Adjutorium divinæ gratiæ, quavis jam habitum, humiliter est sine intermissione poscendum, 174.

Susceptio et desiderium gratiæ opus ipsius est gratiæ, 450. Manifestatio illa qua cognoverunt Deum qui cognovum non dilexerunt, gratiam non habuit qua Deus sic cognoscitur ut ametur, 457. Omnis sapientia humanæ mentis ad intelligentiam divinam prædicationis invalida, nisi Deus qui docet exterius per hominem loquentem, per seipsum interius docens illuminet atque adjuvet audientem, 456. Sermo divinus frustra exterioribus auribus sonat, nisi Deus spiritali munere auditum hominis interioris aperiat,

335. Gentes quæ naturaliter ea quæ legis sunt faciunt Christiani sunt gratia aduti, non inlides, 313, 317. Diaboli laqueos nemo potest propriis viribus evadere, nisi quem Deus gratia sua per Jesum Christum dignatus fuerit liberare, 179. Sicut omnia bona nonnisi Deo largiente accipimus, sic omnia quæ accipimus nonnisi Deo custodiente servamus, 472. Numquam homo congrua custodia servat cor suum, nisi fuerit ipsum cor Deo custodiende servatum, 471. Gratia nullatenus agnoscitur nisi letur, 270. A Dei gratia sermo bonus et opus bonum, *ibid.* Gratia ab eis agnoscitur quibus datur, quibus vero non datur ignoratur, *ibid.* Patrum sententia de initiis, profectis et consummatione operantis in nobis gratia, 472. Ut desideremus adiutoriam gratiam, hoc ipsum quoque opus est gratiæ, 188. Non potest quisquam hominum, sive ad cogitandum, sive ad operandum quodeunque bonum esse idoneus, nisi fuerit munere gratuito divinæ opulationis adjutus, 178. Laudandus Deus in utroque, sive cum nos ad se quærendum dormientes exsuscitat, sive cum se invenientium nobis quærentibus donat, 4. Nullatenus invenitur nisi ipse nos excitet ut quærat, *ibid.* Gratiam nemo potest postulare nisi velit, sed nisi in eo Deus ipsam voluntatem operetur, velle nullatenus poterit, 188. Solus Deus potest in accipiente custodire quod dedit, 178. Ad cognitionem Dei necessum est exemplum et auxilium, 89. Quod det ut iudicia ejus observemus et factus pertinet ad bonæ operationis effectum, 7, 8. Creaturarum perseverantia in bono et incrementum gratiæ opus, 188. In damnatis Salvatoris gratia chirographum non delevit quo sibi eos deceptoris nequitia subdidit, 449. Adjutorio Dei desistente non possumus aliquid boni velle seu facere, 161. Cursus quo currimus ad Deum viribus nostris non potest assignari, cur, 183. Nisi ille donet esurienti qui de cælo descendit et se ad satios esurientes dedit, non possumus cælestem panem esurire, 4. A damnatione nemo solvitur nisi gratia redemptoris, 292. De illo quod dictum est, *Faciatis ut facialis*, 12. Fieri non potest ut gratiam quisque accipiat et opera gratiæ ipsa gratia in se operante non faciat, 483. Cognoscentes Deum gratias non egerunt, quia gratiam non acceperunt, 457. Totum Deo tribuendum etiam quod nostrum esse dicimus, 12. Gratia amplius infunditur cum poscentibus datur, 183. Gratia non omnibus datur, 273. Et quibus datur non æqualiter datur, *ibid.* Sancti Patres cognoverunt, cognoscendumque libris et epistolis reliquerunt, gratiam Dei non omnibus hominibus generaliter dari, 450. Gratia parvulis revelata, sapientibus abscondita, non omnibus datur, 456. Dei est gratiam quibus vult et quantum vult incrementibus hominibus largiri, 459. Non omnibus gratia datur, et quibus datur non omnibus æqualiter datur, 451, 452. Gratia qua salvamur præcedenti bono merito non datur, nec nisi malo merito denegatur, 437. Non est cunctorum nasci per gratiam sicut per naturam, 409. Perversi de gratia juste donegata injuste queruntur, 474, 475. Sanctis major gratia et valentior datur quam quæ data est Adamo, 494. Tanta est gratia in unoquoque qui accipit quantum Deus gratuita miseratione cordi accipientis infundit, 450. Primus homo habuit gratiam qua posset in recitidine perseverare aut ab ea discedere si vellet, 492. Paulus in mente habuit gratiæ fortitudinem, in carne arbitrii infirmitatem, *ibid.* Gratia quam Deus vasis misericordie gratis donat, ab illuminatione cordis incipit, 450. Gratia operatio, 408. Gratia Dei hoc agit ut ex malis faciat bonos, 453. Gratia prævenientis et subsequentis effectus, 468, 469. Deus in hac vita per misericordiam gratis justificando prævenit quos in altera vita per justitiam glorificare disponit, 516. Primo inchoat in homine voluntatem bonam, 7. Adjuvat inchoatam ut bona sit, et malum superare concupiscentiam possit, *ibid.* Facit denique ut concupiscentiam habere non possit, *ibid.* Gratia exordium in sola cordis illuminatione consistit, 451. Male gratia voluntati postponitur, 403. Gratia Dei prævenit et subsequitur liberum arbitrium, 466. Gratia prævenit implium ut justus fiat, prævenit illisum ut surgat, subsequitur iustum ne fiat impius, subsequitur elevatum ne cadat, 9. Prævenit Deus non solum dilectione qua diligit, sed etiam dilectione quam gratis ut diligitur infundit, 176. Eadem gratia in majoribus salvandis operatur bonæ voluntatis initia quæ in parvulis sine voluntate operatur salvationis effectum, 519. Bonam voluntatem hominis non expectat Deus, sed ipse eam tribuit, 518. Parvulorum qui salvantur exemplo probatur, *ibid.* Gratia non ob aliud datur, nisi ut bonam voluntatem in homine primitus operetur, 450. Gratia et prævenit et subsequitur voluntate n, 451. Per gratuitam gratiam non solum originalis et actualis culpa deletur, sed et facultas sanctæ cogitationis amissa in primo homine reparatur, 389. Gratia hominis voluntatem bonam non invenit, sed facit, 450. Bonam voluntatem gratia non invenit, sed operatur in homine, 320. Quod Deus det cor novum ut ambulemus in eo, pertinet ad bonæ voluntatis initium, 7.

Deus in nobis operatur ut velimus et ut faciamus, 451. Quod gratia suscipitur ab homine ipsius gratiæ opus est, 459. Ex gratia est non solum vita bona quæ datur justificatis, sed et vita æterna quæ datur glorificatis, 8. Mors peccati stipendium, vita vero æterna, gratia est, cur, *ibid.* 11. 9. Deus in retributione mercedis æternæ donat gratiam digno, 7. Eadem est operatio gratiæ, quæ meritum hominis bonum et initiat ad justitiam, et consummat a gloria, *ibid.* Quod cælestis regnum ab initio mundi sit cælestis præparatum gratiæ opus est, 8. Gratia quando prævenit, quando subsequatur, 488. Homines Dei gratia servantes ut liberavit, 467. Gratia benedictio nam est ut mens hominis prævenit et adjuvanda virtute divina occupat cogit, 171. Vocatio, justificatio, glorificatio ab uno Deo, 13. Tam parvulorum quam hominum ratione utentibus voluntates sola Dei misericordia convertit, 474. Gloriæ retributio cur gratia dicitur, 9. Non potest deliquere quem dignatus fuerit Dominus custodire, 161. Gratia præsentis vite in futuri sæculi remuneratione gratia permanet, 9. Gratia Dei vita æterna ab Apostolo dicitur, cur, 485. Per gratiam Dei fit ut plures homines uno nomine nunupentur, 253. Obediens voluntas Virgini et conceptio Salvatoris ex gratia, 308. Gratia auxilium non obtundendum ad desiderium, sed operandum ad salutem, 461. Per solam civitatem fraternæ salutis, gratia demonstratur et auge ut in nobis, 369. Dum gratia aut liberum arbitrium defenditur, ita servari debet discretio, ut neutrum tollat alterius defensionem, 459. Quomodo conveniat liberum arbitrium et præceptum cum gratia Dei, 273, 274. Gratia Dei liberum a bitrium non aufert, sed liberat, 283. Digne utrumque tenetur, sicut et sola Dei misericordia salvari hominem, nec tamen nisi laboraverit salvum esse possit, si rectus ordo divinæ servetur misericordie et voluntatis humanæ, ut illa præveniat, hæc sequatur, 273. Quomodo Apostolus utrumque jungat et præcepta dari homini ut velit et operetur, et Deum utrumque operari in homine, *ibid.* Jubet Deus homini ut velit, sed operatur et velle, jubet ut faciat, sed Deus in eo operatur et facere, *ibid.* Per gratiam humanum arbitrium non aufertur, sed sanatur, 309. De his qui dicunt, meum est recte credere, Dei autem gratiæ adjuvare, 305. Laborem suum debet quisque gratiæ deputare non sibi, 470. Nemo quod quærens inveniat, petens accipiat, e. e., debet suis viribus assignare potendi, quærendi, pulsandi, etc., studium, 471. Hoc in Paulo gratia operabatur ut nec deiciendo foret torpidus, nec superbiendo ipsi gratiæ esset ingratus, *ibid.* Quod Paulus laboraverit gratiæ in se operantis opus fuit, 470.

Gratiæ semper Deo agenda, 181. Quomodo gratias agimus Patri et Filio, et Patri per Filium, 642. Utrumque faciendum in sanctis eloquiis invenimus, 642, 643. Sic necesse est gratias agere sicut nos gratiam certum est accepisse, 643, 644.

Gulæ delectamenta fomes libidinis, 171. Deum sibi ventrem faciunt qui gulæ serviunt, 220.

H

HABITANT in nobis Pater, Filius et Spiritus sanctus, 106, 109. Hæc habitatio localis non est, *ibid.*

Hæreditatibus nostris pignus Spiritus sanctus, 55.

Hæretici fideles dici non debent, 221. Privati luminis veritatis, illis se propositionibus veritatem superaturos arbitrantur, quibus ipsi superantur, 27. Hæreticorum proprium est ab auctore suo denominari, 355. Hæretici carnales sunt et animales, 355. Ideo spiritalium incapaces, *ibid.* Sna malitia excecantur, 26. Apud hæreticos Spiritus sancti gratia non est, nec eorum sacrificia, quoadiu tales sunt Deo placent, 38. Falsum Deum sub nomine veri Dei adorant, 221. Ariani [et alii] hæretici in hoc doleant quod Scripturas legunt, nec intelligunt, 352. Apud hæreticos non est veritas, sed fictio fidei, ideoque nec caritas de corde puro, 218. Hæretici ex nobis exisse dicuntur, nec tamen ex nobis fuisse, 329. Non benediciuntur in semine Abraham, *ibid.* Facti sunt filii diaboli, non filii Dei, *ibid.* Tunicam Christi quæ inconsultis est, quæ est Ecclesia, scindere nituntur, *ibid.* Extra vineam operantur qui in hæresi bonorum operum studium gerunt, 403. Variæ hæreticorum sectæ, 553.

Hieronymus. Sancti Hieronymi secundum hebraicam veritatem translatio, 163.

Homicidium. Qui diligit iniquitatem magis homicida est quam qui occidit fratrem, 389.

Homo animal rationale mortale, 230. Ex se habet infirmitatem, non fidem, 452. Homine nulla creatura in terris dignior Deo inveniri potest, 573. Homo factus est ad imaginem non unius tantum personæ divinæ, sed totius Trinitatis, 604. Homo pater hominem filium tempore præcedit, quia ipse quoque esse temporaliter cepit, 246. In homine invenitur naturæ separatio sine separatione personæ, non contra, 230. Homo ante peccatum qualis, 633.

Conditio hominis ante lapsum, 313. Conditio hominis post lapsum, 314. Deus unigenitus humanam naturam tantum dilexit, ut eam non soluma potestate in illi angeli liberaret, verum etiam in seipso super omnes bonos angelos in Patris dextra collocaret, 334. Quid est quod dicitur, *Secundus homo de caelo celestis*, 121. Per primi hominis culpam corripit diabolus homini dominari, per secundi hominis gratiam cepit ab homine superari, 334. Homo gaudibus quadrupedibus dominatur, et a vilissimis pumicibus turbatur, cur, 421. Homo in se debet querere accusationem, defensionem et iudicium suum, 373. Ad veterem hominem pertinent non solum qui ignorant Deum, sed etiam illi de quibus dicit Apost.: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*, 973.

Opuscula Græce quid Latine sonent sancto Fulgentio, 373. Non habetur in Scripturis, dicitur tamen adversus Sabellium, 63. Dicitur propter eos qui separare nitentur Unigenitum a substantia genitoris, *ibid.* In hoc nomine non solum dicitur considerare debemus, sed sensum, nec attendere novitatem verbi, sed virtutem intelligere sacramenti, *ibid.* In hoc vocabulo sonus a quibusdam attenditur, *ibid.* Patres Nicæni trecenti decem et octo *Opusculorum* juxta evangelicam veritatem confecerunt, 333.

Homousiani ab Arianis catholici dicebantur, 209, 310.

Hora Christi hora erat non coactitæ mortis, sed voluntariæ passionis, 263. In illis horis quibus vocati sunt operarii, cognoscuntur mundi hujus ætates, quibus Deus ad opus bonum vocavit quos ad se gratuita justificatione converterit, 401. In hac horarum diversitate non incongrue possumus uniuscujusque hominis ætates accipere, 194.

HUMILITAS sum. Pont. Ejus testim. de libris Augustini, 274.

Humilitas et mansuetudo non habentur nisi a Deo accipiantur, 465. Deus donat per gratiam ut accipiens humilis fiat, 15. Augmentum humilitatis, gratiæ augmentum est, 189. Deus gratiam dando non invenit humiles, s. d. facti, 18. Humiliatio fietus, magnus est concupiscentiæ carnalis interitus, 179. Christus ignem venit mittere in terram ut omne superbiæ germen exurat, 177. Rationalis creatura elatione ut humilis, humilitate sublimis, 15. Facit cordis humilitas ut Deo assignemus quæ nobis ejus pietas donat, nobis imputemus in quibus cum nostra infirmitas exacerbatur, 177. Mortui quorum est abscondita vita cum Christo in Deo, humiles sunt et pauperes spiritu in hoc sæculo, 187. Humiles non sunt qui mundum diligunt, vel qui quod illud contemnant hoc viribus a se assignant, 187, 188. Perfectam humilitatem in hoc corpore constituit Dei justitiam non reddimus, 181. Tuac erit in nobis vera perfectio et excelsa humilitas, cum et in carne et in mente nostra nulla remanserit prava cupiditas, 181. Exemplo Apostoli non aliis, sed sibi ipsi debet se homo comparare, 174. Creatura rationalis cum supra se non sit, totam se vestigare non potest, ut eo magis admirans supernæ infinitatis magnitudinem, solo se ad cognitionem Altissimi humilitatis ascensu respiceret proveli, a quo superbiæ cogitationis casu quondam meruit segregari, 83. In conspectu judicis misericordis et justi non est accepta superba factatio honorum operam, sed humilis confessio peccatorum, 173.

Hypocritæ superbi mente, 173. Ab hypocritis iniquitas callide geritur ut humanis obtutibus justitia fallaciter ostendatur, 172.

I

Ignorantia. Quantum ignorantia peccati miscetur, tantum reatus peccatois augetur, 304. Peccata per ignorantiam committuntur quæ sine conversione cordis non remittuntur, 370. Pauli peccantis ignorantia docet ne quis sibi in peccatorum perpetratiõne de ignorantia blandiatur, 370.

Illusiones. Anima illusioibus impletur cum concupiscentiarum carnalium frequentibus tentatione concutitur, 179. Imago Dei in homine quid sit, 61 et seq.

Imitatio invenitur tantum in disparibus aut inæqualibus, 299.

Imperator vas in gloriam si in recta fide sancte vivat, et culmen regiæ dignitatis sancte religionis subiciat, 477. Imperatore Christiano nemo in sæculo celsior, *ibid.*

Impietas, quid, 373. Impius omnis iniquus, non vicissim, 373.

Incarnatio. Quomodo congrua fuit Christi incarnatio humanæ salutis reparandæ, 301. Natura humana callatenus ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi in unione Verbi Dei transiret, 291. Homo reparare nequivit hominem cum ipse alienæ opis indigeret, 89. Nec angelus potuit hominem reparare, cujus natura cadendi mobilitate fuit obstricta, *ibid.* Virgo Deum Verbum secundum carnem concepit et peperit, 291. Verbum non solum in Virgine caro factum est, sed etiam de

Virgine, 289. Probatur testim. Script. *ibid.* Caro Christi sine divinitate non est concepta, 323. Nec homo sine Deo, nec Deus sine homine conceptus est, 292. Creatus est in Virgine et de Virgine qui sibi de qua et in qua crearetur creaverat genitricem, 289. Nullum intervallum inter conceptæ carnis initium et concipiendæ majestatis adventum, 290. De Virginis carne accepti non peccati sordem, sed naturæ integram veritatem, 292. Verbum carnem conceptam non accepit, 290. Hæretici inhabitationem Filii Dei pro incarnatione credebant, et pro unitate et compositione inoperationem, 279. B. Virgo non humanis meritis, sed Dei dignatione Deum concipere et parere promeruit, 292, 293. Quia omnes homines ex coitu maris et feminæ nascentes ipsius conceptionis exordium habent originalis peccati contagione pollutum, ideo Christus humanam naturam sibi dignatus est unire ubi eam diabolus suæ parti dominique consueverat vindicare, 290. Verbum sic carnem accepit ut caro factum sit, 291. Unigenitus Deus in ea carne qua factus est homo non respuit humanæ conceptionis initia, cum in eadem carne Deus ipse immortalis permanens humanæ mortalitatis esset passurus extrema, 290. Sicut per mulierem de viro sumptam peccatum intravit in mundum, ita per virum de muliere sumptum salus hominibus data, 303. In incarnatione nec divinitas mutata in carnem, nec virginitas, 231. Verbum caro factum caro esse cepit, sed Verbum esse non destitit, 287. Christus factus est quod fecit, *ibid.* Deus homo factus est absque sui mutatione, 116, 118. Non magis cum temporaliter conceptus est Christus divinitatis suæ statum amisit, quam cum mortuus est, 291. Verbum antequam caro fieret non erat Christus, 295. Per exinanitionem non est credenda amissa aut diminuta æqualitas paternæ divinitatis in Christo, 288. Ex ancilla natus est servus qui ex Patre generatus est Dominus, 53. Nativitas Christi in carne causa spiritalis nativitatis nostræ, 293. Christus cur ex sola Virgine natus, 308. Maria genuit in tempore quem Pater ex æternitate, *ibid.* Solius Unigeniti Dei propria est utraque nativitas, 408. Vera fides de nativitate Filii æternæ et temporali, 304, 303. Utraque nativitas initio symboli innuitur, 634. Non tota Trinitas carnem sumpsit, sed sola Filii persona, quia duplex mansit in eo natura, 330. Nec confusa est utraque, nec alterutra consumpta, 350, 351. Incarnationis veritas unde ostendatur, 347, 348. Solus Filius æternæ genuit, 413. Non Pater, 408, 413, 415. Trinitas carnem non assumpsit, 409. Filio non est communis naturæ humanæ assumptio cum Patre et Spiritu sancto, quia non est communis persona, 333. Decebat solum Filium nasci de Virgine, *ibid.* Humanitatem Christi non sicut tota Trinitas fecit, sic tota suscepit, 332, 633. Non Trinitas nec Pater aut Spiritus, sed solus Filius incarnatus est, 296. Et passus est, *ibid.* Resurrexit et in cælum ascendit, *ibid.* Pater solus Filium genuit, sed non solus fecit, 247, 347. Sicut in mente sola cogitatio corpoream vocem accipit, sic in Trinitate solum Verbum Patris naturam humanam accepit, 354. Qui unam naturam incarnatam dicunt non evadunt significationem duarum, 144. Deus Verbum accepit naturam hominis, non personam, 323. Tota Trinitas carnem suscipere non potuit, 413. Verbum humanam naturam assumpsit, non personam, 291. Dei Filius carnem suscepit in unitatem personæ, non in unitatem naturæ, 330. Filii Dei exinanitio humanitatis est acceptio, 115. Una Verbi et carnis conceptio, non ut utraque natura una fieret, sed ex utraque unius Jesu Christi quæ semper erat persona constaret, 633. Idem Christus Deus et homo mortem suscepit humanitate, et mortem divinitate destituit, 97. Per mysterium incarnationis justitia, vita, salus, et libertas donata hominibus, 406. Cum una natura Dei Verbi incarnata dicitur, due naturæ unitæ significantur, 278. Post incarnationem non est facta quæritas in Trinitate, 280. In sacramento incarnationis recte intelligentiæ lineæ inveniuntur, 417. Canonice voluminum auctoritas simul et patrum dictorum doctrina atque institutio ad incarnationis Dominicæ mysterium comprehendendam, 287. Christus factus est homo ut quidquid in homine creaverat integrum, in se totum redintegraret assumptum, 292. Unus et idem Dei Filius temporaliter natus et sempiternus, localis et immensus, absens cælo, et deserens terram, nec tamen cælum deserens, nec terram dimittens, 107. Non ideo in Patre, Filio et Spiritu sancto putanda est communio humanæ susceptionis passionis aut mortis, quia eisdem est una trium natura, non est una persona, 245. Christus incarnatus lapsus offensionis, 72. Incarnatio Filii Dei cæcietatis et illuminationis occasio, 75. Incarnationem non credere aut male credere origo multarum hæreseum, 72.

Infantium sine baptismo moriuntium poena, 309, 310. Deus crudelis non est in damnandis infantibus quibus baptismatis beneficium non tribuit, sicut injustus non est in majoribus quibus bonam voluntatem non donat, 310.

Infirmus quid, 125. Infirmus duobus modis dicitur, 524. Infirmus pena peccati, 125. Infirmus animæ duplex, 324. Infirmus humani cur Christus se subdidit, 128. Veræ fuerunt in Christo, sed voluntariæ, 130, 131. Sancti ab humanis infirmitatibus ante mortem non liberandi, cur, 493.

Inimicus. Merces eorum qui inimicos diligunt filios esse Patris cælestis, 365. Ipse sibi est perniciosissimus inimicus, quisquis male vivens, vitam non mutat antequam finiat, 589.

Iniquitas quid sit, 572, 561. Iniquitas sicut non est in Deo, ita nec ex Deo, 16. Iniquitas est concupiscentia mala, *ibid.* Ex inordinato amore mundi, *ibid.* Deus potest iniquitatem punire, non potest facere, *ibid.* Sola iniquitas separat a Deo, 343. Brevem iniquorum vitam tormentorum aternitas excipiet, cur, 401. Injusti non pereunt eo modo quo volunt, 16. Quid in iniqui puniuntur sit Deus, 21. Iniqui quis dicendus, 375. Iniquorum mors duplex, 25.

Innocentes Christi martyres facti sunt, 560. Innocentes inanimè morerentur nisi Christi sanguine salvarentur, 561. Herodis innocentibus utiliter insanivit, 510. Herodis furorem ad innocentiam gloriam Christus permisit et ordinavit, *ibid.*

Innupta non debet corde carnalia cogitare, *ibid.* Innuptæ potior conditio quam nuptæ, 154.

Intellectus. Creaturæ rationalis oculus intellectus, 610. Angelus prospicere est intelligere, *ibid.*

Intelligentia quid, 553.

Invocare. Idem est invocare et nomen Domini quod invocare in nomine Domini, 29, 650. Invictum argumentum ex sacrificio et fide Abraham, 29. Patriarchæ et martyres Filium etiam invocaverunt, 639, 640.

Ira in Scripturis pro condemnatione ponitur, 11. Quandoque interitus vocatur, *ibid.* Ira Dei non est nisi ubi hominis iniquitas præcessit, cur, 21.

J

Jacob figura seminis Abraham, 271. In Jacob et Esau figura electorum et reproborum, 401. In Jacob et Esau nulla fuerunt operum merita, quæ unum facerent eligi, alterum reprobari, 436. Non sunt electi in Jacob humana opera, sed dona divina, 271. Deus in Jacob misericors, in Esau justus, 438. Jacob ante sæcula justificationis gratia præparata est, 439. Jacob non operum futurorum præsentia, sed Dei misericordia salvus factus, 433. Jacob electus secundum propositum Dei prædestinantis, non secundum meritum operis præteriti aut futuri, 437.

JANUARIUS episcopus, 269, 277, 236.

Jejunium voluntarium esuriem solum vel jejunantium, 160. Jejunis sic est adhibenda temperies, ut corpus nostrum nec saturitas excitet nec inedia immoderata debilitet, 170. Jejunis et orationibus insistendum, 160.

JESUS interpretatur salvator, 415. Jesus Christus non est nomen solius hominis, et aliquando secundum utramque naturam accipitur, 654, 653. Jesus Christus non est Filius Trinitatis, quamvis secundum carnem opus sit totius Trinitatis, 633. Jesus auctor est consummatorque nostræ fidei, 432.

JOANNES presbyter et archimandrita, 269, 434.

JOANNES diaconus, perlator Episc. ad episc. Africanos Fulg. et cæteros, 286.

JOANNES lector, 277, 283.

JOANNES monachus, 277, 285, 478.

JOB beatus in divitiis, beator in paupertate, 153.

JOSEPH vir Mariæ non ad concubitum corruptelamque carnis, sed ad testimonium custodiamque sacræ virginitatis et castissimæ fecunditatis, 289.

Judas peccati sui poenitentiam gessit, 192.

Judæi nec Christi divinitatem nec Mariæ incorruptam fecunditatem credunt, 73. Judæos incarnationem aure audierunt et non intellecturos Isaias prædixit, *ibid.* Judæi paries de proximo adductus, quia Deum colebant, 589. Judæi et gentes longe a se diversi erant, quia diversa credebant, *ibid.* Paulus præputii nomine gentes, circumcissionis nomine Judæos indubitante ostendit, *ibid.*

Judex. Officium judicis, 449.

Judicium quid sit, 573. Quid sit facere judicium, *ibid.* Dies magnitudinis dies extremi judicii, 152. Judicium futurum asserit, 527. Paulus priusquam incomprehensibilia Dei judicia diceret, altitudinem sapientiæ ejus scientiæque præmisit, cur, 449. Retributio animæ carnique communis futura in judicio, 495, 496. Quæ sint judicanda in nobis, 571. Judicii tempus differtur ut sanctorum numerus impleatur, 587.

Judith Christum in carne venentem nasciturum que n Anna cognovit natum, 159. Judith et Anna licet tempore fuerint diverso, unitas fidei servaverunt mysterio, *ibid.*

Justi peccant, 424. Peccata justorum et iniquorum quam disparia, 427. A justo cadente Deus non discedit, quia jus-

tus eo cupiditatis non consentit, 427. Justus coram est, 186. In justis et injustis tria consideranda, initium voluntatis, progressus operis, finis retributionis, 12. Justi ab iniquis non qualitate corporea, sed fide discernuntur et vita, 420. Justorum affectus, 453. Justi per bonam conversationem sunt etiam templum Dei, 386. Justi per bonam conversationem exhibent corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, 586.

Justificatio. Causa justificationis bona voluntas Dei, non merita hominis, 20, 483. Gratia justificationis dicitur in justificatis omne meritum malum, 9. Gratia justificationis est præsentis vitæ, gratia glorificationis futuræ, 10. Deus cum justificatis præbet auxilium, suis donis subministrat augmentum, 468.

Justitiam facere est, ut quod tibi fieri non vis alteri ne feceris, 574, 575. Justitia ex lege ex homine est, justitia ex fide ex Deo est, 316. Cum priori justitia im, ius fuit Paulus et Dei inimicus, *ibid.* Justitia Dei tatis est ut aversos damnet, conversos salvet, 194. In sua injustitia deficit, qui justitiæ Dei superba colla non subjicit, 173.

L

LACRYMÆ magis corde fundendæ quam corpore, 80. Sæmnia bonorum operum rigari debent flumine lacrymarum, 179.

Latro. Fides latronis cum Christo crucifixi, 558.

Laus. Laudis humanæ desiderium in omnibus operibus bonis timendum, 161. Deus in operibus laudatur si laus hominum ab operantibus non queratur, *ibid.* Manus si coperetur ut animus humanæ laudis intentione mercede non privetur, *ibid.* In studio bonorum operum et humanæ laudis contemptu cavendum, ne bonum quod facimus non gratiæ Dei, sed nostræ velimus assignare virtuti, *ibid.* Paulus humanam laudem vitabat, et tamen in sæ conversionis auditu Deum ab Ecclesiis glorificatum cum exultatione memorat, *ibid.*

LECTIO semper esse debet cum operibus bonis, et bona opera cum studio lectionis, 189. Divina lectione interior, non exterior homo pascitur, et plerumque jejunant: cæni magis anima saginatur, 247.

LEONITUS monachus, 277, 283.

Lex fidei et lex factorum, 315. Lex fidei est lex quam scribit Deus in cordibus hominum non per conditionem naturæ, sed per largitatem gratiæ, 316. Non in lapide, sed in corde est, *ibid.* Lex factorum in corde gentium et infidelium Judæorum non justificat, 315. Eadem in corde Pauli cum incredulus es et, 316. Prius lex data, ut homo suam infirmitatem agnosceret, 460. Lex peccatum demonstrat quod sola gratia sanat, 454. Hæc inter litteram jubentem et spiritum vivificantem distantia est, quia lex convenit, gratia convertit hominis voluntatem, 463. Lex peccati etiam sanctos homines in hac vita premit, 492. Servire legi Dei est carnali concupiscentiæ non consentire, 180. Servire legi peccati est in se pravam concupiscentiam sentire, *ibid.* Fideles in hac vita ex parte subjecti Deo, ex parte non subjecti, *ibid.* Nondum Deo sumus (in hac vita) omnino subjecti quia ex nobis nascitur quod divine renititur jussioni, *ibid.* A lege peccati quæ est in membris nostris, non virtus cujuslibet hominis fortis, non industria sapientis, sed sola liberat gratia Salvatoris, 175.

Liber. Non est necesse ut quod multipliciter intelligitur, in omnibus scriptis multipliciter inseratur, 40. Utile est plures libros a pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide, etiam de questionibus hisdem, ut ad primos res ipsa perveniat ad alios sic, ad alios autem sic, 41.

Libertas vera et falsa, 282. Vera libertas per Christi sanguinem obtinetur, 498. Quæ libertas amissa sit per Adæ peccatum, 497. Judæi putabant se vere liberos qui humanis occupationibus intentione vanissima serviebant, 282. Christus liberavit quos peccato liberos invenit, 163. In homine est liberum arbitrium, 461. Liberum arbitrium post peccatum liberum quidem, sed non bonum, 507, 231. Serviliter liberum, 507. Liberum arbitrium ad malum peccator habet, ad bonum non nisi liberatus habet, 536. Liberum arbitrium in hominibus manet, in malis tamen non liberatum, 231. In homine est liberum arbitrium non sanum, sed infirmum, 459. In bonis et impiis est liberum arbitrium, in bonis rectum, in malis omnino a Deo aversum, 460. Liberum arbitrium sanum arte peccatum, nunc infirmum, et majore gratia sublevatum, 275. Ante gratiæ largitatem est in bonis liberum arbitrium, sed non bonum, 270. Sic est sicut oculus sine luce, *ibid.* Liberi arbitrii in primis parentibus conditio, 537. Rectum creatum est, 492. Major ante peccatum in Adam libertas quam in nobis post peccatum, 493. Liberi arbitrii per peccatum Adæ parta infirmitas semper cogitanda, 495. Scienda et confutanda tam humani arbitrii egenæ paupertas, quam divinæ gratiæ indeficiens largitas, 270. Liberum arbitrium sine gratia non potest boni aliquid operari, 463. Initium liberatiõis a bona

voluntate, et per fructus sanctificationis sortitur effectum, 507. Liberum arbitrium ad implenda praecepta nullatenus idoneum efficitur, nisi divinitus adjuvetur, 273. Liberum arbitrium ad ea quae sancta sunt non solum agenda, sed et cogitanda insufficientes apostoli et prophetae testantur, 462. Arbitrium hominis in quantum corrigitur, in tantum liberatur, 492. Non sumus sufficientes ex nobis, hoc est ex libero voluntatis arbitrio, 463. In eo liberum arbitrium nostrum ad diligendum Deum et proximum idoneum efficitur, in quo ei caritas divinitus datur, 465. Praecepta apostolorum et prophetarum conveniunt liberum arbitrium ut Deo voluntarie serviamus, 462.

Libido non est creatura Dei, sed poena peccati, 439. Libido etiam in conjugis legitimis invenitur, 43. Libido etiam legitime conceptos polluit, 436.

Lingua significat confessionem fidei et admonitionem sanctae caritatis, 445. Omnibus linguis loqui quomodo possit dici omnis qui Spiritum sanctum recepit, 509.

Locutio. Aeterna Filii generatio ipsa est Patris aeterna locutio, 417.

Lucernae ardentes quid significant, 350. Juhens Christus ut sint lucernae nostrae ardentes, monet ut bona diligamus atque faciamus, et lumine verae fidei spiciamus, *ibid.*

Lucifer stellae vocabulum, 61.

Lumbi. Quod dixit Dominus, *Sint lumbi vestri praeparati et lucernae*, etc., spiritaliter intelligendum, 549. Quid sit habere lumbos praeparatos, 550.

Lumine sani jurantur, infirmi tenebris reficiuntur, 424. Qui non substantialiter possidet nomen luminis, non potest habere substantialiter vocabulum Deitatis, 60. Pater luminis lux est, 61.

Lux et splendor nec confunduntur nomine, nec segregantur genere, nec differunt quantitate, 98.

M

MAEDONIANI Spiritum sanctum minorem Patre et Filio dicebant, 205.

Magorum munera dicitur a cur, et quid significant, 640. Magi primitivae gentium crediturum, 144, 640. Unus idemque Christus muneribus istis propterea honoratur ut unus idemque Deus et homo cognoscatur, 562. Per tria munerum genera a magis oblata in uno eodemque Christo et divina maiestas et regni potestas, et humana mortalitas intimatur, 561.

Magos Pharaonis Jannem et Mambrem Apostolos vocat, 428.

Malevolus ille proprie dicitur qui nocendi voluntatem gerit, sive bonum sive malum possit esse quod cupit, 184.

Mali. Deus per malos quandoque pronuntiat bona, 534. Boni a malis in Ecclesia non debent nisi operum dissimilitudine separari, 531. In die iudicii boni a malis etiam corpore separandi, *ibid.* Mali quoniam in Ecclesia propter bonos tolerandi, *ibid.* Mali obstinati puniuntur quia iustus Deus, 571. Mali admonentur ne remaneant in servitute peccati, cur, 365. Quomodo perdat Deus malos, 15. Malos prius perdit iniquitas sua quam Dei iudicium, 16. Deus etiam in malorum desertione bonus, 21. Deus per malos operatur quod ei placeat, 22. Quomobrem mali puniendi, *ibid.*

Malum. Quid proprie malum, 574. Mala praesentis vitae habere et recipere, in quo differant, 195. Omne malum ex defectu voluntariae cogitationis, non ex Dei operatione evenit, 372. Deus quoniam auctor boni est, auctor mali esse non potest, 17. Malum pro malo non rediendum, 575. Non satis est Christiano malum non inferre, nisi dicat etiam non referre, 374. Deus de malo opere bonum operatur, 120. Malum quid non faciendum proximo, 574.

Mandatum. In mandatis Dei et lae et solus cibus invenitur, 546. Omnibus hominibus generaliter iudicatur obedientia mandatorum, *ibid.*

Manichaei veritatem carnis Christi negabant, 205, 206, 317. Manichaei Deum lucis et Deum tenebrarum inducunt, 425. Manichaeorum error circa animae substantiam, 417. Malas naturas dicunt Manichaei quibus sensus oblatuntur, 425. Manichaei bonas naturas dicunt quarum dilectione nunciantur, 425. Manichaei a natura non a culpa humanae carnis vitium repetunt, 75. Error Manichaeorum in libro Sapientiae extinctus quam natus, *ibid.* Ex Epistola Joannis, convincitur, *ibid.* In oblatione myrrhae confunditur Manichaeus: unum Christum vere mortuum pro nostra salute non credit, 562. In auro et Ariano et Manichaeus confunduntur, *ibid.*

Mansio. Pater, Filius et Spiritus in homine habent mansionem non externam sed internam, 46.

Manus Patris Filius Dei, 105.

MARIA Mater Dei, 508. Mater solius Christi virgo ante conceptum et partum, et post partum, 456.

MARI. Magdalene quomodo vetatur tangere Christum, 102, 105.

Martyr. In martyria Spiritus sanctus loquitur, 571. In martyrum constantia laudandus Deus, qui dedit virtutem, 570.

Mediator. In mediatore nec debuit minus aliquid hominis inveniri, nec humanitas a divinitate absorberi, 116. Reconciliare hominem Deo nisi plenus in utraque substantia Deus homo non potuit, 82. Solus Deus vulneratum est medicus, 78.

MELCHISEDECH Christi ut Dei et hominis figura, et utriusque nativitatis ejus, 94. Non tamen Melchisedech sine initio, quod soli Deo convenit, nec sine patre et matre, quod soli primo homini, 94.

Memoria quid, 353.

Mens humana speculum Trinitatis, 600, 601. Imago Dei in homine mens, 352.

Mensura tritici est mensura fidei, 547. Mensuram tritici care est illuminatum dono gratiae secundum regulam verae fidei disputare, 547. Mensuram tritici per dominicos dispensatores accipiunt fideles cum quotidie per Dei fauulos verbum veritatis audiunt, *ibid.*

Merces filiorum Dei ex gratia, diversa pro laborum diversitate, 114.

Meritum. Omnia hominis merita a Deo proveniri, 287. Omne bonum (quodlibet hominis meritum a Deo est, 165. Gratuita semper est Dei sancta largitio, quia humanorum meritum nunquam praecedat exactio, 165. Non potest homo habere meritum bonum, nisi a Deo datum nec perseveranter habere, nisi ipso custode servatum, 165.

MICHEAS propheta quis erga Deum, 572.

Ministerium ad operationem humanam, subministratio vero et a ministratio ad divinam pertinet gratiam, 583.

Miseria. Iusti et mali miseriae vitae refugium, sed diverso modo, 428.

Misericordia Dei diligenda et ejus iustitia metuenda, 565, 518. Sermo propheticus misericordiam Dei iustitiamque commendare non desinit, 367. Sola Dei misericordia homo salvatur, 466. Nemo peccata peccatis adiciens debet sibi de divina misericordia blandiri, 580. Nemo debet sub spe misericordiae Dei in suis iniquitatibus remanere; cur, 517. Facienda misericordia, 575. Omnibus Christianis necessaria, maxime conugatis, 146. Duobus modis impenditur misericordia, 575. Primum opus misericordiae seipsum offerre Deo, 538. Ordo misericordiae continet ut misericordiam quam homo jubet impendere alteri, prius exhibeat sibi, *ibid.* Quid sit diligere misericordiam, 578.

Missio non uno modo dicitur, 626. Non omnis cum apparitione est, 627. Missionis nomine intelligere debemus opus manifestationis indulta, 32. Missiones Filii et Spiritus sancti quales, 52, 409, 12, 624 et seq. Quomodo differant missiones Spiritus sancti a missione Filii, 334. Sicut a Patre et Filio missus legitur Spiritus sanctus; sic a Patre et Spiritu missus invenitur et Filius, 32. Pater Spiritum sanctum mittit origine maiestatis, non imperio iussionis, 62, 74. Missio Spiritus sancti collatio est invisibilis numeris, non apparitio personalis, *ibid.*

Monachi et clerici pauperes sancte viventes divitiis et quantacunque dignitate praeditis laicis anteposendi, 478.

MONACHUS. Primus ad Monium liber dicitur a Fulgentio de diversitate praedest nationis, 27.

Mons. Potentes sicut illi montes dicuntur, 187.

Mors duobus modis dicitur, 521. Duplex mors quam Deus iuste iudicando retribuit, 6. Qua morte mortui dicuntur de quibus dicitur, *Dimitte mortuos*, etc., et *Quae in deliciis est, vivens mortua est*, etc., 25. Mors spiritus deseri a Deo, corporis ab anima deseri, 556. Improborum mors semper immatura, non proborum, 152, 153. Mors animae corporisque in malis non moritura, 396. Mors secunda supplicium sempiternum, 595. Mors secunda stagnum sulphuris et ignis, 52. Mors secunda prima est poena, 25. Mors quam minatur Apostolus iis qui secundum carnem vixerint, est aeterna damnatio, 381. Proborum mors nunquam acerba aut immatura, 153. Nisi praecessisset in peccato mors animae, nunquam corporis mors in supplicio sequeretur, 500. Mortem qua homo in peccatis mortuus est Deus non vult, 25. Per malam voluntatem, hoc est per peccatum, anima moritur, 49. In quali fide et opere unumquemque hominum vitae huius invenerit finis, talis ei retributio dabitur, cuius non erit finis, 404.

Moses propter peccatum populi a Deo vexatus, 426.

Mundi dilectio mala non est, nisi in quantum a Deo dilectione averit, 16. Mundus sanctos premit, nec opprimit, 551. Mundi novitiae homines mundi dilectores significantur, 10. Vere triumphat qui mundum calcat, 186.

MUSCA. In muscis mirabilis Dei omnipotentis apparatus, 452. Muscae et varmes quandoque etiam ex ipsis corporibus humanis originem ducunt, 451.

N

NATIVITAS. Tempo alis Christi nativitas quomodo ducatur

in cognitionem aeternae, 95. Officium secundae natiuitatis in fide et confessione, effectus autem in regeneratione consistit, 221. Nas i et adoptari ab ai quo ut differant, 51. In una Christi persona gemina natiuitas, 91. Se undam natiuitatem Filii Dei praecessit temporis a iuitas matris, 203. Dies natiuitatis Christi, dies est visitationis, 534. In die dominicae natiuitatis, dies resurrexerunt et omnes solemniter audiebatur, 554. Comparatio natiuitatis carnalis cum natiuitate spiritali, 496.

Natura. Omnis natura in quantum natura est, bona est, 222. Omnes naturae bonae quoniam a Deo factae, 421. Duae naturae: anima et caro, unam hominis naturam componunt et personam, 418. Quod animalia vilissima nocent hominibus, inconuenientia naturarum est non naturae animalium malitia, 421. Deus inconuenientia naturarum ad puniendam hominum peccata conuenienter utitur, *ibid.* Natura quae in primo homine mundum peccato polluit, ipsa in secundo homine mundum a peccato mundauit, 554.

Nestorius. Theodori Mopsuesteni discipulus, 281. Ejus scripta Petrus d'aconus et alii anathematizant, *i. id.* Nestorius duas personas Christi asserens in muneribus magistrum uni eidemque personae oblati confunditur, 562. Professio fidelium catholicae contra Nestorianos quod in Christo sint duae naturae inseparabiles et personae unica, 584.

Nobilitas spiritus perfecta cordis humilitate secunda, 160. Nobilitas carnis superbiae fomes, id est obijcienda, *ibid.*

Nuptiae bonae et a Deo instituta, 459, 550. Libidini modum imponit nuptialis honestas, 116. Nuptiae non sunt peccatum, sed ei opus et donum, 168. Nuptiae secundae vel tertiae licitae, 520. Nuptiae etiam secundae et tertiae a Deo instituta, 550. Nuptiae quae sunt mundi permittuntur cogitare, 153. Nuptias appetere his qui uoluerint continentiam damnabile, 550. Nuptiae et uidualis continentiae dona Dei sunt, sed uirginitas longe inuicem a, 67. Abstinerere a nuptiis melius quam nubere, 550.

O

Obduratio. Obdurati quoniam uiuunt, 518. Obdurati uero qui in finem in Spiritum sanctum peccant, *ibid.* Obdurat Deus non quia ad iniquitatem impellit, sed cum ab iniquitate non eripit, 275.

Offerendum quod dignum Domino Micheas ostendit, 575. Qui uult aliquid dignum offerre nil offerat nisi se ipsum, *ibid.* Debemus Christo in fide offerre quod magis obtulerunt in uulgere, 562. In lege offerre aut offerri nisi perfectis et integris non conueniebat, 80.

Olei nomine Spiritus sanctus designatur, 121. Olei pinguedo spiritalis est gratiae fortitudo, 264. Impinguatum in oleo caput mens est dono sancti Spiritus roborata, *ibid.* Oleum exultationis quo unctus est Christus Spiritus sanctus est, 255.

Omnipotentia dicitur, quia Deus fecit omnia, 552.

Omnis. In Scripturis uerbum *omnes* non significat quantum perfectam universalitatem, 490, 491.

Opera bona Dei munus, 285, 287. Christus prohibendo ne iustitiam nostram faciamus eorum hominibus, etc. et iubendo ut luceat lux nostra coram hominibus, sic iubet o era bona fieri ut non nos ipsos, sed Deum uelimus in nostra operatione laudari, 161. Bonae uoluntatis initium bonae operationis effectum et donum perseuere aeternae a Deo petenda, 161. Bona opera tunc bene et utiliter fiunt cum de bona uoluntate procedunt, 575. Opera sine fide et caritate facta ad salutem non prosunt, 514, 515. Cur de operibus et fide, licet nostra sint, prohibeamur aliquid nobis vindicare, 12. Laudari debemus in bonis operibus non laudes hominum expectare, 161. Deus non est existimandus ita auctor esse boni operis, ut ipsius adiutorio desistente sola per se ipsam possit humana natura quodcumque bonum uelle seu facere, 177. Bonorum operum sterilitas aeterno supplicio punienda, 597. Necessarium est omnibus ut in bonis operibus nemo sit segnissimus aut sterilius, nemo praesentium delectatione futura contemnat, 549. Bonorum operum quae seminaverit messe non gaudebit nisi qui neque in finem bona opera seminans fuerit, 591. Opus bonum sine humilitate Deo non placet, 165. Haec sententia Christi, *Omnis arbor quae non facit fructum bonum cadit et in ignem mittetur*, quam metiendus, 548. Stipendium inorum operum mors est, 552. A Deo non sunt, 483. Subsequentis uitio iniquitatis, praeteritus iusti frustratur omnis labor bonus, 591.

Operarii diuersis horis uocati diuersas aetates quibus peccatores uocantur demonstrant, 19. Quinam operarii patris familias, 10. Ex operariorum euangelicorum parabola praesentis tantum saeculi tempus humanae conversioni concessum intelligimus, 401.

Operarius Mileuitanus consilium de uirginibus supererogasse Paulum testatur, 39.

Opulentia inops est uel opientia inopia, cuius cordis affectum aequare oris sermo non potest, 182.

Oratio. Orandi affectus Dei donum est, 177, 188, 476. Nec orare condigne quis potest, nec vigilare, nisi se illi Spiritus sanctus infuderit, 53. Non potest haberi ipso saltem orationis affectus, nisi diuinitus fuerit attributus, 188. Nec perseuerantia in oratione, 177. Illi ascribendum orationis obsequium qui operatur quod petitur, 631. Oratio ad Deum diluit peccata iustorum, 427. Oratio mercedem sanitatis exposcit, 177. Oratio humilis diuinum promeretur auxilium, *ibid.* Publicae preces non tumultuose faciendae sed modeste Deo commendandae, quia Deus cordis auditor est, 103. Petimus ut ex gratia qua factum est ut Ecclesia Christi corpus fieret, eadem gratia fiat ut omnia membra in unitate corporis perseuerent, 57. Aedificatio spiritalis nunquam opportunius petitur, quam cum ab ipso Christi corpore (quod est Ecclesia) in sacramento panis et calicis ipsam Christi corpus et sanguis offertur, *ibid.* Rogandus Deus ut oculos nostros aueriat ne uideant uanitatem, ut demonstret uiam, ut gressus dirigat et opera manuum nostrarum, 161. Oratio est in conspectu Dei omne opus bonum, 157. Caritate mutuum reddimus cum pro eis a quibus instrulamur oramus, 164. Fidelis orationibus fidelium adiuuantur, *ibid.* Oratio debitu est cunctis reddendum et ab omnibus exigendum, *ibid.* Unum sanctae Trinitati orationis obsequium debetur, 650. Cur concludatur oratio *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, 650, 651. Haec conclusio potest dici adiutoria, sed melius dicitur ostendere per quem Pater operatur quod petitur, 650. Cur orationes ad Patrem dirigantur, et per Filium et Spiritum sanctum terminentur, 626. Dum Patrem poscimus tota simul Trinitas poscitur, quia quidquid salubre nobis est tota Trinitas inseparabili uirtute ac bonitate largitur, 628. Oratio Domini ad Patris personam dirigatur, 629. In unius in oratione personae tota Trinitas invocatur, 629, 630, 631. Oratio quotidiana sufficit ad soluenda minima delicta, his qui uentem candidam seruari uoluerunt, 538. In orationibus natura seruari uitas et peccatorum discretio custoditur, ut Arit et Sabellii perfidia uincatur, 652, 653. Christus orat pro nobis et oratur a nobis, quomodo utrumque, 628. Deus non sinit fraudari sanctam petitionem inuentionis effectum, qui ad inquirendum spiritaliter inflammat, 3.

Ordo. In peccatore inordinato non perit ratio diuini ordinis, 14. Ordinem suum Deus non deserit dum malum deserit uoluntatem, 277.

Orosius episcopus, 269, 277, 286.

Ovis errans natura humana, 76. Parabola otis errantiae pastoris humeris reportatae susceptam probat humanam naturam a Christo, *ibid.*

P

Paxis et uinum nocent infirmis, prosunt sanis, 432. Paxis et uini nimietas nociva, *ibid.*

Paracletus etiam Pater, 379, 580. Paracletus Latine aduocatus et consolator, 570.

Paries. Iudaei et gentes duo parietes qui in lapidem Christum in unitate fidei conueniunt, 554. Genitricis paries de longinquo quia idolis seruebant, 558.

Paruuli. In paruulis torquet ratio consopita, 440. Paruuli in morte animae nascuntur, 6. Alienam iniquitatem portant, 370. Paruuli qui baptizantur gratia Dei bonitate saluantur, qui uero sine baptizante moriuntur, propter peccatum originale damnantur, 272. Quid credendum de paruulis qui sine baptismo decedunt, 411. Quid quisque credere debeat in questione quae de paruulis uertitur, 455. Cur Deus e duobus paruulis, eiusdem peccati reis unum damnet, alterum liberet, 448. Quod paruuli sine baptismo exant non praesentiae futurorum operum, sed altitudinis consiliorum Dei tribuendum, 411, 412. Non futurorum operum merito paruuli baptizantur, 454. Deus paruulo quem uult ad baptismum peruenire opportunitates praeparat, uoluntates ministrat, personas tribuit, loca concedit, 443, 444, 445. Paruuli non propria uoluntate, sed fidelium pro eis consentium recta credulitate saluantur, 370. Paruulos ministerio alienae confessionis conuenit absolui, *ibid.* Piorum parentum circa prolem pia sollicitudo, 413. Parentum Christianorum negligentia circa liberorum baptismum quam seculata, 446. Malorum parentum pro liberis sanctam sollicitudinem Deus operatur, *ibid.* Profundum iustumque Dei est iudicium quod quandoque paruulo non prosit parentum ad baptismum currentium pia sollicitudo, *ibid.* et 447. Parentum aut quorumlibet hominum malorum tum bonorum negligentia aut cura circa baptismum paruulorum aJ oculis sui iudiciorum Dei profundum pertinet, 443, 444. Paruuli sine baptizante morientes aeternis ignibus arsurus sunt, 449. Non est iniquus Deus in obitu paruulorum sine baptizante morientium, 319. Licet hoc cogantur lateri qui negant uoluntates hominum Dei gratia praeniri, *ibid.*

Pascha interpretatur Transitus, 557. Manducavit Chri-

sus Pascha quo passurus significabatur, antequam in voluntarie pateretur, 264. In eadem cena Christus Iudeorum pascha comedit, et nostrum Pascha instituit, *ibid.*

Pater ante Filii generationem non fuit, quia sine initio genuit, 607, 609. Deus Pater est Deus Filii secundum humanitatem ejus, non secundum divinitatem, 589. Deus Pater non Trinitatis auctor est, sed Filii et Spiritus sancti, 631, 652. Sic Pater est in Filio sicut Filius in Patre, 91. Idem respectu diversorum et Pater et Filius, 52. Pater et Filius nec duo sunt ingeniti, nec duo geniti, 59. Pater nec natus est secundum carnem nec nasci debuit, 501. Pater in propria substantia Moysi non apparuit, sed in subjecta creatura, 118. Patris et Filii diversa nomina non diversas naturas, sed distinctas personas significant, 51. Pater et Filius a Patribus unius substantiæ dicti sunt, 65. Pater de nullo genitus, Filius de Patre, 66. *Ingenitus* Pater in Scripturis non legitur, 63.

Paterfamilias debet rigoris et clementiæ temperiem servare, 150.

Patres. Eorum quæ a sanctis Patribus diversis modis inveniuntur posita, quicquid a nobis ponatur, ita astruitur veritati congruus esse sensus, ut aliis Patrum sententiis aque veritati congruis non denegetur assensus, 41. In singulis sententiis in quibus nubilo cuiusquam obscuritatis ambigimus sanctorum Patrum definitionibus inhaerendum, 450.

Patientia. Quod Christus maledictus non remaleddi erit ad animæ patientiam pertinet, 79.

Paulus quo magis circa Dei secreta consilia illuminatus, eo magis territus, 317. Paulus contrarium sibi aliquid voluit, nec malevolus fuit, 181. Paulus ut a se simul rogaret auferri salutem corporis sui plus volebat prædicationis professæ quam sibi, 181. Caritas Christi Paulum urgebat, sive cum a se stimulum rogaret auferri, sive cum in carne quamvis aliud des derans cuperet immorari, *ibid.*

Paulus Samosatenus dicebat quod sapientia habitaret in Christo, ut nos in domibus, 279. Damnatus est ab Antiocheno concilio; quod compositionem negaret in Christo, *ibid.*

Peccator non habet voluntatem malam nisi discedendo a Deo, 11. Peccator si non movetur delectatione promissi, moveri debet terrore supplicii, 368.

Peccatum. Originalis peccati vinculo nullus est hominum qui non nascitur obstrictus, præter eum qui ad hoc vinculum peccati solvendum novo generationis modo natus est Jesus Christus, 281. Prohatur originis peccatum ex morte infantium, 301, 502. Originalis peccati transusio, 500, 501, 527. Perna peccati originalis brevis vita, peccatum, mors, 301. Originalis peccati macula in conceptu est parvulorum, non in concubitu legitimo nuptiarum, 458. Peccatum in parvulos non transmittit prophanitas, sed libido, 507. Communio peccati originalis omnibus una est, 419. Sanctus David legitimo concubitu natus sine originali macula non fuit, 459. Peccati originalis obligatio æternis cruciatibus addit, 515. Perna peccati alia simul et peccatum est, alia solum peccati supplicium, 521, 325. Humanus conceptus sine peccato esse non potest, quia sine libidine non est, 507. Homo per peccatum facultatem bonæ cogitationis et bonæ voluntatis amisit, 300. Non mors sola sed etiam peccatum ex homine primo transit in humanum genus, 282, 501. Cur a peccato originis non liberat naturæ possibilitas nec lex, sed sola fides Redemptoris, 301, 305. Caro peccati caro humana, 302. Similitudo carnis peccati in Christo quomodo intelligenda, 351. Christus factus est peccatum id est sacrificium pro peccatis, 311. A servitute peccati solus homo Christus Jesus liber est genitus, 456. Deus tam originale quam actuale peccatum in malis punitorus, 485. Non est dicendus futuræ impietati præreptus qui absque justificationis gratia mortuus, impioribus est consortio deputatus, 272. Peccatum non est ex Dei prædestinatione, 22. Peccatum cur dicatur aculeus mortis, 501. Peccator debet sibi succensere quod peccat, non Deo qui gratiam non donat, 475. Seipsum perdit injustus cum a summo ad infimum bonum delicit, 16. Per prohibitionem sententiæ Dei paratum supplicium peccatori intelligi debet, 21. Paulus omnium peccatorum primus, non temporis cursu sed iniquitatis excessu, 370. De quibus dicitur *Peccator cum in profundum malorum venerit contemnit*, 190. Peccati initium nihil aliud quam ordinarum rerum inordinata rationalis creature ductio, 16. Omne peccatum ex corde sumit initium, 77. Non peccat homo, nisi a Deo discedendo, 9. Crimina a levioribus peccatis et scriptura et leges humanæ et conscientia discernit, 528. Peccata alia gravia alia levia, 426. Non talia sunt peccata sanctorum bualia iniquorum, 425 et *seq.* Culpe sanctorum peccata dicuntur non crimina, 427. Peccata iniquorum aut sunt sacrilegia, aut flagitia, aut facinora, 425. Peccata iniquorum tribus modis sunt, *ibid.* De his qui leviter peccant

dicitur, *Septies cecidit justus et resurgit*, 427. Peccatum sicut non est in Deo, ita nec ex Deo est, 6. Mors et peccatum Dei opus non sunt, *ibid.* Cur peccatum puniendum a Deo, 16. Exceptis parvulis recens baptizatis, ne sancti quidem sine peccato hic vivere possunt, 350. Delectatio in peccatis cumulus est perditionis, 396. Peccata occidere est peccatis non obedire, 374. Absurda quæ sequuntur eorum sententiam qui negant peccatum in infantibus, 302. In peccatis nec misericordia invenitur nec justitia, 27. Justitia Dei in peccatorum permissione, 11. Ulter est Deus illius rei cuius non est auctor, 16. Nulla hominum peccata latere Deum possunt, 581. Nullus hominum juste peccat, 11. Malitia a Deo in penam peccati retribui non potest, 18. Juste deseritur a Deo qui deserit Deum, 11. Supplicii æterni inchoatur retributio cum iniquis mercedem quam oportuit erroris sui recipit in semetipso, 396. Naturæ quædam homini perniciosas propter culpam, 421. A peccatis salvare nihil aliud nisi peccata dimittere, 4.

Perfectio. Sanctis ante Christum et post Christum communis et individua perfectio, 13. In hac vita non est perfecta perfectio, *ibid.* Paulus perfectus fuit et imperfectus, quomodo, *ibid.* Magnæ beatitudinis est sic in præsentis et vere sæculo, ut profecti spiritali omni fidelis operam det, nec tamen hoc suis aliquando viribus superbus assignet, 178.

Persona. Distinctio personarum in divinis, 116, 52. Quomodo cognoscitur, 503. Excepto personæ nomine, nullum nomen in Deo pluraliter dicitur, 253. In personis discreta est Trinitas, non tamen in natura dividenda est vel separanda, 355. Omne nomen quo vocatur quælibet persona aut tribus convenit, aut ad alteram referri ipsam personam ostendit, 232, 235. In propriis nulla est natura separatio, sed quædam personalis agnitio, 215. Quia separati non possunt tres in Deo personæ, ideo non dicuntur tres dii, tres æterni, tres omni potentes, tres immensi, sed unus Deus, etc., quia vero separantur in angelis tres personæ, illis non possunt dici unus angelus sed tres angeli, 232, 235. Personalis proprietates quid sit et quid præstet, 247. Personæ singulæ divinæ, suas habent proprietates singulis competentes, 387. Alia persona Pater et Filius in una natura, 113. In personis alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, 410. Tres personæ tres dii dici non possunt. Cur, 198. In tribus personis sine diversitate e naturæ, manet inconfusa proprietates, 198. Personarum divinarum substantialis in una natura æqualitas, *ibid.*

Personarum acceptio non est apud Deum dum quos vult facit credere, 500, 510. Respondetur iis qui personarum acceptorem Deum dicunt ex hoc quod non omnes facit credere, 510.

Petrus minus reliquit pro Christo quam Zachæus expendit; Christus tamen, ne divitiis aliqua de contemptis divitiis jactantia nasceretur, Zachæo Petrum præposuit, 160. B. Petrus Filium Dei Christum confessus est cum se ipse Christus filium hominis dixisset, 297. Petri responsio Christi ore laudata, 123. In Petro facultatem ponendam pro Christo animæ amoris confessio præcessit, 150. Recto dilectionis itinere Petrus unum Christum secutus cum pro Christo passus, *ibid.* Christus beato Petro, hoc est Ecclesiæ suæ, in terra ligandi solvendi que tribuit potestatem, 405. Christus Ecclesiæ ligandi solvendi que potestatem in persona beati Petri dedit, 374.

Petrus diaconus, etc., missi Romam in causa fidei, 277. Pharao potentie Dei in hominum ratione utentium voluntates exemplum, 474.

Phorvus seu Pontus episcopus, 269, 286.

Phorvus Filium Dei assererat ante Mariam non fuisse, 71. Photiniani Christo divinitatem asserabant, 206. Photini error ex initio Evangelii Joannis convincitur, 74.

Pluvia Dei est sermo sanctæ prædicationis, 518.

Pœnitentia hominis mutatio voluntatis, 505. Pœnitentia lapsis post baptismum summe necessaria, 528. Pœnitentia donum Dei, 505. Nemo potest in hac vita pœnitentiam accipere nisi quem Deus converterit et illuminaverit, 526. Pœnitentia etiam iustis necessaria in hac vita, 550. Omni homini in hac vita posito in quocunque ætate ullius pœnitentia, 517. Pœnitentia apud Deum nunquam est sermo, 13. In hac tantum vita fractuosa pœnitentia, 516. Judas se occidendo tempus conversionis sibi subtraxit, 599. Judas pœnitendo deterius peravit, quia de peccatorum remissione desperavit, *ibid.* Judas salutem perdidit quia indulgentiam non speravit, 192. Pœnitentia sine temporis opportunitate sterilis, 581. Cur Apostolus ingratum eos qui pœnitentiam non agunt, 191. Hoc unum agit Scriptura ut malos admoneret timore justitiæ Dei celeriter malis operibus finem ponere, et bono in bonis operibus succumbere a que humiliter permanere, 367. Inaniter pœnitentiam si indulgentiam desperet, 192. Impœnitentes damnantur, pœnitentes s. laudant, 381. In futuro erit iniquorum puni-

tentia, sed infructuosa, 339. Quinam in die iudicii poenitentiam in ructuosam habituri sunt, 383. Vere poenitentium et toto corde conversorum spes vana non erit, 386. Vocationis ad poenitentiam principale beneficium est gratuita remissio peccatorum, 362. Vera poenitentia quæ, 57. Qualis poenitentia damnatorum, *ibid.* Poenitentia damnatorum ex cruciatione supplicii, non ex largitate Dei, 398. Damnatorum poenitentia ad augmentum poenarum, non ad remissionem peccatorum, 401. Futuri temporis poenitentia talis erit ut indulgentiam mereri non possit, 397.

Præceptum. Omne præceptum a Deo datum prodest homini voluntari atque humiliter operanti, 463. Dum præcipitur nobis ut velimus, ostenditur quid habere debeamus, et a quo pertere debeamus, 461. Deus qui dicit præcipit in nobis operatur, 431. Ad bene vivendum nunquam sufficit cuiquam scientia præcepti nisi dilectio fuerit custos mandati, 464.

Possibilitas credendi ut insit humanæ naturæ, 310 et *seqq.*

Prædestinatio quid, 21, 481. Christi et sanctorum prædestinationem qui negat, apostolicam fidem oppugnat, 274. Prædestinationis veritatem si quis ad mortem usque detractat reopere, ad prædestinatorum numerum non pertinet, 323. Pro huiusmodi orandum, *ibid.* S. August. in lib. qui scriptus de prædest. Sanctorum manifestus ostendit præscientiam Dei sine prædestinatione esse posse, prædestinationem sine præscientia esse non posse, 23. Prædestinationis agnitio instituitur ex Scripturis, 7. Prædestinatio Dei præparatio est operum eius quæ in æterna sua dispositione aut misericorditer se factorum præscribit, aut iusta, 27. Deus non aliter perficit in opere quam in sua sempiterna atque incommutabili habet dispositum voluntate, 323. Prædestinatio est futurorum operum æterna præparatio, 16. Prædestinatio præparatio est tam gratia quam gloria, 519. Quod fidelibus congruat credere de prædestinatione Dei, 19. Prædestinatio gratuita donationis præparatio, 329. Præscientia latius patet quam prædestinatio, 19. Æterna Dei dispositio incommutabilis circa ea quæ mutabiliter geruntur in tempore, 487. Prædestinationem sicut tam fidenter quam veraciter beatus Apostolus prædicavit, ita nobis prædicandam fidenter veraciterque mandavit, 486. Quisquis prædestinationem negat de apostolicis, eam prius litteris delectat, 486. Prædestinatio utiliter cognoscitur et prædicatur, cur, 483. Beatus Paulus noluit sileri quod voluit scribi, 466. Paulus sciebat omnia Deum prædestinasse quæ se in sanctis suis misericorditer ac iusto factorum esse præscribit, 486. Inaniter timetur ne per prædestinationis assertionem genesis aut fatum aut constellatio introducat, 487. Prædestinationis nomine non aliqua violentia humanæ coactitia necessitas exprimitur, sed misericors et iusta futuri operis divini sempiterna dispositio prædicatur, 7. Impium est prædestinationis assertionem arguere, 486. Per prædestinationem evangelica et Apostolica mandata non solvuntur, *ibid.* Ecclesia misericordiam et iudicium Deo cantat, 7. Ezechias propter promissionem longioris vite cibum sumere non neglexit, sic nec prædestinati orare et vigilare negligunt, 483. Vocatio, iustificatio et glorificatio divinæ prædestinationis effectus, 482. Deus per gratiam facit sicut in prædestinatione semper habuit, 7. Prædestinationis gratia ad hoc datur ut oremus et vigilemus, 485. Quid Deus agat in prædestinatis, quid in reprobis, 11. Electi prædestinantur ad gloriam, fidem et bona merita, 481, 482. Quod pessime dicitur, « Si est prædestinatio, negligenda est oratio aut operatio », 485, 486. Prædestinati per stellarum multitudinem designantur, 484. Opus gratiæ in prædestinatis gratuita misericordia inchoatur et iusta retributione perficitur, *ibid.* Deus quos præscribit hanc vitam in iniquitate terminatos ad supplicium prædestinavit, 19. Vocationis nostræ initia, iustificationis augmenta et glorificationis præmia Deus in prædestinatione semper habuit, cur, 10. Prædestinavit Deus ad gratiam vite bonæ et ad gratiam vite æternæ, 481. Deus in prædestinatione jam fecit quæcumque tempore congruo faciendâ disposuit, 10. Deus omnia hominum opera præscribit, sola bona prædestinavit, 19. Bonæ voluntatis in thum Trinitatis prædestinavit, 12. Deus non ideo nos elegit quia sancti et immaculati futuri eramus, sed ut sancti et immaculati essemus, 483. Cur Deus nos in caritate prædestinasse dica ur, *ibid.* In sua incommutabili voluntate futurum hominis renovandi effectum disposuit, 7. Paulus dicens, « Quos Deus iustificavit illos et glorificavit », utrumque præsentis vite non deputat, 10. Qui in hac questione permoverent possunt facile et diviorum librorum testimoniis instrui, et S. Augustini libris, et Prosperi responsionibus informari, *ibid.* Sicut præparata est per prædestinationem voluntas a Domino qua bonum velimus, sic etiam opera bona præparavit Deus ut in illis ambulemus, 8. Quosnam Deus ad regnum, quosnam ad supplicium prædestinaverit, 19. Quos prædestinavit ad gloriam prædestinavit ad ju-

stiliam, 11. Prædestinati Deo ab æterno cogniti, 485. Oraudi et operandi quod bonum est illis Deus tribuet perseverantiam, quos prædestinavit ad vitam, 473. Deus et bonis et malis quæ red liturus esset disposuit, 482. Tribuit Deus quod ab æterno præparavit, 12. Causa prædestinationis divinæ in sanctis præparatio iustificationis indebita, 17. Deus non solum quæ daret, sed etiam quæ retribueret incommutabili dispositione præparavit, 473. Deus Abraham multitudinem filiorum promittens promisit prædestinatos, 482. Deus seipsum facere confirmat quod fidelibus donat ut faciant, 12. Deus quos prædestinavit fecit et facit conformes imaginis Filii sui, 482. A massa damnata nemo futurorum operum præscientia discernitur, 477. Voluntas Dei causa est electionis, non electio causa est voluntatis, 438. Deus post peccatum primi hominis quos voluit prædestinavit, quos voluit in perditionis massa dereliquit, 314, 315. Causa prædestinationis electorum sola Dei misericors caritas invenitur, 17, 483. In prædestinatione sanctorum, totum Dei bonitati ascribendum, cur, *ibid.* Cur hominis voluntas non est causa prædestinationis, 17. Prædestinatio æterna et incommutabilis, 481, 485. Prædestinatio sanctorum æterna, 483. Prædestinatorum non potest aliquis perire, 529. Prædestinationis certitudo innuitur, 275. Prædestinatorum numerus certus et immutabilis apud Deum, 484. Prædestinationis firmitas et firma æternitas tam in dispositione operum quam in numero personarum, 4-3, 481. Certitudo prædestinationis virtutem et sapientiam Dei fundamentum habet, 482. Prædestinati sunt omnes si de quorum numero Deus neminem vult perire, 584. Prædestinati sunt omnes quos Deus vult salvos fieri et iragnitionem veritatis venire, 384. Prædestinati car omnes dicuntur et quomodo, 488. Prædestinati sunt omnes quos Deus vult salvos fieri, et cur omnes dicuntur, 27. Deus in spatione, in Cornelio, in Paulo præparavit omnia quibus baptizarentur, 443, 444. Utrum Deus sicut sanctorum opera quibus salvantur, ita prædestinet impiorum opera quibus damnantur, 12. Vocatio et iustificatio prædest. effectus, 481. Non prædestinavit Deus iniquos ad iniquitatem, cur, 21. Cur ad interitum prædestinavit, et quomodo, *ibid.* Deus prædestinare non potuit primum hominem ad peccandum, cur, 18. Quos prædestinavit ad poenam, non prædestinavit ad culpam, 11. Injusta poena eius esset quem Deus ad peccatum prædestinasset, 18. In prædestinatione non potest mali causa inveniri, cur, 36. Non prædestinavit Deus quod facturus non fuit, 11. Prædestinatio ad interitum non est ad malum faciendum, sed ad poenam debitam, 5 et *seqq.* Cur Deus ad voluntatem malam homines non prædestinavit, 15. Quid sit prædestinatio ad supplicium, 21. Expliciter Augustini sententia de prædestinatione ad interitum non debet sed supplicii, 5 et *seqq.* Prædestinatio ad poenitentiam cur iusta, 21. Potuit quosdam ad gloriam, quosdam ad poenam prædestinare, 11. Cur sicut ad bonum boni, sic ad malum mali non prædestinantur, 18. Ad perditionem dilectionis Dei et salutis non est prædestinatio, 16. Deus peccatores præscribit, non prædestinavit, 19. Deus si ad malum prædestinaret, opus faceret in quo nec misericors posset inveniri nec iustus, cur, 17. Non est in prædestinatione Dei peccatum, quia in opere eius esse non potest, 7. Si prædestinatio faceret injustos iustitia Dei iusta non esset, 18. Prædestinatio operum malorum non est sicut est bonorum, 19. Deus iniquis mala opera non præparavit, 410. Deus non prædestinavit ad faciendâ peccata, sed ad luenda supplicia, 483. Nulla ratio esse potest quia Deus ad peccata prædestinare credatur, 17. Prædestinatio non est ad peccatum quod iniuste admittunt reprobi, sed ad tormentum quod illis propria iniquitas male parit, 5 et 6. Prædestinati non sunt male ad hoc quod iniuste operantur, sed ad hoc quod iuste patiuntur, 7. Prædestinatio est ad mortem secundam, non est ad primam, 22. Ante Fulgentii tempus Galli quidam occasionem ceperunt ex lib. de Prædest. Sanctorum obijcendi Augustino quod in assertionem prædestinationis divinæ peccatores non ad solum diceret prædestinatos iudicium, sed etiam ad peccatum, 25. Ex S. Augustino facile cognoscitur Deus non prædestinare ad peccatum, sed ad supplicium, 23. Impium est et fidei christianæ contrarium cum am iniquitatis in prædestinatione Dei constituere, 24, 25. Prædestinatio ad peccatum temere asseritur, 18.

Prædictio de bonis et de malis, 18. Prædicere et promittere in quo differant, 19, 20.

Principium. Vere principium est quod essentialiter æternum est, 92. Hoc verum principium dicitur quod nullo existendi principio prævenitur, 418.

Principes angelii et homines principes dicuntur in Scriptura, 430. Modus hujus religiosi principis mundi contemptoribus non solum episcopis sed etiam monachis christianæ religionis obtentu seipos veraciter atque laudabiliter subdiderunt, 478.

Proba inter titulos honorum humilis, 159. Præcipuum in

in ube Roma virginitalis exemplar, *ibid.* Virginitalis cordis e corporis Domino fovetur, 139. Villibus cibis et vestibus otelatur ut plus haberet quod pauperibus erogaret, *ibid.*

Processionis vocabulum, cur creaturis non invenitur multum, 312, 617. Divinarum personarum processio, 304.

Promissio de bonis tantummodo est, *ibid.* Apud honestissimos mores mendacio plerumque deputatur quidquid diffrendo promittitur, 208. In Dei promissis nulla est falsitas, quia in faciendis nulla omnipotentis est difficultas, 20.

Prophete Christi venientis et in se manentis gratiam habebant, 410.

Prospera vir eruditissimus, 27. Eius responsionibus informari possunt qui in questione de diversitate predestinationis iustorum et iniquorum permoverent, *ibid.* Prosper vir eruditus et sanctus dicta beati Augustini fidei et copioso sermone recte defendit, 23. Duarum responsionum loca divi Prosperi ad Gallos refert Fulg. 25, 26.

Providentia incerta est providentia quae incertis rebus impenditur, 167.

Q

QUONVLTUDES EpISCOPIUS, 261, 2-6.

R

Raab exploratores Jesu in superioribus domus abscondit, cur, 376. In exploratoribus duobus quos excepit Raab, vel utriusque testamenti casta cognito, vel Dei et proximi caritas intumitur, 376. Funiculus roccineus in fenestra Raab suspensus, sanguinis Christi mysterium praeferebat, 377.

Redemptio. Ordo divinae redemptionis, 460. Dehuit Redemptor humanitatis susceptionem declarare, homo redemptus divinitatem praedicare, 122.

Religio. Vera religio in unius constat veri Dei servitio, 201.

Reges cum Christo regnant cum in eum erodunt, 360. Regum potestas ex Dei largitate, 71.

Regnum. Temporale regnum ex largitate Dei, 143. Ad id non est regnatum in membris quam quod in capite Christo processit ad caelum, 78.

Relatio vocabuli personalis personae separari velat, quas dum non simul nominat, simul insinuat, 231. Relativum nomen est quod ad alium agnoscendum referimus, 52. Relativa nomina naturam non separant sed unam significant, 52. Relativum nomina sunt Pater et Filius; substantiae nomen est unum, quod dicitur Deus, 53.

Remissio peccatorum quantum bonum sit, 362. Remissionem peccatorum omnis aut pene omnis qui quolibet modo appellatur Christiani nomine invenire desiderat, 363. Remissionem consequi nihil aliud est nisi a peccati dominatione liberari, 371. Justitia Dei et misericordia remissionis peccatorum fundamentum, 365. Misericordiam Dei sine justitia aut justitiam sine misericordia cogitare facit diabolus ut remissionem peccatorum praeripiat, 363. Solus Deus donare potest indulgentiam, 78. Tria ad remissionem peccatorum, fides, opera bona et tempus, ita necessaria sunt, ut quolibet deficiente salus non possit obtineri, 363. Peccatorum remissio perseverantibus tantum usque in finem danda, 392. Cum Petrus apostolus dicit quia Deus attendit ferti nolens aliquem perire, sed omnes in penitentiam converti... illos hic omnes accipere debemus, quibus sic Deus penitentiam donat, ut etiam perseverantiam donet, 385. Peccatum traditionis poterat Juda remitti, non autem peccatum propriae occasionis, 399. Pro remissione peccatorum Filius Dei incarnatus est, 9. Remissio peccatorum gratis datur, 362. Remissio peccatorum in hac tantum vita, 363, 387, 403, 404. In futura vita exiguntur peccata, quae in hac non fuerint dimissa, 403. Severitas Dei condemnat in futuro quos in praesenti saeculo Dei bonitas a dominatione peccati non liberat, 365. Christus dicens quod verbum contra Spiritum sanctum non dimittatur in futuro, non aliqua peccata insinuat in futuro saeculo dimittenda quae in hoc saeculo dimissa non fuerint, sed ostendit illa tantum in futuro saeculo dimittenda quae in hoc saeculo in una et vera Ecclesia catholica fuerint unicuique dimissa, 378. Omnis male vivens si conversus in hoc saeculo non fuerit, aliquam sibi spem remissionis promittere non debet, 386. Peccatorum mundatio, veritatis agnitio, Dei proximique dilectio in hac vita inchoantur, in altera perficiuntur, 153. Scriptura non jubet deprecari pro peccatis, si essent aliqua quae deprecantibus non essent remittenda, 197. Qui non credit intra Ecclesiam catholicam cuncta relaxari posse peccata, ipse sibi remissionem peccatorum denegat, si de hoc saeculo in eadem eadem impenitentis duritia perseverans alienatus ab ecclesiastica societate discedat, 378. Non tantum ante baptismum, sed et post baptismum peccantibus, remissio promittitur, 191. Christus dicens: *Quirrite et invenietis*, etc. remissionem peccatorum post baptismum commissorum inveniri posse ostendit, *ibid.* Jannes dicens

quod si quis peccaverit advocatum habemus apud Patrem, de his qui post baptismum peccant intelligi debet, *ibid.* Remissionis peccatorum effectus frequenter inquirendus, 361. Per remissionem peccatorum discretio fit malorum et bonorum, 362. Nonnunquam spiritus penitentium homini diabolus admittit, aut sperantem penitentiam tollit, 192.

Reprobi inexcusabiles sunt, 437. Reprobatorum non potest aliquis salvari, 329.

Respondendi necessitas officium liberae responsionis imponit, 70. Suspicio superbiae in liberae responsionis officio vitanda, *ibid.*

Resurrectio corporum, 313. Resurrectio mortuorum uniuscujusque in sexu proprio, 339. Sexus masculinus aut femineus sicut in creatione fuit, in resurrectione permanet, 316. In resurrectione immutabuntur justi, non mali, 316. Diversi gradus gloriae in resurgentium corporibus, 338, 339. Quod quis accipiat laborem corporum, opus est gratiae subsequentis, 472. Iustorum et malorum remuneratio in resurrectione qualis, 327. Caro et animi iustorum immutandae, sed caedem permansurae, 353. Iusti in retributione angelis aequales futuri, 123. Des resurrectionis Christi dies est redemptionis, 351. Prima resurrectio in conversione cordis consistit, 393. Cur in resurrectione corpus spiritale futurum dicatur, 328. Cur Paulus quinam immutandi sint in resurrectione non relinquit ambiguum, 393. Cur Paulus dicens, *omnis quidem resurgemus*, addiderit, *sed non omnes immutabimur*, *ibid.* Caro cum anima simul resurrexerat, 195. In hac vita sit resurrectio cum eo malo ad bonum sit conversio, 393.

Romana Ecclesia mundi cacumen, 298. Petri et Pauli verbis illustrata, et corporibus decorata, *ibid.*

Rota nomine orbis quandoque significatur, 381. Vitorae orbita, id est orbis semita cur *ibid.* Quid sit *Vox tuuui tui in rota*, *ibid.*

S

SABELLIUS propter unitatem naturae in tribus personis, unitatem personae induxit, 74, 287, 408. Trinitatem carnem assumpsisse impie praedicavit, 408. Sabellius Patrem et Filium non communionem substantiae, sed personam singularitate confundebat, 65. Sabellii et Arii haeresis confunditur ex Scripturis, 331.

SABELLIANI, iidem ex Patripassiani, totam Trinitatem incarnatam et crucifixam credebant, 350. Ad id coacti quia unam personam Trinitatis dicebant, *ibid.* Sectatores Sabellii Patripassiani cur dicit, 408. Sabelliani de Deo personam agnoscebant, 203. Sabelliani de natura Patris et Filii et Spiritus sancti recte credunt, non item de personis, 205. Impietas Sabellianae et Arianae haeresis, 408.

Sacerdos et hostia humanae naturae nomina et officia, 156. Non potest vera sacerdotis inveniri persona ubi non est humanitas vera, 386.

Sacramenta dicuntur quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur, 227. In novo Testamento non est Sacramentorum divisio, sed donorum, 66. De latere Christi in cruce pendentis sacramentum fontis et calicis manavit, 209.

SACRIFICIUM. Secunda questio Monimi de sacrificio corporis et sanguinis Christi, 27. Questio sacrificii ex fide patriarcharum determinatur, *ibid.* Patriarcharum sacrificia nostris congruunt, quia toti fiebant Trinitati, 50. Sacrificium toti Trinitati offertur, 638. Ariani soli Patri existimant immolari, 27. Palmaris haereticorum interrogatio, *ibid.* Sacrificia antiquae legis sanctae Trinitati oblata, 310. Sacrificia antiquae legis sacrificium quo se Christus patri obtulit praefigurabant, *ibid.* Toti Trinitati offertur etiam si solius Patris nomen exprimitur, *ibid.* Solius Ecclesiae Deus delectatur sacrificiis, 38. Prophetae testimonium de sacrificio quod nunc in Ecclesia geritur, 31. Patri et Filio et Spiritui sancto per universum orbem sacrificium panis et vini sancta Ecclesia indesinenter offert, 325. In sacrificio corporis Christi a gratiarum actione incipimus, ut Christum non dandum sed datum nobis in veritate monstremus, 203. Qui postulantem tempore sacrificii, 618, 619. Cur tempore sacrificii Spiritus sancti adventus postuletur, 617, 168.

Recte Ecclesia in sacrificio poscit adventum Spiritus sancti, 33. Sacrificium offertur ut mors Domini annuntietur, et eius commemoratio fiat, 618. Deus Verbum se pro nobis obtulit sacrificium, 323. In Veteri Testamento peccata delectantur sacrificia quae pro peccatis offerebantur, 327.

Sacrilegium quid, 425.

Salus electis gratis donata, 410. Cuncta quae divinis continentur eloquiis ad custodiam vel reparationem dicuntur humanae salutis, 366. In Veteri et Novo Testamento cuncta quae ad profectum pertinent humanae salutis, continentur, 351. Solus Deus potest omnibus quibus voluerit dare unde vera salus acquiri possit, 178. Quomodo intelligendum quod dicitur de malis, *mirabuntur in sibilatione insperatae salutis*, 385.

Sanguinis Christi necessitas et efficacia, 197, 498.

Sancti in laudem gloriae gratiae Dei cur praedestinati,

485. Non deficiunt Sancti Indigentia, quia ab eo sufficientia eorum est, in quo indigentia ulli non est, 161. Aliter sancti aliter peccant iniqui, 426. Sancti in hac vita humani infirmitatibus cur subiecti, 498. Iusti et sancti cur molestis subiciuntur, 4. 4. In sancta coram Deo iustitiam quam eis gratis ipse tribuit et servavit, 1. Corpore et spiritu sanctum esse nihil aliud, quam quod sanctum est opere et cogitatione servare, 153.

Sapere. Terrena sapere est terrena diligere, 220.

Sapientia splendor lucis æternæ, 617. Cum a line ad finem attingit, utrumque finem immensitate sua excedit, 97. Funda am se dixit sapientia, nativitatem suam immutabilem demonstrat, 55. Sapientia creata in angelis, 341.

SARA ridendo peccavit, sed leviter, 426.

Scamonia sola obest, mixta prodest, 422.

Scientia sine charitate est quæ sancta non est, 461. Quibus modis divinarum rerum scientia comparetur, 5. Scimus et intelligamus quæ Dei sunt, Dei munus est 461.

SCHOLASTICUS episcopus, 269, 286.

Scorpio. In corpore scorpionis nihil est quod laudem non insinuat creatoris, 421.

Scriptura. Cordis studium Scripturis sanctis impendit debet, 163. Propter incommutabilitatem divini consilii factum est ut Scriptura tanquam prædictum diceret in sermone quod futurum expectabatur in opere, 318, 49. Fulgentius Gall ad sanctarum Scripturarum lectionem hortatur, 162. Donatus propter ignorantiam Scripturæ non invenit quid Arianis responderet, 198. Laus Trasmundi ob studium Scripturarum, 7. Euthymius laudatur quod Scripturas legat, et ecclesiam frequentet, quod sanctorum colloquio gaudeat, quod inutiles sermones fugiat, 360. In divinis sermonibus si teneatur humilitas cordis, nulla reperietur repugnantia veritatis, 97. Disputantem de Scripturis intelligentiæ spiritalis viam oportet inquirere, 47. Ad eloquia divina qualis debet animus accedere, 181, 4. 5.

Semen diaboli seminator nocturnus, 392. Seminis nomine uniuscujusque opera Paulus designavit, 39. Nemo aliud quam quod seminat recepturus est, 90.

Servire conincitur duobus dominis (qui divinitate n. Filii a Patre diversam credit, 411. Debemus invicem servire, ut ad æternam vitam possimus pervenire, 161).

Silentium superbiæ aut dubiæ fidei signum, 115.

SIXUS vetulus figura præsentis ævi sermo delicti, 72.

Sobrietas, iustitia et pax quam arte cogitentur, 426.

Quis sobrie vivat, 425.

Sol humani cordis Christus, 376.

Solarium dicitur quod solis lumine perfundatur, 376.

Solvere Jesum quæ, 295.

Species. Gratia speciei dabitur pro gratia filii, secundum uniuscujusque capacitatem, 257.

Spes excludit timorem, 131. Spes que vitium desperationis expellit donum Spiritus sancti, 379. In Dei misericordia spes omnis collocanda est, 162. Diabolus spe vana remissionis aut desperatione cogitavit incautos, 365.

SPIRITUS SANCTUS. Solus sanctus Spiritus tertia persona absolute in Scripturis Spiritus nuncupatus, 395. Pater et Filius licet absolute Spiritus sint, neuter tamen Spiritus sine adiectione nuncupatus, 595, 657. Testimonia de Spiritu sancto quia Deus est, 511 et seq. Apostolus dicens, *Glorificate et portate Deum in corpore vestro*, de Spiritu sancto loquitur, 201. Spiritus sanctus Deus est, quia in Baptismo nominatur, et super Jesum descendit et ipsum implevit, 617. Spiritus sanctus quia pignus hæreditatis nostræ Deus creditur, est, 615. Spiritus sanctus Patris et Filii Spiritus, 523. Pater et Filius et Spiritus sanctus, Spiritus unus sunt quoad naturam, solus Spiritus sanctus Spiritus est quoad proprietatem personæ, 596. Spiritus sanctus ad Patrem et Filium refertur, 235. Spiritus sanctus de Patre et Filio procedit, 525. Spiritus sanctus sic procedit a Filio, sicut procedit a Patre, 252. Spiritus sanctus totus procedit de Patre, totus de Filio, *ibid.* Proprium est Spiritus sancti quod de genitore genitorem procedit, 407, 408. Andre Spiritui sancto est a Patre Filioque procedere, 610, 611. Loqui est per gratiam nostris cordibus ineffabiliter intimare, 610. Quid est Spiritum sanctum loqui non a semetipso, 611, 612. Spiritus sanctus nihil minus habet quam Pater et Filius, 41. Spiritus sanctus in Deo est unitate naturæ, ex Deo proprietate personæ, 536. Error contra Spiritus sancti cum Patre et Filio æqualitatem, 141. Ex eo quod in Spiritu Dei ejicere se demonia Chris us dicit, non est minor Spiritus Patre aut Filio, 512. Spiritus sanctus in eo æqualis Patri et Filio ostenditur, quod eo quæ Christo loquente discipuli non poterant portare, sancti Spiritus munere erant portaturi, 609. Spiritus sanctus, licet missus, Deus est, 333. Spiritus sanctus Deus est non minor Patre et Filio, qui et continet omnia et occulta cordis cognoscit, 231. Spiritus sancti æqualitas cum Patre ostenditur in eo quod cum angeli faciem Patris videant, in Spiritum sanctum prospicere con-

cupiscunt, 610. Non præjudicat divinitati Spiritus sancti quod cum nos a Deo habere dicamur, 537. Spiritus sanctus quæ Dei sunt cognoscit, quia quædam est naturæ: sicut spiritus hominis quæ sunt in homine novii, quia ejusdem est naturæ, 255. Non sic creatus in remissionem peccatorum, etc., sicut in Spiritum sanctum, 655. Immensus Spiritus sanctus, 103. Spiritus sanctus illuc venit collatione muneris, ubi nonquam deest magnitudine delictis, 617. Immensitas Spiritus sancti in eo ostenditur quod ubique in ejus nomine baptizatur, 615. Spiritus sanctus cum Patre et Filio unus naturaliter et immensus Deus, 412. Creator non potest ea facere quæ Spiritui sancto in Scripturis tribuuntur, 443. Spiritus sanctus creator est, non creatura, 24. Spiritus sanctus locum non habet inter opera Dei, 618 et seq. Spiritus divinus sicut omnia creavit, sic omnia replet, 204. Sanctus Spiritus consolator seu paracletus, 580. Per Spiritum sanctum Christus natus est, et Ecclesia renata, 26. Spiritus sanctus templum habet eo pura nostra sicut Pater et Filius, et ideo Deus unus et verus cum Patre et Filio, 599. Spiritus sancti apparitio missio ejus est, 334. Spiritus sanctus nec colomba nec ignis factus est, quando talium rerum visione significatus est, 626. Spiritus sanctus non accepit formam columbæ sicut Christus formam servi, 412. Dum Ecclesia Spiritum sanctum postulat mitti, donum caritatis et unitatis postulat a Deo confert, 35. Spiritus sanctus cum non habetur, non venturus fuisse, nisi Christus abierit, 569. Cur Spiritus sanctus ad succellendum Ecclesiæ sacrificium postuletur, 54. Cur in sacrificiis solus Spiritus sanctus postuletur, 52. Intelligere divinus non valent qui Spiritum Dei non habent, 355. Nihil prosunt dona, si Spiritus ipse non habeatur, 35. Opera Spiritus sancti soli congruunt Trinitati, 121. Spiritus sanctus quomodo gemat aut postulet, 584, 629. Non loquitur a semetipso, 611. Mititur a Patre et Filio, 612, 615 et seq. Spiritus sanctus liber est, 625. Spiritus quomodo multiplex, 621, 622. Spiritus sancti nomine inveniuntur ejus dona nuncupata, 621. Septem Spiritus in Apocalypsi, c. 1, v. 4. Quid significent, *ibid.* et 622. Ubi charitas ubi Spiritus sanctus, 55. Pignus Spiritus gratitum Dei donum, 474. Ex comparatione solis ad oculos sanos aut infirmos ostenditur Spiritum sanctum a diversis diversimode, unum licet, recipi, 54. Spiritus sanctus multiplex, non in se solo, sed in donis suis, 621. Hunc Spiritum amittunt qui ab unitate corporis Ecclesiæ segregantur, 5. Spiritus sanctus unus est, 614. Et immensus, *ibid.* et 615. Fructus Spiritus, 485, 485. Quomodo Spiritus sanctus contristari et Dei Filii conculari dicantur, 450. Spiritus Dei in se non potest contristari nec Filius conculari, 481. Spiritus sancti templum sumus sicut Patris et Filii, 141, 214. Spiritus sancti sicut et Patris et Filii templum sumus, sacrificium et sacerdotes, 537. Spiritus sanctus genere aut postulare dicitur, quia genere aut postulare facit, 585. Spiritus sanctus facit hos genere, dum nos facit dolere iniquitatem nostram, postulare veniam, desiderare iustitiam, 585. Servus qui acceptam Domini pecuniam abscondit, pignus spiritale non habuit, 474. Spiritus sancti dona, id est lingue, prophetia, sacramentorum scientia, fides, facultatum in pauperes distributio, corporis quoque ipsius exultio, possunt haberi sine voluntate bona, 183. Spiritus an et quomodo Pater et Filius, 591. Dona Spiritus sancti minui possunt et augeri, non ipse Spiritus, 51. Nominis Spiritus, quomodoque spiritalia dona significantur, 53. Spiritus sanctus in nobis mensuram habet, in Christo non habet, 250, 231.

Spiritus septem in conspectu throni, 622. In Spiritu nullus potest sexus inveniri distantia, 600. Rationale Spiritus etsi in loco localiter non sunt, tamen de loco ad locum transeunt, 615. Spiritus duplex Heliæ, 621.

Spiritus pro vento quomodoque ponitur, 551.

Splendor sanctorum non vaticinia prophetarum, sed resurrectionis claritas intelligitur, 61.

Subministratio. In subministratioe Spiritus non est ministerium servitutis, sed divinæ majestatis auxilium, 628. Spiritus sanctus subministrare et administrare dicitur, non ministrare, 582 et seq.

Superbia unde initium sumpserit, 11. Initium peccati superbia, *ibid.* Superbia ille initium omnis peccati dicitur ut omne peccatum de ipsa tanquam de radice pullulare monstretur, 172. Homines per superbiam in mortem reciderunt, 11. Cur Deus superbis resistit, 13. Beatus Paulus dicens, *O homo tu quis es*, etc., non in responsione defecti, sed carnis obdurati superbiam utli increpatione compevit, 475. Quatuor superbiorum generum quatuor sunt quibus diabolus vehitur, 175. Diabolus superbiam iniecit si carnis virginitatem præripere non possit, 171. Ita superbia quæ cæteri ab his qui sibi justi videntur velut peccatores despiciuntur, in Pharisæo condemnatur, 175. Manifeste superbia deprehenditur, cum manifeste peccatur, 172. Gravior peccant qui se pauperibus quibus erogant præponunt, aut de contemptis divitiis sibi gratulan-

tur, quam qui de possessione earum aliquam serant in corde factantiam, 160. Superbia qua quis suis viribus tribuit quod Deus donat de stabilior est, quam ea qua quis facit quod Deus condemnat, 189. Multo periculosius superbitur cum furore iustitiae iniquitas callide geritur, 172.

Supererogatio. De supererogatione B. Pauli variae PP. sententiae, 59.

Symbolum quid sonet, 652. Quid sit et cur institutum *ibid.* In symbolo divinarum personarum origo et distinctio invenitur *ibid.* et *seq.* Quod in eo Pater omnipotens dicitur et creator, hoc de tota Trinitate intelligendum, *ibid.* Enumerantur omnes symboli articuli, 655, 656.

TEMPLOM Dei dicitur etiam domus Dei, 502. In templo oratione et immolatione Deo servitur, 641. Fidelis templum sunt Patris Filii et Spiritus sancti, 502.

Temporalia. Res temporales incertae, 467. Cura hominum circa res temporales quam vana, 487.

Tempus. Acceptabile praesens tempus est, 399. Tempus salutis praesens impius est, futurum retributionis, 588. Vane tempus est ut palea mutetur in triticum, 402. Nunc Dominus potest inveniri e. ideo quaerendus, 403. Tempus praesens o. eris est, futurum mercedis, 397. Aliud tempus seminatiois aliud retributionis, 590.

Tenebrae absentia lucis, silentium absentia vocis, 425. Tenebrae et lux, vox et silentium, etc., quomodo contraria, *ibid.* Cur tenebrae moriente Christo laetis sunt, 567.

Tentatio. Ideo mortalitas humana tentatione permittitur fatigari, ut cum in seipsa in lum virtutis invenerit firmamentum, ad poscendum divinae pietatis cito recurrat auxilium, 179. Quando carnis iulius mentem pulsat, animus ad divinae miserationis auxilium recurat, 149.

Terra. Homo in terram carnis non in et si terra peccando non fieri, 301.

TERTULLIANUS animam non Spiritum esse dixit sed corpus, 195. Deum corpus esse dixit, *ibid.*

Testamentum. Una fides novi et veteris Testamenti, 268. Non ideo quaeque debet veteris Testamentum abjicere quia videt ejus Sacramenta cessasse, 267. In utroque Testamento hoc praecipitur ut non peccemus, et jubetur ut bonis operibus insistamus, 350. Sacramenta veteris Testamenti quaedam Dei promittentis verba, 265. Fidelia verba Dei in veteri Testamento promittentis, in novo sancta opera Dei quod promiserat reddentis, 265. In utroque Testamentum in Scriptura sub nomine amici antiqui et novi, 267. Vinum novum novum Testamentum, *ibid.* Quomodo veterescat ut cum suavitate bibatur, *ibid.*

Theodoti Mopsuesti in scripta anathematizantur, 231.

Theodosius imperator Joannem Thebeum monachum maximo in honore habuit, 478.

Thesaurus noster in caelo ponendus, 519. Illic thesaurizamus quod amorem nostrum ferimus, 519.

Th. m. s. (S.) confessio qui cum jubetur veritatem vulneris experiri Dominum Deum agnoscit, 217, 295. Sanctus Thomas Christianum Deum appellavit, 200.

Timor. Deus timendus, reges honorandi, 70. Deum timere debet etiam justus, 56. Scriptura divina justos ita praecipit timere, ut peccatores non faciat despicere, 566. Haec verba Pauli, *Cum metu et tremore vestram salutem o. eramini. Deus est enim*, etc., iustitiam et misericordiam Dei commendat, *ibid.* Bonis praecipitur ut in timore Domini remaneant, 505. Apostoli exemplum ne reprobus fiat timens debet omnes terrere, 391. Timor iustitiae salutis acceptae custos est, 366. Malus timor in se uli hominibus, 167.

Tonitru praedicatio Eva gelii, 581.

Traditio D. I., 525. Quomodo bonos et malos tradat, *ibid.* Traditio sanctorum Patrum, 287.

Trasimundus rex fuit, 69. Fulgentio scripsit Trasimundus prolixum volumen haereticae continens, etc.

Tribulatio in tantum prodest christianis ut per haec spiritus noster Deo sacrificium fiat, 196. Tribulatio, infirmitas, angustiae benevolens in Dei iudicia sunt, 195.

Triginta. Peracto tricennali spatio nullus silitur legibus humanis ablata repetere, 192.

TRINITAS nomen est praeter quem alium non novimus, et quo nominata a morte liberamur, 67, 88. Trinitas Deus summus atque incommutabilis bonum, 526. Recta fides de Trinitate, 502. Trinitas unus verus naturaliter Deus, 411. Unus Deus. Trinitas, tres tamen personae, 407. Una natura in Deo et tres personae, 521, 569. Sancta Trinitas unus verus et incommutabilis Deus, 502. Trinitas personarum in Deo Esaeae revelata, 50. Testimonia de Trinitate, 540, 514. Trinitas ad personas refertur, unitas ad naturam, 503. Ex Scripturis Trinitas probatur, 531. Ex visioe Abrabae, *ibid.* Trinitas insinuat dum dicitur, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, 552, 555. Cypriani testimonium de Trinitatis unitate, 68. Aliud exemplum ex unitate personae Christi in duabus na-

turis, 218, 219. Probatur exemplo humanae animae in qua sunt memoria, intelligentia et voluntas, 552, 555 et *seq.* Alio exemplo a naturis diversis petito in una persona in homine, 558. In creaturis Trinitas est in unitate, ergo multo magis in Deo, 535. Cum tres dicuntur Pater, Filius et Spiritus sanctus, in tres naturae, sed tres personae intelligi debent, 298. Pater, Filius, et Spiritus sanctus ideo Trinitas quia tres personae, ideo unus Deus, quia una substantia, 19. Non sic est una trium personarum natura, sicut una est trium hominum, 255. Cum dicitur unus Deus Pater, et Filius et Spiritus sanctus, una natura intelligenda; cum dicitur Trinitas, tres personae, 198. Aequalitas personarum, 530. Testimonia de aequalitate Patris et Filii, 537, 538. Filius et Spiritus verus Deus sicut Pater, 521. Plus differunt duo patres quam Pater et Filius, 52. Quod naturaliter est Pater, hoc est Filius, hoc est Spiritus sanctus, 407. Secundum quid Filio major est Pater, 535. Sancta Scriptura sicut Patrem verum Deum, sic et Filium verum Deum fidelibus cunctis insinuat, 201. Una est regnandi potestas tribus personis, quia est regnantium naturalis unitas, nec potestas regnandi tribuitur ex gratia, sed suppletur ex natura, 210. Filius et Spiritus sanctus non regnant cum Patre ut inferior cum potiore, 214. Nulla de tribus personis habet aliquid minus duabus, ubi in unaqueque persona sic est plena deitas, ut et in tribus per omnia sit, et in singulis tota, 252. Vera fides ita sempiternam virtutem ac divinitatem Patris praedicat, ut Filii, aut Spiritus sancti sempiternam virtutem divinitatemque credat, 140. Trinitati sacrificat Ecclesia e. non soli Patri, 563 et *seq.* Cuncta tribus personis exhibentur inseparabiliter religionis obsequia, quia in tribus et inseparabilis incommutabilisque natura, 632. Trinitas tota invocatur in una persona, 621. Una virtus ac divinitas Patris et Filii et Spiritus sancti, 241. Trinitas immortalis est et invisibilis aliter quam angelus aut anima hominis, 657 et *seq.* Neque Filius, neque Spiritus sanctus creatura est, quia uterque Patris in baptismatis sacramento copulatur, 61. Pater lux est ut Filius, 60. Pater citus est ut Filius, 61. Pater est in Filio, lumen in lumine, *ibid.* Alium Deum et non unum credit quisquis in Patre et Filio et Spiritu sancto diversitatem divinitatis existimat, 301. Major minorque in Trinitate non dicitur, 407. Non solum Trinitas Deus est, sed unaquaque persona, 530. Non solum omnia implet Trinitas, sed unaquaque etiam in Trinitate persona, 515. Inseparabiliter operantur Pater et Filius et Spiritus sanctus, quia inseparabiles sunt, 258. Inseparabilia opera Trinitatis, 511, 612. Inseparabiles Trinitas, 510 et *seq.* Inseparabilitas Trinitatis ex Ambrosio et Augustino asseritur, 257. Inseparabilis Trinitas, quia ipsa facit inseparabiliter peritatem Deum adhaerere, 259. Sicut inseparabilis est Trinitas, sic inseparabiles sunt tres personae, 250. Unaquaque in Trinitate persona in his nominibus quibus ad se dicitur ipsa sicut est quod habere naturaliter praedicatur, 211. Trinitatis immensitas, 230, 409. Tota Trinitas immensa, 105. Sola Trinitas immensa, 615. Tota Trinitas ubique est, 53. Trinitas tota in singulis et tota in omnibus creaturis, 259. Sic tota Trinitas in singulis habitat sicut tota in cunctis, 109. Quomodo ascendere vel descendere ad nos dicitur, 101. Ubique putatur adesse qui ad sanctificandum ubique nominatur in baptisate, 110. Habitat in nobis Pater et Filius et Spiritus sanctus non locali habitatione, sed in immensa, 109. Uniuscujusque personae tanta est immensitas, quanta trium naturaliter personarum, 407. In Trinitate non est particularis diversitas quia nec compositio, 71 et 72. Quae absurditas sequatur, si localis inhabitatione Trinitatis credatur, 109. Trinitatis incomprehensibilitas, sic superat omne quod cogitare vel sapere possumus, sicut superat omne quod sumus, 88. Trinitatis vestigia in creaturis, 534. Sola se potest Trinitas revelare quia sola plene se potest nosse, 91. In anima hominis imago Trinitatis, 552, 533, 600. Mens hominis non habet distinctionem personalem, etsi habet sanctae Trinitatis indicium, 556. In igne in lictum Trinitatis, 606. Homo factus est ad imaginem Trinitatis, 204. Pater et Filius sine Spiritu sancto nec cognosci nec esse possunt, 99. Personarum Trinitatis imago in duabus hominis unius naturis, 418. Adventus Trinitatis non mobilitatem, sed plenitiam Dei videntis ostendit, 100. Sicut una est manifestatio, sic una est revelatio totius Trinitatis, 99. Sancta Trinitas rerum omnium creatrix, 512, 522. Opera Dei tota Trinitati communia, 141. Servilem formam quam Unigenitus accepit et Trinitas fecit, 247. Patri, Filio et Spiritu sancto doctoris nomen et officium convenit, 582. Patri, Filio et Spiritu sancto iudicis nomen et officium convenit, 524. Non omne quod operatur tota Trinitas, tota etiam suscipit, 552. In omni munere iterum est sanctae Trinitatis officium, sicut in omni opere unum est sanctae Trinitatis officium, 609. Recta fides de sanctis Trinitate Christiano praecipue necessaria, 407, 502. Tem-

plum sumus Trinitatis, 532. Fides catholica de Trinitate, 544, 545. Nihil proderit erranti circa Trinitatem ad veritatem cucurrisse, 71. In Trinitate, sunt quædam persoparum propria, 407. Quæ illa sint, 587. Personaliter qui est Pater, non est Filius; nec qui Filius est, Spiritus sanctus, 407. Alter Pater alter Filius, neuter alter Deus, 582.

Tristitia duplex, 152. Salubris quæ pro male actis concipitur, *ibid.* Morifera, quæ pro omissione solatii temporalis habeatur, *ibid.* Contristari de fidelium morte resurrectionis spes non sinit, 151. Et luctus futuram retributionem non carebunt, 196. Tota die contristatum ingredi, quid est? 179.

Unitas ut teneatur, 227. Unum cor et animam fecerat multitudinis credentium in Deo qui Pater et Filius unus est Spiritus et cum Patre ac Filio unus est Deus, 37. Mysterium pacis et unitatis in sua mensa Christus consecravit, 227.

Uteri nomen naturam significat, 64. *Ex utero ante luciferum genui te*, de temporali nativitate intelligebant Ariani quia carnalis uterus in Deo credit nequit, *ibid.*

Vasa misericordiæ et vasa iræ qui? 274. Non illi sunt vasa misericordiæ qui dignitatem ecclesiasticam aut sæcularem habent, nec vasa iræ qui non habent, *ibid.* Cur vasa iræ, cur vasa misericordiæ dicitur, 21. Quorundam insulsum commentum de vasorum contumeliæ et honoris factura, 475. Vasa iræ et contumeliæ a vasis misericordiæ Dei bonitas gratuita dilectione discernit, 475, 477. Potior dignitas ecclesiastica aut sæcularis non facit quemquam vas honoris, 475, 476. In vasis iræ reatus naturalis superbia cognitione nutritur, 457. In vasis misericordiæ reatus naturalis fide et caritate solvitur, *ibid.* Cur sanctos vasa misericordiæ non iustitiæ Apostolus nuncupet, 457. Cur vasa misericordiæ non dicantur vasa iustitiæ, 21. Cur iræ, non culpæ vasa sint reprobi, 22. Sancti non ideo vasa contumeliæ quia contumelias patiuntur in hoc sæculo, 479. Quomodo Deus in vasa misericordiæ misericors est, 21. Per mutationem male vitæ vasa in honorem fiunt, 482. Vasa misericordiæ in gloriam præparata, non præsentem sed futuram, 274. Vasa misericordiæ facit non dignitas sed caritas, 274. Qui sunt vasa contumeliæ in Ecclesia, 480. Iudicium suum in vasa iræ desertione Deus inchoat, consummat cruciatione, 23. Tam in vasis iræ quam in vasis misericordiæ iniquitas propria præcessit, 21. Qui illi sit interitus in quem vasa iræ aptavit Deus, 22. Cur vasa iræ interiorius redditur, *ibid.*

Venericus diaconus, 269, 451.

Verbum. Dum Verbum nominatur, ostenditur discreta Patris et Filii persona, dum Deus dicitur Verbum, ostenditur una utriusque substantia, 335. Dei nomen in Verbo non nuncupativi, sed naturalis nominis veritatem exprimit, 74. Unum Verbum habet pater, 417. Tam perversus est qui Verbum Dei in Deo negat esse quam qui habere animam humanam illud non confitetur, 51. Non sumus nos in Deo sicut est Verbum, 50. Verbum Dei de Deo, per unitatem naturæ in Deo et per eandem unum cum illo Deus est, 51. Generatio Verbi inenarrabilis est, non ignorabilis, 75. Verbi humilitas facta dicitur, non divinitas, 82. Verbum Dei manifestatum per carnis substantiam sicut verbum hominis per vocem corpoream, 417. Dei Verbi duæ naturæ inconfusibiles et inseparabiles, 521. Verbo nomen est coæquævis ultus locus, *ibid.* Credulitas incarnationis, Verbi Dei auditio est, 417. Tribus primis Evang. Joau. sententiis et sempiterna Verbi nativitas et personalis inconfusa proprietas et indiscreta substantialis unitas Patris Filique monstratur, 74.

Verbum tantum est quanta mens cum verbo, 50. Mens dum cogitat generat verbum, *ibid.* Mens habet verbum intra se quod cogitando de sua substantia generavit, 50. Verbum nihil minus habet quam mens de qua nascitur. Verbum a mente non seceruitur localiter, *ibid.*

Verbum dicere adversus Spiritum sanctum quid est? 378. Quinam dicant verbum adversus Spiritum sanctum, 378, 379. Quinam liberi sunt a verbo contra Spiritum sanctum, 379. Verbum contra a Spiritum sanctum neque in hoc sæculo dimittitur, neque in futuro, *ibid.*

Verbum Dei adversarius bonus, 387. Adversarius hominis verbum Dei quod projicitur, 387. Dispensatoribus Dei prodest verbum quod dum dispensant humiliter audiunt, 361. Qui sine fructu verbum audiunt qui sunt similes, 360.

Veritas. Sola naturaliter est veritas, quæ naturaliter est vera divinitas, 202. Omnis creatura quæ creatura vera, non veritas, *ibid.* Veritas laudabilis desideratur quam imperii propagatio, 71. Veritatis inquisitio recta, nunquam inanis, *ibid.* Veritati semper inhaerendum, 5. Eo dulcius quo secretius veritas loquitur, *ibid.* Facere veritatem est facere opus veritatis, 8. Veritas nunquam mentitur, 190. Veritas nec fallit nec fallitur, 5. Ut veritati obedire ac consentire

valeamus ipsa illuminat, adiuvat, confirmat, 5. Quosnam faciat Deus ad agnitionem veritatis venire, 488. In hoc homines salvi sunt in quo ad agnitionem veritatis perveniunt, 489. Veritatem Dei tenere, est unum Deum colere, 201. Veritatem Dei in mendacium convertere est creaturæ servire, 11. Veritas naturæ nunquam privatur rominis veritate, 74. Veritas insinuatio nemini dneganda, 70. Reges diligat et honorat quisquis interrogantibus hoc respondet quod ad illum pertinet veritatis, 70, 71.

Sine veste nuptiali sunt, qui sine bonis operibus, 402.

Via nostra præsens vita est, 587. Via Dei est fides recta, 76. Via Dei iustitia, misericordia, veritas, *ibid.* In via Dei non corporis, sed mentis ambulatur incessu, *ibid.* Fallitur qui per vitam viamse perventurum arbitratur ad vitam, 586.

Victimæ. Patri, Filio et Spiritui victimæ offerbantur in antiquo Testamento, 325. In carnalibus victimis significatio fuit carnis Christi, 525.

Victor episcopus, 569, 226.

Victor alius episcopus, *ibid.*

Victoria. In hac vita adversarium vincimus, si lacrymis et orationibus et continua cordis humilitate pugnemus, 179.

Victoris epistola ad S. Fulgentium, 208. Victor petit a sancto Fulgentio ut respondeat sermoni Pastidiosi, 209.

VICTORIANUS episcopus, 269, 286.

Vidisse apud Patrem in Filio est procedere ab ipso, 611.

Vidua. Deus ex beneficiis quibus Judith et Annam affecit, viduam continentiam pleciam sibi demonstravit, 159. Quod omnis Israelitarum populus facere non potuit, sancta vidua castitatis virtute perfecit, 159. Vidualis lingue officio dignatus est Christus prædicari quia sanctimoniam virginalem vidualis continentia gradu inferiore subsequitur, *ibid.* Deus in Judith exaltatione quantum sibi dilecta sit vidualis continentia monstravit, *ibid.* Vidualis status augenda virtutis occasio, 154. Sanctæ viduæ Christum semper quæsierunt, 159. Judith in veteri Testamento viduarum exemplum, in novo Anna, 154, 159. Quibus ut in convivendo debeat vidua, 154. Qualiter in victu se debeat gerere vidua, *ibid.* Viduæ cibi non solum esse debent cui maritata, 157. Viduarum habitus qualis esse debeat, *ibid.*

S. VINCENTII natalis ubique in Ecclesia celebrer, 572.

VINDICIANUS episcopus, 269, 286.

Viperarum carnes contra viperarum morsus utitur adhibentur, 422. Viperarum parvuli disrupti periculum visceribus pariuntur, 575. Viperis hoc est parere quod perire, 372. Hæretici et schismatici viperis similes, *ibid.*

Virginitatis vocabulum ex virtutis nomine derivatur, 165. Virgo dicitur quasi virago, *ibid.* Virago ideo dicta quia de viro sumpta, *ibid.* A viro ducitur virginis vocabulum sicut a Christo nomen Christianum, 166. Donationes ad Ecclesie adificationem propriis inveniuntur appellari nominibus, integritas vero carnis sancta, idcirco virginitas dicitur, ut ibi perfectio vere virtutis iussu monstraretur, 167. A sanctis nuptiis tantum distat sancta virginitas quantum a bonis meliora... a terrenis celestia, a tibus ut ne securitas; quantum similitudo pecorum ab imitatione discernitur angelorum sic a sancta virginitate differt sanctorum connubium, 118. Virginitas voluntati res est, non necessitatis, 39. Non præcepta, sed consilium erogat Paulus ad virginitatem, *ibid.* Virgo corrupta primum hominem decepit, virgo incorrupta secundum hominem concepit, 554. A Christo decoratur sancta virginitas ut permaneat pulchra, et coronatur ut regnet gloriosa, 165. Christo sancta virginitas spiritaliter nubi, *ibid.* A Christo secundatur sancta virginitas, ut perseveret intacta, *ibid.* Christus sanctæ virginis fructus, decus et munus, *ibid.* Christum sancta virginitas peperit, *ibid.* Christus omnium sacrarum virginum sponsus, *ibid.* Christus virginum est non solum sponsus sed Dominus, 175. Sub spondone nomine Deus meliorem locum in domo sua per Isaiam virginibus reponit, 167. In conjugibus et viduis fidelibus spiritali tantum virginitate potuit Ecclesia, 166. Ecclesie maiorem gratiam donationis in illis membris accipit, in quibus ita spiritaliter virgo dicitur, ut etiam corporea virginitatis integritate prætiatur, *ibid.* Virginitatis merces magna futura est, 169. Integritate corporis nihil melius, 161. Virgini post votum nubere non licet, 118. Virginitas angelis quam hominibus similiores facit, 169. Virginis sanctæ studium sectarii iustitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem, 175. Spiritalibus virginibus spiritalis laqueus dabolus tendit, 171. Virginitatis cum humilitate copulatio est in hac vita summa perfectio, 161. Virgini nec ad dextram nec ad sinistram deflectendum, 169. Virginitas carnis sine humilitate non potest ad Christum pervenire, 176. Virgo non potest Christo nisi cordis humilitate coniungi, 175. Vera humilitas virginitalis est interna virginitas, 175. Ut integra permaneat Deo dicata virginitas, sicut custoditur integritas corporis, multo amplius custodienda est humilitas cordis, 175. Corporis virginitas etiam Deo dicata non

prodest nisi acsit virginitas cordis, 171. Diabolus virginitatem carnis per hominem, cordis vero per seipsum nititur auferre, 171. Diabolus si non valet virginitatem carnis perdere, virginitatem spiritus conatur auferre, 171. Virgo Christi non debet alias Christianas consideratione sui deprecere, 173. Virgo Christi non debet de aliorum sibi graviore periculo blandiri, sed de sua infirmitate humiliter tristari, 174. Christus quia semper vivus, ideo in corde sponzarum ejus vivere semper debet affectus, 138. Delicias carnis virgo Christi fugere debet, præ omnibus autem superbiam, 169, 170. Christus sponsæ suæ carnem maceratam vult videre, 157. In sponsa suis Christus animæ pulchritudinem diligit, non carnis, *ibid.* Vestis virginum intinæ castitatis testis sit, 170. Ornatus virginis est virginitatis bonum non minus mente quam carne scrvare, 169. Virgo nec vere casta est, nec fidelis Christo, quæ populo quærit magis placere quam sponso, 170. Virgo quæ ornatum corporæ vestis affectat, animam suam virtutum splendore despoliat, *ibid.*

B. Virgo Dei mater, 287. B. Virgo proprie *Genetrix*, 278. Virginitas Mariæ, 292. Virgo ab eo quem concepit donum incorruptæ fecunditatis et fecundæ integritatis accepit, *ibid.* Vir a virtute dictus, 163.

Virtus Homo sic factus est ut habere virtutem possit, 188. Dum cogitus de perfectione virtutum, non considera quid alii minus habeant quam tu, sed quid minus habeas quam habere jam debes 174. Ad virtutem continuum profectus esse debet, 156. Angeli esca virtus divina, hominis medicina, 90. Hæc virtus hominem reparavit, angelum custodivit, *ibid.*

Vita. Justa vita in futura vita proderit, 382. Via hominis est vita ejus, 562. Qui bene vivit viam ingreditur veritatis, *ibid.* Qui male vivit viam tenet erroris, *ibid.* Quinam juste vivunt, 582, 426. Infidelibus non prodest longa vita aut brevis, 152. Non prodest longa vita sed bona, 153. Vitam non possidet qui aut in crimine aut in infidelitate permanet, 197. Vitam possidet qui a sinu matris Ecclesiæ non recedit, *ibid.* Hæc vita nobis est via in qua semper debemus proficere, 178. In hac vita tristitia et solatium mixta, non in futura, 432. In hac mortali vita non potest esse plena securitas, 179. Ex hujus vitæ fine æternæ vitæ pendet initium, 389, 394. Vita bona et vita æterna utraque in Christo et a Christo, 9. Quid *Ætas senectutis vita immaculata*, 153. Vitam beatam accipiemus, si nos huic vitæ mortuos æstitemus, 187. Si vita æterna finitur, inutilis est omnis labor christianus, 95. Cum Deus dat vitam æternam, perficit quod justificans inchoavit, 9. Tempus acquirendi vitam æternam in ista tantum vita Deus hominibus dedit, 516. Origo vitæ malæ ab originali peccato, 313. Iniquitas malis moribus polluit vitam, 372.

Voluntas quid, 353. Quidquid homo loquitur sciens non nisi volens loquitur, 354. Voluntas in se habet ut possit sponte appetere bona vel mala, 465. Voluntas nisi a Deo mutata, aut semper appetit malum aut nunquam appetit bonum, 461. Bonæ voluntatis initium homo ex se habere non potest, 515. Initium bonæ voluntatis a Deo, 300. Voluntas bona a Deo datur, 306. Voluntas tunc erit bona si Dei præveniatur dono, et tunc permanebit bona si ejus non destituatur auxilio, 273. Voluntas ab eo datur a quo præ-

paratur, 7. Cur voluntas dicatur præparari a Domino, *ibid.* Deus bonam voluntatem et operationem prædestinando præparavit, *ibid.* Voluntas hominis gratiam debet comitari, 469. Voluntas bonum diligere non poterit nisi discretionis et charitatis gratiam a Deo acceperit, 463. Voluntatem Dei cum facimus volentes facimus, sed ut eam faciamus ipse facit in nobis quod placeat coram se, 462. A Deo voluntas hominis jugiter gubernatur et regitur, 450, 451. Voluntas bona fide inchoatur et charitate pericetur, 465. Fides et charitas ideo in homine sunt et homini prosunt quia ab eo voluntarie suscipiuntur, 463. Differentia donationum Dei soli divinæ voluntati tribuenda, 433. Humana voluntas per gratiam non mutata aut nesciens peccat, aut viti in suum vitio prævaricationis accumulatur, 434. Bonam voluntatem nemo propriis viribus potest resumere, 431. Nihil est aliud quod servus nequam ligari manibus jubetur et pedibus, nisi ut in manibus mali operis reatus, in pedibus autem malæ voluntatis puniendus ostendatur affectus, 403. Mala voluntas mali supplicium, 14. Deus ordinator est malarum voluntatum, non auctor, 20. Malam voluntatem creator optimus non fecit, 15. Voluntas vel bona vel noxia esse sine rei cuiusque pensanda est, 184. Voluntas omnipotentis necesse est in omnibus implere, 488. Quomodo dicatur voluisse Christus quod noluit Hierusalem, 385. Divinam voluntatem mutari aut virtutem adversitate aliqua superari ne impii quidem audent dicere, 484. Deus eos non vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire quibus mysterium suæ agnitionis occultat, 486. Deus voluntatem hominis malam cur puniit, 410. Facere voluntatem Dei nihil aliud est, nisi facere opera quæ nobis inspirat et in nobis operatur voluntas ejus, 8.

Votum de licitis et ad profectum melioris vitæ pertinentibus fieri debet, 521. Et qui non voverit non est peccatum si non reddat, 147. Licitarum rerum tamdiu licitum est usus, quamdiu renuntiatum non voverit, 147. Vota Deo reddenda absque excusatione, *ibid.* Non toto animo votens obligatur voto, et eo damnabilior est quod ad Deum licitus accedit, 148. Votum in tribulatione emissum persolvit debet, 147. Quod votens Deo sibi in continentia negotio admittit voluntas, nulla deinceps impune permittit usurpare necessitas, 148. De voto nihil licet retinere aut repetere, 149. Ananix et Saphiræ cor satanas implevit, quia partem de voto uterque retinuit, *ibid.* Non possunt nubere qui continentiam voverunt, 320, 321. Votum continentia tam virgines ac viduas quam nuptas, si ex consensu voverint, obligat, 148. Vota continentia obligant sub peccato mortali, etiam si a maritalis ex consensu emittantur, 521. Post votum a conjugibus emissum illicita omnis commixtio, 148. Conjugatis non est licentia vovendi sicut viduæ aut virgini, *ibid.* Conjug sine conjugis voluntate vovere non potest, *ibid.* Conjugis votum sine conjugis consensu temerarium, 149. Tale est ut quis conjugatus velit continentiam profiteri, quale si quis de alterius substantia aut elemosinam facere, aut sacrificium conetur offerre, 148. Voti quod ex utriusque consensu est, impunita violatio esse non potest, *ibid.*

Vox. Quæ vox sit cuius Spiritus scientiam habet, 231. Nihil nocet ablata vox ei qui quamdiu potuit confessus est, 221. Vulvam matris Christus solus aperuit, 391.

ORDO RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

FELIX PAPA IV.

No ita ex libro Pontificali	9
Epistola prima (ad <i>Cæsarium</i>). — De laicis ad sacerdotium ante probationem non promovendis.	11
Constitutum de Ecclesia Ravennatensi.	12
Excerptum ex epistola Felicis ad Sicilienses episcopos.	16
Epistola Athalarici regis de electione Felicis.	<i>Ibid.</i>
APPENDIX ad epistolas Felicis IV.	<i>Ibid.</i>
Epist. II (ad omnes episcopos). — 1. Quod missarum celebratio alibi quam in Deo dicatis locis non debeat fieri nisi magna comulerit necessitas. 2. De ecclesiarum sacramentis dubitatione.	<i>Ibid.</i>
Epist. III (ad <i>Sabinam</i>). — 1. Laudat in ea studium cultumque in Ecclesiam, quodque stirpis honores vanamque omnipam religioni posthabeat.	22

PROSPER EX MANICHÆO CONVERSUS.

ANATHEMATISMI et fidei catholicæ professio. 23

BONIFACIUS PAPA II.

Notitia ex libro Pontificali.	29
Epistola prima (ad <i>Cæsarium</i>). — Ejus rogatu confirmat ea quæ in synodo Arausicana fuerunt definita.	31
Stephani ad Bonifacium libelli tres.	34
APPENDIX ad scripta Bonifacii papæ II.	41
Observatio Philippi Labbe in sequentem epistolam. <i>Ibid.</i>	<i>Ibid.</i>
Epist. II (ad <i>Euladium Alexandrinum</i>). — De reconciliatione Carthaginensis Ecclesiæ.	45
Exemplar Precum ejus et Justinii principis.	45

MONTANUS.

Montani Vita.	47
Epistola prima.	51
Epist. II.	54

S. ELEUTHERIUS.

S. ELEUTHERII VITA a Guiberto adornata.	59
Prologus.	<i>Ibid.</i>
CAPUT PRIMUM. Fabulosa origo urbis Tornacensis. Fides Christi a S. Piato illata. 61 — CAP. II. S. Eleutherii ortus, educatio, exsilium, episcopatus. 63 — CAP. III. Mortua a S. Eleutherio resuscitata; cæci, claudus, leprosus sanati; Tornacenses ad fidem conversi; peccatum Chlodoveo regi indicatum. 66 — CAP. IV. S. Eleutherii itinera Romana, synodus habita, oppugnati hæretici, vulnera illi ab his inflicta. 69 — CAP. V. Extremus S. Eleutherii morbus, mors, miracula. 72 — CAP. VI. Elevatio corporis S. Eleutherii, mortuus resuscitatus, ægri sanati. 76 — CAP. VII. Opes S. Eleutherii Ferolus vincus solvitur, Libertinus a morte suscitatur. 79 — CAP. VIII. Translatio corporis S. Eleutherii in urbem Tornacensem. 82.	

S. ELEUTHERII SERMONES.

Sermo de SS. Trinitate. <i>Ibid.</i> — <i>Transitus S. Eleutherii</i> .	81
Sermo alius de Trinitate. 87 — Sermo de Incarnatione Domini. 91 — Sermo de Natali Domini. 93 — Sermo in Annuntiationis festum. 96 — Oratio B. Eleutherii animam agentis ad Deum pro fide et Ecclesia Tornacensi. 99	

S. FULGENTIIUS.

Epistola dedicatoria.	103
-----------------------	-----

Præfatio.	403
VITAS Fulgentii a quodam ejus discipulo scripta. 117-150	
Prologus in tres libros ad Monimum.	151
AD MONIMUM LIBER PRIMUS. — De duplici prædestinatione Dei, una bonorum ad gloriam, altera malorum ad poenam.	153
AD MONIMUM LIB. II. — Tres quæstiones resolvuntur: una de sacrificii oblatione, altera de Spiritus sancti missione, tertia de supererogatione B. Pauli.	179
AD MONIMUM LIB. III. — De vera expositione illius dicit Evangelici, <i>Et verbum erat apud Deum.</i>	193
CONTRA ARIANOS LIBER UNUS, ad decem objectiones decem responsiones continens.	203
AD TRASIMUNDUM LIBRI TRES.	223
LIBER PRIMUS. — De mysterio mediatoris Christi duas naturas in una persona retinentis.	223
LIB. II. — De immensitate divinitatis filii Dei.	243
LIB. III. — De sacramento Dominicæ passionis.	245
S. FULGENTII EPISTOLÆ.	303
EPISTOLA PRIMA. De conjugali debito et voto continentia conjugiis emisso. <i>Ibid.</i> — Epist. II (<i>ad Gallum viduam</i>). De consolatione super morte mariti, et de statu viduarum. 311 — Epist. III (<i>ad Probanum</i>). De virginitate atque humilitate. 321 — Epist. IV (<i>ad Probanum</i>). De oratione ad Deum et compunctione cordis. 339 — Epist. V (<i>ad Euyppium abbatem</i>). De caritate et ejus dilectione. 344 — Epist. VI (<i>ad Theodorum senatorem</i>). De conversione a sæculo. 348 — Epist. VII (<i>ad Venantium</i>). De recta poenitentia et futura retributione. 353 — Epist. VIII (<i>ad Donatum</i>). De fide orthodoxa et diversis erroribus hæreticorum. 360 — Epist. IX. Victor Fulgentii preces enixe flagitat, ipsi sermonem Fastidiosii Ariani mittens. 372 — <i>Sermo Fastidiosii Ariani</i> . 375 — Epist. X. Scarila Fulgentia proponit duas quæstiones, unam de incarnatione Filii Dei, alteram de viliu animalium auctore. 377 — Epist. XI. Ferrandus diaconus Fulgentio proponit duas quæstiones de salute Æthiops catechumeni, baptizati cum jam vi morbi esset mentis impositus, ac non percepta eucharistia mortui. 378 — Epist. XII. Fulgentius, Ferrandus respondens ad propositas quæstiones. 380 — Epist. XIII. Ferrandus Fulgentio quæstiones quinque proponit. 392 — Epist. XIV. Fulgentius Ferrandus respondet ad propositas quæstiones. 394 — Epist. XV. Episcopi Africani in Sardinia exsules, Joanni et Vencorio, de gratia Dei et libero arbitrio. 435 — Epist. XVI. Liber Petri diaconi et aliorum qui in causa fidei a Græcis ex Oriente Romam missi fuerunt. 442 — Epist. XVII. Liber Fulgentii et aliorum quindecim episcoporum Africanorum. 451 — Epist. XVIII. Fulgentius Regino comiti respondet ad priorem propositam ab ipso quæstionem: Utrum caro Christi corruptibilis an incorruptibilis fuerit. 493.	

LIBRI

DE TRINITATE.	497
CONTRA SERMONEM FASTIDIOSII ARIANI.	507
DE REMISSIONE PECCATORUM.	527
DE INCARNATIONE FILII DEI.	575
DE VERITATE PRÆDESTINATIONIS ET GRATIÆ DEI.	603
DE FIDE SEU DE REGULA VERÆ FIDII.	671
PRO FIDE CATHOLICA ADVERSUS PNTAM.	707
S. FULGENTII SERMONES.	749
SERMO PRIMUS. De dispensatoribus Domini. <i>Ibid.</i> — SERM. II. De duplici nativitate Christi, una æterna ex Patre, altera temporali ex Virgine. 726 — SERM. III. De S. Stephano protomartyre, et conversione S. Pauli. 729 — SERM. IV. De epiphania, deque Innocentium necesse, et muneribus magorum. 732 — SERM. V. De caritate Dei ac proximi. 738 — SERM. VI. De S. Cypriano martyre. 740 — SERM. VII. De latrone crucifixum cum Christo. 741 — SERM. VIII. De sancto die pentecostes. 743 — Epist. IX. De sancto Vincentio. 744 — SERM. X. De eo quod ait Michæus propheta, <i>Indicabo tibi, homo, quid sit bonum.</i> 746	
INSTRUMENTA FIDEI CATHOLICÆ excerpta ex libris S. Fulgentii contra Gesta a Fabio confecta.	749
EX LIBRO PRIMO. De uno altissimo, perfecto, nuntio, doctore et iudice. <i>Ibid.</i> — EX LIBRO II. De officii postulandi, gemendi et orandi in Christo et Spiritu sancto. 757 — EX LIBRO III. De uno immenso et Domino Deo nostro. 759 — EX LIBRO IV. De cultu Patris, et Filii, et Spiritus sancti. 765 — EX LIBRO V. De imagine Dei. 769 — EX LIBRO VI. De uno æterno. 773 — EX LIBRO VII. De æqualitate et unitate Spiritus sancti cum Patre et Filio. 779 — EX LIBRO VIII. De missione Filii et Spiritus sancti. 785 — EX LIBRO IX. De invocatione Trinitatis. 799 — EX LIBRO X. Defensio symboli Apostolorum adversus arianos. 821.	
EXCERPTUM ex libro III Hincrami Rhemensis adversus objecta Græcorum ad Odonem Bellavacensem, nec non ex libro III Rattrami monachi contra Græcorum opposita. 853	

SERMONES INEDITI.	<i>Ibid.</i>
SERMO PRIMUS. — De circumcissione Domini.	<i>Ibid.</i>
SERMO II. — In Purificatione B. Mariæ Virginis.	858
APPENDIX AD S. FULGENTII OPERA.	843
LIBER de prædestinatione et gratia.	<i>Ibid.</i>
Ferrandi Diaconi epistola ad Euyppium, de essentia Trinitatis ac duabus Christi naturis.	853
SERMONES LXXX paucis exceptis suppositi.	853
Præfatio.	<i>Ibid.</i>
SERMO PRIMUS. De Natali Christi. 858 — SERM. II. De Natali S. Stephani. 859 — SERM. III. De Natali S. Stephani. 860 — SERM. IV. De Epiphania Domini, et de Innocentibus. 863 — SERM. V. De Abraham. 864 — SERM. VI. De unico filio et puero centurionis. 865 — SERM. VII. De duobus cæcis. 866 — SERM. VIII. De tribus pueris. 867 — SERM. IX. De muliere in adulterio deprehensa. 868 — SERM. X. De Salomonis judicio. 869 — SERM. XI. De eodem. 871 — SERM. XII. De Joseph. 872 — SERM. XIII. De exodo. 874 — SERM. XIV. De eodem. 876 — SERM. XV. Unde supra. 877 — SERM. XVI. De Jona. 878 — SERM. XVII. De cæco nato. 880 — SERM. XVIII. De Eliseo, ubi oleum viduæ multiplicavit. 882 — SERM. XIX. Item de Eliseo. 883 — SERM. XX. De Elia et Eliseo. 885 — SERM. XXI. De filiis Zebedæi. 887 — SERM. XXII. De Lazaro suscitato. 889 — SERM. XXIII. De lavandis pedibus. 890 — SERM. XXIV. Alius unde supra. <i>Ibid.</i> — SERM. XXV. Item de lavandis pedibus. 891 — SERM. XXVI. Unde supra. 893 — SERM. XXVII. De muliere quæ perdidit unguento caput Jesu. 894 — SERM. XXVIII. De latrone crucifixum cum Christo. 895 — SERM. XXIX. Item unde supra. <i>Ibid.</i> <i>Sermones XXX, XXXI, XXXII, XXXIII, desiderantur.</i> — SERM. XXXIV. De sacramento altaris. 896 — SERM. XXXV. De secundo die Paschæ. 897 — SERM. XXXVI. De laudibus Mariæ ex parte Salvatoris. 898 — SERM. XXXVII. De die tertio Paschæ. 900 — SERM. XXXVIII. Item unde supra. 901 — SERM. XXXIX. De quarto die Paschæ. 902 — SERM. XL. De die quinto Paschæ. 903 — SERM. XLI. De sexto die Paschæ. 905 — SERM. XLII. De januis clausis. 906 — SERM. XLIII. Unde supra. 907 — SERM. XLIV. Ubi post resurrectionem Christus in horto Mariæ apparuit Magdalene. 906 — SERM. XLV. De unico baptismo. 910 — SERM. XLVI. De vite vera. 912 — SERM. XLVII. Item de vite vera et palmito. 915 — SERM. XLVIII. De ascensione Domini. 914 — SERM. XLIX. Item unde supra. 915 — SERM. L. De sancto die Pentecostes. 916 — SERM. LI. De eodem. 917 — SERM. LII. Item de Pentecoste. 918 — SERM. LIII. De Natali Joannis Baptiste. 920 — SERM. LIV. Item unde supra. 922 — SERM. LV. De decollatione S. Joannis Baptiste. 924 — SERM. LVI. De Natali S. Joannis Baptiste. 926 — SERM. LVII. De sancto Petro, ubi dicit Dominus: <i>Pasce oves meas.</i> 927 — SERM. LVIII. De Natali apostolorum Petri et Pauli. 928 — SERM. LIX. Item de Paulo. 929 — SERM. LX. De S. Laurentio. 930 — SERM. LXI. De eo qui incidit in latrones. 931 — SERM. LXII. De unico filio viduæ Naim. 932 — SERM. LXIII. De paralytico. 934 — SERM. LXIV. De eo cui ab herese ager attulit fructus. 935 — SERM. LXV. De muliere quæ erat in fluxu sanguinis. 936 — SERM. LXVI. Item de eodem. 938 — SERM. LXVII. De solemnitate sanctorum apostolorum. 939 — SERM. LXVIII. De martyribus. 940 — SERM. LXIX. De Natali sanctorum Machabæorum. 941 — SERM. LXX. De Job et beata Perpetua. 942 — SERM. LXXI. Item de Job. 943 — SERM. LXXII. De sancto Cypriano. 944 — SERM. LXXIII. De sancto Vincentio. <i>Ibid.</i> — SERM. LXXIV. De Golia. <i>Ibid.</i> — SERM. LXXV. De Absalon. 945 — SERM. LXXVI. De Isaia. 947 — SERM. LXXVII. De lingua moles ia. 948 — SERM. LXXVIII. Ad competentes traditum s. m. b. o. l. u. m. 950 — SERM. LXXIX. De consolatione in assumptione episcopi. <i>Ibid.</i> — SERM. LXXX. De oratione. 951	

S. REMIGIUS RHEMENSIS.

Notitia.	961
OPUSCULA.	965
EPISTOLA PRIMA (<i>ad Chlodoveum regem</i>). Consolatio in obitu Albofredi sororis ejus, quæ non multo post susceptum baptismum e vita migravit. <i>Ibid.</i> — Epist. II (<i>ad eundem</i>). Hortatio, cum rex ad Gothicum bellum se accingeret. 965 — Epist. III (<i>ad tres episcopos</i>). De Claudio presbytero, in cujus causa spretum se ab illis conqueritur. 966 — Epist. IV (<i>ad Falconem episcopum</i>). Arguit illum quod in Mosonagensi Ecclesia jurisdictionem sibi adversus Remensis Ecclesiæ jura usurparit. 968.	


S. REMIGII TESTAMENTUM.

969

MARCELLINUS COMES.

CHRONICON (in hoc tomo memoratum, editum autem Patrologiæ, tom. LI, col. 915).	975
--	-----





3 2044 054 128 558

THIS VOLUME
DOES NOT CIRCULATE
OUTSIDE THE LIBRARY



